Digitized by Google

NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
40
27

49.3.32.

49
e
32.

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ

DE ANIMA

LIBRI QVATVOR.

Auctore

LIBERTO FROMONDO

HACCVRIANO,

In Academia Lovanienſi S. Th. Doct. & Prof. Regio, Seminarij Leodienſis Præſide,

ET

Inſignis Eccleſiæ Collegiatæ B. PETRI Lovanij

DECANO

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Collegij Romani Societatis Iesu Bibliot. Secret.



LOVANII,

Typis HIERONYMI NEMPAEI Anno 1649.

Cum Gratia & Privilegio.

Digitized by Google

14-4-0-27

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI

FERDINANDO BAVARO,

ELECTORI COLONIENSI,

PRINCIPI LEODIENSI,

Sacri Rom. Imperij per Italiam Archicancellario &c.

SERENISSIME PRINCEPS

STVDIA melioris ætatis meæ, longo rerum aliarum intervallo jacentia, & à ſene jam retractata atque interpolata, CELSITVDINI SVÆ oblatum venio. Cui enim potiùs debeam? Natale ſolum invitabat, & beneficium (ultroneâ SVÆ CELSITVDINIS benignitate collatum) Præſidentiæ Seminarij ſui in hac celeberrima Academia, quod referre non poteram, iſtam ſaltem grati animi confeſſionem flagitabat.

Nec munuſculi materia, quæ de ANIMÆ philoſophiâ eſt, ſpero, ingrata erit.

Digitized by Google

Hoc enim jam & olim Illuſtriſſima Domus Bavarica, inter primas illas & capitales Orbis Chriſtiani Familias, peculiare ferè habet; ut Philoſophiæ, Mathematicarum, ceterarumque Muſarum amore & familiaritate, Nobilitatem ſuam non revileſcere aut obſcurari, ſed magis inclareſcere exiſtimet. Quod hodieq; in CELSITVDINE SVA, in Ser.mo SVÆ CELSITVDINIS Fratre, MAXIMILIANO Bavariæ Duce, & nuper in Ser.mo patruo ERNESTO, Principe noſtro, cujus virtutum & Dignitatum SVA CELSITVDO heres fuit, cõſpeximus. De ceteris vetuſtioris ævi, in Hiſtoriarum memorijs legimus.

Sed illuſtre præter alia exemplum in HENRICO Bavariæ Duce & Rom. Imperatore: in quo dubites, an ſanctitas vitæ (quâ inter Cælites, cum caſtiſſima conjuge ſua Cunegunde relatus eſt) an litterarum, barbaro illo ſeculo, cultus & doctri-

Digitized by Google

doctrina, an virtus armorum palmam habuerit.

Hic enim ille eſt, qui An. Chriſti MII. poſt Ottonem III. Imperator creatus, veluti ſol quidam, præcedentis ſeculi tenebris illuxit, & ex ferreo (ut Baronius appellat) aureum fecit. Cùm enim univerſus tunc Chriſtianus Orbis in ferro & tumultu eſſet, *Per ipsũ tota Germania*, ait Genebrardus, *Gallia, Italia fuerunt pacatiſſimæ; ut aureũ hôc imperante vigere videretur ſeculum.* Id autem divinâ, & armorum virtute perfecit. *Nam An.* MV. inquit idem Chronologus, *Arduinum*, Longobardorũ Regẽ, *ab Italis Imperatorem ſalutatum, acie interemit, univerſas cis Padum urbes ſubegit, & Italiam compoſuit. Bernardum Saxoniæ Ducem rebellantem ſubegit, Slavos & Polonos, qui ei auxilio venerant, tributarios fecit. Anno* MIX. *Balduinum* IV. *Flandrenſium Comi-*

S. Henr. 2. Imp. An. 1002.

Genebr. in Chron. ex Sigeberto, Palmerio &c.

 tem,

tem, & ceteros rebelles domuit. An. MXIII. *cunctos Saracenos Italiâ, Calabriâ, Campaniâ, Picentino agro expulit, & Apuliam diu ab ijs poſſeſſam recuperavit.*

Deinde Benedictum VIII. Summum Pontificem, Sede ſuâ pulſum, reſtituit. A quo Pomum, ſive Orbem aureum cum infixa Cruce, Benedicto divinitus oſtenſum, primus omnium Imperatorum accepit, & nunc, tanquam Imperij Rom. Inſigne, ad Cæſares poſteros tranſmiſſum videmus.

Plurima alia ſunt Principũ Bavarorum in Eccleſiam, & Remp. Chriſtianam illuſtria beneficia; quæ longũ, nec hîc attinet, recenſere. Hoc tamen propiùs nos tangit, & Eccleſiæ Leodienſis inſigne beneficium ac ornamentũ fuit.

Quòd Ser.mus Princeps Erneſtus, ut Statuta Seminarij Lovanienſis narrant, *prudenter adverterit* (futurorum periculorum,

Digitized by Google

rũ, capto nunc ab hæreticis Moſætraje-
cto, quaſi divinus & præſagus) *neceſſariũ eſſe, propter vicinorum ac paſſim gliſcentium hæreticorum vafras ſubtileſq; Religionis Catholicæ depravationes: tum propter diverſarum Parochialium Eccleſiarũ, in oppidis præſertim ac famoſioribus Diœceſis ſuæ locis amplitudinem; præter Seminarium in civitate Leodienſi erectum, aliud etiam in vicina Lovanienſi Academia inſtituere. In quo, qui majoris expectationis fuerint, diligentiùs in ſtudio Theologico inſtituerentur, & hujus ſuæ inſtitutionis, graduum Scholaſticorum ſuſceptione, publicum teſtimonium conſequerentur.*

Hoc deniq; Auſtriaco Bavaricoq; ſanguini, qui mutuis inter ſe jam olim affinitatibus cognationibuſq; mixti & confuſi, peculiare & ferè propriũ eſt: molli clementiq; & quod tyrannico longiſſimè abeſt imperio, ſubditos ſuos regere.

Alij

Digitized by Google

Alij quidam Principes, aut Miniſtri circa ipſos, ultrò nec laceſſiti arma rapiunt, non ut injuriam propulſent, ſed ut faciant: nec bello ad ſubditorum pacem utuntur, ſed per calcatas eorum oppreſſiones & miſerias ad famam gloriamque bellicæ virtutis ferro & igni graſſantur. Veteri Caligulæ Cæſaris elogio, PHAETONTES ORBIS; facti non tam ut ſuos regant, quàm ut alienos flagellent, & Mundum incendant.

Suet. c. 11 Calig.

Quanto à talibus moribus intervallo Bavarici Principes! Et exemplũ poteſtne dari illuſtrius, quàm in CELSITVDINE VESTRA, FERDINANDE PRINCEPS? Tot enim jam anni ſunt, quòd Leodienſes ſubditos non armis, quæ fervidi quidam ſuadebant, ſed paternæ clementiæ artibus, intra veterem obedientiæ gyrum conatur reflectere. Hoc eſt vere Principem, id eſt Patrem Patriæ, non

durum

Digitized by Google

durum Dominum exercere; & præclaram illam Romani Sapientis ad ſuum Neronem ſententiam in ſe graphicè exprimere: *Nihil glorioſius Principe impunè læſo.* Senec. lib. 1. c. 20. de Clement.

In quâ gloriâ, & ſubditorum rediturâ brevî obedientiâ ac pace, Deum Opt. Max. rogamus, ut CELSITVDINEM SVAM diutiſſimè ſupereſſe, & præeſſe concedat, & poſt exhauſtam longâ ſenectute vitam mortalem in terris, æternam donet in cælis. In quo voto, toto animi affectu acquieſco

SER.[mæ] CELSITVDINIS SVÆ

Humillimus Servus

L. FROMONDVS.

Die XIII. *Maij, Christi Aſcendentis feſto. An.* MDCXLIX.

)()(AD

AD LECTOREM.

Theologum, & hoc ætatis, id eſt ſenem, de Anima philoſophari, quidam fortaſſe in probro ponent; ſed facti mei pænitere nondum ſtatui. Pars enim iſta Philoſophiæ nobiliſſima amœniſſimaq; eſt, ac proximè Theologiam noſtram, ut ſupremus æther cælum, tangit. Imò pluribus locis ſic ei permiſcetur, ut nec Theologum agere ſine hac Philoſophia, nec ſic philoſophari ſine Theologia poſſis. Niſi enim Theologiæ, & maximè ſacrarum Scripturarum fax aliqua præluceat, quònam, quæſo, per lubrica iſta humanarum ratiocinationum & tenebroſa, ibimus? Sanè, nos perditum, cum antiquis illis & luſcitioſis Mundi ſapientibus.

Quàm enim nihil ferè certi comprehenſiq; de natura Animæ illi habuerint, à Romano Stoico diſcere licebit.

Senec. lib. 7 c. 24. Nat. Multa ſunt, *inquit*, quæ eſſe concedimus; qualia ſint ignoramus. Habere nos animum, cujus imperio & impellimur & revocamur, omnes fatebuntur; quid tamen ſit animus ille rector dominusque noſtri, non magis tibi quiſquam expediet, quàm ubi ſit. Alius illum dicet eſſe ſpiritum, alius concentum quendam, alius vim divinam & Dei partem, alius tenuiſſimum aërem, alius incorporalem potentiam. Non deerit qui ſanguinem dicat, qui calorem. Adeò animo non poteſt liquere de ceteris rebus, ut adhuc ipſe ſe quærat.

Senili quoque ætate, quando anima corpori malè hæret, & ad evolandum ſe quodammodò levat & accingit, nullum ad Philoſophiam iſtam tempus magis aptum idoneumque eſt. Nonne Socrates, cùm jam frigore cicutæ extinguitur; Seneca, cùm ſanguinem & vitam, abruptis venis effundit in balneum; Cato Uticenſis, cùm mori ſuâ manu deſtinat, de immortalitate animæ maximè ſeriò diſputant? Hujus quippe quæſtionis præcipuè & propriè locus, ubi moriendum eſt: ut ſpe melioris & immortalis vitæ ſolemur miſeræ & fugientis amiſſionem. Nos præſertim Chriſtiani, quos ſpes non confundit; *ſicuti miſeros illos confudit, qui cùm* cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt. Rom. 1.

Igitur lineamenta quædam de Anima, & veluti imaginem monogrammam, quam juvenis olim in futuri Operis perfectionem delinearam, in ſenectute jam media, & ipſo ineuntis Climacterici limine, carne

implevi

impleſvi, cute coloribuſq; induxi, ac novos inſuper è ſacris litteris, aut Patribus nervos plurifariàm intendi. Certè tamen Dei ope facere volui: an effecerim, tu Lector arbitrare.

Quia verò lineamentorum, & ideæ primæ amplitudo longè ultra hujus Operis modum tendebatur, contrahere neceſſe fuit, & multa quæ in collecto & præparato jam erant, rejicienda fuerunt, ne nimis enormem brevioris & feſtinati ædificij plenitudinem redderent.

Nemo autem recentium qui in manibus ſunt Philoſophorum ſe irâ, aut invidiâ, à me in laude, aut commemoratione præteritum conqueratur. Ego enim in ſingulis Dei lumen & gratiam miror veneror q;, non invideo. Quoſdam eorum olim legi, ſed repetere jam nimis ſerum erat, nec vacabat ſeni, & tot aliorum ſtudiorum ac rerum negotioſo.

Itaque veræ Philoſophiæ fontes, Ariſtotelem, S. Auguſtinum, S. Thomam, Scotum, & id genus paucos majorum gentium, ut ſic dicam, Philoſophos reviſere ſatis habui. Et maximè, quia olim expertus eram, muſteos illos Philoſophorum rivulos, qui ab alijs fontibus fluere malunt & gaudent, multum recentis & inutilis limi trahere; & cùm feſſus longis ratiocinationum erroribus ſuas undas diu vexaverint, in Ariſtotelis tandem fontes, aut flumina, vel propè reverti, ut philoſophiam ſuam, non ſibi tantùm, ſed alijs probent.

Dicant enim Bodiniſtæ & Campanelliſtæ quidquid lubet: aliud longè ingenij acumen, & veritatis lumen in Ariſtotele, quàm in Democrito, Epicuro, Paracelſo, Chymicorum filijs, ceteriſq; citra & ultra Ariſtotelis ævum, quos illi, deſerto Ariſtotele, malunt ſequi. De re inferioris naturæ loquor: nam de ſuperioribus & divinis, Plato longè ultra Ariſtotelem auſus, & ivit. Sed ille omnia, aut pleraque ex Moyſe, & Hebræorum ſacris hauſiſſe, olim à multis creditus eſt.

Ariſtoteles verò in ſupernis illis majorem caliginem vidit, quàm digerere, aut penetrare lux humanæ mentis poſſet; ideóq; ad res inferiores ingenij aciem convertit; & penetravit, ut nemo profundiùs.

Ego enim providentiam divinam circa Ariſtotelem egiſſe, quod circa Homerum & Virgilium, circa Demoſthenem & Ciceronem, exiſtimo. Ante Homerum & Virgilium fuerunt in Græcia & Latio Poetæ, ante Demoſthenem & Ciceronem, Oratores; ſed per iſtos, in tantum faſtigium artes illas evexit, quò nemo antecedentium aſpiravit; & qui ſequentur, non aſcendendo, ſed deſcendendo proficerent.

Nec omnia tamen in re naturæ Ariſtotelis dicta ſic adoro, ut nuſquam

quam erraſſe putem. Nam etiam quandoque bonus dormitat Homerus: *& ſunt, qui in verſibus S. Gregorij Nazianzeni, elegantiæ quiddam vident, quod in Homero deſiderant. Nec ego dicere auſim, nihil eſſe in Quinctiliano, quod imitari malim, quàm rem ejuſdem argumenti in Cicerone.*

Denique, quod Ariſtoteles inter Philoſophos, Homerus & Virgilius inter Poëtas, Demoſthenes & Cicero inter Oratores, hoc S. Auguſtinus inter SS. Patres. Vt magno merito, SS. Patrum vertex *appellatus ſit.*

Nec tantùm in rebus divinis, ſed in Philoſophia etiam naturali Auguſtinus alijs ſupereminet. Quam tamen nec ab Ariſtotele, aut alio Magiſtro didiciſſe, eſt in comperto. Vt legendo & attendendo, ſæpe obſtupeſcam, unde illa rerum naturæ tam abditarum lux ei & notitia; niſi divinitus infuſam ſuſpicarer. Ad hoc enim ſuffeciſſe illi ingenium, quantumvis admirabile & maximum, ſine alio ſuperiori lumine, credat qui poteſt, ego hactenus non potui.

Hunc ergo in tenebris rerum non tantùm divinarum, ſed etiam naturalium, & præſertim Animæ, tanquam divinam facem ſequi malui & amavi. Vnde enim potiùs, & puriùs, quàm à talibus puris mentibus, tanquam mundiſſimis ſpeculis ſuam, id eſt, omnis veritatis lucem Deus ad nos reflecteret? Vale.

CENSVRA

HOc Opus, quatuor libris comprehenſum, variâ eruditione plenum eſt: & totam philoſophiam Chriſtianam de Anima, compendiosè, dilucidè, ſolidè, ac ſtylo amœno exponit, & eam ob rem digniſſimum eſt quod in lucem eat. Dat. Lovanij die 13. Maij 1649.

Iacobvs Pontanvs S. Theol. Doctor & Profeſſor, Librorum Cenſor.

PHILO-

PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ

DE ANIMA

LIBER PRIMVS.

De Anima in genere.

VNiverſum hunc DE ANIMA Tractatum in Libros IV. diſtribuemus. Liber I. de Anima in genere. II. de Anima vegetativa. III. de Anima ſenſitiva. IV. de Anima rationali diſſeret. Omnia tam breviter, quàm materiæ ubertas; tam dilucidè, quàm tenebræ ejus & opacitas permittet, & Deus lucem ac ingenium dabit. Si non aſſequor quod volui, conatus ſaltem non defuit.

CAPUT I.

Quid ſit Anima.

QVàm perplexum & difficile ſit, ſolis ingenij humani viribus ad veram animæ cognitionem pervenire, veterum Philoſophorum magnorumq; ingeniorum diſſenſus & pugnæ ſatis dicunt. Et nos in ijſdem Labyrinthis erraremus, niſi Deus Scripturâ & revelatione ſua ab erroribus iſtis, tanquam Ariadnes filo, utcumque nos expediviſſet.

ARTICVLVS I.

Quid Philoſophi veteres de anima ſint opinati.

VEtuſtiſſimi Philoſophorum, rudi adhuc & naſcente Philoſophiâ, animam nihil aliud, quàm ſpiritum quendam corporeum, craſſiori materiæ infuſum exiſtimaverunt. Videbant enim ignem, aërem, ventum, & omnem univerſim ſpiritum, rem mobilem eſſe & irrequietam; ac proinde ſuſpicati ſunt ejuſmodi aliquid animam eſſe, quo corpora animata intus ſubagitarentur, & in omnem differentiam ſitûs propellerentur. Hinc Heraclitus, Zeno, Stoici animam ignem, aut ſpiritum calidum eſſe opinati ſunt; Anaxagoras & Anaximenes aërem, Democritus rotundarum atomorum congeriem, Hippocrates ſpiritum animalem, Empedocles ſanguinem, alij aliud ſimile corpus, per venas & arterias, aliaque corporis animati organa agilitate ſua diſcurrens. Vnde Ariſtoteles Democritum, & ejuſdem craſſæ Minervæ Philoſophos irridens, ait eos Dædalo ſimiles eſſe, qui ligneam Venerem fabricaſſe dicitur, quæ infuſo viſceribus argento vivo, ſponte, nullo extrinſecus impellente graderetur. Simili enim modo Philoſophi illi animam inſtar argenti vivi, animalium corporibus infuſam, & lubrico per venas & interaneos meatus lapſu, ſeipſam movere, & membra ad progrediendum impellere imaginati ſunt. Ab hac craſsâ Philoſophiâ, Latini *Animam*, quaſi ἄνεμον, id eſt *ventum* appellaverunt.

Ceterùm ad refellenda horum veterum ægrotorum ſomnia, non opus eſt multarum lucernarum oleum conſumere. Vnico enim argumento ſatis eos confutat Themiſtius.

Themiſt. lib. 1. c. 17 de anima. Nam ſi anima eſſet tale corpus per venas animantis diſcurrens, ait, tam facili negotio, animali extincto vitam redderemus, quàm utrem, ubi aërem ſuum expiravit, inſpirato per ſiphonem iterùm aëre, inflamus.

Deinde, ut Ariſtoteles docet, anima non movetur per ſe in ſuo corpore, nec per canales ejus, ſicut ventus per Organorum

rum fiſtulas diſcurrit; ſed per accidens ſolùm ad motum ſui corporis ſe movet.

Denique etſi tenuiſſimâ fortaſſe apparentiâ hic error veſtiri poſſet, ſi nullus alius actus vitalis animæ eſſet, præter motum localem progreſſivum; quo tamen colore affirmari poteſt, nobiliſſimos ſenſuum externorum & internorum actus, item ſpirituales intellectûs & voluntatis operationes, ab inſenſibili & corporeo ignis & aëris elemento vitaliter emanare?

Huic tamen vetuſtiſſimorum Philoſophorum errori proximus eſt Thomas Campanella: qui negat animam ſenſitivam eſſe corpóris organici formam, ſed eſſe ſpiritum animalem, qui nulli organo corporis affixus, de ſenſorio uno in alterum vagabundus tranſcurrit: *ſicut multi in nave milites*, inquit, *& gentes in domo, & homines in civitate, in officinis, plateis, ædibus, & vijs diverſas obeunt functiones.* Campanel. lib. 2. c. 18. de ſenſu.

Vnde alibi ſpiritum illum ambulatorium, non tantùm animam, ſed animal vocat. Definit enim animal, *Spiritum habitantem in craſsâ mole, ad communis vitæ uſum organizatâ.* Adeoque corpus organicum non erit pars animalis; ſed vagina, aut domus; nec ſolæ teſtudines & cochleæ, ſed etiam homines, equi, boves, ſecundum Campanellæ Philoſophiam, ſunt domiportæ. Ita dum Ariſtoteli ubique ex profeſſò oppêdit, & amore novitatis, rudes antiquorum cogitationes elegantiori Philoſophiæ ab Ariſtotele, Platone, & nobilibus illis ingenijs dolatæ & perpolitæ, anteponit, atque à S. Thoma reliquiſque Dominicanæ ſuæ Familiæ columinibus longiſſimè refugit, in craſſiſſimos iſtos, & alios in omni ferè materia èrrores ſe præcipitat. Idem lib. 2. c. 13.

Certè autem, præter ſpiritus illos animales, levitate ſua effrenes & vagabundos, aliqua ſtabilior, ac eorum rectrix anima, ſingulis corporis organis affigi debet, quæ eos advocet, ijs utatur, & diffluentes coërceat.

Sympathia denique potentiarum animæ ſatis indicat, unam animam eſſe, quæ ſub varijs potentijs uno eodemque tempore operatur; non autem mobilē aliquam & vagam, quæ de organo uno in alterū ſucceſſivè, ad nunc hìc, nunc alibi operandū,

tanquam ad varias officinas diſcurrat.

Alij igitur Philoſophi magis ſpirituales & ingenioſi, ut Pythagoras & Plato, animam numerum quendam harmonicum eſſe dixerunt. Quos itidem Ariſtoteles refellit; non quia ipſi errarent, ſed quia verbis myſticis veritatem obſcurando, alijs errandi occaſionem præberent. Pythagoras enim & Plato Arithmeticis ac Geometricis quibuſdam proportionibus & figuris arcana Philoſophiæ ſuæ velabant, ne ſacra iſta Cereris omnibus pateſcerent. Quos tamen ubique inſectatur Ariſtoteles, non propter ſententiarum falſitatem; ſed *judicio quidem omnium doctiſſimorum*, ait eruditus ille Platonicus Beſſarion, *ne quis primo aſpectu ſermonis arreptus, ſentiret quod alienum eſt à rei, de qua agitur, rectâ veraq́ ratione*. Vnde *nec ex eo*, inquit, *quòd Plato in figuras planas, rerum naturalium elementa reſolvit, ſequitur* (quod Ariſtoteles illi objectat) *partem lineæ non eſſe lineam, aut lineam ex punctis conſtitui, aut magnitudinem non eſſe in infinitum diviſibilem, aut reliqua quæ ex Mathematicâ ratione obijci poſſent*. Et Andr. Libavius Epiſt. ad Georg. Limnæum *Reſiſtit quidem Peripateticorum Princeps Præceptoris ſui Platonis triangulis, & Pythagoræ numeros conatur infringere. At ſi intellexiſſet omnia eſſentialia eſſe, non tam fuiſſet adverſatus. Quanquam ego putem non tam Magiſtris illis ſe oppoſuiſſe, quàm perperàm explicantibus doctrinam diſcipulis, & Philoſophiam totam ad numeros & figuras myſticas, neglectâ utilitate publicâ, transferentibus.* Vt pateat iterùm, quàm non immeritò olim in Labyrintho noſtro, negaverim Platonem Epicureis, omnem corpoream magnitudinem in atomos & puncta ultimò reſolventibus, accenſendum eſſe.

Beſſar. lib. 2. c. 10 contra Calumniat. Plat.

Labyrinth. 2.

ARTICV-

ARTICVLVS II.

An anima nihil ſit aliud, quàm temperies ſui corporis, aut ſpiritus vitales, ut Medicis quibuſdam, & Epicureis placet.

DIcæarchus, teſte Cicerone, cùm eſſentiam animæ comprehendere non poſſet, ut uno ſaltu extra omnes difficultates ſe expediret, dixit, animam nihil eſſe. Aliàs tamen, ſi Plutarcho credimus, idem *harmoniam quandam & temperiem quatuor elementorum*, eſſe definivit. Plut. lib. 4. c. 2. Placit.

Eadem vel proxima ſententia Hippocrati & Galeno à quibuſdam tribuitur; ideoque Iul. Scaliger *nefandum Hippocratis deliramentum* appellat: *à quo*, inquit, *non abſunt Galeni trepidationes*. Scal Exerc. 101. Nam quid ſit anima ſe neſcire, ſæpenumerò Galenus fatetur; & cùm hominum mores à temperie corporis tam potenter inclinari perpenderet, ſemel apertè dicere auſus fuit, Galen. lib. Quòd mores temper. ſeqq. *Ingentem ſibi iam oboriri ſuſpicionem, ut totam animæ ſubſtantiam, eſſe corpoream credat*. Nullam enim aliam animam in corpore animalis, præter temperiem, aut calidum innatum, aut ſpiritum, qui in hepate, corde, cerebro fabricatur, agnoſcere videtur. Et in eundem ſenſum etiam Hippocratem non ſolus Scaliger, ſed alij quidam interpretantur. In hunc quoque errorem paſſim deſiliunt noſtri temporis Epicurei & Athei. Nihil enim ipſis, ad enecandam animæ humanæ immortalitatem expeditius viſum, quàm ſi ipſam temperamentum aliquod, aut ſpiritum corporeum & corruptibilem eſſe conſtituant.

Sed iſti non tantùm in Deum impij, & in naturæ humanæ dignitatem injurij, ſed in naturali Philoſophia ſtupidi & obtuſi ſunt. Quomodo enim tam nobiles ſentiendi, & intelligendi operationes ab elementaribus qualitatibus, ſine alia cauſa principali eliciantur; quomodo moles humani corporis, in pedes tam diu, tantâ facilitate librari, ſuſpendi, & in omnem differentiam ſitûs, à ſola temperie corporis, aut ſpiritibus etiam vitalibus, animalibus moveri valeat, intelligi non poteſt; niſi anima alia in nobis habitet, quæ ſpiritus illos, lubricos &

diffluentes regat, contineat, agat, & aliò dilapſos perpetuo ſupplemento reſarciat.

Argent. in Artem Gal. Deinde, ut pulchrè Io. Argenterius: *Si actiones quæ in corporibus reperiuntur, non ex alia cauſa, quàm ex temperamento proveniunt, erunt profectò mores & actiones porcorum ſimillima moribus & actionibus hominum: cùm caro ſuilla ſimilis ſaporis & temperamenti cum carne humana, à Galeno eſſe dicatur, Methodi 7. & alibi.*

Scalig. Exerc. 307. Et eruditus Scaliger: *In anima eſt facultas ad movendum antrorſum, retrorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum; quod in elemento nullo. Alia quoque longè illuſtriores ſunt animæ potentiæ, quæ non ſunt in elementis. Sed hæc de motu manifeſtiora propiùs tangunt, atque urunt iſtos Elementarios animæ carnifices.*

Sed corrupto temperamento, homo moritur, inquiunt Epicurei; ergo anima nihil aliud eſſe videtur, quàm temperamentum.

Quibus ſcitè reſpondet Argenterius: *Perinde hoc eſſe, ac ſi quis dicat, animam eſſe caput, eo quòd capite ſublato, cogatur illa corpus deſerere. Aut ſi quis dicat, hominem eſſe domum, quòd ea flagrante, aut ruente, homo vel obruatur, aut abire cogatur.*

Denique ridiculum eſt, propter morum diſſonantiam, aliam animam juveni, aliam ſeni inſerere. Sic enim per ſingulos ætatum gradus, animarum admittenda eſſet metamorphoſis; & puer in adoleſcentem, adoleſcens in juvenem, hic in virum, vir in ſenem, imò maſculus in ſpadonem, proprijſſimè emoreretur. Nam *maxima & penè incredibilis eſt teſtium vis*, ait Laurentius, *non modò ad fecunditatem, ſed etiam ad temperamenti, habitûs, ſubſtantiæ propriæ, & morum alterationem. Hic veluti Lares focumq́ue contineri vult Galenus, quo univerſum corpus incaleſcat. Temperiem enim immutari docent, non modo execti, ſed etiam attriti, contorti, refrigerati, & convulſi teſtes. Ex calida enim temperie in frigidam ſtatim fit converſio.* Imò vir caſtratione quodammodò vertitur in feminam.

Andr. Laurent. lib. 7. q. 1. Anat.

Igitur argumenta Galeni ſolùm evincunt, temperiem & vitales animaleſque ſpiritus, eſſe inſtrumenta principalis animæ, & iſtam ab illis in varios impetus & mores inclinari. Nec enim inſolens & novum eſt, ut perfectio, vel imperfectio eſſe-

ctio effectûs plurimum debeat bonitati, vel malitiæ inſtrumentalis cauſæ. Hinc quidam ex corporis temperie ad virtutes, alij ad vitia dicuntur à natura facti, ut D. Thomas docet. Hinc Iura illegittimos, tanquam irregulares, ab Eccleſiaſticis Ordinibus arcent; quia tales frequenter, ſicut temperiē, ita *vitia & incontinentiam parentum imitari ſolent*, ait Sixtus V. in terribili illo Diplomatē, adverſus illegittimorum promotionem, An. 1587. edito. Et ut Bonifacius Martyr Regi Anglorum ſcribit: *Commixtione meretricum, degeneres populi, & ignobiles, & furentes libidine, nec in bello ſeculari fortes, nec in fide ſtabiles, nec honorabiles hominibus, nec Deo amabiles procreantur.* Non quia meretricum filij animas alterius ſpeciei, ſed quia temperiem (quam etiam educatio mala adjuvat) maculoſam, & ad vitia factam habent. Vnde non magis ea de cauſa, oportet temperiem vocare animam, quàm τὸν πρίονα ἤτε τρύπανον τὸν τέκτονα, *ſerram aut aſciam fabrum* appellare, ut Ariſtoteles alicubi eleganter & ſcitiſſimè. Licet autem quæ jam diximus, ſolùm animam rationalem, & ſenſitivam non eſſe nudam corporis temperiem, directè probent; ex ſimilitudine tamen operationum, facilè colligitur, animam quoque vegetativam plantarum, eſſe aliquid nobilius & eminentius, quàm qualitatum primarum temperiem, ut Art. IV. magis dilucebit.

D. Th. 1.2. q. 63. a. 1.

Diſtinc. 56. can. Si gens Anglor.

Ariſt lib. 1. c. 7. de partib.

ARTICVLVS III.

Medici quidam Hippocratem & Galenum ab errore Epicureorum liberare conantur.

CVm Hippocrates & Galenus corporis temperiem, aut calidum innatum, vel ſpiritum in hepate, corde, cerebro elaboratum, animam appellant, Andr. Laurentius de animâ Medicâ, non de Philoſophicâ, aut Theologicâ loqui eos exiſtimat. *Dum animam temperiem appellat Galenus, non vult*, inquit, *temperiem formam eſſe hominis ratione utentis; ſed formam Medicam, quæ ſola in Medici conſiderationem cadit. Illud namque quod nec ſervari poteſt præſens, nec abſens reſtitui, non cadit in Medici*

Laurent. lib. 10 q. 3. Anat.

Medicis

Medici contemplationem. At intelligens anima, nec præſens ſervari poteſt: ſolum autem temperamentum & præſens ſervari, & abſens reſtitui poteſt. Erit igitur ſolum temperamentum forma hominis Medica; quia Medicus humanum corpus conſiderat, non quatenus Phyſicum, materiâ conſtans & formâ, ſed quatenus ſanabile & ægrotabile.

Fernel. lib. 2. c. 4. de abdit. Similia fermè Fernelius. Ait enim, Galenum agere de anima, ut per temperiem & qualitates affixa eſt corpori, & maneatne ſuperſtes, an extinguatur cum corporis temperie, id extra Medicorum curam eſſe.

Hippocr. lib. de carnib. Hippocrates alicubi etiam amplius dicere videtur. Se nempe in re Medica plerumque loqui de anima ex veterum opinione. *Nunc vero*, inquit, *ut ſententiam meam patefaciam: Profectò mihi videtur, id quod calidum caloremve dicimus, quiddam non mortale eſſe.* Vnde Fernelius ſtatim colligit, eum verbis iſtis animæ immortalitatem ſtabilivisse. Fortaſſe autem Hippocrates animam immortalem, *calidum*, aut *calorem* appellavit, quomodo nomen effectûs ſolet ad cauſam, & contrà, nomen cauſæ ſolet ad effectum, per metonymiam transferri. Nam calidum innatum calorque naturalis ab anima tanquam fonte conſervantur; & reciprocè, anima ab illis tanquam diſpoſitionibus, in corpore retinetur. Nam hoc etiam pacto Scriptura ſacra ſanguinem, animalis animam vocat. Vbi enim Deuteron. 12. Latinè legimus, *Cave, ne ſanguinem comedas: ſanguis enim eorum pro anima eſt*, Hebræi & 70. legunt, *Sanguis enim eſt anima.* Non, inquam, propriè, ſed metonymicè ſanguis eſt anima; quia ſanguis calore & temperie ſua, temperamentum corporis fovet, animam in corpore conſervat & retinet: unde effuſo ſanguine animal illicò expirat. Hanc metonymicam improprietatem indicare, credo, voluit S. Hieronymus, quando vertit, *ſanguis pro anima eſt*, id eſt, inſtar animæ; non autem, *eſt anima*, ut in Hebræo legerat. Quam etiam phraſin imitatur Poëta, cùm, *Purpuream vomit ille animam*, dixit.

Deuteron. 12.

Virgil.

Faveo igitur Hippocrati & Galeno, ut quando temperiem corporis, aut ſpiritum naturalem, vitalem, animalem, animam appellitant, eâ phraſi loquantur, qua Scriptura ſacra ſanguinem, animam vocat. Et ſanè Galenus lib. 3. c. 3. de locis affect.

affect. diſertè dicit, ſpiritum animalem, non animam eſſe, ſed *primum animæ inſtrumentum, in omnibus ſenſibilibus operationibus, & ijs quæ à conſilio & voluntate proficiſcuntur.* Cenſet igitur animam eſſe aliquid ſupra illud inſtrumentum, nec eam magis eſſe propriè ſpiritum animalem, quàm faber ſit ſecuris.

Attamen, quin de ſubſtantia animæ, etiam rationalis, vehementer cum tot alijs Philoſophis, dubitaverint (& præſertim Galenus, qui fluctum ſuum tam ſæpe manifeſtat) ambigi non poteſt. Hæc enim eſt caligo & poteſtas tenebrarum humani intellectùs, quam fidei Chriſtianæ lux non illuminat.

Valde etiam metuo, ne quando interdum dicunt, *animam hominis de cælo eſſe*, aut, *eſſe ſpiritum corporibus elementaribus ſubli-miorem*; non ſtatim ideo ipſos animæ noſtræ ſpiritualitatem & immortalitatem adſtruere; ſed loqui, ut Poëtam illum, qui animam *divinæ particulam auræ*; id eſt, auræ æthereæ, in qua ſidera volant & palantur, particulam decerptam, & corpori humano inſertam, vocavit. Sicut enim ſidera Deos appellabant (quod apertè Galenus facit) ita ſuperiorem ætherem, in quo tanquam ſuo elemento Dij illi vivunt, *divinam auram* vocaverunt. Divina autem illa aura, corporea eſt, & fortè corruptibilis, aërique noſtro ſimillima; niſi quòd ſubtilior, & ſublimiorem in univerſo ſtationem obtineat. Ejuſmodi autem divinæ auræ particula, anima rationalis non eſt, cùm hæc ſit incorporea & incorruptibilis. Nec aura vivificare corpora noſtra poteſt, cùm ipſamet vitâ careat. Horat.

ARTICVLVS IV.

Animam non accidens, ſed ſubſtantiam eſſe.

ANimam rationalem, ſubſtantiam eſſe, ex ejus incorruptibilitate & immortalitate (quam ei poſtea aſſeremus) faciliimè probatur. Si enim à corpore ſuperſtes manet, non eſt igitur accidens; quod ſine ſubjecti ſuſtentaculo naturaliter eſſe non poteſt.

Si autem anima rationalis non eſt accidens, ſed ſubſtantia,

facili conjecturâ aſſequimur, animas quoque ſenſitivas brutorum, eſſe ſubſtantias, non accidentia. Similitudo enim operationum ſenſitivarum, quas in bruto & homine advertimus, id ſatis evincit. Si namque in homine ſubſtantia quædam eſt, quæ per oculos videt, per aures audit &c. quis ambiget, illud quoque eſſe ſubſtantiam, & quidem valde nobilem, quod corpori equi aut bovis incluſum, per oculos etiam, velut per feneſtras, foràs proſpicit, & per aures in ſonitum ſe extendit? Similis conſequentia ad animas plantarum nos deducit. Si enim quod in homine, & brutis animantibus, alimentum attrahit, coquit, & per ſingula membra diſpenſat, ſubſtantia eſt; profectò nemo niſi pertinax, animam arboris, cujus ſimillimas operationes advertit, ſubſtantiam eſſe negabit. Eſt enim arbor quodammodò homo inverſus: cujus caput (id eſt radix) in terram defixum, brachijs & cruribus ſurſum in ramos effuſis.

Alio quoque modo probari poteſt, ſupponendo (quod inferiùs probandum erit) animam rationalem eſſe formam ſubſtantialem, quæ cum materia prima compoſitum unius naturæ abſolvi. Hinc enim ſequitur, materiam primam eſſe ens ſubſtantiale incompletum: unde in brutis & plantis eam aliquâ ſubſtantiali formâ compleri etiam oporteat; ne in illis perpetuò incompleta maneat. Hoc autem ſubſtantiale materiæ primæ complementum, nihil eſt aliud, quàm anima ſenſitiva bruti, & vegetativa plantæ.

ARTICVLVS V.

Non ſola anima, ſed formæ etiam quædam inanimæ aliquam partium materiæ ſuæ conformationem flagitant.

CRedo Iul. Scaligero potiùs, quàm Cardano & Campanellæ: lapides & metalla non vivere; ſed omnium lapidum & metallorum figuras caſu (ut Centauri & caſtella figurantur in nubibus) non à forma eorum ſubſtantiali ſic factas eſſe, nondum poſſum accredere.

Rideat

Rideat ergo Scaliger Cardanum his & ſimilibus exemplis: Scalig. Exerc. 102.
Rupes imminet Oceano Scythico, quæ Zlota Babba, hoc eſt, Anus aurea dicitur. Anûs enim præ ſe fert formam. Eſt promontorium à ſpecie quam refert, Naſus ſacer appellatum, in finibus Finlappiorum. In Iſlandico Oceano rupes eſt Monachi figurâ, quæ portum facit. Rideat, inquam, Scaliger, non improbo. Verùm licet cum ipſo confitear, lapideos illos Anum, Naſum, Monachum caſu, non à natura formæ inhabitantis, ſic figuratos fuiſſe; quid tamen faciet tot alijs exemplis, ubi non unum, aut alterum individuum illius ſpeciei, ſed omnia prorſus, à primo ad ultimum, eâdem figurâ inſignita ſunt? Nam cryſtalli omnes ſexangulæ, berylli teretes ut cylindri, androdamantes quadrati ut teſſeræ. *Vna adamantis ſpecies*, ait Bodinus, eſt ſexangulari figurâ, & utraque *extremitate tam affabrè & concinnè turbinatâ, ut nulli artificio comparari poſſit.* Et Plinius. *Quare cryſtallus ſexangulis naſcatur lateribus, non facilè ratio inveniri poteſt: eo magis, quòd neque mucronibus eadem ſpecies eſt. Et ita abſolutus eſt laterum levor, ut nulla id arte poſſit æquari.* In quibuſdam Cubæ Inſulæ vallibus omnes lapides circumcisè rotundi. Nec tamen mutuo confrictu in orbem ſic triti; ut de umbilicis, ſeu rotundis lapillis in æſtuarijs maris, quos κρόκας vocat, Ariſtoteles dicit.

Georg. Agricola lib. 1. c. 13. foſſil.

Plin. lib. 37. c. 2.

Quid jam de limacum, teſtudinum, concharum, oſtreorum, buccinorum, & infinitæ varietatis cruſtaceorum teſtis, tam impensâ ingenij ſubtilitate, in tot labyrinthorum formas cuniculatim elaboratis, tam multiplici circumcurrentium ſtriarum ordine inaratis; & modò in turbinem, modò in metam faſtigiatis, aut milleſimo alio naturæ luſu diſtortis & effigiatis, dicam? Et tamen plerique & nobiliores Philoſophi non magis cruſtaceos iſtos Lares, quàm Diogenis dolium, animatos eſſe exiſtimant. Ova deinde, ac plurima plantarum ſemina, partes quaſdam heterogenias & ſimiles organicis habere videntur; cùm tamen Ariſtoteles ea vivere neget, quia negat propriè mori. Deniqueſanguinem plurimi Medicorûm ſine anima eſſe dicunt; qui tamen partibus heterogenijs; ut fibris, & diverſis humoribus conſtat. Ariſt. c. 17. de reſpirat.

Multi quoque lapides & gemmæ ſimilem viventibus,

colorum in diverſis partibus ſuis varietatem, pingente naturâ habent. Quod in jaſpide, & achate eſt maximè inſigne & conſpicuum. *Inveniuntur achates*, ait Anſel. Boethius, Rudolphi Cæſaris Medicus, *quæ nemora, flumina, arbores, animalia, fructus, flores, herbas, nubes, & quidquid excogitari poſſit, non obſcurè referant. Celebratur ab Auctoribus Pyrrhi Regis achates, in qua ſpectabantur novem Muſæ, & Apollo citharam tenens, non arte, ſed ſponte ita diſcurrentibus maculis & coloribus, ut Muſis quoque ſingulis redderentur inſignia, non ſecus ac ſi arte elaborata fuiſſet.* Et poſtea, de Imp. Rudolphi iaſpidibus: *Vidi*, inquit, *in ſcrinio Imp. Rudolphi II Domini mei Clementiſſ. quaſdam iaſpides nemora, paluſtria loca, arbores, nubes, & flumina ita naturaliter referentes, ut procul aſpicienti non lapis, ſed pictura putaretur.* Et rerum ſubterranearum conſultiſſimus Agricola: *Quædam foſſilia diviſa*, inquit, *diverſarum rerum effigies repræſentant; ut enorchis teſtium, entrochos rotarum, enoſtos oſſium &c.*

Boeth. lib. 2 c. 95. de gemmis.

Illa autem colorum, in omnibus ejuſdem ſpeciei lapidibus varietas, & illa veluti membrorum diſtinctio & multiformitas, videtur à formâ ſubſtantiali inanima talium corporum provenire, quæ animæ imitatrix aliquam temperamenti in alijs alijſq; materiæ ſuæ partibus, varietatem, unde illa coloris & figuræ diverſitas reſultat, videtur poſtulare. Nam quicumque in cryſtallis ſexangularibus, in oſtreorum omniumque cruſtaceorum figuris, alias cauſas invenire tentaverunt, videmus incaſſum ſe defatigaſſe.

Nec tamen propter iſtas figuras, & rudes rerum animatarum ſimilitudines, vitam lapidibus & ſaxis (quod Cardanus, Campanella, Keplerus, alijque ferè Chymicorum faciunt) donare oportet. Nam etiamſi nonnulli lapides corpus in varias membrorum imagines, non à caſu, ſed à natura effigiatum habeant; membra tamen iſta, non niſi æquivocè membra & organa dici poſſunt; unde nec corpus eorum organicum eſt. Eſt enim corporis animati propriũ, organicum eſſe, & diſtinctionem membrorum, non quomodocumque, ſed eo fine poſtulare, ut forma ejus varias in membris, & per membra operationes exerceat, quibus ipſum vivens ſeipſum perficiat &

exornet

exornet. Et hoc ſenſu Ariſtoteles corpus animatum, & corpus organicum, promiſcuè pro ijſdem uſurpat. Corpora verò illa inanimata non eo fine, ut in ſeipſa actione immanente agant, rudimentum illud membrorum poſtulant; ſed potiùs, ut functiones ſuas certo numero, menſurâ, & modo foràs, actione tranſeunte ſpargant. Res exemplo magis conſpicua fiet. Fac, Octavæ ſphæræ ſubſtantialem inanimam formam, præter figuram totius corporis ſui rotundam, tot partes, veluti membra, quot ſunt ſidera ei infixa, poſtulare; & omnia temperie naturali, ac Influentijs inter ſe diſtincta eſſe: diverſæ tamen illæ ſiderum complexiones, & Influentiæ, velut & ſingulorum magnitudines ac figuræ, ad Mundi elementaris fundendas modulandaſque alterationes ſunt à natura deſtinatæ. Secus verò res habet in corpore animato. Nam membra & organa ejus (ut oculi, aures, lingua, manus, pes &c.) diverſas complexiones, magnitudines, figuras, potentias habent, non ut foràs functiones ſuas effundant; ſed ut domi eas contineant, & corpus ſuum vitali & immanente actione perficiant. Sunt ergo organa corpori animato, tanquam domeſtica ſuppellex, quâ anima in culinâ & familiâ, ut ſic dicam, ſui corporis tantùm utitur.

Itaque ſicut natura, à planta, per ſpongias & ζωόφυτα, ſeu plantanimalia, ad perfectum animal brutum, & per ſimiam, ad hominem ſenſim aſcendit; ita ab inanimatis ad plantam, per rudimenta quædam plantarum, paulatim proficit: adeòque conformatio illa quorundam veluti membrorum, quæ in lapidibus & metallis inſenſibilibus apparet, nihil eſt aliud quàm rudimentum quoddam naturæ, membra & organa plantarum animaliumque facere, ut ſic dicam, condiſcentis. Et hoc eſt, quod Cardanum, Campanellam, Keplerum, & omnes qui vitam lapidibus & metallis inculcant, fefellit. Nam, ut præclarè Ariſtoteles: *Adeo ab inanimatis paulatim ſenſimque ad animata natura tranſit, ut continuatione ipsâ lateat eorum confinium, & medium utriuſnam ſit extremi, ambiguum ſit.* Sed tamen propter celebritatem Auctorum, qui Ariſtotelem hîc calcando, magni quibuſ. Ariſt. lib. 8. c. 1. Hiſtor. animal.

quibuſdam apparent, paulò longiùs rem iſtam introſpiciamus.

ARTICVLVS VI.

An lapides & metalla vivant, ut placet Cardano, Campanellæ, & alijs.

Ariſt. lib. 1. c. 2. de anima.

THales, inquit Ariſtoteles, dicit *magnetem animam habere, quia ferrum movet.* Cardanus non tantùm magnetem, ſed ceteros lapides, & metalla animat. Campanella liberalior, omnibus corporibus, etiam ſimplicibus terræ, aquæ, aëri, igni vitam, & quidem ſenſitivam donat: Io. Keplerus, Rudolphi II. Cæſaris Mathematicus, terram animâ etiam intelligente exornat.

Sed non eſt, cur à Peripateticâ & verâ Philoſophiâ, paradoxorum amore, aut ſophiſticis eorum argumentis recedamus.

Igitur lapidibus & metallis animam vegetatricem, cum Ariſtotele, & rerum metallicarum doctiſſimo Agricola, negamus. Non enim generant, nutriuntur, creſcunt, plantarum legibus & more.

Lapis enim aut metallum, aliud ſimile vitaliter non generat; ſed quoties novum individuum naſcitur, non ex ſemine alterius, aut alio vitali modo gignitur, ſed ex halitu terræ & aquæ, vel corporum mixtorum in unum φύραμα convoluto & fermentato, à causâ efficiente inanimatâ coaleſcit.

Georg. Agricola lib. 5 c. 11. de ortu ſubterr.

Mixtura aquæ & terræ, inquit Agricola, *calore ſubterraneo ad aliquam ſpiſſitudinem coquitur; ſed ſuccum, qui ſic provenit, poſtea frigore denſari, ut fiat metallum, ſentimus.*

Non etiam vitali attractione, concoctione, diſtributione, agglutinatione alimenti, lapides & metalla nutriuntur; quidquid contradicant Cardanus, Campanella, & eorum ſequaces.

Nam licet in quibuſdam ſimilitudo quædam venarum appareat, non tamen re verâ venæ ſunt, nec organa ad vitalem ſuctum alimenti facta, ſed meatus quidam caſu, ſine lege, ſine proportio-

proportione hàc illàc diſcurrentes; quos aër aut ſpiritus metallicus materiâ denſiori interceptus exaravit.

Deinde in auro, cryſtallis, & plurimis lapidibus pretioſis, nulli, aut vix ſunt pori ac meatus; adeoq; tales lapides aut metalla alimento intra viſcera ſua attracto ali non poſſunt.

Metalla verò quæ in venis metallicis nutriri, & velut in truncos, & ramos creſcere ſcribit Cardanus, non etiam vitaliter, & ſervatâ partium in omnem dimenſionem proportione, incrementum illud rapiunt; ſed per novum materiæ ad hanc aut illam partem extrinſecùs additamentum: & moles, aut figura qua ſe metallum induit, non ab anima venit, ſed à loci capacitate, & venarum concavitate, quæ per rupes diſcurrunt: quemadmodum plumbeæ glandes figuram rapiunt ferreæ formæ, cui liquatum plumbum infunditur.

Non igitur Campanellæ credimus, qui Apenninos, Alpes, ceteroſque montes vitaliter creviſſe exiſtimat. *Apenninorum ſubſtantia lapidea*, inquit, *in montes ſuperbiſſimos crevit. Vbi videre licet paſſim tanquam ramos arboreos in figuram oblongam quadratam expandi. Nec quidem poteſt ſol ſubito erexiſſe ſubſtantiam hanc in montes Apenninos, & Alpes, & Pyrenæos Hiſpanicos, & Acroceraunos Dalmatas &c. qui per milliaria plurima extenduntur, & in aërem tantopere attolluntur.* Campanel. lib. 3. c. 13. de ſenſu.

Verùm etſi ſol tantas moles erigere non potuerit, Deus tamen olim tertio conditi Mundi die potuit, quando

Juſſit & extendi campos, ſubſidere valles, Ovid.
Fronde tegi ſilvas, lapidoſos ſurgere montes.

Terrenam enim materiam excavati alvei fluminum ac maris, in littora ejecit, moxque in rupes & montes duravit. In locis quoque mediterraneis montes quoſdam in auras extulit, ut ſubterraneæ & fontium matrici abyſſo, ac deinde ignibus ſubterraneis, & metallorum officinis locum infernè aperiret. Præter paucas tamen veluti talparum metas, quas vel è terræ plano in monticulos, vel è maris fundo in Inſulas, ſeculis poſterioribus, ſpiritus, aut ignis ſubterraneus; ut olim in Meteorologicis noſtris diſſerebamus, evexit. Si enim Lib. 3. c. ult. a. 7. Meteor. Alpes, & Apennini paulatim, ut arbores, creſcerent, proce-

riores

riores ſanè non paulò hodie eſſent, quàm olim, quando Hannibal per eos extraxit ſuum exercitum. Et tamen, ut ex veterum Geometrarum menſuris colligere licet, antiqua tot ſeculorum excelſitas adhuc manet.

Sed ne quidem corallium, aut arborem Chymicam Io. Baptiſtæ Portæ vivere, unquam Campanellæ dabimus. *Corallium*, inſit Campanella, *arborem lapideam intra mare eſſe, nemo ignorat. Quod ægrotis appoſitum, colorem amittit, ubi febricitant: ubi ceſſat febris, iterùm rubeſcit, uti caro, cui eſt ſimilis, & ejus affectiones compatitur* (& inde ſenſum quoque ei ineſſe probat.) *Porta narravit mihi*, addit, *argentum, intra quaſdam ipſius aquas Chymicas, converſum fuiſſe in arborem parvam frondoſam formoſamq́;*.

Sed corallium, aut arborem iſtam vitalem & animatam eſſe, niſi alijs argumentis, quàm figurâ illâ ramalium, probetur, non concedimus. Poteſt enim corallium, potuit illa Bapt. Portæ Chymica arbuſcula, ex halitu inanimo, ut metalla in viſceribus terræ, concreviſſe; ſicut de auro Hungarico narrat Scaliger. *In Hungaria*, inquit, *exit aurum è terra ſolo, quaſi germinans, filamenti ſpecie, longitudine quaternûm circiter digitorum, aliquando etiam denûm. Natura eſt, non tanquam planta, ſed quaſi ſucci glaciati, atque ex terra venis expreſſi. Velut in ſummis glebis olim vicinæ Dalmatiæ.*

Scalig. Exer. 102.

Si autem in montibus, lapidibus, & metallis nulla vita vegetativa, multo minùs ſenſitiva inerit. Nulla enim ſensûs inſtrumenta in talibus corporibus homogeneis advertimus, nec contuſa malleis ulla ſigna reddunt doloris & ſensûs. Quàm enim ridiculum, quod dicere non pudet Campanellam: Si calamus ſcriptorius, aut Eremitæ Auguſtiniani lorea corrigia conijciatur in ignem, contrahi, & convolvi in ſpiras impatientiâ doloris; non ſecùs, ac ſi quis vivam anguillam in ignem proijceret? Cùm tamen aliam cauſam illius motûs & jactationis mortuæ corrigiæ (nempe ſpiritus fugitivos, quos ignis è corio reſolvit) reperire difficile non ſit, etiamſi omni dolore & ſenſu careat.

ARTICV-

ARTICVLVS VII.

An terra vivat, ut Keplerus contendit.

MIrum profectò eſt Kepleri Mathematici Cæſarei, de anima terræ, machinamentum, cui ſtruendo viginti annos ſe ſudaſſe narrat.

Terræ enim elementum, animal quoddam magnum eſſe exiſtimat.

Vt enim corpus noſtrum, ait, *in cutis ſuperficie pilos; ſic terra plantas arboreſq; profert. Et ſicut in pilis pediculi; ita in terra, erucæ, cicadæ, variaq; inſecta, & monſtra marina naſcuntur. Et ut corpus noſtrum lacrymas, blennam, auriumque recrementa, & gummi ex faciei puſtulis; ſic tellus electrum & bitumen. Vtq; veſica urinam; ſic terræ montes flumina fundunt. Et ut corpus excrementum ſulphurei odoris, crepituſque, qui etiam inflammari poſſunt; ſic terra ſulphur, ignes ſubterraneos, tonitrua, fulgura. Vtque in venis animantis generatur ſanguis, & cum eo ſudor extra corpus eiectus; ſic in venis terræ, metalla & foſſilia, vaporq; pluvius.* (Kepler. lib. 4. c. 7. Harmonic.)

Et Keplero vehementer aſſentiens Campanella, ac Pythagoram in conſenſum ducens: *Pythagoras animal corpulentum,* inquit, *terram eſſe putat; cujus pili ac crines ſunt plantæ & arbores, oſſa lapides. Animalia in ea ſunt, ſicut pediculi in capite noſtro; & in centro calidam eſſe vult, ſicut cor in nobis.* (Campanel. lib. 3. c. 5. de ſenſu.)

Homines igitur, equi, boves, & elephantes ſunt pediculi terræ, ſi Pythagoræ & Campanellæ credere volumus. Et hanc tam ingenioſam Pythagoræ Philoſophiam eò ſubtilitatis provexit Campanella; ut non ſolùm in terra, ſed etiam in aqua, aëre, & igne animas ſenſitivas invenerit; imò omnes qualitates primas, calorem, frigus, deinde lucem, imò (ſi Deo placet) tenebras etiam, corpora quædam animata & ſenſitiva eſſe deprehenderit. Vnde hac in parte ultra Manichæorum deliria videtur progreſſus: qui, ut ait S. Auguſtinus, *Quòd habeat vitam lapis, & habeat animam paries, & reſticula, & lana, & veſtis, delirantes dicere ſolent. Et cum repreſſi fuerint & repulſi, quaſi* (S. Auguſt. Tract. 1. in Io.)

de Scripturis proferunt, dicentes: Vt quid dictum eſt, Quod factum eſt in ipſo, vita eſt? Si enim omnia in ipſo facta ſunt, omnia vita ſunt. Vbi ſententiam iſtam: *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*, in hæreſis ſuæ patrocinium malè interpungebant, ut notat S. Auguſtinus; comma poſtponentes particulæ, *in ipſo*, cùm tamen præponere oporteat: ut ſignificetur, non quòd in veſtis, aut arca in opere ipſo externo vita ſit, aut vitam habeat, ſed *quia vivit anima artificis, ubi ſunt iſta omnia, antequam proferantur.*

Io. 1.

Ad illam autem tam craſſam & pinguis Minervæ Philoſophiam, temperamento ſui corporis,& ſpirituum vitalium ſubtilitate ſe vehementer adjutum Campanella credit. Nam ſpiritus qui corpore ejus exhalabant, adeò tenues, æthereos, macros, & nulla viſcoſitate implicitos fuiſſe dicit, ut defectu pellis, nulli inde pediculi formari quiverint. Eum enim loquentem, ad riſum & amœnitatem in brevi hoc tranſitu, audiamus. *Caro putreſcens*, inquit, *in loco præſertim calido, vermes producit, & urinæ calor in pulvere pulices, & unctuoſus ſudor humanus pediculos Quos ego unus non produco; ac mihi appoſiti, aut fugiunt, aut citò pereunt. Meus enim calor illis non convenit; cùm ſim ego corpore abſolutus exſiccatuſq́, & ſpiritibus abundans vividis; excrementaq́ tenuia reſoluta, non apta ad producendum corticem, conſtipandumq́ ulla unctuoſitate includendo ſpiritu.* Sed hoc alibi, fortaſſe viderimus, cùm de ingenij humani bonitate diſſeremus.

Campanel. lib. 2. c. 5. de ſenſu.

Nunc, terram ullâ vitâ vivere, Campanellæ & Keplero pernegamus. Nulla enim in primis vitæ vegetativæ (quæ omnium prima eſt) in corpore terræ, inſtrumenta, quibus alimentum attrahat & concoquat, videmus.

Imò verò alvei fluminum,& ſubterranei meatus,ſunt œſophagus & venæ, inquit Keplerus, per quas terra alimentum ſuum bibit.

Verùm, non virtute aliqua vitali, aqua fluminum à tellure tanquam alimentum attrahitur, ſed proprio & ultroneo ſuo pondere, per prona alvei in terram, vel in mare delabitur. Et ſimili quoque pondere aqua marina, alveo ſuo excidit, & in cuniculos venaſque ſubterraneas evolvitur, non vitali aliquo

ſuctu

ſuctu prolectatur. Deinde aqua illa non eſt proprium & vitale terræ alimentum; quandoquidem in eam non convertatur ſervatâ illâ incrementi partium proportione, quam viventia obſervare ſolent.

Sed facultas ſaltem generativa vitali, corpori terræ ineſt, iterum objicit Keplerus. Nam *ab ea, in terræ ſuperficie tot ſtirpium genera ſpontanea, tot inſecta formantur. Ineſt deinde*, ait, *facultas formatrix in intimis terræ viſceribus, planè ſimilis ei, quæ eſt in feminis: ut ſpecies foris occurſantes, intus exprimat, ut naves, piſces, Reges, Pontifices, Monachos, milites foſsiles.* Kepler. Lib. 1. Epit.

Sed profectò, ſi terræ ineſt facultas vitalis generativa, non arbores & plantas in ſuperficie, Reges, Pontifices, Monachos in viſceribus ſuis; ſed aliam terram ſimilem, tanquam filiam gigneret; ſicut plantæ, & animalia ſibi ſimilia generare ſolent. Arbores autem, & Reges, Pontifices, ac Monachi lapidei ſpecie differunt ab elemento terræ. Vnde Ariſtoteles, longè quàm Keplerus aut Campanella ſapientior, terram non matrem, ſed *quaſi matrem*, & *quaſi feminam*, Solem verò & cælum, *quaſi patrem* arborum & plantarum appellat. Terra enim, veluti mater, ſuccum ſuum in materiam generationis plantarum ſubminiſtrat, quam Sol & cælum calore & Influentijs ſuis maritat. Ariſt. lib. 1. c. 2. de generat. animal.

Ridiculum autem eſt, dicere terram appulſu navis ad littus, aut conſpectu Monachi fortè exterritam, materiam lapidis in ſuis viſceribus, in figuram navis, aut Monachi conformare, velut mulier gravida ſimili terrore fœtum ſuum ſignat & deformat. Vbi enim ſunt oculi terræ, quibus navem, aut Monachum videre poteſt?

Lapides igitur illi, vel caſu, propter materiæ ſitum, in navium, Regum, Pontificum, Monachorum ſpeciem figurantur; vel fortaſſe forma ſubſtantialis talis lapidis aut mineralis, ejuſmodi figuram flagitare interdum poteſt.

Formæ enim quædam inanimæ, ut Artic. V. dicebamus, aliquam quandoque materiæ ſuæ configurationem (quæ tamen organica non ſit) poſtulant. Si autem terra nec nutritur, nec creſcit, nec generat vitaliter, vitâ ſanè vegetatrice caret. Vnde nec vitâ ſenſitivâ vivere poteſt. Nam vegetatrix

vita eſt ſenſitivæ fundamentum, ut in omnibus animalibus experimur. Operationes quippe animæ vegetativæ, operationibus ſenſitivæ ſubalternantur. Nam per chyloſin, & chymoſin materiam præparando, vegetatrix tandem in corde ſpiritus vitales, & denique in cerebro ſpiritus animales elimat & perficit, quibus anima ſenſitiva operationes ſuas adminiſtrat. Habet ſe igitur anima vegetativa ad ſenſitivam, ut naupegus ad nauclerum. Fabricat enim ille naves, quibus iſte utitur.

Præterea, nulla ſenſuum externorum, aut internorum organa in terræ elemento viſuntur. Videre autem, audire, olfacere &c. ſine organis ad hoc à natura factis, non tantùm inſolens eſt, ſed etiam contra rationem ſenſitivæ functionis, quam anima ſenſitiva, non quomodocumque, ſed per ſpecies ſenſibiles intra organum aliquod receptas, & certo modo ibi figuratas modificataſque, moliri debet.

Verùm terra, non per oculum, ſed per radium ſuum, ſtellæ lucem videre poteſt, imaginatur & ait Keplerus; ſi radius animæ, à centro terræ rectà in cælum miſſus, radio ſtellæ occurrat. *Actuatur enim tunc*, inquit, *& veluti illuminatur radius animæ à radio ſtellæ, in eandem rectam congruente; ſicut actuatur color rerum viſibilium à lucis adventu, & ſicut actuatur viſio, cùm nos colligimus & perpendimus nos videre.*

Kepler. lib. 4. c. 7. Harmon.

Sed, ſi ſine organo oculi, per duorum radiorum concurſum, viſio ſic fieri poteſt, quid cauſæ eſt, cur anima hominis cæci & exoculati, in media ſua fronte non videt, quando radius ſolis directè frontem ejus tangit? Nam anima ejus, aut animæ ſi quis eſt inviſibilis radius, radio ſolis ibi occurrit, ac ei ſe permiſcere, & ab eo actuari poteſt; quidquid per actuationem iſtam Keplerus intelligat.

Si deinde eſt potentia videndi in terra, utique & potentia tangendi inerit; cùm tactus ſit omnium ſenſuum primus. At quis credat terræ ineſſe tactum, quandoquidem tot raſtris, ligonibus, aratris tergum ejus proſciſſum, nullo indicio ſe iſta vulnera ſentire ſignificet?

Motum quoque terræ, tam diurnum, circa ſuum centrum, quàm annuum, circa ſolem, etſi Keplero & Copernicanis

daremus (quem tamen in Antariſtarcho & Veſtâ olim rejecimus;) nego tamen illum animalem eſſe, & ab anima terræ fieri. Nam omnis motus animalium vitalis, non quomodocumque, ſed certis à natura fabricatis inſtrumentis, ut nervis, muſculis, pedibus, alis &c. efficitur; quorum nihil ſimile in terræ elemento advertimus. Vbi enim ſunt telluris alæ, quibus tantâ pernicitate intra Planetas annuo motu circumvolat; ubi nervi & muſculi, quibus rapidiſſimâ vertigine quotidie circa centrum ſuum ſe rotat? Si ergo Pythagoras, Ariſtarchus, Copernicus non mentiuntur, motus ille terræ uterque non ab anima corpus terræ inhabitante, ſed à cauſa aliqua externa, ut motus projectorum, effici debet. Vnde ex tali motu, non probabiliori argumento terram vivere colliges, quàm ſagittam, aut tormenti globum, quos arcus, aut pulvis accenſus excutit.

Nec argumentum quotidianæ reciprocationis marini æſtûs, ad aſſerendam telluri animam, plus momenti etiam habet. Fingit enim Keplerus in terræ viſceribus, ingentium pulmonum folles eſſe, quibus vitaliter inſpirando & reſpirando, terra ſenis horis Oceanum & quædam alia maria reciprocet. Quam cauſam marini æſtûs, in Meteorol. noſtris ſatis confutavimus. Lib. 5. c. 2. a. 8. Meteor.

Sed quòd animam etiam rationalem terræ ineſſe credit, & inculcat Keplerus; hoc omne paradoxum ſuperat. Sanè enim Eccleſia Chriſti jam nulla animalia rationalia, præter homines, qui terram calcant (inter quos non eſt ipſa terra) agnoſcit. Deinde hæc opinio Kepleri, inter Origenis errores à SS. Patribus damnata cenſeri poteſt. Nam unus ejus error erat: *Solem, & lunam, & aſtra cetera, eſſe animantia*; ut S. Hieronymus narrat. Keplerus autem inter aſtra & animantia cæli, terram ponit; eamque circa ſolem in centro Mundi (ut ipſe credit) immobilem, cum luna ceteriſque Planetis annuâ periodo circuire jubet. S. Hieronyⁿ Epiſt. ad Avitum

Deinde non ſolùm terram, ſed etiam ſolem & lunam ſtellaſque univerſas, tam palantes quàm fixas, Origenem, aut potius imaginationem ſuam ſecutus, Keplerus animat, ut

 proximo

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

proximo Articulo videbimus.

Præcipuum verò & palmare argumentum, quo ipſe animam rationalem telluri aſſerit, eſt iſtud.

Sub certis ſiderum poſituris & aſpectibus, videmus aërem commoveri & turbari, ſub alijs requieſcere & componi. Hi autem effectus non poſſunt in illos ſiderum aſpectus, tanquam in cauſas efficientes referri; cùm aſpectus unius ſideris ad alterum ſit ſolùm relatio quædam certæ propinquitatis, aut diſtantiæ, quæ nihil efficere valet, cùm ſit ens rationis. Vnde colligit, non Planetarum & ſiderum aſpectus eſſe, qui tempeſtates cient, & aëris ſtatum conturbant, ſed *animam terræ, ab aſpectu admonitam, & velut excitatam, ciere meteora & tempeſtates.*

Sed quis credat, animam tam rudis & ſtolidi corporis (qualis eſt terræ maſſa) tam ingenioſam, ſapientem, & Aſtronomam eſſe, ut ſiderum acceſſus, receſſus, configurationes, & aſpectus, infinitò meliùs quàm omnes Aſtrologi (quorum calculus tam ſæpe delirat) intellectu comprehendat? Vnde enim iſta anima ſcientiam illam accepit? Certè enim non ſtudio: cùm nullius Ptolemæi aut Hipparchi Scholam unquam intraverit. Igitur ſpecies intelligibiles, & ſcientiam rerum cæleſtium à Deo infuſam habet: & ſic non tam anima terræ informans, quàm Angelus quidam elemento terræ aſſiſtens erit. Angelorum enim, non animarum rationalium eſt, ſpecies rerum cognoſcendarum à Creatore infuſas accipere.

Igitur cum Ariſtotelis, Hipparchi, & Ptolemæi potiùs Philoſophiâ, dicamus terræ globum inanimem eſſe, nec ſiderum aſpectus intelligere, ut ad quoſdam, tanquam ſibi inimicos, iraſcatur, & ſpiritus tempeſtatum in aërem evomat; ad quoſdam verò alios, velut amicos, ſpiritum ſuum revocet & contineat; quæ ſunt melancholicæ Kepleri & Campanellæ imaginationes. Sed Planetæ ſub certis aſpectibus aërem commovent, aut tranquillant; quia ex ſimili propinquitate, aut diſtantia mutuos Influentiarum radios, quibus corpora ſua feriunt, in aërem & Mundum elementarem reflectunt, eá proportione, quæ ad talem effectum eſt neceſſaria. Nam eo etiam fine, ut opinor, circa Saturnum ſidera Auſtriaca, circa

Iovem

Jovem Medicea, circa Solem Borbonia choreas ducunt: ut, inquam, radios Principis Planetæ quem circumludunt, modulentur, & in Mundum elementarem detorqueant, ad effectus quos Creator novit, nos ignoramus. Vnde etiam pronum eſt ſuſpicari, ad mutuam illam radiorum reflexionem, prout inferiori Mundo expedit, modulandam, omnium Planetarum ſuperficies eſſe aliquâ inæqualitate aſperatas, non exactâ & Mathematicâ rotunditate circumciſas. Certè enim tales montium & vallium aſperitates, ad luminis ſolaris reflexionem, in corpore Lunæ, per Arundinem Batavicam nos deprehendehere putamus.

Denique, terram non eſſe rationale animans, inde ſatis probatur, quia nec vegetativum, nec ſenſitivum eſt: gradus autem rationalitatis, in eodem corpore gradum vegetativum & ſenſitivum ſupponit, ut ſtatim dicemus.

ARTICVLVS VIII.

An ſidera ſint animata.

PLatonici, & Philoſophorum plurimi olim magno conſenſu cælum & ſidera vivere, & quidem vitâ rationali, opinati ſunt.

Hanc quoque ſententiam Græci & Arabes Interpretes paſſim Ariſtoteli tribuunt. Vnde & Theophraſtus, Ariſtotelis diſcipulus & in Lyceo ſucceſſor, Præceptoris mentem optimè aſſecutus, animas cælo & ſideribus dedit. Quin imò S. Thomas Lib. 2. c. 70. contra Gent. eam etiam opinionem Ariſtoteli adſcribit; licet 1. p. q. 70. a. 3. tam Ariſtotelem quàm Platonem excuſet, & de anima cæli aſſiſtente, non informante interpretetur. Ariſt. lib. 2. c. 2. de cælo.

Stoici quoque ab eadem mente, ſtellas νοερὰ ἀνάμματα, *faces intellectu præditas* appellabant. Nec aliud Ptolemæus & vetuſtiores Aſtronomi ſenſiſſe putantur. Et Tychonem quoque nuper hîc etiam Platonizantem audi. *Cælum animatum eſſe, ipſaq; cæleſtia corpora animantia quædam cale-, vitali ſpiritu prædita;* Tych. Epiſt. ad Rothmannum

nonn

non abs re ſenſiſſe videtur divina illa Platonicorum Philoſophia. Et David Origanus: *Rectiùs ſtatuunt*, inquit, *qui cum Hermete, Zoroaſtre, Orpheo, noſtroq́ Gilberto totum animatum agnoſcunt, ipſiſq́ aſtrorum & terræ globis animas interiores, Deum, ut eſt in Pſalmis & Iobo, cum jubilo laudantes, aſſignant.*

Orig. Epiſt. ad Brandeburg.

Inter SS. Patres, præſertim Latinos, magna olim ea de re etiam dubitatio. S. Auguſtinus eorum vertex, & omnium circumſpectiſſimus, quia nihil uſquam reſolutè aſſerere ſolet, niſi ſacris litteris, aut Eccleſiæ Traditionibus expreſſum, aut certâ ratione comprehenſum videat, hîc etiam vacillat. Nam *nec illud quidem*, ait, *certum habeo: utrùm ad eandem* Angelorum *ſocietatem pertineant ſol & luna & cuncta ſidera; quamvis nonnullis lucida corpora eſſe, non cum ſenſu vel intelligentia videantur.* Alibi tamen averſam magis à Platone inclinationem ſuam oſtendens: *Neque Platoni*, inquit, *continuò concedendum eſt, globos iſtos luminum, ſive orbiculos, luce corporea ſuper terras, ſeu die, ſeu nocte fulgentes, ſuis quibuſdam proprijs animis vivere.*

S. Auguſt. c. 58. Enchirid.

Lib. 13. c. 16 Civit.

S. Hieronymus ſimili etiam fluctu fluctuat. Nam ubi Eccleſiaſtes ait, *Luſtrans univerſa, in circuitu pergit ſpiritus*, dubitat, *An ipſum Solem, ſpiritum nominaverit; quòd animet, & ſpiret, & vigeat, & annuos curſus expleat: An quòd & Lunæ lucentem globum, & aſtra Titania*

Spiritus intus alit, totamq́ue infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Hos enim Poetæ verſus in Commentarium ſuum attrahit.

Et in iſta Iſaiæ verba, *Erit lux lunæ, ſicut lux ſolis &c.* loquitur de luna & ſole, tanquam de animalibus rationalibus, *quæ laboris & curſus ſui præmia conſecutura ſint; licet ea quidam*, inquit, *organa lucis intelligentes, inſenſibilia eſſe contendant:* quod ſanè Patres Græci Baſilius, Nazianzenus, Chryſoſtomus, Cyrillus, Damaſcenus, & alij paſſim, unico pænè Origene excepto, docent. Imò ipſe etiam Hieronymus alibi, inter Origenis errores hunc numerat: *Solem, & lunam, & aſtra cetera, eſſe animantia.*

Iſa. 30.

S Hierony. Epiſt. ad Avitum.

Sed tamen, quia nulla eo tempore extabat Eccleſiæ declaratio, liberum adhuc erat Platoni & Origeni conſentire. Imò S. Thomas, tanto pòſt tempore, negat eſſe de fide, cælos & ſtel-

& ſtellas inanimas eſſe. *Hoc enim quod dictum eſt*, inquit, *de cæli animatione, non diximus quaſi aſſerendo ſecundum fidei doctrinam; ad quam nihil pertinet, ſive ſic, ſive aliter dicatur.* Et Scotus etiam ſubdubitans: *Breviter*, ait, *ſi cæli non ſunt animati, hoc eſt creditum, non ratione concluſum. Quia nulla eſt conditio in corpore illo ita perfectè manifeſtè apparens repugnare animationi.* S.Th.lib.2. c.70. contra Gent. Scot. in 2. d. 14. q. 1.

Nam licet tempore S. Thomæ & Scoti, in V. Synodo, Anno Chriſti DLIII. damnatio iſtius erroris, inter ceteros Origenis Anathematiſmos dudum præceſſiſſet, vulgò tamen incognita erat; quia inter Acta Synodi, ab Origeniſtis, ut exiſtimat Baronius, mutilata, non reperitur. Et licet Liberatus Diaconus Afer, & Nicephorus Calliſtus ejus damnationis meminerint, Auctor tamen uterque non omnino irrefragabilis eſt, & Nicephorus poſt obitum S. Thomæ, Hiſtoriam ſuam ſcripſit.

Sed poſtquam reperta jam eſt ab Ant. Auguſtino Epiſtola Iuſtiniani Imp. ad Mennam Patriarcham Conſtantinop. quam Baronus, ne iterum periret, Annalibus ſuis ad An Chriſti DXXXVIII. inſeruit, ſatis eſt manifeſtum, errorem Originis de animatione cælorum, à V. Synodo fuiſſe condemnatum. Nam Orientis & Occidentis Orthodoxi Epiſcopi, qui tunc temporis Conſtantinopoli convenerant, nomine Imp. Iuſtiniani Epiſtolam illam conſcripſerunt, qua inter ceteros Origenis Anathematiſmos, hunc à futura Synodo damnari poſtulabant:

Si quis dicit, cælum, & ſolem & lunam, & ſtellas, & aquas quæ ſuper cælos ſunt, animatas, & materiales eſſe quaſdam virtutes, Anathema ſit. Nullum autem indicium eſt, hunc Anathematiſmum à V. Synodo neglectum fuiſſe; præſertim cùm Liberatus & Nicephorus ejus mentionem faciant, & veriſimile ſit, ipſos ex quibuſdam V. Synodi exemplaribus non omnino mutilatis excerpſiſſe. Nicephorus autem Articulum damnatum ita concipit: *Cælum, ſolem, lunam, ſtellas, & aquas quæ ſuper cælos ſunt, animatas & rationales quaſdam virtutes eſſe.*

Itaque hodie, ut minimùm, temerarius eſt, qui cælum & ſidera animâ rationali prædita eſſe credit.

Dixi, *animâ rationali*; quia ſi quis ſolâ animâ vegetativâ, aut etiam ſenſitivâ tantùm, cælum & ſidera animaret, nihil, ut opinor, in Synodum V. ſed in Philoſophiam naturalem ſolùm peccaret. Synodus enim Origenem, his & ſimilibus

Pſal. 148. Iob. 38. Scripturis: *Laudate eum Sol & Luna: Aquæ quæ ſuper cælos ſunt laudent nomen Domini: Cùm me laudarent ſimul aſtra matutina &c.* ad errores Platonicorum, de animabus cælorum intellectu præditis, abutentem, tantùm condemnare voluit; parùm interim ſollicita, an aliquâ aliâ animâ brutâ & non intelligente, cæli animarentur.

In eandem verò Synodi Cenſuram Bodinus cum Rabbinis

Bodin. lib. 5 Theatr. ſuis incidit, qui ſidera definit, *Animalia cæleſtia intellectu ac luce prædita.* Sed tamen non bellè philoſophantur, qui ſolam animam vegetativam ſideribus inſerunt, & aquis ac vaporibus paſci nimis ſimpliciter aſſerunt; quod Seneca, Plinius, & alij faciunt. Quæ enim flumina, quæ maria alendis uno die tot vaſtiſſimis ſiderum corporibus ſufficerent? Deinde, ſi ſolidi quidam Planetarum orbes Mundum elementarem includunt, quâ viâ, per iſtam orbium ſoliditatem, alimentum illud ad Planetas ſuperiores, & fixarum orbem perveniet? Profectò non poterit: & fame citò tabeſcet quidquid ſiderum in cælo eſt, præter proximam nobis Lunam, ſi fortè os contiguum Mundo elementari habeat, unde ſugere alimentum poſſit.

Si verò in ſtellis non eſt anima vegetativa quæ ipſas nutriat; nec erit ſenſitiva, quæ vegetativam, ad ſpirituum, quibus in operationibus ſenſitivis indiget, fabricationem, præſupponit, ut Articulo præcedenti dicebamus. Deinde nulla oculorum, aurium, & ceterorum ſenſuum inſtrumenta ſunt in ſtellis.

Quam tamen rationem, & Peripateticos, ut ſolet, ridet bonus Campanella. Cujus egregiam Philoſophiam, tanquam

Campanel. lib. 1. c. 13. de ſenſu. veteris & delirantis ægroti ſomnium audiamus.

Stultum eſt, inquit, *aſſerere Mundum ſenſûs expertem eſſe, quoniam caret oculis, auribus, pedibus, & manibus. Hæc enim inſtrumenta conveniunt ſpiritui animali, materiâ craſſâ circumſepto, ideoque indigenti foraminibus (quæ ſenſoria ſunt ad ſentiendum exteriora) ac inſtrumentis*

ntis ad motum, & ſuſtentationem craſſæ molis, quam vectat. At undo, ad motum ſufficit rotunda figura. Manus ejus, radij ſunt, & rtus diffuſiva ad operandum ſe extendens; non quidem incluſa pon-roſis brachijs impedientibus robur ejus. Oculi ſunt ſtellæ, ac lumina-, quæ vident, & videre dant nobis, qui craſſâ intercluſi mole, per eſtras ſenſoriorum aſpicimus ægrè, tunicis carceris noſtri impedien-us ea: in toto aëre ac cælo patent, abſque feneſtris & ſpecillis vidente. uidem & viſus tactus eſt.

Igitur Campanellæ Philoſophia eſt: Quòd aër, cælum, & nia corpora univerſi (quæ ſenſu prædita eſſe dicit) vi-ant ſine oculis: & quòd oculi noſtri ſuis tunicis potiùs he-rent, quàm adjuvent animæ noſtræ viſionem.

Res prorſus ridicula, & ab ignorantiâ craſſiſſimâ naturæ fecta; quæ non de nihilo, nec ad impediendum animæ às proſpectum, ſed ad figurandam & formandam in fundo li ſpeciem viſibilem, viſioni prorſus neceſſariam, oculum tunicas ejus ſic fabricavit. Aliàs enim effoſſis oculis, anima eriùs foràs proſpiceret, & videret clariùs.

taque viſiones ſiderum ſine oculis, curſus venti ſine pedi-, & alia id genus, quæ pro actionibus vitalibus animæ ſi-is, vel venti Campanella adfert, non verè, ſed metaphoricè tùm, & licentiâ quadam Poëticâ vitales dici poſſunt. Hac n metaphorâ,

Sol oculis juvenem, quibus aſpicit omnia, vidit. Ovid.

ſimili figurâ cecinit alius, Stat.

——— *Tyriam reptantia ſaxa*

Ad chelyn, & duras animantem Amphiona cautes.

n igitur ſtatim atque apud Poëtam, aut quemvis alium in-it Campanella *Solem videntem*, aut *ſaxa & cautes ad Amphio-helyn animatas*, currentes & ſaltantes; credere debet pro-m viſionem, & animalem motum talibus corporibus eſſe. enim

Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lavantur.

im enim à prima Syntaxi docentur, inter proprietatem & aphoram diſtinguere.

itur nullo, aut tenuiſſimo probabilitatis fuco anima vege-

tativa aut ſenſitiva cælis & ſideribus aſſeri poteſt. Colore tamen in ſpeciem probabiliori, quoddam aliud animæ genus, quæ intellectu ſolùm & potentiâ loco motivâ prædita ſit, niſi Synodus V. obſtaret, concedi poſſet. Sed talem etiam tamen vera Philoſophia ſpernit. Nam potentia loco motiva animalis non eſt ſine nutritiva, quæ ſpiritus animales ei fabricat, quibus tanquam inſtrumentis membra ſua movet. Sic enim omnium animalium motus progreſſivos exerceri videmus. Vnde non corporearum ſed ſpiritalium ſubſtantiarum eſt, ſolam potentiam loco motivam vitalem intellectui & voluntati conjunctam habere.

Reſtat igitur, ut motus localis cæli vitalis non ſit, nec ab anima informante, ſed ab Intelligentia aſſiſtente, vel à formâ inanimâ (qualis illa quæ gravia deorſum, levia ſurſum movet) impreſſus. Sed à formâ inanimâ Ariſtoteli & Peripateticis moveri non placet: igitur totus diſcurſus eò tandem appellit, ut ab Intelligentia aſſiſtente motus iſte fiat, quod S. Thomas 1. p. q. 70. a. 3. optimè probat.

ARTICVLVS IX.

Definitio animæ.

ARiſtoteles refutatis ſuo more veterum definitionibus, hanc nobis animæ definitionem ſubſtituit:

Ariſt. lib. 2. c. 1. de anima.

Anima eſt perfectio prima corporis naturalis, potentiâ vitam habentis. Quod fermè perinde valet, ac ſi dixiſſet: Eſt forma ſubſtantialis corporis viventis. Hæc autem forma eſt vita prima, à quâ vita ſecunda, ſive operatio vitalis profluit.

De voce Græcâ, ἐντελέχεια, quam *perfectionē* vertimus, Grammatici & Philologi litigant. Cicero & Politianus, ἐνδελέχεια ſcribendum contendunt. Argyropylus cum pleriſque, ἐντελέχεια potiùs; & Ciceronem Græcæ linguæ hîc ignarum fuiſſe, frendente Politiano, dicit.

Sed à partibus Argyropyli, hominis Græci, ſtare oportet. Nam ἐνδελέχεια, quæ *aſſiduitatem*, aut *aſſiduam agitationem* ſignificat,

gnificat, vox eſt Ariſtotele longè vetuſtior, & promiſcui ſùs; ἐντελέχεια verò Ariſtoteli videtur peculiaris, idemque let ac *perfectio*, vel *habitio perfectionis*. Vnde non ineptè Ariſtoteles formam hoc nomine appellat; quia ipſa cum ſubjecto o compoſitum perficit & conſummat. Non tam verò aptè, d ſatis barbarè Hermolaus Barbarus ἐντελέχειαν, *perfectibam* vertit.

Per ergo ἐντελέχειαν πρώτην *perfectionem primam*, vel ut alij rtunt, *actum primum* (actus enim actuando materiam, perit compoſitum) removentur à definitione omnes perfeones, ſeu actus ſecundi: ut intellectus, & univerſæ potenæ vitales animæ, quæ in eodem corpore naturali ſupponunt tum priorem, videlicet animam, à qua per naturalem diınationem profluunt.

Interpretes quidam per *corpus naturale*, in definitione poſim, materiam primam intelligi volunt. Sed inſolens eſt, ut iſtoteles materiam primam appellet corpus naturale. Et preſſè mox ait, animam *eſſe perfectionem, ſeu actum corporis uralis, habentis principium motûs & quietis in ſemetipſo*. Deinde, mam eſſe *talis corporis rationem & eſſentiam*.

Vnde *corpus naturale* propriè, ſive pro compoſito ex naturis ipit; ut optimè S. Thomas exponit.

In corpore, cuius anima dicitur actus, inquit, *etiam anima incluır; eo modo loquendi, quo calor eſt actus calidi, & lumen actus lu. Non quòd ſeorſim ſit lucidum ſine luce, ſed quia eſt lucidum per m.* S. Thom.

Corpus autem naturale in genere, reſtringitur ad corpus urale animatum, per verba ſequentia, *potentiâ vitam* (utiſecundam, ſive operationem vitalem) *habentis*. Cujus npe vitæ ſecundæ illa ipſa perfectio prima eſt principium. Definitur igitur anima directè & immediatè per ordinem orpus naturale quod ipſa conſtituit; indirectè verò & otè, per ordinem etiam ad operationem vitalem. Nam corpus naturale non aliter ſpecificari & diſtingui ab corporibus naturalibus potuit, quàm per actionem vitaquæ à forma talis corporis naturalis profluit.

Vnde poſtea per immediatum ordinem ad actiones vitales ſic eam definit: *Anima eſt principium primum vegetandi, ſentiendi, intelligendi, & movendi ſe localiter*. Et quia *Vnumquodque agens eſt* ἕνεκα τοῦ ἔργου *propter ſuam operationem*, ut finem; dicit hanc poſteriorem definitionem continere cauſam finalem prioris. Nam perfectio illa prima corporis naturalis &c. ſive anima, eſt agens quoddam, cujus finis eſt vegetare in plantis, ſentire in brutis, intelligere in hominibus, localiter movere in his & iſtis.

Ariſt. lib. 2. c. 2. de anima.

Lib. 2. c. 3. de cælo.

Explicat etiam Ariſtoteles, quali potentiâ corpus animatum vitam ſecundam habeat. Non enim, inquit, quemadmodum τὸ σπέρμα *ſemen* animalium, καὶ ὁ καρπὸς *& fructus*, ſive ſemen arborum, quod περικαρπίῳ & fructu includitur. Nam hæc ſemina in potentiâ tantùm remotâ habent vitam ſecundam; quatenus in animal, vel plantam vitâ primâ animari poſſunt, ac deinde vitam ſecundam exercere. Corpus verò naturale quod per animam conſtituitur, potentiâ propinquâ vitam ſecundam habet; quandoquidem vitam primam, quæ vitæ ſecundæ fons & principium eſt, in ſe contineat.

Plutarchus autem & Laërtius definitioni Ariſtotelis addunt particulam, *organici*. Sed non ex mente Philoſophi. Nam *corpus naturale potentiâ vitam habens*, & *corpus organicum*, apud eum unum idemque valent. Vnde paulò pòſt definitionem ſuam totam ſub iſtis terminis repetit: *Eſt igitur anima perfectio prima corporis naturalis organici*. Nam corpora naturalia inanimata propriè organica non ſunt, ut ſuprà Artic. V. diſſeruimus. Neceſſaria autem animæ ſunt corporis organa, quia ad operationum vitalium exercitium illis inſtrumentis indiget.

Quia tamen Scaliger, Argenterius, Fienus, & Medici multi contendunt, animam in liquido & necdum organico animalium ſemine, actionem vitalem exercere, dum ipſamet ſibi prima corporis organa incipit conformare; idcirco definitio ſub iſtis concepta terminis (*Anima eſt perfectio prima corporis naturalis potentiâ vitam habentis*) certior eſt, quàm ſi loco, *potentiâ vitam habentis*, ſubſtituatur particula, *organici*. Si enim opinio illa vera eſſet (quam tamen infrà refutabimus) anima homi-

hominis, aut equi infuſa liquido adhuc & inorganico ſemini, non eſſet propriè perfectio & forma corporis organici; eſſet tamen perfectio corporis potentiâ vitam habentis.

ARTICVLVS X.

Quid vita ſecunda, ſive actio vitalis.

ANte omnia, vita ſecunda debet eſſe actio, non in ſubjectum externum tranſiens, ſed ſuppoſito ſuo aliquo modo immanens. Nam *viventia ſunt*, ait poſt Ariſtotelem S. Thomas, *quæ ſeipſa movent.* S.Th.lib.4. c.11.contra Gent.

Officium quippe animæ eſt, aliquâ actione immanente compoſitum ſuum ornare & perficere. Inanimata verò in materiam externam ſolùm agunt; ut ignis in lignum. Quin verò anima intellectiva, & ſenſitiva per actiones immanentes intellectuales & ſenſitivas, in compoſitum ſuum reflectantur, & illud perficiant, dubium nullum eſt.

Anima etiam vegetativa plantarum idem etiam evidenter facit; quando ſaltem plantam ſuam nutrit & auget. Sed quando aliud individuum generat, videtur non tam in ſe agere, quàm in materiam externam, ex qua novum individuum fabricatur.

Attamen etiam generando, in compoſitum ſuum ſufficienter reflectitur & agit, ut actio ejus, ſaltem latè, immanens appellari poſſit: *in quantum humor plantæ intraneus in ſemen convertitur*, ait S. Thomas. Ac deinde: *In plantis*, inquit, *indicium vitæ eſt, quòd id quod in ipſis eſt movens ad aliquam formam. Eſt tamen vita plantarum imperfecta; quia emanatio in eis, licet ab interiori procedat, tamen paulatim ab interiori exiens quod emanat, finaliter omnino extrinſecum invenitur. Humor enim arboris primò ab arbore egrediens fit flos, & tandem fructus ab arboris cortice diſcretus, ſed colligatus. Perfecto autem fructu, omnino ab arbore ſeparatur; & in terram cadens, ſementinâ virtute producit aliam plantam.* S.Th. ibid.

Cujus ſimile fit etiam in generatione animalium. Nam anima vegetativa animalis, dicitur actione immanente generare, quantum

quantum ipſa poteſt, dum partem humoris corporis ſui in ſemen excoquit; ex quo deinde in utero, tanquam terrâ ſuâ, formatur & ultimò generatur novus foetus.

Igitur ante omnia, ut initiò dixi, actio vitalis debet à vita prima ſic emanare, ut in vivente ipſo remaneat.

Sed tamen hoc adhuc ad vitalitatem non ſufficit. Nam forma lapidis lapidem deorſum movet; nec tamen actio ejus eſt vitalis. Item forma aquæ calefactæ revocat aquam ad naturale frigus; nec tamen aqua vivit. Ariſtoteles, ut hoc argumentum ſolvat, negat lapidem & corpora gravia ſeipſa movere, quando cadunt verſus centrum, ſed moveri à cauſa generante. Similiter nec aqua eſt, quæ proprie reducit ſe ad frigus, ſed reducitur à cauſa quæ illud elementum produxit.

Actio enim illa eſt naturalis reſultantiæ, quæ non proximo agenti, ſed remoto tantùm tribui ſolet. Nec ſine ratione. Nam cauſa quæ dat eſſe, dat etiam conſequentia ad eſſe, ſive dat naturales proprietates, ſine quibus illud eſſe imperfectum, & mutilum quodammodò eſſet. Munus quippe veri opificis eſt, non tantùm opus ſuum inchoare, ſed illud etiã conſummare. Sic qui animam producit, cenſetur naturales facultates quæ ex anima reſultant, ei tribuere. Nam reſultantia iſta, eſt ſolùm appendix primæ & principalis actionis, quâ producta eſt illa natura, ex qua proprietas reſultat.

Quando ergo primo inſtanti exiſtentiæ naturæ, aut etiam tempore ſequenti (quoties diſpoſitio ſubjecti, aut occaſio alia fert) ejuſmodi naturalis proprietas à natura reſultat & exilit, actio principalis agentis quod naturam illam produxit, cenſetur adhuc durare, & priorem ſuum effectum hôc additamento complere, mediante naturâ tali tanquam inſtrumento. Vnde quemadmodũ proijciens, non tantùm in principio motûs, quando lapis è manu exit, ſed toto tempore quo impetus durat, dicitur per impetum illum tanquam per inſtrumentum ſeparatum, lapidem movere; ita quamdiu, & quoties è natura lapidis reſultat motus deorſum, agens quod naturam illam produxit, cenſetur per naturam lapidis, tanquam per inſtrumentum itidem à cauſa principali ſeparatum, motum illum

illum efficere, & conari naturam à ſe productam ad naturalem ſuum ſtatum reducere.

Hinc vita ſecunda, ſive actio vitalis generaliter definiri poteſt, & ſolet: Actio immanens directa. Actionem directam vocant Philoſophi, quæ non eſt naturalis reſultantiæ. Talis enim directè & immediatè emanat à ſuo principali agente, non ex conſequenti tantùm & indirectè; quemadmodum actio reſultantiæ, quæ per modum ſequelæ, appendicis, & acceſſorij cujuſdam, ex termino directæ actionis reſultat.

Hoc quoque hîc adnotandum eſt: Quòd etſi omne vivens (etiam irrationale) dicatur actione immanente directâ, modo quodam generali ſe movere; vivens tamen rationale, quando voluntariè agit, peculiari modo dicitur ſe à ſeipſo & per ſe movere: quo modo non ſe movent agentia naturalia, non tantùm inanimata, ſed etiam quæ vitâ vegetativâ, aut ſenſitivâ vivunt. Hæc enim non tam ſeipſa agere, quàm à natura agi, & in actiones ſuas cogi ac præcipitari dicuntur. Vnde breviter Ariſtoteles: *Neque inanimatum ullum*, inquit, *agere dicimus, neque etiam animatum, præter hominem.* Ariſt. lib[illegible] c. 12. Mag[illegible] moral.

Hinc licet bruta, quando appetunt, aliter ſe moveant, quàm gravia, quando cadunt verſus centrum (nam appetitus brutorum eſt actio vitalis, immanens & directa, caſus gravium eſt actio per reſultantiam, ut jam dictum eſt;) nondum tamen ad illam perfectionem & dignitatem ſe movendi perveniunt, quam vivens rationale exercet, dum per voluntatem appetendo, ſe movet. Mens enim humana, quia eſt imago Dei, ex quadam ἡγεμονικῇ ἐξουσίᾳ *principali & ſupereminenti poteſtate* ita ſe movet, ut eum expreſſa, vel virtuali reflexione actum ſuum ſibi imperet. Cujus indicium eſt, quòd indifferenter utrùmlibet (ubi rationes utrimque ſufficientes proponi poſſunt) eligere valeat.

Bruta verò, comparatione ad hunc modum agendi voluntarium, dum appetunt, dicuntur moveri potiùs, & compelli, cogique à natura ſua, quàm ſeipſa movere. Appetitus enim eorum præceps eſt & effrenis more ceterorum agentium naturalium; cùm ratione careant, qua ſe refrenent. Vnde

E D. Dama-

D. Damaſc. lib. 2. c. 27. Orthod. D. Damaſcenus: τὰ ἄλογα ἄγοιlαι μᾶλλον, ὑπὸ τῆς φύσεως, ἤπερ ἄγουσι *Irrationalia animalia ducuntur potiùs à natura, quàm ducant.* Ac mox ſubdit: *Homo verò cùm ſit rationalis, naturam potiùs ducit, quàm ducatur ab ea.* Et poſt eum D. Thomas: *Omne*, inquit, *quod eſt liberi arbitrij, agit, & non ſolùm agitur. Sed bruta non agunt, ſed aguntur, ut Damaſcenus dicit: ergo bruta non ſunt liberi arbitrij.*

D. Th q. 24 a. 2. Verit.

Idem lib. 2. c. 48. contra Gent. Et alibi: *Ex hoc homo dicitur præ ceteris animalibus liberum arbitrium habere; quia ad volendum judicio rationis inclinatur, non impetu naturæ, ſicut bruta.*

CAPUT II.

De conformatione corporis animati.

QVia Ariſtoteles corporis animati proprium eſſe dicit, organa habere, ſeu quibuſdam partibus figurâ & temperie inter ſe diſtinctis, tanquam variâ ſupellectile inſtructum eſſe, quibus anima operationes ſuas vitales adminiſtrat; meritò Philoſophi & Medici de fabro & cauſa efficiente horum organorum, ac totius conformationis corporis animati multa quærunt & diſſerunt.

ARTICVLVS I.

Anima ſeminis non conformat prima membra fœtûs. Valleſius, Sennertus, Scaliger, Argenterius &c. rejecti.

PLurimi Medicorum ſemini plantarum, & animalium animam ſaltem vegetativam ineſſe, & ab ea fœtum conformari credunt.

Neſcio, an Ciceroni quoque non eadem mens. *Nam ſanguinem*, inquit, *bilem pituitam, oſſa, nervos, venas, omnem denique membrorum, & totius corporis figuram, videor poſſe dicere unde concreta, & quomodo facta ſint: per animum ipſum.* Sed certiùs & evidentiùs ſenſum ſuum alij explicant.

Valleſ. 2. c. 9. Contr. *Semen animalium*, inquit Valeſius, *defert generantem facultatem,*

atque

atque vivit vitâ plantæ; qua fruitur fœtus uſque ad tempus ſentiendi. Et Sennertus: *Cùm potentia*, ait, *& operationes animæ propriiſſimæ in ſemine appareant, animam ei ineſſe negandum non eſt.* Sennert. lib. de Conſenſ. c. 9.

Sed potentias & operationes animæ proprias in ſemine mero, & ante rudem ſaltem membrorum delineationem, non magis agnoſcimus, quam in ſimiâ potentias & operationes hominis. Imitatur quippe ſolùm & ſimulat in quibuſdam operationes vitales; ſicùt magnes ſimilitudinem animæ vacuam, non animam verè habet.

Scaliger verò omnium brutorum ſeminibus animam non ſolùm vegetativam, ſed etiam ſenſitivam, nec tantùm vialem, ſed ejuſdem ultimæ ſpeciei quæ in ipſis genitoribus eſt, ineſſe contendit.

Vnde dicit, ſemen canis eſſe canem imperfectum, articulationibus tantùm *carentem, & mutilum canem integri canis eſſe parentem.*

Quanquam ſanè potius dicere debuerit: Canem illum ſemineum liquidumque, ac ſine capite, ventre, caudâ mutilum & mancum, non eſſe alterius integri canis parentem, ſed ſibimet ipſi ex ſuo ſemineo luto domum architectari; quandoquidem Scaliger cenſeat eandem numero animam eſſe, quæ primùm in ſemine liquido veluti natat, & poſtea in corpore conſiſtenti, & membris ſuis expreſſo, operationes vitę exercet.

Vnde audacter addit, *Ariſtotelis perpetuam ſententiam eſſe: In ſemine ineſſe animam, quæ ſibi corpus fabricet.* In quo ſanè Magiſtro ſuo, quem non ſolùm æſtimat, ſed pænè adorat, falſum imponit. Nec loca, quæ citat, amplius evincunt, quàm ſemini animalium vim conformatricem ineſſe: quod libenter damus, ſed negamus ineſſe animam, ut paulò pòſt latiùs diſſeremus. Iul. Scal. Exerc. 6.

Argenterius verò ne quidem à ſemine humano animam rationalem excludit, etſi eam à Deo creari, & immortalem eſſe affirmet. *Cęterùm*, inquit, *teſtes ipſi ſemen efficiunt, ob talem vim quam habent à natura: ut ſolus fructus (veluti poma, pira) ſemen ſuum in ſe efficit, in quo forma eſt ſingularum partium & totius. Eaq; forma in ſemine eſt actu: ut in ſemine hominis anima hominis eſt actu.* Argenter. Comment. 2. in Artem Gal.

eſt actu. Alioqui quomodo ſemen agentis, opificis, & artificis rationem habere poſſet, ſi in eo forma eſt ſolùm potentiâ? Id enim nullam agendi vim habere poteſt.

Vnde audaciſſimè & Magiſtraliter concludit: *Eſt ergo ſemen hominis iam homo, quia formam hominis habet. Deſunt ſolùm membra expreſſa, delineata, ac figurata.* Ab hac craſſa Philoſophia Democritus *Venerem damnavit, ut in qua homo alius exiliret ex homine.*

Plin.

Sed ſi ita eſt: vir igitur ſine feminâ, verum hominem intra ſe & in vaſis ſpermaticis generat: & proinde qui ſe polluunt, homicidæ ſunt, & tot homines interficiunt, quot fundunt ſtillas ſeminis. Femina quoque, quia ſemen etiam ſuum, ut Medici cum Galeno cenſent, habet, & fabricat, ſua etiam homicidia, effundendo perpetrabit. Denique quando viri & feminæ ſemina in utero miſcebuntur, animas quoque duas in unum corpus, quod ex ijs ſeminibus fermentatur, commiſceri oportebit: unde in unoquoque humano corpore ſuis membris inſtructo, duæ erunt, ut minimùm animæ rationales & immortales, quarum una in ſemine paterno, altera in ſemine materno advecta fuerit.

Nec ſimile eſt; quod de pomorum ac pirorum ſemine addit Argenterius. Nam ſemina arborum, ut ſint fecunda & genitiva, non debent coaleſcere & fermentari ex diverſi ſexûs ſeminibus. Vnde pomum poteſt perfectum & ad novæ arboris generationem idoneum ſemen intra ſe concoquere, & uſque ad animæ alicujus introductionem perficere, ſine mixturâ ſeminis alterius ſexûs (ſi tamen etiam ſemen arboris animatum eſſe oportet;) quod Ariſtoteles etiam & nos negamus. Carnes enim & pericarpia pomorum, animam quidem ſuam habere, ſed proprium arboris ſemen, quod in illis continetur, inanimum eſſe dicimus.

Quomodo autem ſemen inanimatum corpus pro ſuperventurâ animâ conformet, quod impoſſibile credit Argenterius, poſtea viderimus.

Ariſt. lib. 2. c. 3. de generat. animal.

Certè Ariſtoteles negat ſemina & conceptus eſſe animatos, etiam animâ vegetativâ, antequam alimentum attrahant, & operationes vitales animæ vegetatricis exerceant. *Animam*

vegeta-

talem,ait Interprete Gazâ, *in ſeminibus & conceptibus nondum*
ratis, haberi potentiâ ſtatuendum eſt, non actu; prinſquàm eo mo-
que conceptus qui iam ſeparatur, cibum trahant, & officio eius
na fungantur.

t poſtea, ovum, quod eſt pulli ſemen, ζώου ὕλην *animalis* Lib.3. c. 2.
riam, non animal appellat. Vt intelligas à Philoſopho ex- de generat.
re etiam Gardinium, qui affirmat ovum animal irrationa- animal.
t avem eſſe. *Habet enim*, inquit, *in actu primo animam ſenſi-*
m, in ſe transfuſam per coitum: ita ut extrinſecus advenire alia
a non debeat, ut pullus exurgat; ſed tantummodò per incubatio-
hac excitari, & in actum ſecundum deduci.

rorſus ex ſententia ſacerdotum Ægypti, qui ova *carnes li-* S. Hieron.
es appellabant, ideoque ijs, ut volatilibus abſtinebant. Vi- lib.2.c.con-
nt ergo hujus Philoſophiæ hodie Myſtæ, quomodo Ferijs tra Iovin.
is ova, id eſt liquidos pullos ſorbere audeant.

eriùs, & Ariſtoteli conſentienter apud Plutarchum Se-
o, qui ait *Ovum adnatum quid eſſe, veluti ſanguinem, & lac ani-* Plut lib. 2.
, poſt nutritionem & concoctionem. Si igitur ovum ſit veluti c. 3. Sym-
gallinæ; certè ſi lac exanime ſit, ut plerique omnes Me- poſ.
cenſent, igitur nec ovum animatum erit. Vnde Ariſtote- Ariſt. lib. de
negat ova, & ſemina plantarum propriè mori; quia mo- reſpirat.
on poteſt, quod vitam in anteceſſum non habuit. c. 17.

licubi tamen, ſcio, ova viventia vocat illa quæ à zephy- Lib.2. c. 5.
ſive ſubventaneis diſtinguit; non quia anima ἐνεργείᾳ & de generat.
ipſis inſit, ſed quia quadam fecunditate vivunt, animal.
ſterilia non ſint, quemadmodum ova ſubventanea; ſed
oſſis, ait Ariſtoteles, ἐνεργείᾳ ἔμψυχον *actu animatum*, ſive
us vivus generari poteſt.

nimalium etiam involucrium ſemina dicit eſſe tertiæ
coctionis ſuperflua recrementa; ideoque puſillos homun-
es ſalaciores & fecundiores eſſe proceris, quia illi plus
ementi & ſeminis habent; cùm minus alimenti in cor-
ulorum ſuorum ſubſtantiam convertant, adeoque plus
ementi ijs ſuperfluit. Concoctionum autem excrementa,
lis, melancholia, ſudor &c. animata eſſe non ſolent.

enique definitionem animæ explanans, negat corpus Lib.2. c. 1.
de anima.

 animatum

animatum eo tantùm modo *δυνάμει potentiâ* vitam ſecundam habere, ſicut habent ſemina arborum & animalium (potentiâ nempe ſolùm remotâ) ſed propinquâ. Quia videlicet, ut antè explicavimus, in corpore animato eſt ipſa ἐντελέχεια, ſeu actus primus, qui eſt principium vitæ ſecundæ, ſive operationis vitalis. In ſeminibus verò non eſt talis potentia propinqua ad vitaliter operandum, ſed ſolùm remota; quatenus ſunt capacia animæ, quæ eſt vita prima, unde fluunt poſtea illæ operationes vitales.

S. Th. lib. 2. c. 89. contra Gent.

Hinc S. Thomas conſentienter, & adverſus illam Valleſij, Scaligeri, Argenterij, Sennerti imaginationem: *Ipſamet virtus*, ait, *quæ cum ſemine deciditur, & dicitur formativa, non eſt anima, neque in proceſſu generationis fit anima. Sed cùm ipſa fundetur, ſicut in proprio ſubiecto, in ſpiritu cujus eſt ſemen continuum, ſicut quoddam ſpumoſum; operatur formationem corporis, prout agit ex vi animæ patris*. Et alibi negat, *ſemen quaſi quoddam parvum animal in actu; ſed habere virtutem ad productionem totiùs corporis, derivatam ab anima generantis*. Et antea: *Virtus illa activa*, inquit, *quæ eſt in ſemine, ex anima generantis derivata, eſt quaſi quædam motio ipſius animæ generantis; nec eſt anima, aut pars animæ, niſi in virtute; ſicut in ſerra vel ſecuri non eſt forma lecti, ſed motio quædam ad talem formam.*

Idem 1. p. q. ult. a. ult.

Idem 1. p. q. 118. a. 1. ad 3.

Si igitur in ſemine, ne quidem eſt anima vegetativa, niſi poſtquam *alimentum trahere, & officio talis animæ fungi cœperit* (hoc eſt, ubi rudimentum ſaltem aliquod organorum, per quæ alimentum trahat, deproperatum & ſemifactum fuerit) ut ſuprà Ariſtotelem philoſophantem audiebamus; profectò multo minùs anima ſenſitiva aut rationalis, à principio, quando ſemen totum adhuc liquidum, informe, & inorganicum eſt, ei ineſſe poterit. Dignitas enim gradùs quem animæ in ordine formarũ univerſi obtinent (quantum experientiâ & ex communi ſapientũ ſenſu intelligi poteſt) organicas aliquas diſpoſitiones in materia ſua flagitat, antequam ſecundum ordinem naturæ, eam ingredi valeat. Et formarum inanimatarum (ut terræ, aquæ, ceterorumque elementorum, item lapidum, ac metallorum) vilitas eſt, quòd rudis & indiſcreta

partium figuris materia ijs ſufficiat.

Nec Apoſtolus Philoſophiæ iſti S. Thomæ & Peripateticæ contradicit, cùm reſurrectionem mortuorum in rudi & familiari exemplo figurans ait: *Inſipiens, tu quòd ſeminas, non viuificatur, niſi priùs moriatur.* Non enim vult in ſeminibus 1. Cor. 15. plantarum propriam vitam eſſe (aliàs jam eſſent vivificata ante ſeminationem) ſed tamen *mori*, id eſt corrumpi, dicit, quia in terram jacta putreſcunt & diſſolvuntur: quomodo Poëta quidam olim cecinit,

Mors etiam ſaxis, marmoribuſq; venit.

Sic quoque Chriſtus Dominus dixit, *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*: morte videlicet metaphoricâ, ſi Io. 12. *ipſum* præcisè germen, quod propriè ſemen eſt, & in quo vis conformativa novæ ſegetis conſiſtit, accipiamus. Aliàs *pulpa* ipſa grani, quæ modicum illud ſeminis germen circumdat (niſi vetuſtate evanida ſit) re verâ vivit; quandoquidem in ſpica vitaliter nutriatur, ac in omnem dimenſionē proportione ſervatâ creſcat. Germen verò ipſum, eſt ſuperfluum alimenti pulpæ; ſicut ſemen animalium eſt excrementum inanime quod nutritioni teſtium ſuperfluit. Vnde figura germinis triticei grani non eſt organica, ſed germen eam figuram induit à concavitate loculamenti pulpæ, in quod ſecernitur dum adhuc molle eſt & in quo induruit.

ARTICVLVS II.

Opinio Argenterij, & quorundam Medicorum, qui animam rationalem ſemini adhuc informi, ad illud conformandum, ineſſe dicunt, ex ſacris litteris refelli poteſt.

NOn tantùm opinio Argenterij, qui animam rationalem virili ſemini, etiam nondum è vaſis ſpermaticis effuſo ineſſe credit; ſed etiam tot aliorum, qui ſaltem ...atim à concubitu & in prima mixtione & fermentatione ...um ſemine alterius ſexûs, ante omnem organorum delineationem

tionem, rude illud φύραμα animâ rationali animari volunt, ex ſacra Scriptura confutari poteſt.

Nam inprimis Cajetanus (etſi dubitem, an ad iſtam ſubtilitatem aſpexerit Apoſtolus) in Commentario 2. Cor. 5. contrarium colligit ex iſtis verbis: *Scimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis* (Græcè, τοῦ σκήνους *huius tabernaculi*) *diſſolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cælis.*

Cajet. 2. Cor. 5. Vbi duas iſtas voces, *tabernaculum*, & *domum non manufactam*, quas Apoſtolus è regione ſibi opponit, ſubtiliter & more ſuo penſiculans: *Corruptibile corpus dicitur domus tabernaculi*, ait Cajetanus, *ad ſignificandum, quòd eſt animæ domus, ut ab extrinſeco ei facta, quemadmodum tabernaculum. Nullius enim hominis anima efficit ſibiipſi corpus; quamvis alat & augeat. Contrà, glorioſum corpus dicitur domus non manufacta; quia ab ipſa anima glorioſa fit corpus glorioſum, & non ab extrinſeco. Fieri ſiquidem ab extrinſeco, ſignificatur per fieri manu; quia manufacta fiunt manifeſtiſſimè ab extrinſeco.*

Igitur, ſubtili Cajetano Interprete, corpus noſtrum terreſtre vocatur tabernaculum manu factum, quia non anima ipſum ab initio inhabitans, illud conſtruit (ſicut hirundo incola nidi ſui, lutum circa ſe componit;) ſed artifex externus, quomodo tabernaculum à ſcenopœo, qui in illo non habitat, manu conſui & fieri ſolet. Corpus verò glorioſum fiet ab anima inhabitante, cùm in inſtanti reſurrectionis, gloria animæ in corpus redundabit.

Sed capitalis locus eſt Exod. 21. ex quo intelligitur, animam rationalem non ingredi humani ſeminis materiam, niſi poſt aliquam membrorum conformationem. Ibi enim legimus iſtam legem:

Exod. 21. *Si rixati fuerint viri, & percuſſerit quis mulierem prægnantem, & abortum quidem fecerit, ſed ipſa vixerit* (Hebr. *ſi egreſſi fuerint nati eius, & non fuerit mors*) *ſubiacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri judicaverint. Sin autem mors eius fuerit ſubſecuta* (Hebr. *ſi mors fuerit*) *reddet animam pro anima.*

Vbi *mors*, non ſolùm matris, ſed etiam fœtûs intelligi debet, ut ſatis in textu Hebræo innuitur, qui indefinitè dicit,

Si mors

mors fuerit: nempe matris, vel prolis. Imò lex iſta videtur
cipuè ad mortem fœtûs reſpexiſſe; quia ex alijs ibi ſcri-
legibus ſatis compertum erat, eum qui matris, aut cujuſ-
t hominis ex utero in lucem editi homicidium perpetraſ-
mortis reum eſſe.

Quomodo verò fœtûs nondum editi homicidium factum
, intelligi poſſet, commentariolo verſioni ſuæ addito, ex-
unt 70. Interpretes, ac locum illum ſic vertunt *: Si rixen-
duo viri, & percuſſerint mulierem in utero habentem, & exierit
ulus eius ineffigiatus, mulctâ mulctabitur, prout indixerit vir mu-
s. Si autem effigiatus fuerit, dabit animam pro anima.* Vbi ſigni-
nt morte, quæ eſt homicidarum pœna, mulctandum eſſe,
fœtum membris & figurâ humani corporis expreſſum &
giatum, in ventre matris interfecerit; quia ejuſmodi fœ-
homo, & anima rationali præditus fuit. Si verò tali fi-
a effigiatus non fuerit, non fore homicidij reum, quia em-
onem tantùm, qui nondum homo erat, occidit. Vnde
d in Hebræo erat, *Si mors fuerit*, Græcè reddiderunt, ἐὰν
ὸ παιδίον ἐξεικονισμένον ᾖ, *ſi verò puerulus effigiatus fuerit;* inter-
tantes, unde cognoſci debeat, an mors illa ſit mors homi-

ulchrè, & Afro viriliq́ue ſuo ſtylo id deſcribit Tertullia-
*. Ex eo fœtus in utero homo, à quo forma completa eſt. Nam &
ſi lex tunc abortûs reum, talionibus judicat, cùm iam hominis eſt
a, cùm iam illi vita & mortis ſtatus deputatur.* Tertull. lib. de anima c. 37.

Vnde autem reputari poſſet, utrùm mors eſſet hominis, an
ûs vitâ humanâ nondum animati, obſcurū erat; & ideo 70.
rpretes, ut ſigno aliquo externo id intelligi valeret, pue-
effigiem aſpiciendam ſuggeſſerunt; quæ ſi humana eſſet,
hominis vixiſſe intelligeretur, & excuſſor ejus, pœnæ ta-
is homicidarum ſubjaceret.

t quamquam ea explicatio non expreſſa inveniatur in
ræo, æſtimanda tamen eſt, propter 70. Interpretum au-
itatem; quorum verſione Eccleſia ab initio, & ipſi Apo-
uſi ſunt: quia *Spiritus qui in Prophetis erat*, ut ait S. Au- S. Auguſt. lib. 18 c. 43 Civit.
inus, *quando illa dixerunt, idem ipſe erat etiam in Septuaginta*

F *viris,*

viris, quando illa interpretati ſunt. Et quod maximè ad rem noſtram facit, dicit eos qui Græcam editionem Septuaginta ex Hebræorum codicum inſpectione emendare aggreſſi ſunt, *non auſos detrahere quod Hebræi non habebant, & Septuaginta poſuerunt; ſed tantummodò addidiſſe quæ in Hebræis inventa, apud Septuaginta non erant.* Et poſtea: *Quidquid verò eſt apud Septuaginta, in Hebræis autem codicibus non eſt, per iſtos maluit, quàm per illos, idem Spiritus dicere; ſic oſtendens utroſque fuiſſe Prophetas.*

Acceſſit denique nupera Sixti V. Pontificis auctoritas, qui in limine Græci Textûs Septuaginta Interpretum, juſſu ejus emendati ac editi, hoc præfatur: *Volumus & ſancimus, ad Dei gloriam, & Eccleſiæ utilitatem, ut Vetus Græcum Teſtamentum juxta Septuaginta, ita recognitum & expolitum, ab omnibus recipiatur, ac retineatur; quo potiſſimùm ad Latinæ vulgatæ editionis, & veterum SS. Patrum intelligentiam utantur: Prohibentes, ne quis de hac nova Græca editione audeat in poſterum, vel addendo, vel demendo, quidquam immutare.*

SS. Patres quoque diſcrimen illud effigiati & ineffigiati, ſive formati & informis fœtûs, à 70. Interpretibus inſinuatum, paſſim recipiunt: quorum aliquot teſtimonia etiam in Canones ſacros redacta ſunt. Vt iſtud S. Auguſtini: *Quod lex non formatũ puerperium noluit ad homicidium pertinere, profectò nec hominem deputavit quod tale in utero geritur.* Etſi tamen (ut nihil diſſimulemus) videatur ambigere, an etiam ante expreſſam in fœtu hominis effigiem, anima rationalis in eo non deliteſcat. *Si enim,* addit paulò pòſt, *illud informe puerperium iam quidem fuerit, ſed adhuc quodammodò informiter animatum (quoniam magna de anima quæſtio non eſt præcipitanda indiſcuſſa, temeritate ſententiæ;) ideo lex noluit ad homicidium pertinere: quia nondum poteſt dici anima viva in eo corpore quod vitâ (*ſecundâ*) caret; ſi talis eſt in carne nondum formatâ, & ideo nondum ſenſibus præditâ.*

Cauſ. 32. q. 2. c. 8. 9. 10. S. Auguſt. q. 80. in Exod.

Iſta enim S. Auguſtini verba reſpiciunt illam ejus dubitationem, quæ ad finem uſque vitæ ei duravit: An non ſolùm caro noſtra, ſed etiam anima ſit ex traduce. Ita videlicet, ut ſicut ſemen, ex quo fabricatur corpus, deciditur à corpore parentis; ita anima fœtûs ab ejuſdem parentis animâ decidatur,

ſeu

potiùs accendatur, velut candelæ unius flamma ab altera:
hanc enim partem ſollicitabatur S. Auguſtinus, quia hac
one videbatur facilior & intelligibilior modus explicandi,
modo peccatum originale, quod animam afficit, à parente
lium per originem trajiceretur.

ed tamen nunquam id S. Auguſtinus affirmaverat. Vnde
Iulianus falsò ei opinionem illam adſcriberet; eo quòd
ſet, omnes homines in Adamo unum fuiſſe, homo autem
aliud eſſet, quàm *anima & corpus ſimul;* Reſpondet ei Au- Lib. 5.
inus: *Omnes qui ex illo nati ſunt, ille unus fuerunt. ſive ſecundum* c. 178.
corpus, ſive ſecundum utramque hominis partem, quod me ne- Oper. imperf.
confiteor, nec me pudet, ut vos, fateri neſcire quod neſcio.

cce igitur, ut in Opere iſto ultimo, cui immortuus eſt,
eſcire fateatur, An *ſecundum utramque hominis partem*, cor-
ſcilicet & animam, omnes non fuerint unum in Adamo,
quam in cauſa utriuſque partis efficiente.

libi quoque ait, *ſcrupuloſiſſimè inter doctiſſimos quæri ac diſ-* Enchirid. c. 86.
ri (quod utrum ab homine, inquit, *inveniri poſſit, ignoro)*
do incipiat homo in utero vivere. Vtrum ſit quædam vita & oc-
(in ſemine informi, ut ſtatim pòſt ſignificat,) *quæ nondum*
bus viventis appareat. Verùm licet dicat ſe neſcire, quia non
ò ſciebat, longè tamen probabilius eſſe exiſtimabat (quod
ſſimum eſt) animam rationalem cum ſemine à parente in
em non traduci; ſed formato & conſtructo jam corpore,
eo ſolo creari, & corpori tanquam domicilio, extrinſe-
infundi, atque tunc demum hominem generari, & inde
uum homicidia incipere.

Iinc cùm Iulianus & Pelagiani Traduciarium eum ap- Lib. 3. c. ult. ad Bonif.
arent, calumniam iſtam à ſe reſpuens: *Aiunt nos*, inquit,
am traducem, cum peccati traduce contueri. Quod ubi & quando
rum, qui adverſus iſtos defendunt Catholicam fidem, vel ſermo-
audierint, vel litteris legerint, neſcio. Quia etſi invenio à Ca-
cis de hac re aliquid ſcriptum, nondum contra iſtos fuerat veritatis
pta defenſio, neque id agebatur, ut eis reſponderetur. Vbi, credo
ad Tertullianum reſpicere, qui non ſolùm corpora, ſed Tertull. c. 25. de anima.
animas poſterorum *ex una* Adami *anima* dicit *redundare*,

F 2 *& cum*

& cum carnis figulatione compingi, atque produci.

Non igitur Traducianorum numero accenſendus Auguſtinus, ſed potiùs ijs, qui materiæ jam formatæ & membris humani corporis expreſſæ animam rationalē demum immitti cenſuerunt. Et in eadem claſſe & mente S. Hieronymus: *Semina*, inquit, *paulatim formantur in uteris, & tam diu non reputatur homo, donec elementa confecta ſuas imagines membraq; ſuſcipiant.*

S. Hieron. q. 4. ad Algaſ.

Canonem autem *Moyſes* omitto; quia ex Pſeudo-Auguſtino, ut Majores noſtri Lovanienſes rectè adverterunt, deſumptus eſt.

Auctor q. vet. & novi teſtam. q. 23.

Huc etiam addi poteſt Bulla Sixti V. An 1587. qua omnes voluntariorum homicidarum pœnas fulminat in procurantes abortum *tam animati, quàm inanimati, formati, vel informis fœtûs.* Vbi animatum & formatum, inanimatum & informe pro ijſdem habet.

Quas tamen pœnas Gregorius XIV. ad terminos Iuris communis, & ad homicidas fœtus animati formati revocavit.

Exod. 21. Falluntur autem qui putant 70. Interpretes in Hebræo legiſſe, *iſchon*, id eſt *puerulus*, vel *vimunculus*, pro *aſon*, id eſt *mors.* Nam παιδίον αὐτοῦ *puerulus ejus*, reſpondet Hebrææ voci *ieladecha*, id eſt *nati eius*, non autem voci *aſon*, ſive *mors.* Deinde inter litteras Hebraicas, Schin (qua ſcribitur *iſchon*) & Samech (qua ſcribitur *aſon*) nimis evidens eſt diſcrimen, ut falli potuerint 70. Interpretes, accipiendo unam pro altera.

Propheta quoque, & ſummus Philoſophus Iob, humani corporis conformationem deſcribens, corpori ſuis membris & organis inſtructo animam rationem demum ſupervenire, non materiam rudem adhuc & inorganicam ſubire ſignificat.

Iob. 10. *Memento quæſo, quòd ſicut lutum feceris me* (quando in prima mea origine conditus ſum de limo terræ) *& in pulverem reduces*: quoniam primo homini peccatori dixiſti, Pulvis es & in pulverem reverteris.

Gen. 2. Gen. 3.

Et deinde ad ſecundam originem ſuam progreſſus, qua non ex luto jam, ſed ex ſemine in utero matris eſt concretus: *Nonne*, inquit, *ſicut lac mulſiſti me?* Hebr. *effudiſti me?* Quali origine, dicitur filius egredi de femore, de lumbis, aut utero patris ſui.

Exod. 1. 2. Reg. 16. 2. Paral. 6. &c.

Dicit

Dicit autem, *ſicut lac*; quia ſemen humanum ἀφρῶδες καὶ λευκὸν ſpumoſum & album eſt inſtar lactis, ut Ariſtoteles ait. *Et ſicut caſeum me coagulaſti?* Quando ſemen paternum cum ſemine materno, in utero coagulatum & fermentatum eſt.

Quod poſtquam factum fuit, *Pelle & carnibus veſtiſti me.* Sed tamen antè, *Oſſibus & nervis compegiſti me.* Inter enim hæc duo orationis membra, ordo eſt inverſus. Secundum enim modernos & Experientiſſimos Anatomicos, in fœtu adhuc toto ſemineo, priùs oſſium & nervorum lineamenta tenduntur, quàm in ipſum matris ſanguis attrahatur, ex quo carnes, & parenchymata coagulantur.

Denique, ubi fabrica tota humani corporis, quantum ad partes illas principales fuerit abſoluta: *Vitam* inquit (per animæ rationalis infuſionem) *& miſericordiam* (varia miſericordis tuæ beneficentiæ munera, ut animæ facultates, ingenium, & multarum virtutum moralium qualiacumque ſemina, ut quidam explicant; vel potiùs, ne remanerem naturaliter filius iræ, ſicut ceteri, ut S. Auguſtinus mavult) *tribuiſti mihi.* Et denique, *viſitatio tua* (qua perpetuò mihi ades, & gubernas) *cuſtodivit ſpiritum meum.* S. Aug. lib. 5. c. 13. contra Iul.

Talem quoque ordinem inter formationem corporis in utero matris, & animæ rationalis infuſionem, ſimilitudine quadam indicaſſe videtur Deus, quando *formavit* primum *hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem* ſtatuæ ſic à ſe formatæ, & omnibus ſuis membris expreſſæ, *ſpiraculum vitæ.* Gen. 2.

Denique ejuſdem rei imago, in illa corporum regeneratione apud Ezechielem apparet. Vbi poſtquam *acceſſerunt oſſa ad oſſa, unumquodque ad juncturam ſuam, & nervi & carnes aſcenderunt, & extenta eſt in eis cutis deſuper; ſpiritum* tamen adhuc *non habebant.* Sed ubi *à quatuor ventis venit inſufflans ſpiritus, & ingreſſus eſt in ea, vixerunt, ſteteruntq́; ſuper pedes ſuos.* Ezech. 37.

Hanc denique, de præformatione corporis ante animæ rationalis adventum doctrinam, in ſuis Paſtoralibus & Ritualibus Libris Eccleſia ſequitur. Nam eos tantùm infantes, aut abortus baptizari præcipit, qui humana effigie inſigniti ſunt; effluxiones verò minimè, etiamſi membranâ aliquâ incluſæ,

& ſtamina quædam ac rudimenta inchoatæ conformationis in ijs apparerent. Qualis fuit genitura ſex dierum à concubitu quæ effluxit Pſaltriæ, ad imperium Hippocratis ſepties ex alto deſilienti. *Similis autem erat*, inquit, *ovo crudo, ablatâ exteriore teſtâ, in quo humor contentus membranâ interiore, ruber & rotundus pellucebat. Conſpiciebantur quoque fibræ albæ & tenues in illo humore membranâ contento, cum ſanie craſſa & rubra; & ipſa membrana, parte exteriore, ad inſtar ſugillatorum, cruore ſuffuſa erat.*

Hippocrat. lib. de nat. pueri.

Ejuſmodi tamen effluxiones, ſi vera eſt ſententia Argenterij, Fieni, & aliorum, anima rationali animatæ ſunt, & baptizari deberent. Quorum proinde opinionem inſignis abſurditatis damnat S. Anſelmus. *Quod enim, ait, mox ab ipſa conceptione* (id eſt ſeminum permixtione ad ordiendam conformationem, ut Medici nomen conceptionis uſurpant) *infans rationalem animam habeat, nullus humanus ſuſcipit ſenſus. Sequitur enim, ut quoties ſuſceptum ſemen humanum, etiam ab ipſo momento ſusceptionis, perit, antequam perveniat ad humanam figuram, toties damnetur in illo anima humana; quoniam non reconciliatur per Chriſtum: quod eſt nimis abſurdum.*

S. Anſel. lib. de concept. virginal. c. 7.

Denique, ſi anima rationalis ſui corporis conformationem orditur; ergo in molis, & Fratribus Lombardorum, ac in monſtris humana ſpecie carentibus, qualia interdum feminæ in lucem edunt, inerit anima rationalis. Nam molæ fibras & venas, ac alia primæ conformationis rudimenta habent. Fratres verò Lombardorum (ſic vocant Medici, quia in Lombardia feminæ ſæpiùs tales partus gignunt) membris etiam omnibus in harpiam, aut feram beſtiam, aliudve monſtri genus, volucre interdum, aut involucre, perfectè deformati, non tantùm primis lineamentis inchoati, viſuntur. Quales etiam in Belgio, & ſemel Lovanij in vicinia noſtra, editos ſcimus.

Admirabile exemplum, ex muliere Zelanda dabit tibi Levin. Lemnius Lib. 1. c. 8. de Occult. Iſtud verò erat, ait, *adunco roſtro, longo teretiq́ collo, oculis vibrantibus, cauda acuminata, eximiâ pedum agilitate. Quod poſt primum lucis intuitum, conclave ſtridoribus implevit, atque ultrò citroq́ diſcurrens latebras quærebat. Ac tandem mulieres pulvinis ipſum impetentes, & ſuffocantes peremerunt.*

Lemn. lib. 1. c. 8. Occult.

Hoc

Hoc quoque monſtri genus à feminis etiam Belgicis interdum (etſi rarò) edi narrat, & id *ex multo braſſicarum eſu & cereviſiarum potu* fieri credit Lud. Vives. Lud. Vives lib. 1. de anima.

Et Tornamira cauſæ non abſimili, generationem Fratrum Italicorum adſcribens: *In Italia*, inquit, *dicuntur Fratres Lombardorum, quia in eorum terra multum generantur, causâ multiplici. Quia illa mulieres abundant ſpermate proprio, & quia comedunt fructus & herbas in patella.* Tornamir.

Vnde liquet, ex impuro ſanguine matrum, & uteri recrementis, quorum abundantia ex braſſicarum & ejuſmodi herbarum frequenti eſitatione provenire ſolet, etiamſi ſemen paternum ſincerum foret, talia monſtra generari. Hinc Medicus alter ait in Apulia quoque tales Fratres interdum gigni, *propter corruptionem nutrimenti. Quia dicitur*, inquit, *communiter, quòd Italica femina peſſimè vivunt (ſicut ex fructibus & herbis) ſed bene induunt.* Gordon.

Veluti ergo ſtatuarius & plaſtes aliàs minimè malus, ex materia inobedienti & inepta deformem, & ab idea artis delirantem imaginem format; ita virile ſemen, quantumvis artifex & generoſum, ſi in immundi uteri cloacam cadat; aut ſi etiam opere jam rectè inſtituto, immunda ejuſmodi colluvies ſuperveniens ipſum interturbet, membra & figuram humani corporis inchoatam, ad brutam vel abnormem aliam detorquebit.

Quæro igitur, cur tales Lombardorum, aut Zelandorum Fratres, non ſint re verâ homines, ſi anima rationalis à principio ſemen humanum ingrediatur, ut ipſum conformet? Nam talia monſtra, ut Medici fatentur, à virtute conformatrice humani corporis impeditâ & delirante proveniunt: unde ſi illa virtus ſit anima ipſa, vel facultas animæ rationalis; ſanè ipſa in Fratre Lombardo, abſoluto opere ſuo, quantumvis deformi & monſtroſo, remanebit. Atque ita verus homo erit, & baptizare illud, non pulvinarium conjectu obruere & ſuffocare oportebit. Cùm tamen obſtetrices quæ tales partus enecant, nemo culpet.

ARTICV-

ARTICVLVS III.

An ſolus Deus conformet membra corporis humani in ventre matris.

Job. 10. Iere. 1. Pſal. 92. SCriptura ſacra multis locis videtur id palàm ſignificare. *Oſſibus & nervis compegiſti me*, aiebat Iobus, explicatus Artic. præcedente. *Priuſquam te formarem in utero, novi te*, ait Deus ad Ieremiam. Et Pſaltes: *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum non conſiderat?*

1. Cor. 12. 1. Cor. 15. Rom. 9. Et Apoſtolus: *Poſuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore, ſicut voluit.* Et iterum: *Seminas nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus ceterorum: Deus autem dat illi corpus, ſicut vult.* Alibi Deus comparatur figulo, qui ex *eadem maſſa facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.*

S. Auguſt. lib. 3. c. 17. contra Iul. Lib. 12. c. 15. Civit. Vnde SS. Patres ſacræ Scripturæ doctrinam ſequentes, & phraſim uſurpantes, paſſim dicunt Deum, ſicut initio hominem unum ex luto, ita nunc ex ſemine ceteros architectari. *Quis enim Chriſtianus ignorat*, clamat S. Auguſtinus ad Iulianum, *quòd ille qui primum hominem fecit ex pulvere, omnes fabricetur ex ſemine?* Et alibi eundem dicit auctorem rotunditatis pomi, qui & cæli. *Quâ vi divinâ, inquit, & ut ita dicam, effectivâ, quæ fieri neſcit, ſed facere, accepit ſpeciem, cùm Mundus fieret, & rotunditas cæli & rotunditas ſolis; eâdem vi divinâ & effectivâ, quæ fieri neſcit, ſed facere, accepit ſpeciem rotunditas pomi, & ceteræ figuræ naturales* (ut rotunditas capitis, vel oculi) *quas videmus in rebus quibuſcumque naſcentibus, non extrinſecus adhiberi, ſed intimâ Creatoris potentiâ, qui dixit: Cælum & terram ego impleo, &* Ierem. 24. Sap. 8. *cujus ſapientia attingit à fine uſque ad finem fortiter & diſponit omnia ſuaviter.*

Nec opus alia teſtimonia congerere, quæ ex hoc eodem Auguſtino, aut alijs Patribus poſſunt. Spiritùs ſancti enim ſtylo ſcribunt, ut dixi, qui in Scripturis ſuis, Deo corporum & rerum omnium architecturam & conditionem tribuit. Vnde eos eodem ſenſu & modo, quo Scripturas ſic loquentes, interpre-

interpretari oportet. Scripturæ verò cauſas ſecundas, ſub architecto Deo miniſtrantes, minimè excludunt. Nam ecce poma, quæ Deus in arboribus rotundat & maturat, quia id miniſterio ſolis & ſiderum facit, non tantùm Dei, ſed etiam *cæli, & ſolis ac lunæ poma* vocantur. Deuter. 33.

Attamen Deus intimiori & *vehementiori*, ut S. Thomas loquitur, efficaciâ in effectus creatos, quàm cauſa ſecunda, influit; & propterea creator, conditor, & auctor omnium effectuum (modò malitiam moralem non involvant) dicitur; quos titulos SS. Patres cauſis ſecundis nec tribuunt, nec bellè ac in rigore tribui poſſunt. Rationem ejus rei S. Auguſtinus loco proximè citato inſinuat: Quia *Dei occulta potentia cuncta penetrans incommutabili præſentia facit eſſe quidquid aliquo modo eſt, in quantumcumque eſt: quia niſi faciente illo, non tale, vel tale eſſet, ſed prorſus eſſe non poſſet.* Quæ verba ſignificant, quòd propter eſſentialem rei creatæ à divina potentia dependentiam, Deus omnem creatam exiſtentiam ex ſuo nihilo immediatè extrahere debeat; & ſi quando cauſa ſecunda operi huic manum etiam ſuam miſceat, eam Dei omnipotenti manu non minùs quàm ipſum effectum, ſuſtentari oporteat. Et hoc eſt, quod SS. Patres vocant *creare*, aut *condere* aliquam creaturam; quod ſoli Deo dicunt competere. Unde Auguſtinus: *Multi parvuli deformes, multi orbi, vel morbidi, multi horridi monſtroſiq́ naſcuntur; nec ideo illam totam ſubſtantiam, omneſq́ partes ejus, & quidquid in ea ſubſtantialiter exiſtit & vivit, potuit creare, niſi unus, bonus, & verus Deus.*

D. Th lib. 2 c. 89. contra Gent.

S. Auguſt. lib. 12. c. 25. Civit.

Lib. 6. c. 10. contra Iul.

Nam rem creare Auguſtino eſt altiſſimo modo in eam, & uſque ad ultimas, ut ſic dicam, eſſentiæ ejus radices actione ſua illabi, & eſſentialis dependentiæ fune, eam è ſuo nihilo ad exiſtentiam extrahere.

Non tamen ſemper, ubi Deus tali eſſentiali influxu, cum cauſa ſecunda ad effectum concurrit, creator, conditor, & auctor talis effectûs dici poteſt; ſed ſolùm quando non tantùm externâ cauſalitate, ſed internâ etiam voluntate effectum illum attingit. Quod fit, quando in tali effectu ſibi complacet, & ex iſta complacentia omnipotentiam ſuam ad illum

 efficiendum

efficiendum applicat. Vnde pravorum noſtrorum affectuum creator, conditor, auctor non dicitur; quia ex ultronea voluntatis ſuæ complacentia, in eos nobiſcum non influit, ſed à prava voluntate noſtra velut attractus, ad cooperandum ex generali cauſæ primæ officio condeſcendit. Probat verò eleganti exemplo S. Auguſtinus, Deum omnis fœtûs in utero matris, ac omnis creaturæ eſſe formatorem & conditorem. Nam, *ſi non fabros & architectos*, inquit, *ſed Reges, quorum voluntate, conſilio, & imperio urbes fabricatæ ſunt, ut Romulum Romæ, Alexandrum Alexandriæ, dicimus conditores: quanto potiùs non niſi Deum debemus conditorem dicere naturarum; qui neque ex ea materia facit aliquid quam ipſe non fecit, nec operarios habet, niſi quos ipſe creaverit; & ſi potentiam ſuam, ut ita dicam, fabricatoriam rebus ſubtrahat, ita non erunt, ſicut antequam fierent, non fuerunt.*

S. Auguſt. lib. 12. c. 25. Civit.

Videte comparationem & antitheſin. Romulus vocatur Romæ conditor, quia ſola voluntate, conſilio, & imperio admovit fabros non à ſe creatos, qui materiæ non à ſe creatæ, *ſpeciem urbis forinſecus*, ut antè Auguſtinus dixerat, *imponerent*. Deus verò non tantùm ſic voluntate conditor, ſed etiam opere faber eſt. Nec talis faber, qui materiæ alienæ figuram artificialem extrinſecus tantùm circumponit, ſed qui etiam in intimam rei eſſentiam activitate ſua penetrat; & materiam non ab alio, ſed à ſe factam, in opus ſuum adhibet. Si denique cauſas ſecundas ad idem opus cooperatrices convocare lubet, iſtæ quoque ab eodem conditore factæ ſunt, nec manum operi admovere, niſi ipſo adjutore valent. Nec denique ipſum opus poſtquàm ex nihilo ſuo extractum, vel momento temporis, niſi ſuppoſitâ Dei manu, poteſt ſubſiſtere.

Tot igitur titulis, ſupra Romulum & urbium conditores, Deus corporis humani & totius hominis, à primis & imis fundamentis eſt conditor; etiamſi non ſolus, ſed famulantibus cauſis ſecundis, illud opus inchoët, promoveat, & conſummet.

Et de cauſis ſecundis in ſemine latentibus, bellè & manifeſtè alibi S. Auguſtinus: *Ipſa jam membra omnia*, inquit, *ſunt latenter in ſemine; cùm etiam natis nonnulla adhuc deſint, ſicut dentes,*

Lib. 22. c. 14. Civit.

dentes, ac ſi quid ejuſmodi. In qua ratione uniuſcuiuſque materia indita corporali, jam quodammodo, ut ita dicam, liciatum eſſe videtur (veluti tela in licijs & ſtaminibus ſuis jam eſt, cùm textor eam orditur) *quod nondum eſt; imò quod latet, ſed acceſſu temporis erit, vel potiùs apparebit.*

Et hinc, quia in diverſis ſeminibus ſunt alia licia & ſtamina, ſive aliæ ſeminales (ut alibi S. Auguſtinus vocat) rerum rationes; ideo Deus principalis artifex, ex uno ſemine triticum, ex alio hordeum, ex hôc hominem, ex iſto equum conformat. Et licet *det unicuique ſemini proprium corpus, ſicut vult*, 1. Cor. 15.
ut Apoſtolus ait; rationes tamen volendi hoc corpus fabricare præ illo, præmiſit ipſe in ſemine; ideoque ex ſemine bovis nunquam equum, nec ex ſemine equi unquam bovem ſolet fabricare. Quemadmodum enim aves diverſæ ſpeciei, & Deus cum ijs, non unius ideæ & figuræ nidos ædificant; ita vis plaſtica diverſi ſeminis aliter & aliter corpus ſuum configurat, ſub manu & directione omnipotentis & omniagentis Plaſtæ, Dei.

Vnde etſi verum ſit, quod paulò antè, cum adverſario ſuo Iuliano, dicebat S. Auguſtinus: Deum eundem eſſe, qui Lib. 3. c. 17
jam fabricat homines ex ſemine, & qui olim Adamum fabri- contra Iul.
cavit ex pulvere; non tamen ijſdem inſtrumentis, aut eodem modo. Cauſas enim ſeminales inſtrumentales jam invenit in ſemine, quæ non fuerunt in agri Damaſceni (ex quo Adam plaſmatus creditur) pulvere. Cui doctrinæ firmandæ etiam hoc argumentum jam mihi ſe ingerit. Quòd illi errores naturæ qui in corporum quorumlibet conformatione miſcentur, abeſſe deberent ab opere quod ſolâ Dei manu, ſine alio inſtrumento, fabricaretur. Et tamen tam multi & ſpiſſi ſunt ejuſmodi errores, ut Ariſtoteles dicat, Quòd *veluti in artefactis, ita in naturæ operibus plura ſint prava, quàm proba.* Adeoque Ariſtot. Sect. 10.
ſicuti in picturis & ſtatuis nihil eſt tam emendatum, quin ad Problem.
elegantiam aliquid addi poſſit; ita in conformatione vultuum & membrorum animati corporis ſemper eſt aliquid, quod ſciens & curioſus quiſpiam aliter poſitum malit. Imò naturam ab arte hîc ſuperari Scaliger cenſet, & audacter dicit:

Scalig. Exerc. 307. *Naturam in eo ſuperat ars*, inquit, *quia multis eventis à primo homine ſymmetria illa depravata fuit. At nihil impedit plaſtem, quominùs attollat, deprimat, addat, demat, torqueat, dirigat. Equidem ita cenſeo: Nullum unquam corpus humanum tam affabrè fuiſſe à natura factum (duo ſcilicet excipio, unum primi hominis, alterum veri hominis veri Dei) quàm perfectè finguntur hodie doctis artificum manibus.*

Meritò igitur, ſi Scaligero credimus, cùm Petronius olim formoſiſſimam per hyperbolen mulierem ſignare vellet, *mulierem omnibus ſimulacris emendatiorem* appellavit.

Si tamen non tantùm faciem, aut totius corporis externam ſuperficiem aſpiciamus, ſed etiam interiora organa, per ductus, ambages, & labyrinthos ſuos gyrantia inſpiciamus; nullus plaſtes Polycletus, nullus Archimedes machinarius, naturæ admirabiliſſimum iſtud opus ſuperare, imò propinquâ imitatione accedere valebit; cùm ne quidem imaginatione & ideâ artis comprehendere poſſit.

In illa etiam ſuperiori duorum formoſorum corporum exceptione, Adami, & Chriſti (quæ ſupra omnium plaſtarum & artificum artem eſſe putavit, quia facta & figulata immediatè Dei manibus) uxorem illius omittere non debuit. Nam circa coſtam ex qua fabricata eſt, Deus etiam faciei & totius corporis pulpas ijſdem manibus circumpoſuit, & lineamenta circinavit.

Ex dictis jam patet, quomodo Scripturæ initiò citatæ, quæ Deo conformationem fœtûs in utero tribuunt, ſint exponendæ. Deus quippe cauſa principalis eſt, ceteræ tantùm inſtrumentariæ. Fabro autem potiùs effectus tribuitur, quàm ſecuri. S. Tho. ad Galat. lect. 4. *Verè dicitur Deus ſegregare ex utero*, ait S. Thomas, *licet ſit opus naturæ, quæ eſt quaſi inſtrumentum Dei: quia opera etiam noſtra tribuuntur Deo, ſicut principali auctori, Iſa. 26. Omnia enim opera noſtra operatus es in nobis &c. Sicut & effectus principali agenti attribuuntur. Ideo dicitur Iob. 10. Pelle & carnibus veſtiſti me, &c.* Et alibi adhuc expreſſiùs & impreſſiùs: Tho. 1. p. q. 105. a. 5. *Deus*, inquit, *eſt propriè cauſa ipſius eſſe univerſalis in rebus omnibus, quod inter omnia eſt magis intimum rebus; unde ſequitur, quòd Deus in omnibus intimè*

operetur.

operetur. Et propter hoc in ſacra Scriptura, operationes naturæ Deo attribuuntur, quaſi operanti in natura, ſecundum illud Iob. 10. *Pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus & nervis compegiſti me.*

Eadem ratione dicitur Deus *veſtire lilia agri*, & plantis *incrementum dare.* Matt. 6. 1. Cor. 3.

ARTICVLVS IV.

Angelos non eſſe fabros primi domicilij animæ.

DIximus nec Deum ſolum, nec animam ipſam rationalem, ſenſitivam, aut vegetativam ordiri prima lineamenta corporis figurandi ex ſemine. Semen quippe eſſe ab initio inanimatum, ex Ariſtotele, & aliunde probavimus.

An igitur Genios, quos Angelos vocamus, fortaſſe hujus operis adminiſtros facimus? Hanc enim cogitationem excitat nobis Tertullianus. *Omnem hominis*, inquit, *in utero ſerendi, ſtruendi, fingendi paraturam aliqua utique poteſtas, divinæ voluntatis miniſtra modulatur; quamcumque illam rationem agitare ſortita:* nos ſtylo Scholaſtico diceremus, *Cujuſcumque rationis ſit.* Pergit deinde Tertullianus: *Hæc æſtimando*, ait, *etiam ſuperſtitio Romana Deam finxit Alemonam, alendi in utero fœtus. Et Nonam, & Decimam, à ſollicitioribus menſibus* (ſunt enim matres nono, aut decimo geſtationis menſe, magis ſollicitæ, cùm jam in vicino eſt partus) *& Partulam, quæ partum gubernet, & Lucinam, quæ producat in lucem. Nos officia divina, Angelos credimus.* Tertull. lib. de anima c. 37.

Ecce, refutatis falſis iſtis Dearum numinibus, officia Angelorum Deo & Naturæ miniſtrantia ſubſtituit.

Quid ſi ergo, Angelum futuri mox homuncionis Cuſtodem, prima membrorum ejus fila & lineamenta ducere, & unamquamque ingenioſæ iſtius machinulæ particulam ſuo ſitu & ordine diſponere dicamus, & ab iſto officio Figulinum appellemus?

Fortaſſe enim tali etiam aliquo ejuſmodi miniſtro, in primi hominis figulatione Deus eſt uſus, qui per inviſibilia Ange-

lorum miniſteria ipſe inviſibilis, viſibilem Mundum gubernat. Licet enim SS. Patres opinionem illam Origenis, Philonis, & Hebræorum (Quòd Deus Pater Angelis, lutum & operam ſuam miniſtrantibus, loquatur, cùm ait, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*) ne argumentum unum, ex hoc loco adverſus Arianos promptum, manibus ipſorum excidat, duriter refellant; non negant tamen Angelos, ſub manu & rotâ ejus, tanquam archifiguli, lutum figuraſſe, venas & arterias ceteroſque interaneorum meatus perforaſſe, omnemque membrorum paraturam & ſupellectilem diſcreviſſe: modò non ad ipſos, ſed ad ſocias SS. Trinitatis perſonas verba iſta æterni Patris, *Faciamus hominem &c.* dirigantur. Quid igitur præter morem faciet Deus, ſi in prima cujuſque hominis, aut animantis ex ſemine coagulatione, miniſterium Angelicum advocet? Certè enim, ſi tam ingenioſum & ſtupendum opus, quod omnes Archimedis machinas, omnia Mundi horologia admiratione ſuperat, Deus non ſolus componit & concinnat; quos majoris ingenij & induſtriæ in hoc opere famulos, quàm Angelicas mentes ei dare poſſumus?

Gen. 1.

Deinde, in corporum humanorum regeneratione, Angeli, nullo Theologorum dubitante, pulveres colligent, ut iterum coagulentur quæ ſoluta & diſperſa fuerant. Cur non igitur ſimilem manum accommodent in prima generatione?

Verùm fuerint ſanè ad primam illam hominis Protoplaſti ex luto figulationem adhibiti Angeli, colligant quoque ſparſos ubique terrarum pulveres in corporum noſtrorum reformationem; non placet tamen, ut jam prima noſtra membra forment ex ſemine.

Nam poſt primum illum hominem ex luto formatum, natura ſic à Deo inſtituta eſt, ut loco crudæ & inertis maſſæ ex terra & aqua temperatæ, materia alia decoctior, actuoſior & efficacior ſuccederet, in qua vis alterandi, concoquendi, & digerendi ineſſet, quod ſemen appellamus. Ejuſmodi autem virtus ad conformationem fœtûs neceſſaria eſt; quâ tamen (omnium confeſſione) carent Angeli. Nam ultra motum

localem

localem, nihil per ſe circa res corporeas efficere valent; ſed ſi concoquere quidquam, aut alterare velint, id applicando activa paſſivis, ut loquimur, perficere debent. Vnde etiamſi partes ſeminis localiter ordinare, & futurorum membrorum fundamenta ſuis locis motu locali diſponere valeant; indigent tamen aliâ causâ alterante, quæ oſſa, nervos, venas, arterias &c. ad aliquam ſiccitatem & conſiſtentiam concoquat, & alijs membris alias qualitates imprimat.

Quid igitur jam neceſſe eſt, Angelicam manum huic operi immiſcere, cùm illa cauſa ſecunda ſemen alterans, & unumquodque membrum in ſuam temperiem decoquens, ſub manu ſummi artificis ſufficiat ad digerendum & ſuis locis diſtribuendum, ac denique ad figuram illam concinnandam modulandamque, quam forma ſubſtantialis heterogenea, vel certè temperies & craſis qualitatum cujuſque membri poſtulat? Figuræ enim iſtæ, quæ à cauſis naturalibus imprimuntur, ſolent ex aliqua, vel aliquibus qualitatibus alijs, quæ per agentia illa naturalia inducuntur, reſultare, aut certè etiam quandoque à virtute aliqua veluti magnetica, quæ partes ejuſdem corporis alias attrahit, alias repellit; ut unaquæque in talem ſitum migret, & ſe diſponat, ſicut figura totius corporis flagitat.

Superflua igitur eſt opera Angelorum in corporum animatorum conformationibus. Nec quando Peripatetici dicunt, *Opus naturæ eſt opus Intelligentiæ*, creatam aliquam Intelligentiam, ſive Angelum, ſed increatam, id eſt Deum intelligunt; cujus omnipotens manus in omni opere naturæ cum natura ipſa, tanquam inſtrumento ſuo, occultè operatur. Itaque per Angelos Tutelares Deus homines tam in utero, quàm extra uterum à multis malis præſervat; ipſe verò ſolus animas creat, & corpora cum ſola virtute inſtrumentali, quam parentes ſemini impreſſerunt, conformat.

ARTICV-

ARTICVLVS V.

Nec anima matris eſt cauſa efficiens conformationis ſui fœtûs.

AN igitur tandem anima matris, quæ uterum ejus informat, & undique ſemen circumdat & conſtringit, organa & membra ſui fœtûs conformat?

Nam licet ſapiens illa Machabæorum mater ad filios ſuos concionetur: *Neſcio, qualiter in utero meo apparuiſtis: neque enim ego ſpiritum & animam donavi vobis & vitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi*; tamen multa anima ejus naturaliter facere poterat, quæ bona mater neſciebat. Et licet filiorum membra, non ex artis & ideæ alicujus directione compegiſſet, ut Polycletus ſtatuæ membra effingere ſolet; fortaſſe tamen anima uteri ejus, ſine idea & operis ſui ullo intellectu, ſemen conformat; quemadmodum in jecore ſanguinem, aut in ventriculo chylum excoquit. Sed non exiſtimo. Nam licet uterus matris naturali ſua temperie, & qualitatibus, quibus fornax illa ad fermentandum & excoquendum ſemen imbuta eſt, fœtum ſuum perfundat; non ipſa tamen propriè eſt ille artifex qui membra diſponit, fingit, & figurat.

2. Machab. c. 7.

Probari inprimis poteſt exemplo conformationis plantarum, quarum uterus eſt terra. In forma autem terræ non eſt tanta virtus, quæ innumerabilia illa genera arborum, fruticum, herbarum, florum conformare poſſit. Talem enim formam, nobiliſſimam eſſe oporteat; cùm tamen terræ elementum, ut loco, ita dignitate infra cetera omnia eſſe credatur. Nec enim Senecæ magis, quàm Keplero & Campanellæ credo. *Non eſſe terram dico*, inquit ille, *ſine ſpiritu vitali & vegeto, & alente omnia. Hunc niſi haberet, quomodo tot arbuſtis ſpiritum infunderet, non aliunde viventibus, & tot ſatis? Quemadmodum tam diverſas radices aliter atque aliter in ſe merſas foveret, quaſdam ſummâ receptas parte, quaſdam altiùs tractas, niſi multum haberet animæ, tam multa, tam varia generantis, & hauſtu atque alimento ſuo educantis?*

Senec. lib. 6 c. 16. Nat.

Nihil

Nihil tamen animæ terra habet, mi Seneca, nec ſtirpium radices attrahit, & ſibi proprié immergit; ſed ſtirpes ipſæ radices ſuas in terram agunt, & tam altè quàm animæ ipſarum activitas valet, in eam depangunt. Nec ſpiritum etiam vitalem terra arbuſtis infundit; ſed arbuſta ipſa ex ſucco terræ inanimato, ſpiritus illos ſibi fabricant. Nec animam quoque, aut corporis ſui conformationem à terra, ſive à forma terreſtri habent; ſed rerum iſtarum principia in ſemine cujuſque arbuſti inſunt: unde tot diverſorum ſeminum genera plantas diverſiſſimæ figuræ, coloris, virtutis conformant; quod in uno & ejuſdem temperamenti horto, aut agro fieri videmus.

Quod ergo facit terra, hoc eſt. Suis, & cæli impendentis qualitatibus veluti ſubacta & fermentata, ſemina injecta fovet, & virtutes eorum conformatrices ad opus excitat, corpuſque ſuum præbet, ut radices in ipſum defigant, & ubi anima vegetatrix advenerit, ſuccum ejus in alimentum ducant.

Deinde fœtum animalis ab anima matris non conformari, oſtenditur ex omnium oviparorum, quæ incubatu gignuntur, conformatione. Nam avis incubans eſt inſtar uteri matris viviparæ; nec ſecus gallina carnis ſuæ & plumarum calore ova calefactat & fovet, quàm uterus caniculæ, aut feminæ hominis exceptum ſemen, quod miſcendo & fermentando concoquit. Avis verò incubantis anima membra pullorum non figurat; igitur nec catellæ anima catulos ſuos conformat. De ave incubante, res videtur ſatis in comperto. Nam ſi ipſa pullorum membra conformaret, ex ovis quarumcumque avium ſemper pullos ſuæ ſpeciei excluderet. Vt gallina ovis pavonum, aut perdicum incubans, pullos gallinaceos, non pavoninos, vel perdicinos effigiaret & excluderet. Quod experientia refellit. Igitur cauſa conformatrix non in gallina incubante, ſed in ipſis ovis; quandoquidem ex ovo pavonino pavus, ex ovo cuculi cuculus, à quacumq; ave foveatur, exeat. Imò neceſſe non eſt, ut ſit avis quæ ovum foveat, ut ex eo pullus ſui generis proveniat.

Nam ova tepenti fimo obruta, perinde pullaginem procreant, ac ſi à matre fuiſſent fota, ut Ariſtoteles teſtatur. Tepore

pore quoque fornacum Ægypti excludi ova, pro compertâ res eſt, & fama omnibus nota. Modum à Scaligero exſcribere, non erit fortaſſe injucundum. *In Ægypto ad Cairum*, inquit, *furnos conſtruunt, alij alio multiplici fornice impoſito. In quorum tholi ſupremi medio foramen eſt, per quod caloris vis, quæ immodica poſſet officere, ſubit atque exhalat. In imo ignem accendunt moderatum. Ovorum multas centurias in fornicum ſuperiore planitie diſponunt. Statis diebus erumpit turba. Quos illi non numero, ſed menſurâ venales habent. Modiolum ſtatuunt ſine fundo, quem ut complerunt, tollunt. Neque hæc fabula eſt; ſed fabula illi ipſi qui negant.*

Scalig. Exerc. 25

Livia quoque Tiberij mater, & Auguſti poſtea uxor, *cùm prægnans, an marem editura eſſet*, ait Suetonius, *varijs captaret ominibus, ovum incubanti gallinæ ſubductum, nunc ſuâ, nunc miniſtrarum manu per vices, uſque eò fovit, quoad pullus inſigniter criſtatus excluſus eſt.*

Sueton. Tib. c. 14.

Nemo tamen, opinor, dicet, ab anima Liviæ, aut miniſtrarum ejus, membra & criſtam illius gallinacei conformata & fabricata fuiſſe. Deinde in reptilibus & quadrupedibus, quæ extra uterum ſine ſemine, *ex colluvie fermentatâ*, ut Columella loquitur, proveniunt, res eſt manifeſta.

Columel. lib. 1. c. 5.

Nulla igitur uteri materni anima ſerpentes, anguillas, mures, ſcarabeos, & tot genera muſcarum ac inſectorum quæ ex putri naſcuntur, conformat. Igitur ſicut ibi, non uterus aut ejus anima, ſed vis quædam in putredine, à calore ſolis vel ab alio agente fermentatâ, materiam illam ad animalis formam digerit ac figurat; ita quando ſemen in utero conformatur, omnino veri ſimillimum eſt, non ab anima uteri hoc fieri, ſed à virtute aliqua quæ in ſemine continetur.

Denique uteri concavitas non contingit, niſi, ut ſummùm, ſuperficiem convexam ſeminis intra uteri capacitatem conglobati; non autem intimas ejus partes, in quibus tamen viſcera, ilium ſpiræ, plurimæ venæ, arteriæ, nervi, & tot aliæ maximi operis & ingenij partes ducendæ, & texendæ ſunt; & quarum conformatio non magis ab anima uteri diſtante videtur poſſe effici, quàm furni calefacti fornix poſſit conformare interiora panis, quem intra ſe coquit; aut quàm artifex

valeat

valeat imaginem ſculpere ſcalpro, quo lignum non tangit.

Debet ergo ſpiritus aliquis in ipſo ſemine deliteſcere, qui totum undique pervadat, & illud in ilia, venas, arterias, nervos, & tot alios tubos, ac concavitates cuniculatim perforet, & univerſi organi fiſtulas ſuis locis digerat & diſtinguat.

Nec adverſatur nobis S. Hieronymus, cùm hoc officium utero materno tribuit: *In generatione hominis*, inquit, *recipit terra, id eſt vulva, quod ſuum eſt, & receptum confovet, confotum corporat, corporatum in membra diſtinguit.* Hoc enim vulva ſive uterus facit, fovendo & fermentando ſemina, virtutemque plaſticam, & ſpiritum in quo vehitur excitando, ut organorum fiſtulas ipſe perforet, ac membra diſtinguat. Hujus enim ſpiritûs immediatam activitatem S. Hieronymus non excludit; ſicut nec *Dei manum, quæ inter illas ſecretas ventris anguſtias*, ait, *ſemper operatur, idemq́; eſt corporis & animæ creator.* Creationem appellans illam actionem, quam ex SS. Patrum ſententia Artic. III. enarrabamus. Quâ nempe quis *ex intimo ac ſummo cauſarum cardine* aliquid efficit, ut eleganter & ſublimiter loquitur S. Auguſtinus. S. Auguſt. lib. 3. c. 9. Trin.

ARTICVLVS VI.

Virtus inanimati ſeminis à parentibus deciſa, prima fœtûs ſtamina in utero matris orditur.

IGitur, ſi nec Deus ſolus, nec Genij Angelici, nec anima matris, nec anima ſeminis conformant fœtum in utero matris, reſtat ut in ſemine ipſo, quantumvis inanimato, ſit virtus aliqua organopœa, quæ prima lineamenta organici corporis, ſub Dei ſupremi artificis manu, ducat; & hoc rudimentum eòuſque perducat, quòuſque neceſſarium eſt, ut prima anima vegetativa vialis corpus illud ingredi, & utcumque ibi (licet initiò fortè non ſatis commodè) nidulari valeat. Debent quippe, ſtatim ubi utriuſque ſexûs ſemina calore & virtute uteri permixta & fermentata fuerint, rudimenta quędam inſtrumentorum animę vegetativę deproperari, per quę embryo animatus alimentum trahat, & inſtrumenta ipſa paulatim

 perficiat,

perficiat, ceteraſque animæ vegetantis functiones obeat. Quemadmodum enim ex cibo potuque primùm in ventriculo coquitur chylus, deinde in jecore fit ſanguis, ex ſanguine ros, ex rore gluten, ex glutine cambium, ex cambio pars viventis, configurata membro cui adhæſerit; ita ſemen in utero non illicò animatum eſt, ſed per varias alterationes pręcedentes (quæ tamen ſæpe celeriter abſolvuntur) coqui & fermentari debet, antequam rudem aliquam, à virtute conformatrice, membrorum figuram, & unà animam vegetativam ſuſcipiat.

Vis autem illa conformatrix, etſi ad operationem ſuam figuratis organis, ſicut anima vegetativa, non indigeat; organa tamen ſine organis (ne in infinitum retrocedatur) conficere, aut ſaltem inchoare & delineare novit.

Ad hoc autem opificium, heterogeneitas ſeminis plurimùm eam adjuvat. Nam veluti hepar ſive jecur chymum diverſarum & heterogenearum partium conficit (in eo enim ſanguis, pituita, & utraque bilis continetur) & veluti in ipſo ſanguine, præter liquidas partes, ſunt fibræ ſicciores, per quas partem animalis ad quam appellit, comprehendit, & ei adhæreſcit; ita ſemen non eſt corpus homogeneum, ſed partibus heterogeneis diverſi temperamenti conſtat; ut ex illis virtus conformatrix, quæ in ſpiritibus ſeminis maximè viget, variæ temperiei organa, ut oſſa, nervos &c. ordiri poſſit.

Materia enim ſeminis partim ſanguine venoſo, partim ſpiritu arterioſo conſtat; quos natura per geminos canales, venam ſcilicet & arteriam ſeminalem, ad officinam ubi cuditur ſemen, mittit. Et hinc tenuior, ſpiritalior, & ſpumoſior pars ſeminis ex ſpiritu arterioſo, craſſior ex ſanguine craſſiori venoſo conficitur. Licet tamen in ſanguine etiam arterioſo, non tantùm venoſo, præter partes magis tenues & liquidas, ſunt etiam fibræ ſicciores (quæ ſanguinem arterioſum extra venas concreſcere etiam faciunt) ex quibus in ſemen excoctis, virtus conformatrix partes etiam ſicciores, ſicut ex fibris ſanguinis venoſi, fabricare aggreditur.

Præterea, ſicuti officina ſeminis, ſive teſtes, unam partem

craſſioris

craſſioris ſeminis ad capitis, alteram ad pedis &c. conformationem alterat & procudit; ita unicuique parti materiæ ſeminis ſuum etiam ſpiritum talis aut talis membri, fœtûs organificem excoquit, & illi parti craſſioris ſeminis, quæ in talis membri materiam cedere debet, aſſignat & ei permiſcet, ut activitate ſua talem materiam in temperiem & figuram talis membri conformet.

Eadem quoque de feminino ſemine ratio. Nam officinam quoque ſeminis in uteri fundo habent, & in fœtûs coagulationem & conformationem, ſemen quoque ſuum conferunt feminæ, ut jam paſſim contra Ariſtotelem (ut putant) cum Galeno ſuo docent Medicorum filij.

Vbi verò maris & feminæ ſemina in utero maritata, ac in unum φύραμα fermentata fuerint, ſpiritus virilis ſeminis, tanquam magis actuoſi & artifices, languidos feminei ſeminis ſpiritus ad opus excitant, ut juncti ſimul, & velut unâ manu, ex eadem utriuſque ſeminis craſſiori materia, ſecundinas, ſeu membranas quibus involvendus eſt fœtus, ac ſtamina & fila quædam membrorum futuri corporis, veluti nere & texere incipiant.

Vnde prima iſta oſſium, nervorum, venarum, arteriarum, ligamentorum, cartilaginum, membranarum &c. mollis & mucoſa textura, tota adhuc ſeminea eſt, ut Hippocrates & experimenta affirmant: ac demum, ubi fœtus animâ ſaltem vegetatrice animatus fuerit, & ducere ſanguinem matris didicerit, tunc carnes, cor, jecur, & cetera parenchymata, ex ſanguine materno per umbilici canalem attracto, conformari incipiunt. Tales enim partes non ex mero ſemine, ſed ex ſanguine plurimo coagulantur & formantur. Fortaſſe illam primam ex ſemine ſolo inchoatam, ac deinde carne, & ſanguineis parenchymatibus, pleniùs & formoſiùs abſolutam conformationem ſignificare voluit S. Hieronymus, ubi ait, *Natura non erubeſcenda, ſed veneranda eſt. In uterum primùm ſemen iacitur informe, ut ſulcis & fundo ejus quaſi quodam glutino adhæreat. De quo & Propheta, initij ſui recordatus, ait: Incompoſitum meum* (Verſio noſtra, *Imperfectum meum*) *viderunt oculi tui.*

S. Hieron. In c. 4. ad Galat.

Pſal. 138.

Deinde per novem menſes reſtricto ſanguine, menſtruo matris, *futurus homo coagulatur, corporatur, paſcitur, atque diſtinguitur: ut quam in utero palpitarit, ſtatuto tempore fundatur in lucem.*

Sed qua ratione vis illa ſeminis conformatrix, ſive anima ſit, ſive inanima, tanta arte, ingenio, membrorum materiam illam in tot venarum, arteriarum, & inteſtinorum tubulos, cum tanta ad uſum proportione perforet, gyret, & circumflectat; quomodo deindè membris omnibus ſuum locum & ſitum in corpore aſſignet, nullum ingenium humanum poteſt capere. Narrat Galenus, ſe totâ vitâ in hujus rei admiratione & inveſtigatione fuiſſe, atque à Philoſophis ſui ævi lucem quæſiviſſe, ſed tenebras tantùm majores, & triſtitiam retuliſſe. Hoc verò tantùm ſibi in certo & comperto eſſe: ἄνευ σοφωτάτου τε, καὶ δυνατωτάτου δημιουργοῦ. *ſine ſapientiſſimo & potentiſſimo Opifice*, tam ingenioſum & admirabile opus perfici non poſſe.

Galen. lib. de confor- mat. fœt.

Et hujus rei admiratio & ſtupor, cauſa fuit, cur Subtilis Scotus, & alia magna ingenia negaverint, ullam aliam cauſam, præter ſummum Numen, illius *animantis machinæ*, ut Columella appellat, opificem eſſe.

Columell. lib. 3. c. 1.

Sed majoris admirationis res adhuc erit, ſi non Deus ſolus (quid enim magni miri, ſi infinitæ ſapientiæ manus hoc efficere poſſit?) ſed talis etiam virtus vili creaturæ communicari valeat, quâ ſub manu Omnipotentis illius Opificis in omnes conformandi corporis figuras gyros, ſpiras, & labyrinthos ſe moveat; ita ut ultroneo propriæ naturæ impetu, non mero artificij tractu (ut celte, aut aſcia ducuntur & trahuntur à ſculptoris manu) ſummi Opificis manum comitetur, & ingenij ejus tam expreſſam ſimilitudinem participet.

Vnde in hanc admirationem alicubi defixus S. Auguſtinus: *Quàm multa uſitata calcantur*, inquit, *quæ conſiderata ſtupentur? Sicut ipſa vis ſeminum, quos numeros habet, & quàm vivaces, quàm efficaces, quàm latenter potentes, quàm in parvo magna molientes, quis adeat animo, quis promat eloquio?* Nemo, nemo profectò. Ita ut Sapiens meritò olim dixerit: *Quomodo ignoras, quâ ratione compingantur oſſa in ventre prægnantis; ſic neſcis opera Dei, qui fabricator eſt omnium.*

Auguſt. Epiſt. 3. ad Voluſ.

Eccleſ. 11

Vbi

Vbi tamen, ad noviſſimum ſententiæ iſtius membrum attende. Nam ut admirationis illius magnitudinem diminuat, cetera quoque opera Dei neſciri dicit. Et re verâ, ſi cujuſcumque operis naturalis, non ſuperficiem tantùm noſcitare, ſed fundum ſcrutari velimus, tenebroſam abyſſum tantùm inveniemus & nihil certi ac comprehenſi referemus. *Et reverâ hæc eſt utilitas occultorum operum Dei*, inquit S. Auguſtinus, *ne prompta vileſcant, ne comprehenſa, mira eſſe deſiſtant. Vnde & Scriptura dicit: Sicut oſſa in ventre prægnantis; ita non cognoſcis opera Dei quæcumque faciet univerſa.* Lib.6 c. 7. contra Iul.

Vnde & alibi vetamur in eorum altitudinem & profunditatem curioſè inquirere. *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curioſus.* Ad ingenij autem humani deprimendam, & ut illud obedientiùs in obſequium divinæ fidei captivemus, iſtas ubique operibus ſuis tenebras aſperſit Deus. Aliàs ſtudijs naturalium operam aliquam dare, & aliquòuſque in illa, non ad fundum uſque, in ea velle penetrare, non curioſum, ſed Eccleſiæ Dei, ad hæreſum confutationem, neceſſarium. Hæretici enim undique ſe armant, & res etiam iſtas naturæ in ſui defenſionem rapere ſolent. Et certè videmus, quàm varia ſcientia, de animæ præſertim natura, S. Auguſtino neceſſaria fuerit, in acerrimo illo adverſus Manichæos & Pelagianos conflictu. Itaque virtutem illam admirabilem ſeminis (quæ *numeros tam vivaces, efficaces, & latenter potentes* in ſe continet, ut modò dicebat S. Auguſtinus) imaginor ſtupendum iſtud naturæ opus ſic architectari. Eccleſ. 3.

Vbi ſemen ab utero, aut aliâ causâ ſatis actuatum & fermentatum fuerit, diſcerpitur in partes, & unaquæque pars protruditur, aut ſpontè occupat illum in toto ſitum, quem natura & figura fabricandi corporis flagitat.

Sed a quâ causâ partes ſic moventur, inquies, & tali ordine in toto ſe componunt, ut nullum ingenium humanum imitari, imò ne imaginari poſſit?

Dic tu mihi antè: Quânam de causâ, pars una magnetis Septentrionem, altera Meridem ſemper aſpiciat, & ſi inde

avertas

avertas, perpetuò in eundem ſitum & aſpectum ſe reſtituat? Quare deinde magnete confracto, cuſpis ſeptentrionalis meridionalem à ſe abigit?

Gilbert. lib. de magnet.

Nihil aliud, credo, reſpondere poteris, quàm talem eſſe naturam & naturalem proprietatem magnetis, quam ex illo motu & effectu utcumque intelligimus, etſi ejus rei fundum inſpicere & comprehendere nequeamus.

Cogitemus igitur, in partibus heterogeneis ſeminis, & præſertim in ſpiritibus qui unamquamque partem comitantur, & veluti animant, tales facultates motrices, ex natura & conditione formæ ſubſtantialis, aut temperiei, vel occultarum qualitatum, ineſſe. His facultatibus unaquæque ſeminis pars ad aliam cum qua naturalem cognationem & ſympathiam habet, ſe vertet; aliam verò partem à ſe repellet, quacum hoſtilitatem & antipathiam quandam naturalem exercebit.

Vero etiam ſimile eſt, hanc partium ſeminis commotionem & localem ordinationem, præviâ aliquâ, ad notas vel ignotas qualitates alteratione fieri; quemadmodum Ariſtoteles & experientia docet, actione caloris, ea quæ ſunt ejuſdem generis congregari, ſeparari verò quæ ſunt generis diverſi.

Poſtquam autem ſeminis partes una in ſitu capitis, altera colli, tertia ventris &c. ſunt diſpoſitæ, ſpiritus, præcipuus organorum faber, unicuique parti infuſus, eam alterare & in illam formam transfigurare incipit, quam natura animæ, quæ corporis illius futura eſt inquilina, poſtulat. Nam anima parentis, à quo ſemen deciſum eſt, in officina ad hoc à natura deputata, virtutem non cujuſcumque corporis, ſed talis quale ipſa inhabitat, conformatricem ſemini imprimit; & in eo quoddam novi animalis ejuſdem ſpeciei procudit compendium. Et inde eſt, ut ex ſemine hominis, homo, ex equi, equus, non aliud animal generetur; niſi quodam naturæ adulterio, diverſorum animalium ſemina in unum uterum conijciantur, aut ſemen ſimplex, uteri vitio, ab idea artis deliret; ut quando ex ſemine humano harpia, ſeu Frater Lombardorum gignitur, ut Artic. 11. dictum eſt.

ARTICVLVS VII.

Reijciuntur quæ contra hanc inanimati ſeminis vim conformatricem objci à quibuſdam Medicis ſolent.

MVlta adverſus vim iſtam ſeminis inanimi conformatricem objectant Medici.

Primò, Facultas vitalis eſſet in corpore inanimato, ait Sennertus. Nam prima corporis membra conformare, tam videtur eſſe actio vitalis, quàm eadem poſtea per vitalem accretionem augere.

Reſp. Facultatem illam non magis propriè vitalem eſſe, quàm ſimia ſit homo. Imitatur enim facultatem vitalem, ſed re verâ non eſt.

Si tamen ad actionis vitalitatem ſufficeret, ut principium ejus proximum, etſi vitâ careat, ſit tamen à vivente deciſum, & ut inſtrumentum ab eo ſeparatum, virtuteque ab ipſo acceptâ agat; ſeminis, licet inanimati, actio conformatrix vitalis foret. Sed hoc pacto motus lapidis per aërem projecti manu viventis, eſſet quoque vitalis; ut Fienus non abſurdè in nos regerit.

Fatemur igitur conformationem illam non eſſe proximè, propriè, ac rigore ſummo vitalem; quia vita prima remotè ſolùm & per interjectum inſtrumentum in eam influit. Vnde Ariſtoteles dicit ἔργον τοῦ γεννῶντος *opus generantis* eſſe, conficere vitaliter ſemen. Ipſum verò ſemen eſſe inſtar horologiorum & mirabilium machinarum, quæ αὐτόματα, ſive *ſpontina* appellantur; quarũ unâ parte manu tactâ, in reliquas omnes motus ſucceſſivè ſic continuatur, ut tota machina vivere videatur. Sic enim ſemen, impreſsâ ſibi in officina teſtium, per actionem proximè vitalem, virtute conformatricè, avulſum à genitore, pergit in utero feminæ, materiam fœtûs movere, & moliri ex ea novi animalis conformationem. Quæ proinde actio remotè tantùm vitalis eſt, licet proximè vitali ſimillima.

Convenientiſſimè autem ſapientiſſimus naturæ Auctor

talem ordinem inſtituit, ut ſicut à corporibus inanimatis ad animata, à plantis ad bruta, à brutis ad hominem ſenſim & gradatim in hac rerum univerſitate ſcanditur; ita à facultatibus merè naturalibus ad vitales ſimili ordine aſcenderetur: adeò ut ſupremum ordinis inferioris, ſit tam propinquum infimo ordinis ſuperioris, ut ad utrum ordinem pertineat, difficile ſit diſcernere.

Itaque facultas iſta conformatrix merè naturalis, & formæ quidem inanimæ potentia eſt, ſed talis ingenij, ut operationem vitalem animæ vegetativæ imitetur, & rudimentum aliquod operis inchoët, quod animæ vegetativæ ad perficiendum, in manus quaſi tradat.

Qui ergo ex hac ſimilitudine illius operationis cum vitali animæ operatione, colligunt conformatricem vitaliter operari; ſimili errore errant, quo Thales olim putavit magnetem vivere, quia vitali motu videbatur cuſpidem ſuam, quotieſcumque avertitur, ad Septentrionem iterùm convertere.

Secundò, Plus ingenij habet, inquiunt, iſta conformatio, quàm in actionem inanimati ſeminis non vitalem poſſit competere.

Reſp. Eodem argumento probabimus in araneis, & hirundinibus eſſe animam pluſquàm rationalem; quia tantâ artificij ſubtilitate ſua opera texunt, & fingunt, ut nullum hominis ingenium, omni niſu & induſtriâ, ad perfectionem illam valeat pertingere. Experiatur enim quæcumque artifex hominis manus, An araneorum ſtamina & tramas, An avicularum Lares & cunas, An apum cellaria & favos, pari ungue & artificio circumſcribere & componere valeat. Mentior, ſi valebit.

Natura enim, ſive animata ſit, ſive inanima, à ſapientiſſimo Vniverſi Opifice & Rectore inſtituta & inſtructa, plura & mirabiliora, non tantùm ordiri, ſed etiam pertexere & perficere poteſt, qùàm ullus Archimedes, aut humanum ingenium omni ſtudio & arte, lineamentis etiam adumbrare poſſit.

Nec minùs ſanè mirum eſt, animam vegetatricem (ſive quamcumque aliam placet rudi & inorganico ſemini immittere), ſine-

tere :) ſine inſtrumentis, ſine ullâ ideâ artis, ineffabilem illam animantis machinæ ſtructuram moliri & componere, quàm ſi formæ inanimi ſeminis velis hoc opus imponere. Nam anima vegetativa, aut ſenſitiva, vel etiam rationalis nullo propriè ingenio, intellectu, aut ideâ artis in ſimili opere dirigitur. Et ſi magni Auctores interdum fortè ſic loquantur, metaphorica dictio eſt; quia anima in iſta tam admirabili compoſitione operatur, ultrà quàm excellentiſſimo artifex ingenio, intellectu, & omnibus artis ſuæ ideis utens, poſſet & valeret. *Natura animalis anima eſt*, ait Scaliger. *Ipſa ſibi fabricat calces, dentes, cornua ad vitam tuendam. Itaque ijs utitur, & ſcit quo ſit utendum modo, ſine objecto, aut phantaſia ulla,* Scalig. Exerc 307 §. 29.

Iam verò, ſi abſque phantaſia & propriæ ideæ contemplatione & aſpectu, tale opus anima efficere poteſt; nulla profectò ratio eſt, cur forma quoque ſeminis inanima, per potentiam non vitalem, tantundem; aut ſaltem opus illud idem inchoare primis lineamentis, & monogrammis adumbrare non valeat.

Tertiò, Surculus ab arbore una reciſus, & inſertus in alteram, ab anima, quam ſecum defert, prioris arboris in ramum ſuæ ſpeciei conformatur: ergo ſeminis conformatio fit etiam ab anima.

Sed neganda ſequela. Nam ſicut anima totius arboris ramos, ſtolones, folia, & fructus quotannis novos eijcit & reformat; ita non mirum, ſi animæ, quæ cum ſurculo deciditur particula vim materiam ſuam dilatandi, & in ramos ac folia explicandi, à matre ſua arbore retineat. Hoc enim viventis imperfecti, qualis arbor, proprium eſt, ut animæ pars, poſt reciſionem diu ſupervivat, & vitæ operationes excerceat. Vnde ramos revulſos, & terræ, aut alteri arbori implantatos, recreſcere & fructum referre videmus.

Semen verò non eſt pars arboris, ſed ſuperfluum quoddam recrementum, quod anima quidem caret, ut Artic. I. diximus; ſed tamen vim conformandi, ab anima arboris unde deciſum eſt, retinet.

Quartò, & ferè ſimili argumento: Anima, inquiunt, non

 tantùm

tantùm plantarum, ſed etiam quorundam animalium, partes amiſſas reformat & regenerat; ergo in ſemine anima eadem partes illas primùm formaverat & genuerat.

Antecedens plurimis exemplis oſtendi poteſt. Nam hirundinibus & ſerpentibus exſecti reparantur oculi, lacertis & ſerpentibus amputatæ recreſcunt caudæ, ut Ariſtoteles teſtis, & polypis eroſa, aut defracta brachia *renaſci, ſicut colotis & lacertis caudam, haud falſum,* ait Plinius. Similiter & cancris abruptæ chelæ regerminant.

Ariſt. lib. 2. c. ult. Hiſt. animal. Plin. lib. 9. c. 29.

Et hæc cauſa eſt, cur *cancris fluvialibus chelæ primores adeò inæquales reperiantur*, ait Bodinus, *ut altera juſtam magnitudinem aſſecuta, altera breviſſima videatur; quaſi nunc germinaret.*

Bodin. lib. 3. Theatr.

Fatemur igitur animalibus quibuſdam imperfectis, membra quædam interdum recreſcere ut arboribus, & ab anima quæ corpora illa nutrit, ex abundanti affluentia alimenti reparari; negamus tamen conſequens eſſe, prima membrorum lineamenta, ex ſemine liquido & prorſus informi, ab eadem anima conſcripta fuiſſe. Nam prima membra delineandi, & aliquòuſque ruditer figurandi artem, forma inferior, & animâ ignobilior, quæ in ſemine eſt, noviſſe poteſt: velut Apellis miniſter tabulam conſcribillare, & primum imaginis rudimentum inchoare valet, quam deinde Magiſter perficiat.

Vnde quintò, Iam fermè patet, quid ſolenni iſti argumento reponi debeat: Anima corpus ſuum nutrit, alimentum trahendo, applicando, & figurando, prout forma cujuſque membri poſtulat; igitur prima etiam membrorum rudimenta conformare poteſt & novit.

Sed neganda iterùm ſequelà. Anima enim nutrire poteſt membra ſui corporis, quia organa & inſtrumenta jam habet, quibus vitaliter id facere poſſit: forma verò quæ prima membrorum lineamenta ducit, ſine organis, more formarum inorganicarum, hoc agit; ſicut ignis ſubterraneus metalla coquit, aut magnes ferrum trahit. Facultates verò quibus anima operatur, organicæ ſunt, & organis ad uſum ejus conformatis inſidere debent; quia dignitas animæ vegetativæ & ſenſitivæ talibus miniſtris, in omni operatione ſua vitali indiget.

Sextò,

Sextò, Si in ſemine inanimo ſit virtus conformatrix; ergo inquient, ubi ſemen maris & feminæ (ut in animalibus perfectis) ad generationem neceſſarium eſt, duplex quoque erit vis conformatrix; quarum una alteram, in opere conformandi impediet & obturbabit.

Sed argumentum hoc fortiùs in Argenterium, Scaligerum, Sennertum, & alios regeri poteſt, qui animam inſerunt liquido, nec adhuc ex vaſis ſuis effuſo ſemini. Nam ſi paternum ſemen animam ſuam habet, non eſt ratio, cur maternum ſemen ſuâ careat. Semina igitur duo in utero permixta, duas animas conformatrices habebunt, quarum una alterius opus confundet, aut interpellabit. Deinde in unico fœtu duæ ſemper animæ, confuſione quadam monſtroſâ, inerunt, quarum una à patre, altera à matre deciſa fuerit. Quale abſurdum nullum ſequitur, ſi ſemina parentum inanimata eſſe dicamus.

Igitur in ſemine duplicem conformatricem concedimus. Semen enim matris ſpiritus etiam ſuos conformatores, etſi tardiores ac invalidiores habet. Hi inter ſe commixti, & calore ceteriſque uteri qualitatibus confermentati, ſe invicem in opere conformationis adjuvant. Et ſæpe ſpiritus materni ſeminis tantum valet, ut ſexum & figuram corporis in ſimilitudinem matris trahat. Pugnam enim aliquam inter utrumque ſpiritum, dum unus patri, alter matri ſimilem prolem temperare & figurare contendit, Ariſtoteles admittit. Ac apertè *κίνησιν motum*, & actionem à ſemine quoque materno in opus conformationis conferri, Lib. 4. c. 3. de generat. animal. docet, & aliquoties repetit. Vnde prout paterni, aut materni ſeminis (quod faciliùs evenit, ubi mater juvencula, & pater ſeniculus) activitas vicerit, in hujus, aut illius ſimilitudinem opus conſtrui dicit. Aliquando verò mutuas vires hac pugna & contentione *ita confundi, ut proles nemini ſuorum majorum ſimilis prodeat, ſed commune tantùm relinquatur, quòd homo ſit.* Ariſt. lib. 4. c. 3. de generat. animal.

Vnde exiſtimo non uſquequaque verum, quod Ariſtoteli tribui ſolet: Matrem tantùm paſſivè ad conformationem & generationem prolis concurrere. Nam etſi ſic quandoque

loquatur, id ſolùm comparatione majoris activitatis ſeminis paterni intelligi debet: quomodo inter qualitates primas ſiccitatem & humiditatem paſſivas appellat; quia licet otioſæ non ſint, languidius tamen agunt, quàm calor & frigus, quas idcirco qualitates activas vocat. Dicit deinde, ex ſemine ac ſanguine matris materiam, ex ſemine patris cauſam efficientem ſubminiſtrari fabricandæ proli; non tamen quia pater nihil materiæ, vel mater nihil efficientis activitatis conferat, ſed quia materiam affatim convehere, præcipuum eſt matris munus, fabrum verò agere & architectari maximè eſt patris. A principali autem, ut ſolet, denominationem ſumit.

Et ſanè, niſi aliqua ſemini matris detur etiam activitas, ut Galenus advertit & urget, nulla ſolida eſt ratio, cur tam ſæpe prolem (feminea, ſive maſcula ſit) in totum, aut in partem, lineamentis matris deſcriptam videamus. Sicut enim non ceruſſa, aut purpuriſſum, ceteræque materiæ quibus pictores colorant ſuas imagines, ſed artifex penicillus lineas ducit, & figuram vultûs ac membrorum in imaginem circumſcribit; ita in formatione fœtûs, ſi mater nil niſi materiam inactuoſam & inertem ſuppeditet, nec ſpiritus ſeminis ejus quidquam agat; nulla profectò eſt cauſa, cur figura vultûs materni corporis proli imprimatur.

Quod enim quidam dicunt, ideas aliquas figuræ materni vultûs in ſemine feminino velut ſupernatare, quas in elaborando & plaſmando fœtu, vis conformatrix ſeminis virilis aſpicit, ut ad earum ſimilitudinem vultum prolis exprimat; vanum & ridiculum apparet: cùm virtus plaſtica bruti, aut humani corporis non magis utatur phantaſmate in opere ſuo, quàm virtus plaſtica arboris, cujus anima, in omni vegetativa ſua operatione, ſenſu & phantaſiâ caret, qua ideam intueri poſſit.

ARTICV-

ARTICVLVS VIII.

Vis formatrix quæ eſt in ſemine animalis, poſt inductam animam vialem vegetativam, uſque ad formam membrorum animalis, materiam conformare pergit.

QVia enim unumquodque animal, ad ſpeciei ſuæ propagationem ſemen excoquere & perficere ſtudet; ideo non ceſſat donec talem ei virtutem incoxerit, quæ non tantùm prima & rudia animæ vegetatricis inſtrumenta cudere ſciat, ſed etiam ut opus ſuum uſque ad fabricationem inſtrumentorum animæ ſenſitivæ continuare norit & valeat. Et hæc eſt cauſa, cur Ariſtoteles, S. Thomas, Scotus, & maximi quique Philoſophi ac Medici animam vegetativam, & deinde ſenſitivam prodromas (quas aliqui viales appellant, quia via ſunt, aut viam ſternunt ad ulteriorem animam) adventui animæ rationalis præmittant. Quandoquidem enim vis illa ſeminis organifica non ſtatim organa pro animæ rationalis dignitate conflare & perpolire valeat, ſed antea per rudimenta quædam organorum (quæ tamen inferioribus animabus introducendis ſufficiant) limam & aſciam ducere debeat; neceſſe eſt, & naturę ordo flagitat, ut inferiores iſtæ animæ antegrediantur, & corpus ſemiforme ſubeant ante nobilioris animæ ſuperventum.

Hanc Philoſophiam tradere putatur Ariſtoteles, cùm ait: *Animam vegetativam in ſeminibus & conceptibus nondum ſeparatis haberi potentiâ ſtatuendum eſt, non actu; priuſquàm eo modo quo conceptus qui jam ſeparatur, cibum trahant, & officio ejus animæ fungantur. Principio enim hæc omnia vitam ſtirpis vivere videntur. De anima quoque ſenſitiva pari modo dicendum eſt; atque etiam de intellectuali. Omnes enim potentiâ priùs haberi, quàm actu neceſſe eſt.* Ariſt. lib 2. c. 3. de generat. animal.

Vnde paulò antea dicebat: *Animam ſenſitivam quâ animal eſt, tempore procedente recipi, & rationalem quâ homo, certum eſt. Non enim ſimul & animal fit & homo, nec animal & equus. Eodemq; in ceteris*

ceteris animalibus ratio eſt. Finis enim poſtea contingit.

Et eidem Philoſophiæ clariſſimà expoſitionis face lucem D. Thomas affundens: *Formatio corporis*, inquit, *præcipuè quantum ad primas & principales partes, non eſt ab anima genita, nec à virtute formativa agente ex vi ejus, ſed agente ex vi animæ generativæ patris; cujus opus eſt, facere ſimile generanti ſecundum ſpeciem. Hæc igitur vis formativa eadem manet in ſpiritu prædicto, à principio formationis uſque ad finem. Species tamen formati non manet eadem. Nam primò habet formam ſeminis, poſtea ſanguinis* (ſanguine ut interpretor, per umbilicum embryonis, ad carnium & parenchymatum formationem attracto, & ſemini permixto) *& ſic deinde, quòuſque veniat ad ultimum complementũ. Licet enim generatio ſimplicium corporum non procedat ſecundum ordinem, eo quòd quodlibet eorum habeat formam immediatam materiæ primæ; in generatione tamen corporum aliorum oportet eſſe generationum ordinem, propter multas formas intermedias inter primam formam elementi, & ultimam formam, ad quam generatio ordinatur: & ideo ſunt multæ generationes & corruptiones ſeſe conſequentes.*

D. Th. lib. 2 c. 89. contra Gent.

Et reſpondens ijs, qui aliquid abſurditatis in iſta generationum & corruptionum continenti ſucceſſione, miſceri imaginabantur: *Nec eſt inconveniens*, ait, *ſi aliquid intermediorum generatur, & ſtatim poſtmodùm interrumpatur; quia intermedia non habent ſpeciem completam, ſed ſunt ut via ad ſpeciem: & ideo non generantur ut permaneant, ſed ut per ea, ad ultimum generatum perveniatur.*

Ac paulò pòſt: *Quanto igitur*, inquit, *aliqua forma eſt nobilior, & magis diſtans à forma elementi, tanto oportet eſſe plures formas intermedias, quibus gradatim ad ultimam venìatur. & per conſequens, plures generationes medias. Et ideo in generatione animalis & hominis, in quibus eſt forma perfectiſſima, ſunt plures formæ, & generationes intermediæ, & per conſequens, corruptiones; quia generatio unius eſt corruptio alterius.*

Ac tandem concludens: *Anima igitur vegetabilis, quæ primò ineſt, cùm embryo vivit vitâ plantæ, corrumpitur; & ſuccedit anima perfectior, quæ eſt nutritiva & ſenſitiva ſimul: & tunc embryo vivit vitâ animalis. Hac autem corruptâ, ſuccedit anima rationalis ab*

extrinſeco

extrinſeco immiſſa, licet præcedentes fuerint virtute ſeminis.

Eant nunc Medici quidam, qui tantæ abſurditatis arceſſunt & inclamant Peripateticam iſtam animarum ſucceſſionem, cui vultum adeo probabilem Doctor Angelicus appinxit.

Et addere Subtilem Scotum ei poſſumus, qui illam animarum ſibi gradatim ſuccedentium ſcalam etiam ſtruit. *Conſtat enim*, inquit, *naturam in ſemine non ſiſtere, ſed ulteriùs procedere, & aſcendere uſque ad ultimam formam perfectam.* Scot. in 4. d. 18.

Hæc quoque plurimorum Medicorum eſt ſententia. Nam vero ſimile non eſt, ſemen primam ſuam formam ſubſtantialem adhuc retinere, quando in utero, non tantùm coagulatum, fermentatum, & cruſtulâ ſuâ obductum eſt; ſed initialibus etiam partium omnium ſpermaticarum ſtaminibus conſcriptum eſt, & ex reliquo ſemine, cui innatat, tenue quoddam (ut Fienus & alij quidam exiſtimant) ſugit alimentum.

Vnde tunc formæ ſeminis, formam aliam ſucceſſiſſe neceſſarium eſt; quæ non profectò alia quàm anima quædam vegetativa eſſe poteſt. Cui deinde, perfectione & politurâ operis procedente, anima ſenſitiva, ac poſtremò rationalis ſuccedat; ſi architecturam hominis natura moliatur. Nam materiam rudem omnino & impolitam, animæ rationalis incapacem eſſe, rationibus, & Scripturis ſacris antea probavimus.

Huic etiam animarum ſucceſſioni, ex doctrinâ Hippocratis à Galeno traditâ, lux aliqua affulgebit.

Totum hoc conformationis opus, ait Laurentius, *admirandus Hippocrates, ut refert Galenus Lib. 1. de ſemine, quatuor diſtinxit temporibus. Primum tempus, id eſt quo ſeminis ſpecies præpollet, γονὴν appellat. Nihil enim præter ſemina coagulata, & cruſtulâ obducta videas. Secundum, κύημα* (id eſt conceptus, aut germen) *vocat; quo rudis partium quædam adumbratio, & moles quaſi carnea conſpicua eſt. Tertium, quo trium principiorum, & partium omnium ſpermaticarum prima ſtamina cernere licet. Eam animalis conſtitutionem* ἔμβρυον, ſive embryonem *vocat. Quartum & poſtremum, cùm perfecta eſt partium diſcretio deſcriptioque. Tunc* παιδίον καὶ Andr. Laurent. lib. 8. c. 5. Anat.

K χοῦρον.

κοῦρον, *id eſt puerulum, & infantem appellat.*

Primo tempore, negat, ut videtur, Ariſtoteles ſuprà citatus, animam vegetativam eſſe *ἐνεργείᾳ actu* ſed tantùm *δυνάμει potentiâ*, in ſemine (ſeu *γονῇ genitura*) coagulato & cruſtulâ ſuâ obducto. Vnde totum iſtud primi temporis opus, à virtute inanimâ ſeminis eſt, nondum ab anima.

De tempore quoque ſecundo, ſive *κυήματος conceptûs*, levi partium adumbratione ſignati, idem dicit. Quod proinde etiam primæ adumbrationis rudimentum, ad eadem ſola virtute conformatrice inanimati ſeminis, fabricatum eſſe oportet.

Attamen eo rudimento abſoluto, anima vegetativa (ita imaginari lubet) domicilium iſtud qualequale ſubintrat; & dum ſibi illud perficere ſtudet, animę ſenſitivę paulò pòſt ſuperventuræ, id eſt hoſti à quo expellenda eſt, domicilium parat. Sic in bellis noſtris fieri videmus. Gallus Landracum, Armenteriam, Cominum, Dyxmudam à ſe captas novis operibus cingit, loricat, & munit; pro ſe quidem, ſed quæ Hiſpano ſerviant, poſtquam ille depulſus fuerit.

An. 1647.

Supervenit autem hæc anima ſenſitiva in fine ſecundi temporis, quando *κυήματι conceptui* ſuccedit *ἔμβρυος embryo*, trium principiorum cerebri, cordis, jecoris, & omnium partium ſpermaticarum ſtaminibus lineatus & deſcriptus.

Vbi verò anima ſenſitiva corpuſculum embryonis ſubijt, illicò etiam opus antecedentis animæ continuat, & ſibi quoque ſtudens, operas ſuas & domeſticam totam ſupellectilem animæ rationali relinquit, quæ circa terminum tertij temporis ei ſuccedit, quando ex ſenſitivo embryone fit *iſchon* ſive *virunculus*, ut Hebręi vocant, ſive *παιδίον puerulus*, ut Septuaginta Interpretes & Hippocrates vocant, id eſt embryo rationalis.

Exod. 21.

Sic mihi, Lector, ex infinita opinionum, quà Philoſophorum, quà Medicorum farragine, me expedire viſum fuit: ſi quis certius aliquid attulerit, manum extendimus, & libenter recipiemus. Harum quoque rerum Lib. II. c. VI. Art. XIV. XV. XVI. XVII. mentio redibit.

Notanda denique magna varietas celeritatis, in diverſo-

rum.

rum animalium tam viviparorum, quàm oviparorum conformationibus. Non enim omnia æquali tempore uterum geſtant, aut incubant ovis. Ocyſſimè autem conformari videntur, quæ in nullius uteri, aut ovi officinâ excoquuntur; ſed foris ex putri, quiſquilijs, vaporis & exhalationis, aquæ cæleſtis & pulveris mixturâ, admirabili prorſus naturæ agilitate deproperantur. Sic enim infinita muſcarum, & aliorum inſectorum eburriunt examina: veluti murium (ut illi qui An. 1617. agros in Belgio vaſtaverunt) exercitus, aut ex uno in fervidum pulverem deciduo imbre, ranunculorum myriades. Talium autem animalium extra uterum, tanta naturæ celeritate gregatim figuratorum, par ſolet eſſe corporis modus ac menſura; ut nullus inter ipſa pater aut mater agnoſcatur, ſed omnia ejuſdem ævi, & parentis cæli filios eſſe intelligantur. Quo, opinor, argumento Io. Bodinus, Oceani noſtri Zelandici haringos, ſine ſemine, ſed ex ſale & cælo fermentari perficique exiſtimavit.

In iſta tamen haringorum nativitate aliquid eſt quod vicem ſeminis ſubit. Nunquam enim talis generatio ex crudis immediatè elementis fieri poteſt, ſed occultum aliud ſemen ex elementorum primordijs temperatum fermentatumque, agente maximè ſole, lunâ, alijſve cæli ſideribus, aut calore ignis, intercedere debet.

Vnde ne quidem prima quadrupedum reptiliumque ex terra, volucrum piſciumque ex aqua productio, ex crudâ terræ vel aquæ materiâ, ſed excoctis antea ad iſta opera varijs ſeminibus, facta fuit. Ideoque dixit Deus, *Producat terra* Gen. 1.
beſtias terræ, & *Producant aquæ volatile, & cete grandia*: quia videlicet duo iſta elementa complexu ſuo fovebant ſemina, unde animalium iſtorum examina mox ebullierunt. Dicit hoc ſcitè & profundè omniſcius Auguſtinus: *Omnium rerum*, ait, *quæ cor-* Lib. 3. c. 8.
poraliter viſibiliterque naſcuntur, occulta quædam ſemina in iſtis corporis Mundi elementis latent. Alia ſunt enim hæc jam conſpicua oculis noſtris, ex fructibus & animantibus, alia verò occulta iſtorum ſeminum ſemina. Vnde jubente Creatore produxit aqua prima natatilia & volatilia, terra autem prima germina, & prima ſui generis

animalia. Neque enim tunc huiuſcemodi fœtus ita producti ſunt, ut in eis quæ producta ſunt, vis illa conſumpta ſit; ſed plerumque deſunt congrua temperamentorum occaſiones, quibus erumpant, & ſpecies ſuas peragant.

Sic etiam, quando Deo permittente, dæmones muribus, locuſtis, erucis, alijſve animalium inſectis agros & ſpes agricolarum depopulari volunt, ſemina ejuſmodi præparant, quæ ſoli & cælo concoquenda & fermentanda exponunt. Vnde cum illi murium greges per totum fermè Belgium, Anni 1617 Autumno eruperunt, veneficæ teſtatæ ſunt, ſe ſaccos medicati cujuſdam pulveris à dæmonibus accepiſſe, quem per agros ſpargerent.

Exod. 7. 8. Sic etiam Magi in Ægypto Moyſen imitati, operâ dæmonum, ſerpentes & ranas mirâ & præcipiti naturæ feſtinatione Lib. 3. c. 9. Trin. produxerunt; *ut ea,* ait S. Auguſtinus, *quæ ſecreto naturæ ſinu abdita* (tanquam ſemen in utero) *contuebantur, erumperent; explicando menſuras & numeros & pondera ſua, quæ in occulto acceperant ab illo, qui omnia in menſura & numero & pondere diſpoſuit.*

ARTICVLVS IX.

Iul. Scaligeri & aliorum de ſucceſſione animarum dubitationes diſſipantur.

Scalig. Exerc. 290. VArijs dubitationibus adverſarium ſuum Cardanum Scaliger, ſuper iſta animarum ſucceſſione exagitat. *Quæritur,* inquit, *an hæ animæ ſint eiuſmodi, ut prima non abeat ſed à ſecunda ſupergrediente contineatur, tum à tertia ſecunda; quaſi lamellarum orbes, quibus cepe conſtant. An ſubeuntis acceſſu prior deleatur, tum à ſecunda prima, tum ab ultima ſecunda.*

Reſp. Hoc poſtremum eligimus Iuli Scaliger, & priorem ſemper à poſteriore deleri dicimus.

Ergo, inquit, *deleta prima anima, fœtûs morietur, rurſuſq́; naſcetur in ſecunda. Qua deſtructa, rurſus miſer interibit; tertioq́; orietur in poſtrema.*

Reſp. Acumen & ſubtilitatem tuam hîc deſidero mi Scaliger.

liger. Non enim magis eſt idem fœtus qui moritur, & reſurgit; quàm idem animal, quod in erucâ aut bombyce vitam amittit, & reſumit in papilione. Multi enim credunt animam animæ hîc proximè ſuccedere, & pedeſtrem erucam in papilionem volucrem ac diverſæ ſpeciei transformari. Pomponatius certè, nec ſolus, id affirmat. *Experimento & ex Hiſtoriis animalium ſcimus*, inquit, *unum animal transformari in aliud immediatè, ut erucam in papilionem, ex verme in volatile animal.* Pomponat. lib. de Incant.

Fœtus igitur vegetativus tantùm, non eſt ejuſdem ſpeciei cum ſenſitivo. Nec magis abſurdum eſt, tot animarum ſucceſſiones intra breve illud tempus (quo in utero, aut extra uterum, fœtus raptim conformatur) admittere; quàm formarum inanimarum ſtrenuiſſimas tranſmutationes, quando ex ligno arido fit ſubitò flammma, quæ illicò extinguitur in fumum, & fumus mox vertitur in aërem. Sic in corpore noſtro, chylus illapſus in jecur ſtrenuè tranſit in ſanguinem, ſanguis cordi infuſus, in ſpiritum vitalem, ſpiritus vitalis cerebro illatus, in ſpiritum animalem.

Sed quod maximè arduum æquè ac miſerum eſt, addit Scaliger: *In prima generatione non generabitur Cæſar Dictator, ſed beta, aut lactuca.*

Reſp. Minimè id miſerum, aut metuendum. Fœtus enim vegetativus unde Cæſaris conformatio inchoatur, non eſt beta aut lactuca, fungus aut pepo. Non enim creſcunt tales fructus in horto, ſed coquuntur in utero. Eſt igitur aliud quoddam, animâ quidem vegetativâ, ſed viali ac tranſitoriâ, non fixâ ac permanente vivens: non opus naturæ perfectum, ſed futuri operis rudimentum. Quod non magis eſt Cæſar, quàm Mercurius, ſal, & ſulphur ſint aurum Chymicorum. Nam in alembicis, & metallicis quoque fodinis natura per multas rudimentorum metamorphoſes, ad perfectum & ſolidum metallum tandem pertingit.

Similiter, nec embryo ſenſitivus aliud, quàm viale & fugitivum animal eſt. Nec Scaliger, aut alii quidam mirari debent, ab Ariſtotele aut Plinio in certam aliquam animalium, ut terreſtrium, volucrium, aut natatilium claſſem non redigi; quia

nunquam gradientem in terrâ, volantem in aëre, aut natantem in aqua viderant. Sicut neque Dioſcorides, aut Hortulani inter olera ſua, fœtûs vegetativi meminerunt; quia inter pepones, cucumeres, & melones quid ſimile non animadverterunt. Non enim ad ſolem matureſcit in horto, ſed coquitur in utero. Animalia igitur & plantæ, quæ in claſſes olim digeſta, perfecta ſunt, & animas in termino, non viales habent.

Bodin. lib. 2. Theatr.

Non malè tamen, nec ad hanc rem ineptè Bodinus, corpus naturale dividit *in inchoatum, & perfectum. Hoc quidem*, ait, *formam perfectam eſt aſſecutum. Illius autem materia ad formam perfectiorem tendit; ut ſemen progerminans, & metallica rudimenta.* Semini autem embryonem utrumque, tam vegetativum quàm ſenſitivum potuit accenſere. Nihil enim aliud ſunt, quàm ſemen quoddam paulò decoctius & elaboratius. Et licet formam ſubſtantialem primi & inanimati ſeminis exuerint, ac animam induerint; iſta tamen anima ſolum eſt vialis, quæ corpus naturale inchoatum tantummodo conſtituit, in quo natura terminum ſuæ operationis non tigit, ſed per illud tanquam per ſemen, ad fabricam corporis ulterioris tendit.

Sed homo hoc pacto, non hominem proximè generabit, ſed *betam vel lactucam*, vel quid ſimile de genere vegetativorum, ut Cardano ſuo ſtatim Scaliger objectabat.

Ariſt. lib. 2. c. 1. de gener. animal. S. Tho. 1 p. q. 78. a. 2.

Reſp. Generativa vitalis actio generantis, ad formam ſeminis, quod intra corpus generantis coquitur, non autem ad novum corpus vivens proximè terminatur. Nam *conficere ſemen eſt opus generantis*, ait Ariſtoteles. Vnde S. Thomas facultatem illam ſeminificam, potentiam generativam meritò appellat. *Oportet*, inquit, *eſſe aliquam potentiam rei viventis per quam ſemen præparetur; & hæc eſt vis generativa.* Terminus autem remotus eſt embryo vegetativus, deinde ſenſitivus, ac denique rationalis. Per iſthæc enim novi hominis præcedentia rudimenta, activitas humani ſeminis, non impedita, ad humanum & rationalem embryonem tandem pervenit. Nec hoc magis abſurdum, aut mirum eſt, quàm ab anima humana primùm in ventriculo chylum, deinde chymum in jecore,

poſtea

poſtea rorem, gluten, ac cambium in unoquoque membro coqui & formari, antequam alimentum in partem ſui corporis animâ rationali animatam convertat.

Objectant verò alij: Cur ergo etiam in hominis nutritione, per animas vegetativam & ſenſitivam non tranſitur ad rationalem; cùm nutritionis & primæ conformationis eadem videatur eſſe ratio?

Reſp. Non eſt ratio eadem. Nam prima conformatio novo homini integrum domicilium parat; quod variâ membrorum ſupellectile, ex parvula particula materię ſeminis inſtrui debet. Deinde ſingula membra fœtûs nutriri & creſcere, ſecundum harmonicas quaſdam proportiones oportet; quod ſine anima vegetativa fieri non potuit. Animam quoque ſenſitivam deinceps ſuccedere neceſſe fuit, ut virtuti conformatrici ſeminis, adjumento eſſe poſſit, in figurandis & perpoliendis organis, quibus anima rationalis ad uſum & operationes ſuas vitales humanas indiget. Embryo enim ſenſitivus humanus componitur ex tali formali expreſſaque animâ ſenſitivà, qualem anima rationalis eminenter & virtute in ſe continet; ideoque artem, ut ſic dicam, novit talia membra conformandi & perpoliendi, qualibus anima rationalis utitur in operationibus ſuis ſenſitivis. Quanquam, ut dubitationem meam hîc non celem, quam Lib. II. Cap. VI. Artic. XVII. pluribus expandemus; non tanta videatur mihi eſſe neceſſitas, animam peculiarem ſenſitivam, inter vegetativam & rationalem interponendi, quanta ponendi vegetativam, quæ opus à facultate conformatrice inanimati ſeminis inchoatum promoveat. Nam fortaſſe ejuſmodi anima vegetativa ſufficiens eſt ad promovendam eouſque conformationem humani corporis, donec domicilium, & univerſa organorum ſupellex, ad animę rationalis inhabitationem idonea, fabricata ſit; niſi quantum perfectionis deeſt, quod ſola virtus ſeminis ſuperaddere debet, ut animam illam vitalem abigat, & animam ſuperiorem introducat.

Quod enim quidam objiciunt, Animam vegetativam non callêre artem fabricandi inſtrumenta pro operationibus ſenſitivis; facilè negari poteſt, ſi loquamur de ejuſmodi anima

vegetativa, quæ ultima non eſt, ſed ad alteram eſt vialis, eique famulatur & ſubſervit: ſicuti faber ferrarius novit artem cudendi malleum, aut ſecurim, quam faber lignarius ad ſuum opus adhibet. Et ſanè, gradus animæ vegetativæ in anima rationali incluſus, omnia hominis membra nutrit, ſervando figuras, proportiones, & temperies omnium, quas anima rationalis in omnibus operationibus ſuis ſenſitivis & rationalibus exigit. Hoc enim flagitat ratio & eſſentia illius animæ, quæ naturâ ſuâ ſubalterna eſt, & famulatrix animæ ſuperioris.

Attamen ſucceſſio animæ ſenſitivæ vialis, etiam in brutorum generationibus ſuſtineri poteſt, propter S. Thomæ, Scoti, & Ariſtotelis auctoritatem; qui diſertè ait: *Non ſimul fit animal & homo, neque animal & equus.* Vnde videntur eſſe quædam notæ aut ignotæ diſpoſitiones, quas anima ſenſitiva vialis introducere debeat; nec ad hoc animâ vegetativâ vialis, vel ſola virtus ſeminis (niſi adjuta ab anima viali ſenſitiva) ſufficiat.

Ariſt. lib. 2. c. 3. de generat. animal.

In nutritione verò nulla animarum vialium ſucceſſio, aut interpoſitio neceſſaria eſt; quia chyli, chymi, roris, glutinis, cambij transformationes (quæ nutritionem & inductionem animæ rationalis in materiam alimenti antegrediuntur) animarum vicem ſupplent, ſufficienterque materiam illam præparant ac diſponunt, ut in fine animam rationalem ſuſcipiat. Nulla enim hîc partium alimenti organica conformatio prærequitur; ſed ipſa anima rationalis, quæ eſt in membro quod alitur, ſecundum illam figuram quam membrum exigit, alimentum agglutinat, fingit, figulat, & circumponit.

Si autem doctrinam jam traditam attente legiſti, fugit quoq; & evaneſcit illa difficultas, quam quidam pro magna & inſuperabili habent: Quòd anima vialis ad ſui deſtructionem operari videatur, quando animæ ſecuturæ locum parat. Nam illa adveniente, cedere loco, & perire debet.

Verùm, anima vialis non inducit ultimas diſpoſitiones ad introductionē animę ſuperioris; ſed hoc facit ſpiritus ſeminis, primorū lineamentorū artifex, qui toti materiæ embryonum infuſus, non ceſſat provehere & expolire ſuum opus, donec ad ultimam diſpoſitionē illius ſuperioris animæ perveniat, cujus

eſt ſemen

eſt ſemen. Ideo enim anima rationalis in corpore patris fabricat ſemen, ut hoc ſit inſtrumentum propagationis ſpeciei ejus; nec ut opus conformationis inter imperfectos & viales embryones hæreat, ſed ut illud uſque ad introductionem animæ rationalis perducat. Vnde figuras & temperamenta embryonum ſupergreditur, & *diruit*, *ædificat*, *mutat quadrata rotundis*, operaſque priores tanquam perfunctorias & viales deſtruit, ut ad finem ſuum & operis culmen pertingat.

Sed peracto opere, quò ſpiritus ille fabricator cum virtute ſua conformatrice evadit? inquiunt.

S. Thomas objectionem olim prævidit, & reſpondet: *Virtus activa quæ erat in ſemine, eſſe deſinit diſſoluto ſemine, & evaneſcente ſpiritu qui inerat. Nec hoc eſt inconveniens: quia vis iſta non eſt principale agens, ſed inſtrumentale. Motio autem inſtrumenti ceſſat effectu jam producto in eſſe.* S. Tho. 1. p. q. 118. a. 1.

Alibi tamen aliquid aliud (etſi Cajetanus utrumque in concordiam redigere conetur) & fortaſſe magis Medicum & verum, reſponderat: *Virtus formativa quæ in principio eſt in ſemine*, ait, *manet adveniente etiam anima rationali; ſicut & ſpiritus, in quos ferè tota ſubſtantia ſpermatis convertitur, manent. Et illa quæ fuit priùs formativa corporis, fit poſtmodum corporis regitiva. Sicut etiam calor qui fuit diſpoſitio ad formam ignis, manet forma ignis adveniente, ut inſtrumentum formæ in agendo.* S. Tho. q. 3. a 9. de potent.

Hoc eſt quod Medici quidam dicunt, ſpiritum ſeminis verti in humidum primigenium corporis, fieríque inſtrumentum animæ ad operationes vitales chylificationis, nutritionis &c. Nec enim ſpiritus ille fugax eſt & volatilis, ſed pinguiculus & lentus. Quomodo enim aliàs in utero, ut operi ſuo incumbat, nec illud imperfectum deſerat, contineri poſſet? Vnde ſemen craſſum, pingue, & minimè dilutum ſeroſumque generationi eſt maximè idoneum. Et inde ratio Ariſtotelis, cur ſemen ebrioſorum ſit plerumq; infecundum: quia *non quodlibet humidum*, ait, *ſed quod conſiſtens craſſumq́; eſt ſemen, hoc vim procreandi obtinet.* Sed Fernelium hic audiviſſe juvabit: *Non enim*, inquit, *ut multi Ariſtotelem interpretantur, ſpiritus evaneſcit, aut avolat à ſemine, ſed in eo perſiſtit, omnium partium conformator & opifex; in quibus ra-* Io. Freitag. Ariſtot. Sect 3. Problem. Fernel. lib. 7. c. 9. de procreat. hom.

dicitus ac penitus inhærens, prima fit partium omnium natura. Haſq; ubi conformaverit, poſtea ſemper aſſiſtens, in omnem vitam, quantum poteſt, diutiſsimè & ſaluberrimè conſervat. Itaque hic ſpiritus, non modò primum vehiculum & inſtrumentum eſt procreatricis facultatis (in eo enim conſtituta eſt ſumma illa divinaq; vis conformandi), ſed etiam reliquas omnes naturales, quibus nutrimur & augemur, earumq; auxiliarias is unus in ſe omnes ſuſtinet & comprehendit.

Denique, non tantùm eſt inſtrumentum animæ ad veterum partium nutritionem, & circumponendum ijs alimentum eâ figurâ & artificio, quo olim à ſpiritu illo ſeminis conformatæ ſunt; ſed etiam ad nova interdum membra figulanda figurandaque: ut cùm homini dentes, bobus & cervis cornua extruduntur; aut reciſæ quibuſdam partes, ut brachia polypis, chelæ cancris, caudæ ſerpentibus & lacertis recreſcunt & reformantur.

CAPUT III.

De diviſione animæ in vegetativam, ſenſitivam, & rationalem.

ARiſtoteles, & paſſim alij poſt eum, animam in vegetativam, ſenſitivam, & rationalem dividunt. Diviſionis autem ſufficientia ex hac S. Thomæ doctrina intelligi poteſt.

S.Th. 1. p. q. 78. a. 1. Anima enim eſt talis forma corporis, quæ actione directâ immanente, in compoſitum ſuum agit, & illud perficit; eaque ratione à formis ſubſtantialibus inanimatorum diſtinguitur, ut Cap. I. Art. X. ſatis diſputatum fuit.

Hic autem modus agendi, & reflexâ in ſuppoſitum ſuum actione ipſum perficiendi, indicat majorem quandam eminentiam talis formæ ſupra corpus, quam forma terræ, lapidis, aut cujuſlibet corporis inanimati ſupra corpus ſuum inanimũ obtineat: cùm non illud aliqua actione perficiat, aut moveat, ſed omnis motus qui in illud corpus cadit, externo alicui agenti prinpaliter attribui debeat.

Vel ergo anima compoſitum ſuum perficit, non tantùm per poten-

potentias corporeis organis inhærentes, ſed etiam per qualitates primas elementares, corporum inanimatorum proprias, tanquam per cauſas inſtrumentales. Et infimum genus animæ, inanimatorum formis maximè vicinum & cognatum habemus: quam animam vegetativam vocamus. Hæc enim per calorem, frigus, & totam qualitatum primarum temperiem, alimentum alterat, & in ſubſtantiam ſui corporis convertit.

Alia anima, etſi organis corporeis, tam ipſa quàm omnes potentiæ ejus naturales inſideant, & à corpore ſuſtententur; in operationibus tamen ſibi proprijs, non utitur qualitatibus primis, ſecundum materialitatem, & conditionem illam quodammodo, ut ſic dicam, pinguiorē, qua ipſæ elementa, & corpora inanimata temperant; ſed quibuſdam alijs qualitatibus corporalibus, in quandam veluti ſpiritualitatem extenuatis. Quod ſignum eſt, animam talem ad formā ſpiritualē propius, quàm animam vegetativam, accedere. Et iſta eſt anima ſenſitiva; quæ in videndo, audiendo &c. ſpeciebus ſenſibilibus, tanquam inſtrumentis utitur.

Denique eſt tertia anima, quæ nec ipſa, nec potentiæ ei propriæ ab organis corporeis dependent. Et hæc eſt anima rationalis.

Ad genus animæ ſenſitivæ reduci debet anima Zoophytorum, ſive plantanimalium. Licet enim Zoophyta terræ, velut arbores, radicitus defixa ſint, & terreſtre alimentum ſuctu eliciant; ſi tamen pungas, ſenſum & dolorem contractione teſtántur. Inter Zoophyta ſunt ſpongiæ, & urticæ marinæ; imò Ariſtoteli etiam oſtrea: Nam *plantæ*, ait, *ſunt quaſi oſtrea terrena, & oſtrea ſunt plantæ aquatiles.*

Genus enim iſtud cruſtaceorum non graditur, aut ſerpit, ſicut domiportæ, ſed motum ſolum dilatationis & contractionis habet intra ſuam cochleam.

Ad Zoophyta quoque pertinet arbor Indica, quam incolæ Pudicam vocant, ut narrat Iul. Scaliger; *quæ appropinquante homine vel animali ramos conſtringit, recedentibus pandit. Quapropter*, inquit, *aut afflatum percipere dicendum eſt, aut radicis, propter ſoli motum, compreſſionem agitationemve.* Scaliger Exerc. 181. §. 28.

Sicut autem hoc animal figurâ induitur arboris; ita Tartaricus frutex, quem Borametz, id eſt Agnum appellant, eſt mera planta ſimilitudine animalis. *Creſcit enim*, ait Scaliger, *agni figurâ ad pedum ferè ternûm altitudinem; quem pedibus, ungulis, auribus, toto capite, præterquàm cornibus, repræſentat. Pro cornibus pilos gerit, ſingularis cornu ſpecie. Obducitur corio tenuiſſimo, cujus detracti uſus ad capitum tegmina incolis.* Sic

Ludit in humanis divina potentia rebus.

Zoophyta denique ſunt frondes arboris in Inſula Cimbulum, *cujus frondes in terram lapſæ*, ait Scaliger, *reptione quadam ſeipſas movent & promovent, tactæ abeunt, aut refugiunt.* Scaliger Exerc. 112

An verò omnes omnino arbores & plantas inter Zoophyta numerare oporteat?

Manichæi, Campanella, & quidam alij melancholici affirmabunt, quia ſenſum ineſſe omnibus plantis, adeoque plantanimalia, eſſe exiſtimant.

Sed antequam credamus, organa ſenſuum in truncis, aut ramis arborum oſtendere nobis deberent: quod nunquam facient. Negat ergo arbores ſentire S. Auguſtinus, & deplorat, ſe à Manichæis *perductum ad eas nugas, ut crederet ficum plorare cùm decerpitur, & matrem ejus arborem lacrymis lacteis.* Eccleſia quoque in Dom. Palmarum, ramos palmæ *inſenſibiles* appellat, dum orat: *Deus, qui miro diſpoſitionis ordine, ex rebus etiam inſenſibilibus diſpenſationem noſtræ ſalutis oſtendere voluiſti &c.* Aug. lib. 3. c. 10. Conf.

ARTICVLVS I.

An tres iſtæ animæ ſpecies ſint infimæ, an genera ſubalterna.

ANima vegetativa eſt genus latiſſimum, in tot ſpecies animarũ diviſibile, quot ſunt diverſę plantarũ ſpecies. Diverſitas verò iſta ſpecifica (quemadmodum Ariſtoteles de animalibus dicit) *ex vita, actionibus, moribus, partibus* deſumi debet. Vnde animæ vegetativæ quæ longè aliter prima corporũ ſuorum membra, per ſemen ſuum conformant, & alio deinde alimento vivunt, vel longè diverſis alimenti figurationibus Ariſt. lib. 1. c. 1. Hiſtor. animal.

rationibus

rationibus eadem membra nutriunt, nequaquam ejuſdē naturæ & ſpeciei ſunt. Quis enim in quercu & corylo, in roſa & lilio eandem ſpecie animam vegetativam eſſe credat?

Gradus quoque animæ vegetativæ, qui animæ ſenſitivæ brutorum, aut animæ rationali hominis veluti inoculatus & inſertus eſt, ſpecie ab anima purè vegetativa omnium plantarum diſtinctus eſt. Alio quippe modo, ac per alia longè inſtrumenta corpus bruti, aut hominis nutrit, quàm anima quercûs quercum, aut anima roſæ roſam.

Anima ſenſitiva genus etiam valde latè patens eſt. Et ſpecierum diverſitas *ex vita, actionibus, moribus, partibus* brutorum colligitur, ut paulò antea ab Ariſtotele audiebamus. Quis enim ex tam difformi membrorum configuratione, moribuſque iſtarum animarum tam diſſonis, felem à mure, accipitrem à paſſere, ſpecie diſtingui non videat? Gradus quoque ſenſitivus quem anima rationalis imbibit, ejuſdem naturæ & ſpeciei cum ſenſitivo brutorum nequaquam eſt. Quod ex morum quoque, ingeniorumque diverſitate facile intelligitur. Licet enim anima rationalis ſenſitivas quaſdam potentias, ut viſum, auditum &c. ejuſdem fortè rationis cum ſimilibus brutorum potentijs habeat; imaginativa tamen, & appetitus inferior hominis eminentiâ dignitatis, imaginativam & appetitum brutorum longè excellere videntur. Vnde nec eadem ſenſibilia homines & bruta appetunt, nec ijſdem delectantur. Gradus igitur ſenſitivus animæ rationalis, ex quo imaginativa & appetitiva humana promanant, à gradu ſenſitivo animæ v.g. leoninæ, ex quo imaginativa & appetitiva leonis reſultant, ſpecie diſſidet. Hoc eſt quod affirmat S. Thomas, cùm ait: *Animam ſenſitivam in nobis eſſe virtuoſiorem & nobiliorem quàm in brutis: & hoc propter adiunctionem ulterioris & nobilioris perfectionis, ſcilicet animæ rationalis*; cui gradus ille ſenſitivus ſubſervire debet. S. Th. 3. p. q. 2. a. 5.

An verò anima rationalis ſit ſpecies infima, poteſt majorem habere dubitationem. Si enim verum eſt quod Agellius ex quibuſdam veterum memorijs narrat, quoſdam in Indiæ montibus homines eſſe Cynocephalos, *caninis capitibus &* Agell. lib. 9, c. 2.

 latratibus,

latratibus. Alios verò Monoſcelos, *ſingulis cruribus ſaltuatim currentes, vivaciſſima pernicitatis. Quaſdam etiam nullis cervicibus, oculos in humeris habentes.* Alios deinde *apud extrema Indiæ, corporibus hirtis, & avium ritu plumantibus, nullo cibatu veſcentem, ſed ſpiritu florum naribus hauſto victitantem. Pygmæos quoque haud longè ab iis naſci, quorum qui longiſſimi, non longiores eſſe, quàm pedes duos & quadrantem.*

Plin. lib. 7. c. 2. Addit & Plinius, *Arimaſpos, uno oculo in fronte media inſignes.* Item *Satyros ſubſolanis Indorum montibus* (*Cartadulorum*, inquit, *dicitur regio*) *perniciſſimum animal, tum quadrupedes, tum recti currentes humana effigie. Qui propter velocitatem, niſi ſenes, aut ægri, non capiantur. Item in Albania gigni quoſdam glaucâ oculorum acie, à pueritia ſtatim canos, qui noctu pluſquam interdiu cernant. Item in quadam convalle magna Imai montis ſilveſtres,* ait, *vivunt homines, adverſis poſt crura plantis, eximiæ velocitatis, paſſim cum feris vagantes.*

Marinos denique homines, ut Tritones, Sirenes, Nereides addere poſſumus. Nam puellas marinas humanâ facie, quas antiqui Nereides appellant, ſe in littore Peloponeſi vidiſſe Theodor. Gaza, & Georg. Trapezuntinus, viri litterarum & doctrinæ famâ illuſtres, olim faſſi ſunt. Quin & Iobus gigantum ſub aquis gementium meminit: *Ecce gigantes gemunt ſub aquis,* ait, *& qui habitant cum eis.* Videntur igitur in ſpeluncis fundi ac alvei maris, quædam gigantum familiæ habitare; ut olim in Ætnæ ſpelæis & antris Polyphemus, ceterique

Alex. ab Alexan. c. 8. Iob. 26. Virgil.

Ætnei fratres cælo capita alta ferentes,

Verùm, etſi animas rationales ſpecie differentes, poſſe à Conditore creari, nulla fortaſſe contradictionis implicantia vetet; omnes tamen quæ creatæ ſunt, & quotidie creantur, unius ſpeciei ſunt.

Ariſt. lib. 1. c. 6. Hiſtor. animal. Vnde meritò Ariſtoteles dicit, hominem οὐκ ἔχειν διαφορὰν τὸ εἶδος, *non habere differentiam ſecundum ſpeciem:* ac proinde quicumque ſub cælo vivunt homines, ſolâ corporum temperie, membrorum conformatione, aut alio quovis accidente, non ſpecie & eſſentiâ diſtingui. Nam omnes ab uno primo parente fluxerunt, cujus natura & eſſentia eadem in totam poſteritatem deſcendit. Dicit hoc divinus ille in

medio

medio Areopagi Eccleſiaſtes Paulus : *Fecit* Deus *ex uno*, ait, *omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ.*

Fabuloſi igitur ſunt homines illi Solares, Lunares, Ioviales, & omnium Planetarum novi incolæ, quos Keplerus & Copernicani nuper nobis fabricaverunt. Certè enim, *ex uno* illo terreno Adamo non *omne genus hominum* fluxit, ſi aliud cæleſtium hominum genus eſt, quod ſiderum Orbes inhabitat. Nec propter homines illos ſideros, aſtra Borbonia Solem, Medicea Iovem, Auſtriaca Saturnum circumludunt, ut Capernicani fingunt; ſed propter nos qui *ſuper univerſam faciem terræ habitamus;* ut nempe ludiones illi, Solis, Iovis, Saturni &c. Influentias ita modulentur, ut numero, pondere, ac menſurâ illâ in hunc Mundum inferiorem reflectantur ac diſpenſentur; quemadmodum à cæleſtis illius horologij fabricatore eſt olim conſtitutum.

Mutum quoque marinorum hominum genus, qui ſupernè facie humanâ formoſi, infernè turpiter deſinant in piſcem, nullum agnoſcimus. Itaque Tritones, Sirenes, Nereides, Glauci, piſces non homines ſunt. Aliàs enim, ſi ex ſola facie hominis judicandum eſt, Religiones quoque Monachorum, & cœtus Epiſcoporum ſub mari erunt; quia quædam marina monſtra, Monachorum, Epiſcoporum capita geſtant. Innumera enim ſalaciſſimorum piſcium ſemina, fluctibus & perpetua inquietudine maris, per infinitorum diſcriminum figuras convoluta, quidlibet formare & repræſentare valent.

Gigantes ergo illi, qui apud Iobum *ſub aquis gemunt*, ſunt dracones, cete grandia, & balænæ piſces, non homines. Aut certè (qui multorum Interpretum eſt ſenſus) ſunt *gigantes* illi *potentes à ſeculo viri famoſi*, generalis diluvij aquis olim ſubmerſi, qui fictione & phraſi Poëticâ, quaſi adhuc viverent, dicuntur mole aquarum oppreſſi gemere. Iob. 26. Gen. 6.

Cynocephali verò, Monoſceli, Pygmæi, Arimaſpi, Satyri, ceteræque inter homines & bruta dubiæ formæ, ad ſimiarum, aut alterius bruti animantis genus pertinent; niſi tamen fabulentur qui talia narrant. Philoſophorum enim *credulam nationem* meritò Seneca appellat, qui ejuſmodi commenta, ab aliquibus

temerè

temerè vulgata, in materiam exercitij & acuminis ingeniorum rapiunt.

Si tamen homines eſſent (quod ex loquela maximè poteſt intelligi) monſtra noſtri generis ſunt, deformitate corporis, & ſilveſtris cujuſdam temperamenti feritate, non animâ rationali à nobis diſtantia.

Sicut enim apud nos talia interdum monſtra ex parentibus minimè monſtroſis naſcuntur; ita fieri poteſt, ut conformationis vitium cum ſemine eorum, ad poſteros traducatur. Quemadmodum Hippocrates narrat, Macrocephalos Aſiæ populum, univèrſos omnes longis, inſtar peponum capitibus naſci, conſuetudine in naturam verſâ; quia obſtetrices mollia initiò infantium capita faſcijs aſtringentes, ea turbinare (formoſum id eſſe reputantes) ſolitæ fuerant.

Hippocrat. lib. de aëre & aquis.

Supremus autem corporum architectus, ſeminum iſtos errores non corrigit; imò providentiâ ſuâ à recto detorquet (ſi S. Auguſtino credimus) *ſciens univerſitatis pulchritudinem quarum partium vel ſimilitudine, vel diverſitate contexat. Sed qui totum inſpicere non poteſt, tanquam deformitate offenditur; quoniam cui congruat, & quò referatur, ignorat.*

S. Auguſt. lib. 16 c.8. Civit.

Ibid.

Vnde de hiſdem Plinij & Agellij monſtroſis nationibus quæſtionem inſtituens: *Si homines ſunt*, inquit, *de quibus illa mira conſcripta ſunt: Quid ſi propterea Deus voluit etiam nonnullas gentes ita creare, ne in his monſtris, quæ apud nos patet ex hominibus naſci, ejus ſapientiam, quâ naturam fingit humanam, velut artem cuiuſdam minùs perfecti opificis, putaremus erraſſe? Non itaque nobis videri abſurdum debet, ut quemadmodum in ſingulis quibuſque gentibus, quædam monſtra ſunt hominum; ita in univerſo genere humano, quædam monſtra ſint gentium.* Ac tandem univerſam diſputationem in nodum & clauſulam iſtam colligens: *Monſtra illa*, inquit, *aut nulla ſunt: ſi ſunt, homines non ſunt: aut ex Adam ſunt, ſi homines ſunt.*

Dixerat quippe antè: *Quiſquis uſpiam naſcitur homo, id eſt rationale animal mortale, quamlibet noſtris inuſitatam ſenſibus gerat corporis formam, ſeu colorem, ſive motum, ſive ſonum, ſive qualibet parte, qualitate naturæ, ex illo Protoplaſto originem ducere, nullus fidelium dubitaverit.*

dubitaverit. Ite jam ergo Copernicani, & dicite nobis, quibus ſcalis in Regionem Planetarum aſcenderint ſiderei veſtri homines, quos Lunæ montes valleſque, ac omnium Planetarum Orbes incolere arbitramini. Eò enim ex terra ſcandere, & coloniam duxiſſe debuerunt, ſi ex terreno noſtro Protoplaſto ſint progeniti.

CAPUT IV.

De unione, qua anima corpus organicum informat.

VT anima corpus ſuum animet, opus eſt aliquâ unione ejus ad corpus; quod etiam in anima rationali verum eſt, ut Lib. IV. docebimus. Non enim eſt ſolùm forma aſſiſtens, ut Plato olim putavit, ſed etiam informans ſui corporis.

Vnicâ autem unione, non pluribus eſt opus, ut & forma materiæ, & reciprocè materia formæ uniatur; veluti una fibula ſufficit, quæ utramque togæ partem mordeat & conſtringat.

Eadem quoque unio vocatur informatio, quatenus conſideratur ut modus formæ connectens eam cum ſuo ſubjecto: vocatur itidem ſubjectio, quatenus ſubjectum per eam ſubijcit ſe formæ, & illam in ſe ſuſcipit.

Sed utrius extremi modus ſit iſta unio, diſputant Lib. II. Phyſic. Peripatetici. Nobis videtur, utrique extremo, id eſt materiæ & formæ, proximè adhærere, ut modus duobus modificatis inadæquatis. Hunc enim conceptum ſtatim ingerit ratio unionis inter duo immediata extrema; niſi aliquid aliud ſtupendum & ineffabile intercedat, quod impediat ne unio utrumque extremum proximè & intrinſecè apprehendere valeat. Quale quid in unione hypoſtatica Verbi cum humanitate Chriſti evenire, plurimi Theologorum exiſtimant: quia contra Verbi divini perfectionem & immutabilitatem factum iri videtur, ſi modus creatus ei ſic infigatur, ut intrinſecè eum in ſe ſuſcipiat.

Sed ſi unio eadem (quæ in vulgari jam Philoſophia dicitur eſſe purus quidam modus) materiam & formam corporis naturalis proximè afficiat; igitur, exclamant quidam, unus idemque purus modus, realiter idem erit duobus realiter diſtinctis.

Reſp. Nihil abſurdi in eo committi. Nam iſta phraſis: Idem modus unionis *eſt realiter idem* cum materia & forma quas inter ſe connectit, habet hunc ſenſum negativum: *Non diſtinguitur realiter ſtrictè* ab illis duobus: quod in Philoſophia communi eſt veriſſimum. Sed de anima rationali peculiaris eſt difficultas.

ARTICVLVS I.

An unio animæ rationalis ad corpus ſit ſpiritualis, an materialis.

SI eadem unionis fibula unico, ut ita dicam, morſu animam rationalem & materiam primam humani corporis apprehendat; videtur eſſe ſpiritualis, quatenus animam ſpiritualem attingit, & tamen etiam materialis, quatenus materiæ primæ proximè, ut ſubjecto incumbit,

Verùm tamen unio iſta abſolutè, non ſpiritualis, ſed materialis dici debet. Nam modus materialis eſt, qui à materia prima dependet, Talis autem eſt illa unio. Vnde cùm modus ſpiritualis definiatur, qui à materia, ſive à ſubſtantia corporea eſt independens; & negatio iſta omnem à materia dependentiam neget, palàm eſt, ejuſmodi unionem non poſſe appellari immaterialem, ſive ſpiritualem, etiamſi partim etiam à ſpiritu dependeat.

Hinc etiam illam à materia conditionem contrahit, ut partibus integralibus conſtet, etiamſi anima rationalis ejuſmodi partium expers ſit.

Sicut enim hæc anima non eâdem indiviſibili præſentiâ locali ſpargitur & replicatur per totum ſuum corpus, ſed per aliam præſentiam capiti, & per aliam pedi hominis aſſiſtit; ita aliâ ſubſtantiali partiali unione materiæ capitis, aliâ materiæ pedis adhæreſcit. Aliàs enim abſciſſo pede, & deſtructâ unione

unione ad materiam pedis, unio ad ceteras corporis partes conſequenter & connaturaliter collaberetur, & homo totus interiret.

Sed tamen etiamſi unionem iſtam, ſpiritualem appellaremus, nullâ abſurditate partes integrales ei concederemus; quandoquidem præſentia Angeli, aut animæ rationalis ad ſpacium locale, ſpiritualis ſit, & tamen partibus integrantibus minimè careat. Accidentia enim ſpiritualia partes integrales intenſivas non reſpuunt; quare quibuſdam partes etiam extenſivas, dare non poſſumus? Quod enim ſubſtantiæ ſpirituales ſtrictæ entitatis, ut Angeli, & animæ rationales, talibus partibus carere putentur, peculiaris ratio eſt; quia illæ partes eſſent ipſis inutiles: Deus autem & natura nihil faciunt fruſtrà. Poſſunt verò partes integrales utiliſſimæ & neceſſariæ eſſe modis quibuſdam ſpiritualibus, ut per multos partiales ſuos modos, ſubſtantiam ſpiritualem ſpatio, aut materiæ diviſibili ſiſtere præſentem valeant; quod per unicum indiviſibilem præſentiæ, aut unionis modum facere non poſſunt; quidquid Vaſquez & Hurtadus contradicant. Nam Vaſquez volens probare, præſentiam Angeli ad ſpatium diviſibile, indiviſibilem tamen eſſe, ait, *Hoc facilè intelligi. Nam ſicut*, inquit, *modus in anima rationali, quem habet in corpore, tamen facit eam eſſet unitam corpori diviſibili; ſic etiam modus Angeli poteſt ipſum corpori diviſibili unire, etiamſi in ſe indiviſibilis ſit.* Et addit deinde: *Quocircà non poſſum non admirari Theologos & Philoſophos noſtri temporis* (Suarium maximè habet in oculis) *qui concedentes Angelo præſentiam quam vocant localem, ratione ſubſtantiæ ipſius Angeli, affirmant eam eſſe modum quendam ſubſtantiæ Angeli, indiviſum quidem comparatione Angeli, ſed diviſum & extenſum reſpectu loci. &c. Hos igitur*, ait, *Doctores vehementer miror, quòd de Angelis ſpiritualibus diſſerentes, nondum corporea hæc materialia obliviſcantur, & in ſubjecto ſpirituali & omnino indiviſo conſtituant aliquod accidens formaliter loco extenſum, & ut dici ſolet, loco commenſuratum, cujus partes inter ſe diſtitæ ſunt & loco diſtantes Hoc enim proprium videtur corporis & accidentis corporei, cuius capax non eſt ſubſtantia ſpiritualis.*

Vaſq. 1. p. d. 188. c. 7.

Tota igitur cauſa tantæ admirationis eſt; quòd habere partes extenſas & loco diſtantes, *videatur proprium corporis, & accidentis corporei.* Hoc verò eſt quod diſputamus & ambigimus: An ſcilicet diviſibilitas iſta integralis ita ſit accidenti corporeo propria, ut in nullum ſpirituale accidens competere poſſit. Dicimus autem poſſe. Non enim ideo ſuam ſpiritualitatem neceſſariò amittit. Spirituale enim idem eſt ac incorporeum. Incorporeum verò dicitur, quod nec capax eſt corporeæ quantitatis, nec à ſubſtantia corporeæ quantitatis capace dependet. Hæc verò negatio duplex, præſentiæ Angelicæ, & præſentiæ animæ rationalis competit, etiamſi partes extenſivas contineant. Non tamen unioni ſubſtantiali animæ rationalis ad corpus convenit; quia unio iſta à materia prima corporeæ quantitatis capace dependet.

Meritò ergo & modeſtè Franc. Suarez admiratione illâ Vaſquij ſe tactum ſentiens, reſpondet: *Non erubeſco confiteri ingenij mei tarditatem. Nam ſuppoſitis nonnullis principijs in quibus convenimus, intelligere non valeo, quomodo eſſe poſſit talis modus* (præſentiæ Angelicæ, aut animæ rationalis) *indiviſibilis in ordine ad ſpatium vel corpus; vel, cur oppoſita diviſibilitas repugnet ſpirituali accidenti, in ſubjecto ſpirituali exiſtenti.*

Suar. lib. 4. c. 17. de Angel.

Difficultas etiam altera hìc eſt, quæ m[illegible]rum imaginationem fatigat. Quomodo nempe, anima integraliter indiviſibilis, partibus materiæ diviſibilibus uniri poſſit. Videtur enim ſingulis tantùm partium materæ punctis, non partibus in infinitum diviſibilibus proximè aptari & cohærere.

Non multum hìc laborant, qui Democriti & Epicuri paradoxum, de compoſitione continui ex meris & finitis punctis, ab Ariſtotele olim exploſum, nuper in Scholas revocaverunt. Apud eos quippe, ſingulæ animæ rationalis uniones ad ſingula materiæ puncta terminantur, & ijs ſolis proximè & immediatè infiguntur. Præter ejuſmodi puncta nullas alias partes ſine fine diviſibiles admittere volunt, quia ſubtilitatem illius diviſionis in infinitum (quam tamen cum Ariſtotele & Mathematicis, S. Auguſtinus, S. Thomas, Scotus, Occam, & omnes Peripateticorum Scholæ docent) imagina-

tione

tione ſatis liquidâ apprehendere non valent.

Sed omittamus iſtos, quos multis ſat argumentis olim in noſtro LABYRINTHO exercuimus.

Sit ergo materia humani corporis in partes ſyncategorematicè infinitas diviſibilis, Imò nulla ſint omnino indiviſibilia & Mathematica puncta quæ continui partes inter ſe connectant. Aio tamen, non eſſe imaginatione, aut explicatu difficilius, quomodo anima indiviſibilis, ſingulis partibus diviſibilibus materiæ uniatur, quàm quomodo Deus ſit intimè & ita continuè pręſens omnibus univerſi hujus partibus, ut præſentia ejus nullibi diſcontinuetur & interhiſcat. Aut etiam difficilius non eſt, quàm imaginari, quomodo Angelus toti ſuæ replicationis ſphæræ non tantùm punctatim & diſcretim, ſed etiam per ipſas partes continuè, ſe præſentem ſiſtat.

Itaque etiamſi anima rationalis ſit indiviſibilis, ſingulæ tamen ejus præſentiæ ſunt, more continui, in infinitum diviſibiles, & correſpondent ac adaptantur partibus materiæ ſimiliter ſine fine diviſibilibus.

Si anima verò ſine ulla ſui replicatione ad ſpatium indiviſibile, ut ſic dicam, redacta, & tamen materiæ unita cogitetur, unione nihilominùs terminativè diviſibili partibus proximis unietur; quomodo fermè (in ſententia illorum Peripateticorum qui puncta infinita partibus infinitis interſpargunt) punctum unitur partibus quas proximè copulat, aut terminat.

ARTICVLVS II.

An animæ animalium imperfectorum, quæ ἔντομα ſeu inſecta *vocantur, ſint totæ in qualibet parte ſui corporis.*

De plantarum animabus, res non meretur mitti in diſputationem, quia experientia clamat, non eſſe totas in qualibet parte, ſed integraliter expanſas, ad expanſionem materiæ quam informant. Alia enim eſt pars animæ in ramo, alia in arboris trunco. Nam evidens eſt, partem animæ avelli cum ramo, quandoquidem ramus terræ replantatus

plantatus, aut arbori alteri inſertus, actiones vitales adhuc exerceat, regerminet, & fructus ferat.

De animabus animalium inſectorum idem exiſtimat Ariſtoteles: nempe non eſſe in qualibet corporis parte totas, ſed integraliter diviſibiles; ita ut tota anima erucæ, bruchi, cicadæ, aut papilionis toti corpori, pars parti inhæreat. *Similiter enim*, inquit, *ſe habent ſecundum hoc, plantæ & genus inſectorum. Neceſſe enim eſt & nutritivam animam actu quidem in habentibus eſſe unam, virtute autem plures.* Ac de inſectis ſubjungens: *Similiter autem & ſenſitivum principium. Videntur enim habere ſenſum diviſa ipſorum.* Diſcrimen tamen inter plantarum, & inſectorum partes iſtud interponit: *Sed ut ſervetur natura, plantæ quidem poſſunt* (ut cùm rami avulſi, & in terram replantati, in arborem novam ſe diffundunt) *hæc autem* (inſecta) *non poſſunt, quia non habent inſtrumenta ad ſalutem*, ſive neceſſaria in ſingulis partibus reciſis organa, quibus ſalutem & vitam diu, tanquam intégra animalia, tolerare valeant.

Ariſt. lib. de Iuvent. c. 2.

Egregium verò & jucundum exemplum talis animalculi diſſecti, & in partibus ſuis adhuc viventis & ſentientis, narrat S. Auguſtinus Libro de Quant. anim. *Cùm nuper*, inquit, *in agro eſſemus Liguriæ, noſtri illi adoleſcentes qui tunc mecum erant ſtudiorum ſuorum gratiâ, animadverterunt humi jacentes in opaco loco, reptantem beſtiolam multipedem, longum dico quendam vermiculum. Vulgò notus eſt, hoc tamen quod dicam, nunquam in eo expertus eram. Verſo namque ſtylo quem fortè habebat unus illorum, animal medium percuſſit. Tum ambæ partes corporis, ab illo vulnere, in contraria diſceſſerunt, tanta pedum celeritate, ac nihilo imbecilliore niſu, quàm ſi duo huiuſmodi animantia forent. Quo miraculo exterriti, cauſæq́; curioſi, ad nos, ubi ſimul ego & Alipius conſidebamus, alacriter viventia fruſta illa detulerunt. Neque nos parùm commoti, ea currere in tabula quaquaverſum poterant, cernebamus: atque unum iſtorum ſtylo tactum, contorquebat ſe ad doloris locum, nihil ſentiente alio, ac ſuos alibi motus peragente. Quid plura? Tentavimus quatènus id valeret, atque vermiculum, imò tam vermiculos in multas partes concidimus: ita omnes movebantur, ut niſi à nobis illud factum eſſet, & comparerent vulnera recentia, totidem illos ſeparatim natos, ac ſibi quemque vixiſſe*

S. Auguſt. lib. de quant. animæ c. 31.

vixiſſe crederemus.

Fuit ergo vermiculus iſte de genere inſectorum, quæ Ariſtoteles πολύποδα *multipedia*, & *ſcolopendras* appellat. Oblonga videlicet, & multorum pedum ordinibus gradientia. *Diutiùs enim*, inquit, *divulſa vivunt, quibus corpus longum pedeſq; multi. Et pars quæ abſciſſa eſt, in utrumque ſe movet extremum, & verſus caput, & in caudam: ut in iis quas vocant ſcolopendras*, ſive centipedas, *moveri videmus.* Vnde de talibus alibi narrat: *Aſſimulantur*, inquit, *talia animalia multis animalibus, quæ ſimul coaluerint.* Nam talium vermiculorum corpus longâ nodorum ac internodiorum ſerie, qualia fermè in arundinum calamis videmus, annulatim componitur (unde inſecta etiam annuloſa vocantur;) adeoque ſi per ſingulos internodiorum nodos annuloſque ea dividas, tot videbuntur eſſe animalia, quot ſunt unius animalis fruſta. Nam ideo ἔντομα *inſecta* vocantur; quaſi in ſeipſis ſectilia ſint in varias partes, quæ ſeorſum vivere, ſentire, & ſe movere valeant. Lib. de Iuvent. c. 2.

Hujus autem unica cauſa eſſe videtur, quòd in ſingulis fruſtis ſit tactus, imaginatio, appetitus ſenſitivus, & potentia loco motiva. In ſigulis quippe annulis & præcinctionibus oportet ſit aliquid capiti & cordi analogum, in quo imaginatio, & appetitus animalis reſideant. Niſi enim dolorem imaginatione perciperent, non eum appetitu averſarentur, nec potentiâ loco motivâ fugam arriperent.

Illud igitur S. Auguſtini, & Ariſtotelis in ſcolopendra experimentum (& ſimile in veſpis, apibus, crabronibus, & omni genere muſcarum ſæpe videmus) ſatis evidenter demonſtrare videtur, talium inſectorum animas eſſe cum corpore ſuo diviſibiles. Nec enim à ſpiritibus vitalibus, qui poſt animæ mortem aut receſſum, reſidui in corpore manent, exerceri poteſt motus partium tam ordinatus & diuturnus.

Deinde, exemplo vermiculi à diſcipulis S. Auguſtini in partes diſſecti, & Ariſtotelis teſtimonio, τὰ διαιρούμενα αὐτῶν ἔχουσι αἴσθησιν *partes eorum diverſæ ſenſum habent.* Senſus autem ſine anima non eſt. Ariſt. lib. de Iuvent. c. 2.

ARTICV-

ARTICVLVS III.

An animæ animalium perfectorum ſint totæ in qualibet corporis parte.

ARiſtoteles, qui animas inſectorum diviſibiles facit, videtur animas brutorum perfectorum excipere. Cùm enim dixiſſet, animalia annuloſa & inſecta *aſſimilari multis animalibus, quæ ſimul in unum coaluerint*, addit: τὰ δ' ἄριστα συνεστηκότα, *animalia verò optimè conſtituta hoc non patiuntur, quia natura ipſorum, ut poßibile eſt, maximè eſt una. Quapropter parvum ſenſum quædam partium diviſarum faciunt; quia habent aliquam animalem paßionem. Separatis enim viſceribus, faciunt motum; ut & teſtudines avulſo corde.*

Ariſt. lib. de Iuvent. c. 2.

Vnde ſi animæ equi, bovis, canis, leonis ita ſint unæ, ut partibus integralibus careant, neceſſe eſt ut totæ ſint in ſingulis corporis ſui partibus, quemadmodum anima rationalis; hoc tamen diſcrimine, quòd mortales ſint, & ſuſtentaculo corporis indigeant. Stant enim iſta ſimul: Animam canis eſſe in pede, capite, ac toto corpore indiviſibiliter eandem, & tamen eſſe mortalem. Nam licet abſciſsâ caudâ, vel aure, nulla pars animæ canis intereat, non ideo eſt, quia ſit immortalis, ſed quia eadem anima tota (id eſt, nullâ parte exceptâ, cùm, in iſta ſententia, partes nullas habeat) ſuſtentatur à reliquo corpore. Vnde ſicut idem numero corruptibile lumen, à duabus facibus, in genere cauſæ efficientis conſervatum, non corrumpitur, ſi facem unam amoveas, quia ab altera adhuc ſufficienter conſervatur; ita anima canis, amputatâ caudâ non interit, quia ab alia parte corporis (quantum ſatis eſt ad retinendam exiſtentiam ſuam) dependere & ſuſtentari perſeverat.

Hæc ſententia probabilis eſt, & quia putavit eſſe Ariſtotelis, S. Thomas eam defenſat: imò S. Auguſtinus, qui Ariſtotelem nunquam viderat, ſolo ingenij acumine duce (& quidem quoad etiam animas inſectorum) in eandem delapſus eſt.

Attamen

Attamen quibuſdam experimentorũ exemplis videtur refel- li. Nam Averroes arietem decollatum aliquòuſque ſine capite progreſſum ſe vidiſſe narrat. Conſtat etiam, in ſacrificijs hoſtias interdum extracto corde, è poparum & ſacrificulorum manibus aufugiſſe; imò capras excordes aliquando balaſſe teſtatur Aſclepiades, Magni Pompei Medicus. Galenum quoque audiamus: *Poteſt*, ait, *cor eximi illæſis voluntarijs actionibus. Id quod in nonnullis ſacrificijs contingit, in quibus animantia cernuntur, corde iam aris impoſito, non reſpirare tantùm, aut clamare fortiter, ſed etiam fugere, quòuſque effuſione ſanguinis emoriantur.* Nonne etiam videmus columbas, perinde atque veſpas, & id genus volucria inſecta atque imperfecta, abſtracto capite, adhuc volitare? Sed aliud, & domeſticum exemplum, in principe avium aquilâ narrabo. Averr. lib. 7 Phyſic. Galen. lib. 2 de placit. Hippocr.

In domo paterna ruri, patruus quidam meus aquilam (raro in his Belgicis Provincijs ſpectaculo) lato alarum remigio ſupervolantē, ac deinde in agrum deſediſſe conſpicatus, glande bombariâ, cùm repandere alas & avolare pararet, extremas pennas ita perſtrinxit, ut volitare tantùm poſſet, & capi ſe ſineret. Manſit in familia noſtra multis menſibus, inter pecora & canes domeſticos cicur planè & familiaris. Sed cùm fortè ſemel, inter concomedendum, rixa quædam inter eam & dilectum opilioni noſtro canem incidiſſet, & ipſa furens irâ beſtiam unguibus & roſtro pænè diſcerpſiſſet; tanta repentè opilionē amentia invaſit, ut arreptâ falce putatoriâ, reginæ avium ſuper limen oſtij, caput uno ictu amputaverit. Sed ecce quid acciderit. Truncum corpus è manu illius carnificis dimiſſum, impetu ſe in aërem elevans, vicini horrei ſatis altũ culmē tranſvolavit.

His igitur & ſimilibus exemplis confici videtur, animas perfectorum, non ſecus ac inſectorum animalium, eſſe integraliter dividuas, & unam animæ partem in corpore aquilæ aut columbæ trunco, & tamen adhuc volante remanere; alteram verò in capite, hiante adhuc, &, quantum valet, etiam ſe movente ſuperſtitem eſſe.

Hæc nihilominùs omnia nondum conficiunt animas perfectorũ ejuſmodi animaliũ eſſe integraliter diviſibiles. Nam ſimilia ferme hominibus uno & celeri ictu capite truncatis evenire poſſunt; & tamē animã hominis indiviſibilē eſſe dicimus.

Non uno enim exemplo conſtat, truncum hominis manere immobile in pedes, ablato capite, & impelli interdum oportere à carnifice, ut ſtatim cadat. Ad aliquot etiam paſſus, ſine capite proceſſiſſe nonnunquam viſum fuit. Vnde illud Ariſtotelis: *Corpus* hominis, *detracto capite progredi, irrationale non eſt.*

Ariſt. lib. 3. c. 10. de partib.

. divi quoque à fide digno, qui ſpectaculo decapitandi hominis Antuerpiæ olim interfuerat: Caput celerrimo ictu à carnifice præciſum, poſtquam aliquot ſaltus in theatro feciſſet, in turbam deſilijſſe. Et cum canis quidam ad ſanguinem delingendũ accurriſſet, arreptam mordicus ejus auriculam fuiſſe dentibus reſecti capitis. Vnde canis exterritus, pendulo ad ejus aurem capite, cum clamore abſcurrit, totumque forum horrore & fugâ ſpectatorum implevit.

Aliud ex Hiſtoria Turcica afferre poſſumus. Nam Mahumetes 2. qui An. 1453. Conſtantinopolim expugnavit, crudelis & feralis Iuvenis, Chriſtianos quoſdam captos, ad longitudinem cruciatûs, & ut ſic morerentur, ut mori ſe ſentirent, interfici ſic jubebat: ut Turcico acinace per diaphragma (ſive diazoma, ut Ariſtoteles appellat) medij dividerentur. In quo ſupplicio videre erat, inquiunt, utramque dimidiati hominis partem in pulvere & ſanguine ſe volutantem, & motu ac rotatione ſuâ doloris ſenſum & acerbitatem teſtari.

Quid ergo hîc dicimus? An animam rationalem in duas etiam partes fuiſſe cæſam? Hoc certè non debemus, nec poſſumus. Igitur quæcumque alia cauſa illius motûs & ſenſûs partium hominis aſſignabitur, eadem in aquilâ, aut columbâ ſine capite volante, locum habebit.

Alterum quoque, & admirabilius, ex Hiſtoria Naturali Indica Ioſephi Acoſta adjungimus.

Ioſ. Acoſta lib. 5. c. 14. Hiſt. Nat. Indic.

Auctor agens de Mexicanorum ſacrificijs, & narrans quomodo homines bello, aut potiùs venatu captos ſolerent Idolo ſuo immolare: *Accidit*, inquit, *quondam res admirabilis; & tamen vera, ac relata à fide dignis. Cùm enim Hiſpani in quodam tali ſacrificio ſpectatores adeſſent, & ſacrificulus de more, aperto validi juvenis pectore, cor magnâ agilitate extraxiſſet, & corpus iam excors, per multorum graduum altitudinem, è ſummo culmine pyramidis, ubi dirum*

dirum illud ſacrificium peragebatur, devolviſſet; & corpus iam ad ſolum perveniſſet, patriâ ſuâ linguâ ad aſtantes Hiſpanos dixit: O Domini, ipſi me interfecerunt. *Vnde orta permixta horrori miſeratio, & ſumptus impetus liberandi populum illum ab iſta carnificina & nefanda diaboli tyrannide.*

Probat verò Acoſta id nec impoſſibile naturaliter, nec incredibile eſſe, exemplo caprarum & hoſtiarum, quas extracto corde, reſpirare, & interdum balare, ex Galeno antea retulimus.

Ex quibus omnibus colligi videtur, omnia in partibus corporis humani ſic fieri, quemadmodum in quolibet animali perfecto videmus; & proinde palpitationem & motum partium diſſecti arietis, aut columbæ, invalidum eſſe argumentum diviſibilitatis ejuſmodi animarum. Quid enim ad exempla illa hominum reſpondebimus? Nempe, in partibus reſectis humani corporis, partes nullas animæ rationalis remanere; ſed propter naturale vinculum ad partes ſui corporis, quod anima retinet quamdiu poteſt, totam brevi aliquo tempore manere replicatam in duobus ſpatijs diſcontinuis, donec ſpiritus & calor naturalis evaneſcat, temperieſque illa diſſolvatur, quæ ad conſervationẽ unionis animæ rationalis eſt neceſſaria. Aut certè, ſi nullo inſtanti temporis anima humana partes diſcontinuas informare poſſit; ſpiritus vitales & animales, qui in arterijs & nervis totoque corpore, abſente anima reſidui manent, dum effugere & ſe extricare conantur, illum motum partium conciſarum facere. Hoc autem utrumque animabus brutorum perfectorum applicari poterit, ſi dicantur integraliter indiviſibiles, quemadmodum anima rationalis.

In exemplo autem illo corporum humanorum juſſu Mahumetis, per diaphragma, ſive ſeptum tranſverſum, acinace in duas partes cæſorum, notandum hoc eſt. Partem inferiorem, à diaphragmate deorſum, non potuiſſe perſentiſcere dolorem, à quacumque cauſa ſe moveret & contorqueret; quia cum parte & regione corporis ſuperiore, in qua eſt cerebrum & imaginatio, non communicabat: ſine imaginatione autem & influxu cerebri per ſpiritus animales, non ſentitur dolor, ut in paralyſi, aut apoplexia patet.

Ille verò Mexicanus extracto corde loqui (perinde atque capræ Aſclepiadis excordes balare) potuit; quia in eo erant omnia inſtrumenta vocis, & anima, corde ſublato, non in inſtanti fortaſſe corpus deſerit; ſed tantiſper in eo hæſitat, donec ſpiritus vitales per membra diſperſi effugiant, & temperiem hominis diſſolvant in qualitates cadaveris.

Nihilominùs, licet exempla ſuperiùs allata non evincant, animas brutorum perfectorum eſſe integraliter diviſibiles; alijs tamen argumentis opinio iſta (quam Cajetanus *communem modernorum phantaſiam* vocat) fit valde veriſimilis.

Cajet. 1. p. q. 7. Primò, quia animas inſectorum, ex vitæ & actionum vitalium, quæ in partibus diviſis manet, diuturnitate, diviſibiles eſſe, cum Ariſtotele, S. Thomâ, & communi antea probavimus: & tamen quædam inſectorum (ut apum & formicarum) animæ nobiliores ſunt aliquorum animalium perfectorum (aſini, porci, aut cameli) animabus, ut ex moribus & ingenio colligi poteſt, & affirmat S. Auguſtinus. Nam *illud, quantum opinor*, ait, *concedet* adverſarius *plus aſino ſapere apiculam; quorum comparare magnitudines, plus profectò eſt quàm aſininum.* Et alibi camelum aſino, in iſto ingentj ſtupore jungit, eique apiculam ſapientiâ anteponit.

S. Auguſt. lib. de quant. anim. c. 24.

Si autem ingenioſæ & argumentoſæ apiculæ anima, ſtolidi aſini, aut cameli animabus nobilior eſt, & ad humanam propiùs accedit; quare magis quàm anima aſini, in partes integrales ſectilis eſſet? Nam compoſitio animæ ex partibus integralibus eſt ſignum imperfectionis, & majoris cujuſdam materialitatis, profundioriſque immerſionis in corpus. Etenim illa forma materiæ ſuæ cognatior eſt, quæ ſe ei coëxtendit, & ita in eam procumbit, ut non tota colligatur in ſingulis materiæ partibus, ſed tota toti, & pars parti inhæreat, ac incumbat.

Vnde profectò, ſi omnia animalia perfecta (qualia etiam aſini, boves, ſues, & cameli) animas indiviſibiles, & totas in ſingulis partibus habent, veriſimilior eſt S. Auguſtini, quàm Ariſtotelis ſententia: Inſectorum quoque, ſive imperfectorum

animas

animas etiam indiviſibiles eſſe. Nec enim hæc animalia imperfecta vocantur, quia animas ceteris ignobiliores habeant; ſed quia viliùs quodammodo, ac in domicilio rudiori, & varietate domeſticæ ſupellectilis negligentiùs inſtructo habitant. Quod non ſemper ignobilioris animæ inquilinæ eſt ſignum, quando aliæ & excellentiores naturæ dotes, ut ingenium, ſolertia, providentia ſuperant. Quæ omnia in formica, aut apicula, quàm in ſue (quæ animam pro ſale tantùm contra putredinem carnis habere dicitur) majora & excellentiora ſunt.

Si igitur, excellentiâ iſtâ non obſtante, apiculæ anima dividua eſt in partes integrales; neſcio cur ſuis, aut aſini animam individuam, & quodammodo ſpiritualiorem facere debeamus.

Secundò, materialitas & mortalitas animæ brutorum perfectorum poſtulare videtur, ut materiæ coëxtendatur, & pars una animæ à parte materiæ (ex qua etiam educitur) altera pars ab altera parte dependeat, ſive ſuſtentetur.

Sic enim corporum inanimatorum, plantarum, & animalium inſectorum formas, & omnia accidentia materialia dependêre videmus à ſuis ſubjectis; ut tota videlicet forma in totum, pars in partem ſubjecti procumbat. Vnde ſi pars ejuſmodi formæ corruptibilis unionem ad partem ſubjecti amittat, corrumpitur & evaneſcit. Idem igitur brutorum perfectorum formis eveniet, quæ itidem ſunt formæ materiales.

Hinc nullum accidens, vulgari Philoſophorum pronunciato, de ſubjecto uno in aliud tranſire poteſt: quia ſolutâ hac unione ad ſubjectum à quo ſuſtentabatur, entitas accidentalis collabitur & in nihilum cadit; adeoque in aliud ſubjectum evolvere ſe nequit. Hoc ergo idem cuicumque formæ ſubſtantiali materiali accidet: quia ipſa quoque, non minùs quàm accidens, à ſubjecta materia ſua ſuſtentatur. Et tamen anima aſini quantumvis materialis, ſi eſt indiviſibilis, & tota in ſingulis corporis ſui partibus, de uno ſubjecto in aliud naturaliter tranſibit. Vt quando, nutriendo corpus ſuum, in novam alimenti materiam ſe replicat, & interea corrumpitur antiqua pars aſinini corporis, quam anima aſini deſerit.

Apparet igitur, ſtrictiorem eſſe dependentiam formæ à ſubjecto ſuſtentante, quàm à cauſa creata efficiente, quæ non ſuſtentando & recipiendo in ſe intrinſecè ſuum effectum, ſed extrinſecâ ſibi influentiâ exiſtentiam illius attingit. Vt proinde mirum non ſit, ſi idem lumen aëris à duabus facibus ſucceſſivè pendêre poſſit; non verò eadē forma à duobus ſucceſſivè ſubjectis. Denique hæc opinio conformior eſt imperfectioni omnis animæ irrationalis, & materialis; videturq; replicatio illa ejuſdem indiviſibilis formæ per totum ſuum ſubjectum, eſſe animæ rationali & immateriali propria: quæ ſicut ſpiritualitate Angelum imitatur; ita etiam replicatione indiviſibilis ſubſtantiæ ſuæ per ſpatium & ſphæram, quam ei natura circumſcripſit.

Hæc tamen, & alia paris momenti argumenta non tam valida ſunt, ut pertinacem, aut fortiter reſiſtentem cogant; etſi Capreolus & Soncinas deſerto S. Thomâ, ad Durandi, Scoti, Occami partes, cum recentioribus tranſierint. Suarez quoque etſi Lib. I. c. 13. de Anima, animalium perfectorum animas indiviſibiles multis argumentis aſſeruiſſet, in Metaphyſica deinde diviſibles eſſe maluit. Conimbricenſes verò quæſtionem iſtam indifferenter habent, & in utramque problematis partem verſat.

Capreol. in 2.d.15.q.1

Ariſt. lib. de Iuvent. c. 2.

Ariſtoteles autem, ſi verba quæ initiò citavimus attentè relegantur: non ait perfectorum, ſive *bene conſtitutorum* animalium animas indiviſibiles eſſe, ſed non poſſe ſic, quemadmodum inſectorum, dividi: ut ſcilicet partes ſeorſim diu incolumes perdurare, & operationes vitæ ſicut antè (ut nutriri, progredi, ſentire, lætari, dolere) obire valeant. Hæc verò animalia inſecta poſſunt; quia compoſitio illa corporum ipſorum per inciſuras, multa quodammodo animalia, ut ait Ariſtoteles, in unum compingit; ut mirum non ſit, ſi partes tam diu ſuperſtites, tanquam integra animalia, poſt & diviſionem permaneant.

Animalia verò perfecta aliter, & perfectiùs compoſita ſunt: ita nempe, ut omnes partes ab unico principio motum & ſenſum recipiant; à quo ſi ſeparentur, ſtatim vitales operationes & vitam

& vitam amittant. Nam aliàs τὸ ψυχικὸν πάθος *aliquam animalẽ paſſionem*, in partibus etiam animalium perfectorum, modico tempore exerceri Ariſtoteles fatetur; ut in motu arietis, aquilæ, columbæ decapitatæ, & alijs exemplis antea à nobis demonſtratum eſt.

ARTICVLVS IV.

Quare S. Auguſtinus putaverit animas animalium inſectorum etiam indiviſibiles.

S. Auguſtinus non tantum animam rationalem, ſed omnium brutorum, etiam imperfectorum animas crediſſe videtur eſſe indiviſibiles; hoc præcipuè argumento, quod ſæpe repetit.

Nam omne, inquit (quantum experiri poſſumus) animal, ſi in aliqua parte corporis, etiam remotá à capite, pungatur, anima quæ in capite eſt illicò admonetur, & caput, manum, vel pedem &c. ad locum doloris convertit. Etenim viliſſimus etiam vermiculus, ſi caudam ejus pungas, capitellum verſus locum vulneris contorquet. Signum igitur eſt, eandem indiviſibilem animam, eſſe in capite, quæ eſt in cauda. Si enim alia pars animæ in capite habitaret, neſciret quid ſentiret altera quæ in cauda domicilium habet. Verbis ſuis loquentem audiamus. S. Auguſt. lib. de Immort. anim. c. ult. *Moles omnis quæ occupat locum*, ait, *non eſt in ſingulis ſuis partibus tota, ſed in omnibus. Quare alia pars ejus alibi eſt, & alibi alia. Anima verò non modò univerſæ moli corporis ſui, ſed etiam unicuique particulæ illius tota ſimul adeſt. Partis enim corporis paſſionem tota ſentit, nec in toto tamen corpore. Cùm enim quid dolet in pede, advertit oculus, loquitur lingua, admovetur manus. Quod non fieret, niſi id quod animæ in eis partibus eſt, & in pede ſentiret, nec ſentire quod ibi factum eſt, abſens poſſet. Non enim nuntio aliquo credibile eſt fieri, non ſentiente quod nuntiat: quia paſſio quæ fit, non per continuationem molis currit, ut ceteras animæ partes quæ alibi ſunt, latêre non ſinat. Sed illud tota ſentit anima quod in particula fit pedis, & ibi tantùm ſentit, ubi fit. Tota igitur ſingulis partibus ſimul adeſt, quæ tota ſimul ſentit in ſingulis.* Lib. contra Epiſt. fundam c. 16. &c.

Et

Et licet de anima rationali ibi ſermo ſit, in Libro tamen ſequenti, De Quantit. animæ, ad omnes animas animalium, etiam inſectorum, hoc extendit. Vnde cum *Palpitantes lacertarum caudas amputatas à cetero corpore*, ſuus Adeodatus & hiſtoriolam Artic. ſuperiori recitatam vermiculi Liguriæ cujus partes à corpore reſectæ in tabula diſcurrebant, ipſe ſibi objeciſſet; difficultate velut oppreſſus, unicâ obſcurâ ſimilitudine vocis, *Lucifer*, reſpondet. Cujus ſignificatio non ſecatur in partes, licet ipſum ſonum, qui eſt tanquam corpus ſignificationis velut animæ, in *Luci* & *fer* dividas. In quibus tamen partibus nonnulla etiam eſt ſignificatio; licet illa perierit, qua integra vox, *Lucifer*, ſtellam matutinam ſignificat.

Lib. de Quantit. anim. c. 31.

Quid autem per iſthanc ſimilitudinem indicare voluit Auguſtinus? An duas novas animas reſultare in partibus animalis inſecti, dum diſſecatur? An potiùs interfectâ per diviſionem veteri animâ, quaſdam ejus veluti reliquias, ſive ſpiritus vitales qui ipſas vibrent & moveant, in partibus ſuperſtites remanere?

Sed quidquid demum cogitaverit, profectò iſtâ, quantumvis ingenioſà, ſimilitudine ingenio ſuo non ſatisfecit. Vnde ad Adeodatum ſubjungit: *Quæ autem ſubtiliſſimè de hoc diſputari poſſunt, ita ut non ſimilitudinibus, quæ plerumque fallunt, ſed rebus ipſis ſatis fiat, ne in præſentia expectes. Concludendus eſt tam longus ſermo &c.* Deinde fatetur: *A doctiſſimis viris dici, animam per ſeipſam nullo modo, ſed tamen per corpus poſſe partiri.*

Ibid. c. 32.

Itaque hìc fluctuat S. Auguſtinus. Et tota ratio, cur argumentum illud, de anima in capite ſentiente puncturam pedis, tanti ad aſſerendam animæ, etiam inſectorum, indiviſibilitatem fecerit; fuiſſe videtur, imperfecta illo tempore, rei Anatomicæ cognitio. Satis jam verò deprehenſum eſt, ab organis ſenſuum, nervos & canales quoſdam uſque in cerebri arcem tendi, per quos ſpiritus animales fluunt, & imaginationi, quæ in illa arce præſidet, renunciant puncturam, dolorem, aut quidquid aliud in remota corporis parte ſentitur: & ſic quidẽ, ut nuntij iſti minimè ſentiant quod nuntiant. Nam ſpiritus animales, inſenſibiles ſunt. Contra tamen id quod Auguſti-

Auguſtinus credebat. Nam in initio Artic. citatus aiebat, *non eſſe credibile*, trajectionem illam ſensûs doloris à pede ad caput, *fieri aliquo nuntio non ſentiente quod nuntiat*: ideoque conjectabat eandem indiviſibiliter animam eſſe, quæ ſentit tactu dolorem in pede, & cognoſcit imaginatione in capite. Et tamen quod incredibile eſſe dicebat, credunt jam, & ſcire ſe profitentur Medicorum filij. Cujus rei ſuſpicione ſi afflatus fuiſſet, magnum illud ingenium, quod Marte & acumine ſuo, ſine Ariſtotelis, aut cujuſquam alterius Naturalis Philoſophi lectione & ductu, in res naturæ tam altè penetravit, aliud magis reconditum ex profunditate ſua nobis deprompſiſſet.

CAPUT V.

De unitate & multitudine animarum in eodem corpore.

PHiloſophi quidam ſecundum gradus vitæ ſecundæ, multiplicant vitas primas in eodem compoſito. In plantis igitur unicam animam vegetativam; in brutis vegetativam unam, & alteram ſenſitivam; in homine tres, vegetativam, ſenſitivam, & rationalem cumulant.

Alij verò, licet non in eadem parte corporis plures animas congregent, per membra tamen eas diſpenſant: putantque aliâ ſpecie animâ caput, aliâ pectus, aliâ pedes vivere. Res iſta meretur in diſputationem diffundi, ut ſciamus, an inſtar equi Trojani pluribus animabus impleamur, aut inſtar Centaurorum binis terniſve compingamur, ut ille apud Poëtam,

Naſcenti cui tres animas Feronia mater, Æneid. 8.
Horrendum dictu, dederat, terna arma movenda,
Ter letho ſternendus erat.

ARTICVLVS I.

Philoponi opinio, de pluralitate animarum in eodem homine, non ſatis validè à quibuſdam recentioribus reÿcitur.

PHiloponi Græci Ariſtotelis Interpretis, & quorundam aliorum ſententia eſt, in eodem homine tres eſſe animas, ſerie quadam inter ſe ſic ordinatas, ut *Anima ſenſitiva*, ait Philoponus, *ad animam rationalem materiæ rationem obtineat, hæc verò ad illam habeat rationem formæ. Similiter anima vegetativa ad ſenſitivam materiæ rationem ſuſtinet; veluti etiam corpus ad animam vegetativam.*

Philop. lib. 3. tex. 91. de anima.

Itaque cenſet animam hominis vegetativam proximè ineſſe materiæ primæ; ſenſitivam verò vegetativæ, & rationalem ſenſitivæ, tanquam proximo ſubjecto.

Conimbricenſes autem, Toletus, Cavellus, Hurtadus, & alij quidam id refellunt: quia homo ex tot animabus compactus, non ſit futurus ens unius naturæ.

Sed in promptu pro Philopono eſt reſponſio. Quòd animæ illæ omnes ſint formæ incompletæ, & inter ſe ſic ſubordinatæ, ut una alteram in ſe excipiat. Sicut ergo ex materia prima & unica forma ſubſtantiali ens unius naturæ conflatur; ita ex duabus formis incompletis, quarum una alteri ſe ſubijcit, ens unius naturæ coaleſcere poteſt.

Hurtad. diſp. 1. ſect. 4. de anima.

Sed *forma ſubſtantialis*, ait Hurtadus, *non eſt ſubiectum alterius formæ ſubſtantialis: Ille enim eſt eſſentialis conceptus materiæ primæ.*

Verùm, eſſe ſubjectum formæ ſubſtantialis, non eſt totus & adæquatus conceptus materiæ primæ, reponet Philoponus, niſi ei addatur; quòd ſit tale ſubjectum formæ ſubſtantialis, quod ad officium informandi ineptum ſit. Anima autem vegetativa, etſi animam ſenſitivam in ſe ſuſcipiat, ipſa tamen erga materiam primam officium informandi exercet. Sic enim in compoſitione Logica, differentia latior ſtrictiorem, ut ſen-

ut ſenſitivum rationale, in ſe ſuſcipere cogitatur: & tamen non eſt materia prima Logica; quia ſenſitivum reſpectu gradûs adhuc latioris, videlicet ſubſtantiæ corporeæ, munus formæ Logicæ exercet.

Deinde, ſi Scoto licuit formam corporeitatis ſupponere animæ ſenſitivæ, aut rationali, tanquam ſubjectum ejus; quare animam vegetativam ſubjicere eidem ſenſitivæ, vel rationali, Philopono non licebit?

Sed *forma corporeitatis eſt naturâ ſuâ forma incompleta, diſponens materiam: at vegetativa & ſenſitiva ſunt completæ*, ait Cavellus. Cavell. diſp. 1. ſect. 7 de anim.

Sed negabit etiam iſtas animas eſſe completas Philoponus.

Accurrit verò Toletus. *Homo*, ait, *eſſet compoſitus ex bruto & anima rationali; ſcilicet ex bruto præcedenti, & ſuperveniente anima rationali.* Tolet lib. 2 c. 3. q. 7. de anima.

Philoponus reſpondebit, compoſitum ex corpore humano & animâ hominis ſenſitivâ non eſſe propriè brutum. Nam brutum, ex anima ſenſitivâ ultimâ compoſitum eſſe debet; quæ alterius rationis & ſpeciei eſt ab anima ſenſitiva hominis. Hæc enim ultima non eſt, ſed naturâ ſuâ capax formæ ulterioris.

Sed addit Toletus, *Hanc propoſitionem futuram falſam, Homo eſt animal. Item, non fore intrinſecam, nec per ſe, ſed ſicut iſtam, Album eſt dulce.*

Sed falli Toletum dicet Philoponus. Nam homo (hoc eſt compoſitum ex materia prima & triplici animâ ſubordinatâ, ut Philoponus ſentit) verè, intrinſecè, ac per ſe eſſentialiter includit animam ſenſitivam alicujus animalis. Vnde hæc propoſitio, Homo eſt animal, vera, intrinſeca, per ſe, ac eſſentialis erit.

Illud denique axioma, quod ab Averroe mutuatum, identidem jactatur: *Quidquid advenit enti in actu, eſt accidens*, facilè de ente in actu perfecto, & per ultimam formam conſtituto, Philoponus interpretabitur: negabitque formam illam eſſe neceſſariò accidentariam, quæ advenit enti adhuc incompleto, & compoſito ex materiâ primâ, & animâ vegetativâ, vel ſenſitivâ incompletâ, quæ naturâ ſuâ ad animam ulteriorem deſtinatur. Averr. lib. 1 Comment. 63. Phyſic.

Et nonne, quæſo, aliquid ſimile reſpondere oportet Averroem, ubi ei objectatur, Quomodò forma ſubſtantialis corporis mixti non ſit accidens, cùm adveniat elementis in actu per formas ſuas ſubſtantiales conſtitutis, quas ipſe actu, licet refractas, exiſtimat remanere in mixto?

Alijs igitur machinis ſtruem illam & ſuggeſtum animarum, quem ſtruxit Philoponus, diſijcere oportet.

Philoponum autem imitati ſunt Princeps Nominalium Occamus, & inter Scotiſtas Franc. Mayronius; niſi quòd duas tantùm animas realiter diſtinctas, ſenſitivam & rationalem, corpori noſtro inculcent: nam vegetativam cum ſenſitiva in unam coaleſcere jubent.

Occamum tamen ſuum (quod mirum eſt) Gregorius Arim. Gabriel, Marſilius, & univerſa Nominalium claſſis hîc deſerunt, excepto ferè unico Thomâ Bricoto, qui Occami & S. Thomæ ſententiam utrimque, & problematicè defenſat.

ARTICVLVS II.

Opinio Philoponi & Occami nimis gravi Cenſurâ à Toleto & alijs notari videtur.

SYnodus 8. Generalis, circa Annum 870. Conſtantinopoli congregata, Can. 11 dicit: *Quoſdam id temporis in tantum impietatis veniſſe, ut hominem duas animas habere impudenter dogmatizent. Tales igitur impietatis inventores, & ſimilia ſapientes, cùm vetus & novum Teſtamentum, omneſq; Eccleſiæ Patres unam animam rationalem habere hominem aſſeverent, Sancta & Univerſalis Synodus anathematizat.*

Quidam ex iſto Canone, tres Philoponi, & duas Occami animas à Synodo damnatas fuiſſe exiſtimant. Toletus illam opinionem ſaltem *erroneam & temerariam*, Conimbricenſes *minus tutam* appellant.

Sed Cavellus, & quidã alij Cenſurã iſtam nimiæ ſeveritatis arceſſunt. Videtur quippe S. Synodus duas Manichæorum rationales animas, quarum una à principio bono, altera à malo deſcen-

deſcendat, tantùm voluiſſe damnare. Ait quippe Synodus, *Vetus & novum Teſtamentum, omneſque Patres aſſeverare, hominem unam animam rationalem habere.* Quod profectò de Patribus adverſus Manichæos diſputantibus dici videtur. Nam de anima merè ſenſitiva, an ſit alia in homine præter rationalem, parùm videntur curaſſe Patres, nec *vetus & novum Teſtamentum* tam apertè de re iſta loquuntur.

Deinde Canon ille adverſus Photium Sedis Conſtantinopolitanæ, depulſo Ignatio, invaſorem editus eſt, qui Philoſophiâ ſeculari tumens, & Ignatio doctior videri volens, Manichæorum de duabus animabus errorem, ex Philoſophia ſua confirmabat; ſive id ex animo faceret, ſive ſimulando, & tentando ſolùm (ut ipſe ſe poſtea excuſavit) an in Ignatio ſatis Philoſophiæ & eruditionis eſſet, ad refellendas hæreſes, quæ humanæ Philoſophiæ quæſtiones implicitas, aut connexas habent.

Narrat enim Anaſtaſius Bibliothecarius Photium à *Conſtantino Philoſopho magnæ ſanctitatis, viro fortiſſimo, eius amico, increpatum fuiſſe, dicente, Cur tantum errorem in populum ſpargens, tot animas interfeciſſet? Et reſpondiſſe: Non ſtudio quenquam lædendi talia propoſuiſſe, ſed probandi, quid Patriarcha Ignatius ageret, ſi ſuo tempore qualibet hæreſis per ſyllogiſmos Philoſophorum exorta pateſceret; qui ſcilicet viros exterioris ſapientiæ repuliſſet.* Vbi verba iſta notanda, quibus dicit, *Errore tanto tot animas interfeciſſe*: quæ de hæreſi manifeſtè damnatâ intelligi tantùm poſſunt. Baron. ad An. 863. §. 18.

Addit deinde Toletus Conc. Viennenſe, quod Platonicos, aſſerentes animam rationalem non eſſe formam corporis informantem damnat: *Perinde autem eſt*, ait Toletus, *dicere animam rationalem non eſſe eandem cum ſenſitiva & vegetativa, & dicere non eſſe formam informantem. Vnde hanc ſententiam*, inquit, *puto aut erroneam, aut valde periculoſam.* Clement. de ſumma Trinit.

Sed iterùm Cenſor eſt nimis ſeverus. Nonne enim anima rationalis informare corpus ſuum poteſt, etiamſi operationes vegetativas, aut ſenſitivas, non per ſeipſam, ſed per aliam animam exerceat? Quid ſi enim ab anima ſenſitiva ſpecies intelligibiles haurire eam oporteat, & ob id neceſſaria ſit unio

ejus ad corpus? Quid ſi deinde anima rationalis in operationes ſenſitivas non tamen ſola, ſed cum anima ſenſitiva eam determinante, influere debeat? Quomodo quidam animam vegetativam operari nutritionem, non per ſe ſolam & immediatè, ſed per formas heterogeneas carnis, oſſis, nervi &c. cenſent.

Itaque ſententia illa Philoponi & Occami, quæ præter rationalem, unam aut alteram irrationalem animam infercit in eodem homine, falſa quidem & contra veram Philoſophiam, ſed non contra fidem Catholicam eſt, quantum opinor.

Valent. Tom. 1. d. 6. p. 3.

Scripturæ denique, quas Gregor. Valentia & alij congerunt, ut, *Inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ*, Gen. 2. *Animam non poſſunt occidere*, Matt. 10. &c. ubi fit mentio animæ hominis in ſingulari tantùm numero; evitari ab Occamo poterunt, ſi dicat, principalem, ultimam, & ſpecificam qua homo diſtinguitur à brutis, animam deſignari; de anima verò ſenſitiva, quæ utriſque communis eſt, parùm curari.

S. August. lib. 6. c. 8. contra Fauſtum. lib. 10. c. 13. de Geneſ. lib. de duab. anim. c. 14.

Allegaturque quoque S. Auguſtinus, qui multis locis ait, Manichæos aliam quandam animam, ex naturâ malâ & Deo bono contrariâ oriundam finxiſſe, qua caro adverſus ſpiritum concupiſcit. Quam dicunt fuiſſe animam tantùm ſenſitivam, qualem Occamus animæ rationali ſubjungit.

Sed ſanè falluntur. Nam mala illa anima Manichæorum non erat ſolùm ſenſitiva, ſed ſimul rationalis: cùm Dei mali quoddam ſegmentum, ſicut bonam animam Dei boni particulam eſſe ſomniarent. Deum verò ſuum malum intellectu & voluntate præditum, haud ſecus ac Deum bonum exiſtimabant. Vnde animam malam malâ ſuâ voluntate perpetuò malè velle & peccare, animamq; bonam ad ſimul peccandum ab ea cogi dicebant. Nunquam verò S. Auguſtinus dicit, aut indicat animam malam ideò eſſe ad bene agendum, aut bene volendum incapacem, quia inſtar animæ bruti, rationis particeps non eſſet.

ARTICV-

ARTICULUS III.

Vnica anima eſt in unoquoque homine, quæ ex tribus gradibus vegetativo, ſenſitivo, rationali ſolâ ratione diſtinctis coaleſcit.

HÆc enim Ariſtotelis, S. Auguſtini, S. Thomæ, Scoti, Henrici, Durandi, & Principum Philoſophorum philoſophia eſt.

Nam Ariſtoteles ait, cogitare, amare, odiſſe (utique per phantaſiam, & appetitum ſenſitivum) eſſe operationes non ſolius animæ intellectivæ, ſed communes compoſito ex anima intellectiva & corpore, *quatenus talem animam habet.* Vnde ejuſmodi operationes ceſſant corrupto corpore: *mens autem*, ſive anima rationalis, *fortaſſe divinius aliquid eſt*, inquit, *& impatibile.* Si igitur mens illa corpori conſerta, in operationes phantaſiæ, & appetitûs ſenſitivi influit, ipſa gradum animæ ſenſitivæ intra ſe continet, adeoque alia anima ſenſitiva, quæ realiter ab anima rationali diſtinguatur, neceſſaria non eſt. Ariſt. lib. 1. c. 4. tex. 66. de anima.

Vnde Gabriel novaculam iſtam Occami: *Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate* (ſive, ut Gabriel loquitur, *Non eſt ponenda pluralitas ſine ratione evidenti, aut experientiâ, vel auctoritate, cui non licet contradicere*) egregiè in ſuum auctorem ſtringit. Multiplicat enim entia ſine neceſſitate Occamus, dum animam ſenſitivam hominis à rationali diſtinguit. Axioma autem illud novaculam Occami & Nominalium voco; quia per illud omnes entitates diſtinctas circumcîdunt & abradunt, relictâ ſolâ nominum pluralitate; unde & Nominalium appellationem ſortiti ſunt. Gabr. in 2. d. 16. q. 1.

Deinde eodem argumento uti poſſumus, quo S. Auguſtinus duas Manichæorum animas rejicit. Cùm enim illi ex rebellione carnis & ſpiritûs, ſive, *quia in deliberando nunc in malam partem, nunc in bonam nutat aſſenſio*, duas illas animas homini conarentur

ejus ad corpus? Quid ſi deinde anima rationalis in operationes ſenſitivas non tamen ſola, ſed cum anima ſenſitiva eam determinante, influere debeat? Quomodo quidam animam vegetativam operari nutritionem, non per ſe ſolam & immediatè, ſed per formas heterogeneas carnis, oſſis, nervi &c. cenſent.

Itaque ſententia illa Philoponi & Occami, quæ præter rationalem, unam aut alteram irrationalem animam infercit in eodem homine, falſa quidem & contra veram Philoſophiam, ſed non contra fidem Catholicam eſt, quantum opinor.

Valent. Tom. 1. d. 6. p. 3.

Scripturæ denique, quas Gregor. Valentia & alij congerunt, ut, *Inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ*, Gen. 2. *Animam non poſſunt occidere*, Matt. 10. &c. ubi fit mentio animæ hominis in ſingulari tantùm numero; evitari ab Occamo poterunt, ſi dicat, principalem, ultimam, & ſpecificam qua homo diſtinguitur à brutis, animam deſignari; de anima verò ſenſitiva, quæ utriſque communis eſt, parùm curari.

S. Auguſt. lib. 6. c. 8. contra Fauſtum. lib. 10. c. 13. de Geneſ. lib. de duab. anim. c. 14.

Allegatur quoque S. Auguſtinus, qui multis locis ait, Manichæos aliam quandam animam, ex naturâ malâ & Deo bono contrariâ oriundam finxiſſe, qua caro adverſus ſpiritum concupiſcit. Quam dicunt fuiſſe animam tantùm ſenſitivam, qualem Occamus animæ rationali ſubjungit.

Sed ſanè falluntur. Nam mala illa anima Manichæorum non erat ſolùm ſenſitiva, ſed ſimul rationalis: cùm Dei mali quoddam ſegmentum, ſicut bonam animam Dei boni particulam eſſe ſomniarent. Deum verò ſuum malum intellectu & voluntate præditum, haud ſecus ac Deum bonum exiſtimabant. Vnde animam malam malâ ſuâ voluntate perpetuò malè velle & peccare, animamq; bonam ad ſimul peccandum ab ea cogi dicebant. Nunquam verò S. Auguſtinus dicit, aut indicat animam malam ideò eſſe ad bene agendum, aut bene volendum incapacem, quia inſtar animæ bruti, rationis particeps non eſſet.

ARTICVLVS III.

Vnica anima eſt in unoquoque homine, quæ ex tribus gradibus vegetativo, ſenſitivo, rationali ſolâ ratione diſtinctis coaleſcit.

HÆc enim Ariſtotelis, S. Auguſtini, S. Thomæ, Scoti, Henrici, Durandi, & Principum Philoſophorum philoſophia eſt.

Nam Ariſtoteles ait, cogitare, amare, odiſſe (utique per phantaſiam, & appetitum ſenſitivum) eſſe operationes non ſolius animæ intellectivæ, ſed communes compoſito ex anima intellectiva & corpore, *quatenus talem animam habet.* Vnde ejuſmodi operationes ceſſant corrupto corpore: *mens autem*, ſive anima rationalis, *fortaſſe divinius aliquid eſt*, inquit, *& impatibile*. Si igitur mens illa corpori conſerta, in operationes phantaſiæ, & appetitûs ſenſitivi influit, ipſa gradum animæ ſenſitivæ intra ſe continet, adeoque alia anima ſenſitiva, quæ realiter ab anima rationali diſtinguatur, neceſſaria non eſt. Ariſt. lib. 1. c. 4. tex. 66. de anima.

Vnde Gabriel novaculam iſtam Occami: *Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate* (ſive, ut Gabriel loquitur, *Non eſt ponenda pluralitas ſine ratione evidenti, aut experientiâ, vel auctoritate, cui non licet contradicere*) egregiè in ſuum auctorem ſtringit. Multiplicat enim entia ſine neceſſitate Occamus, dum animam ſenſitivam hominis à rationali diſtinguit. Axioma autem illud ne[illegible] Occ[illegible] Nominalium voco; quia per illud omn[illegible]s di[illegible]rcumcîdunt & abradunt, relictâ ſ[illegible]m [illegible] unde & Nominalium ap[illegible]latio[illegible] ſu[illegible] Gabr. in 2. d. 16. q. 1.

[illegible] an[illegible] poſ[illegible] quo S. Auguſti[illegible]hæ[illegible]s re[illegible]n enim illi ex re[illegible]s & [illegible]e, [illegible]*rando nunc in ma*[illegible]*nc*[illegible]*at a*[illegible]las animas homini conarentur.

ejus ad corpus? Quid ſi deinde anima rationalis in operationes ſenſitivas non tamen ſola, ſed cum anima ſenſitiva eam determinante, influere debeat? Quomodo quidam animam vegetativam operari nutritionem, non per ſe ſolam & immediatè, ſed per formas heterogeneas carnis, oſſis, nervi &c. cenſent.

Itaque ſententia illa Philoponi & Occami, quæ præter rationalem, unam aut alteram irrationalem animam infercit in eodem homine, falſa quidem & contra veram Philoſophiam, ſed non contra fidem Catholicam eſt, quantum opinor.

Valent. Tom. 1. d. 6. p. 3. Scripturæ denique, quas Gregor. Valentia & alij congerunt, ut, *Inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ*, Gen. 2. *Animam non poſſunt occidere*, Matt. 10. &c. ubi fit mentio animæ hominis in ſingulari tantùm numero; evitari ab Occamo poterunt, ſi dicat, principalem, ultimam, & ſpecificam qua homo diſtinguitur à brutis, animam deſignari; de anima verò ſenſitiva, quæ utriſque communis eſt, parùm curari.

S. Auguſt. lib. 6. c. 8. contra Fauſtum. lib. 10. c. 13. de Geneſ. lib. de duab. anim. c. 14. Allegatur quoque S. Auguſtinus, qui multis locis ait, Manichæos aliam quandam animam, ex naturâ malâ & Deo bono contrariâ oriundam finxiſſe, qua caro adverſus ſpiritum concupiſcit. Quam dicunt fuiſſe animam tantùm ſenſitivam, qualem Occamus animæ rationali ſubjungit.

Sed ſanè falluntur. Nam mala illa anima Manichæorum non erat ſolùm ſenſitiva, ſed ſimul rationalis: cùm Dei mali quoddam ſegmentum, ſicut bonam animam Dei boni particulam eſſe ſomniarent. Deum verò ſuum malum intellectu & voluntate præditum, haud ſecus ac Deum bonum exiſtimabant. Vnde animam malam malâ ſuâ voluntate perpetuò malè velle & peccare, animamq; bonam ad ſimul peccandum ab ea cogi dicebant. Nunquam verò S. Auguſtinus dicit, aut indicat animam malam ideò eſſe ad bene agendum, aut bene volendum incapacem, quia inſtar animæ bruti, rationis particeps non eſſet.

ARTICVLVS III.

Vnica anima eſt in unoquoque homine, quæ ex tribus gradibus vegetativo, ſenſitivo, rationali ſolâ ratione diſtinctis coaleſcit.

HÆc enim Ariſtotelis, S. Auguſtini, S. Thomæ, Scoti, Henrici, Durandi, & Principum Philoſophorum philoſophia eſt.

Nam Ariſtoteles ait, cogitare, amare, odiſſe (utique per phantaſiam, & appetitum ſenſitivum) eſſe operationes non ſolius animæ intellectivæ, ſed communes compoſito ex anima intellectiva & corpore, *quatenus talem animam habet.* Vnde ejuſmodi operationes ceſſant corrupto corpore: *mens autem*, ſive anima rationalis, *fortaſſe divinius aliquid eſt*, inquit, *& impatibile.* Si igitur mens illa corpori conſerta, in operationes phantaſiæ, & appetitûs ſenſitivi influit, ipſa gradum animæ ſenſitivæ intra ſe continet, adeoque alia anima ſenſitiva, quæ realiter ab anima rationali diſtinguatur, neceſſaria non eſt. Ariſt. lib. 1. c. 4. tex. 66. de anima.

Vnde Gabriel novaculam iſtam Occami: *Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate* (ſive, ut Gabriel loquitur, *Non eſt ponenda pluralitas ſine ratione evidenti, aut experientiâ, vel auctoritate, cui non licet contradicere*) egregiè in ſuum auctorem ſtringit. Multiplicat enim entia ſine neceſſitate Occamus, dum animam ſenſitivam hominis à rationali diſtinguit. Axioma autem illud no[illegible] Occa[illegible] Nominalium voco; quia per illud omn[illegible]s di[illegible]ircumcîdunt & abradunt, relictâ ſ[illegible]m [illegible] unde & Nominalium ap[illegible]lati[illegible] ſu[illegible] Gabr. in 2. d. 16. q. 1.

[illegible]n ap[illegible] poſſi[illegible], quo S. Auguſti[illegible]chæ[illegible]s re[illegible]n enim illi ex re[illegible]s & [illegible]e, [illegible]*rando nunc in ma*[illegible]*nc*[illegible] *et a*[illegible]as animas homini conarentur

ejus ad corpus? Quid ſi deinde anima rationalis in operationes ſenſitivas non tamen ſola, ſed cum anima ſenſitiva eam determinante, influere debeat? Quomodo quidam animam vegetativam operari nutritionem, non per ſe ſolam & immediatè, ſed per formas heterogeneas carnis, oſſis, nervi &c. cenſent.

Itaque ſententia illa Philoponi & Occami, quæ præter rationalem, unam aut alteram irrationalem animam infercit in eodem homine, falſa quidem & contra veram Philoſophiam, ſed non contra fidem Catholicam eſt, quantum opinor.

Valent. Tom. 1. d. 6. p. 3.

Scripturæ denique, quas Gregor. Valentia & alij congerunt, ut, *Inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ*, Gen. 2. *Animam non poſſunt occidere*, Matt. 10. &c. ubi fit mentio animæ hominis in ſingulari tantùm numero; evitari ab Occamo poterunt, ſi dicat, principalem, ultimam, & ſpecificam qua homo diſtinguitur à brutis, animam deſignari; de anima verò ſenſitiva, quæ utriſque communis eſt, parùm curari.

S. Auguſt. lib. 6. c. 8. contra Fauſtum. lib. 10. c. 13. de Geneſ. lib. de duab. anim. c. 14.

Allegatur quoque S. Auguſtinus, qui multis locis ait, Manichæos aliam quandam animam, ex naturâ malâ & Deo bono contrariâ oriundam finxiſſe, qua caro adverſus ſpiritum concupiſcit. Quam dicunt fuiſſe animam tantùm ſenſitivam, qualem Occamus animæ rationali ſubjungit.

Sed ſanè falluntur. Nam mala illa anima Manichæorum non erat ſolùm ſenſitiva, ſed ſimul rationalis: cùm Dei mali quoddam ſegmentum, ſicut bonam animam Dei boni particulam eſſe ſomniarent. Deum verò ſuum malum intellectu & voluntate præditum, haud ſecus ac Deum bonum exiſtimabant. Vnde animam malam malâ ſuâ voluntate perpetuò malè velle & peccare, animamq; bonam ad ſimul peccandum ab ea cogi dicebant. Nunquam verò S. Auguſtinus dicit, aut indicat animam malam ideò eſſe ad bene agendum, aut bene volendum incapacem, quia inſtar animæ bruti, rationis particeps non eſſet.

ARTICVLVS III.

Vnica anima eſt in unoquoque homine, quæ ex tribus gradibus vegetativo, ſenſitivo, rationali ſolâ ratione diſtinctis coaleſcit.

HÆc enim Ariſtotelis, S. Auguſtini, S. Thomæ, Scoti, Henrici, Durandi, & Principum Philoſophorum philoſophia eſt.

Nam Ariſtoteles ait, cogitare, amare, odiſſe (utique per phantaſiam, & appetitum ſenſitivum) eſſe operationes non ſolius animæ intellectivæ, ſed communes compoſito ex anima intellectiva & corpore, *quatenus talem animam habet.* Vnde ejuſmodi operationes ceſſant corrupto corpore: *mens autem*, ſive anima rationalis, *fortaſſe divinius aliquid eſt*, inquit, *& impatibile.* Si igitur mens illa corpori conſerta, in operationes phantaſiæ, & appetitûs ſenſitivi influit, ipſa gradum animæ ſenſitivæ intra ſe continet, adeoque alia anima ſenſitiva, quæ realiter ab anima rationali diſtinguatur, neceſſaria non eſt. Ariſt. lib. 1. c. 4. tex. 66. de anima.

Vnde Gabriel novaculam iſtam Occami: *Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate* (ſive, ut Gabriel loquitur, *Non eſt ponenda pluralitas ſine ratione evidenti, aut experientiâ, vel auctoritate, cui non licet contradicere*) egregiè in ſuum auctorem ſtringit. Multiplicat enim entia ſine neceſſitate Occamus, dum animam ſenſitivam hominis à rationali diſtinguit. Axioma autem illud no... n Occa... Nominalium voco; quia per illud omn... s di... ircumcîdunt & abradunt, relictâ ſ... m ... unde & Nominalium ap-pellatio... ſu... Gabr. in 2. d. 16. q. 1.

... b an... poſſu..., quo S. Auguſti- ... chæ... s rei... n enim illi ex re- ... s & ... e, ... *rando nunc in ma-* ... ung... *as aſ*... as animas homini conarentur

Et nonne, quæſo, aliquid ſimile reſpondere oportet Averroem, ubi ei objectatur, Quomodò forma ſubſtantialis corporis mixti non ſit accidens, cùm adveniat elementis in actu per formas ſuas ſubſtantiales conſtitutis, quas ipſe actu, licet refractas, exiſtimat remanere in mixto?

Alijs igitur machinis ſtruem illam & ſuggeſtum animarum, quem ſtruxit Philoponus, diſijcere oportet.

Philoponum autem imitati ſunt Princeps Nominalium Occamus, & inter Scotiſtas Franc. Mayronius; niſi quòd duas tantùm animas realiter diſtinctas, ſenſitivam & rationalem, corpori noſtro inculcent: nam vegetativam cum ſenſitiva in unam coaleſcere jubent.

Occamum tamen ſuum (quod mirum eſt) Gregorius Arim. Gabriel, Marſilius, & univerſa Nominalium claſſis hîc deſerunt, excepto ferè unico Thomâ Bricoto, qui Occami & S. Thomæ ſententiam utrimque, & problematicè defenſat.

ARTICVLVS II.

Opinio Philoponi & Occami nimis gravi Cenſurâ à Toleto & alijs notari videtur.

SYnodus 8. Generalis, circa Annum 870. Conſtantinopoli congregata, Can. 11. dicit: *Quoſdam id temporis in tantum impietatis veniſſe, ut hominem duas animas habere impudenter dogmatizent. Tales igitur impietatis inventores, & ſimilia ſapientes, cùm vetus & novum Teſtamentum, omneſq́; Eccleſiæ Patres unam animam rationalem habere hominem aſſeverent, Sancta & Vniverſalis Synodus anathematizat.*

Quidam ex iſto Canone, tres Philoponi, & duas Occami animas à Synodo damnatas fuiſſe exiſtimant. Toletus illam opinionem ſaltem *erroneam & temerariam*, Conimbricenſes *minus tutam* appellant.

Sed Cavellus, & quidã alij Cenſurã iſtam nimiæ ſeveritatis arceſſunt. Videtur quippe S. Synodus duas Manichæorum rationales animas, quarum una à principio bono, altera à malo deſcen-

deſcendat, tantùm voluiſſe damnare. Ait quippe Synodus, *Vetus & novum Teſtamentum, omneſque Patres aſſeverare, hominem unam animam rationalem habere.* Quod profectò de Patribus adverſus Manichæos diſputantibus dici videtur. Nam de anima merè ſenſitiva, an ſit alia in homine præter rationalem, parùm videntur curaſſe Patres, nec *vetus & novum Teſtamentum* tam apertè de re iſta loquuntur.

Deinde Canon ille adverſus Photium Sedis Conſtantinopolitanæ, depulſo Ignatio, invaſorem editus eſt, qui Philoſophiâ ſeculari tumens, & Ignatio doctior videri volens, Manichæorum de duabus animabus errorem, ex Philoſophia ſua confirmabat; ſive id ex animo faceret, ſive ſimulando, & tentando ſolùm (ut ipſe ſe poſtea excuſavit) an in Ignatio ſatis Philoſophiæ & eruditionis eſſet, ad refellendas hæreſes, quæ humanæ Philoſophiæ quæſtiones implicitas, aut connexas habent.

Narrat enim Anaſtaſius Bibliothecarius Photium *à Conſtantino Philoſopho magnæ ſanctitatis, viro fortiſſimo, eius amico, increpatum fuiſſe, dicente, Cur tantum errorem in populum ſpargens, tot animas interfeciſſet? Et reſpondeſſe: Non ſtudio quenquam lædendi talia propoſuiſſe, ſed probandi, quid Patriarcha Ignatius ageret, ſi ſuo tempore qualibet hæreſis per ſyllogiſmos Philoſophorum exorta pateſceret; qui ſcilicet viros exterioris ſapientiæ repuliſſet.* Vbi verba iſta notanda, quibus dicit, *Errore tanto tot animas interfeciſſe*: quæ de hæreſi manifeſtè damnatâ intelligi tantùm poſſunt. Baron. ad An. 863. §. 18.

Addit deinde Toletus Conc. Viennenſe, quod Platonicos, aſſerentes animam rationalem non eſſe formam corporis informantem damnat: *Perinde autem eſt*, ait Toletus, *dicere animam rationalem non eſſe eandem cum ſenſitiva & vegetativa, & dicere non eſſe formam informantem. Vnde hanc ſententiam*, inquit, *puto aut erroneam, aut valde periculoſam.* Clement. de ſumma Trinit.

Sed iterùm Cenſor eſt nimis ſeverus. Nonne enim anima rationalis informare corpus ſuum poteſt, etiamſi operationes vegetativas, aut ſenſitivas, non per ſeipſam, ſed per aliam animam exerceat? Quid ſi enim ab anima ſenſitiva ſpecies intelligibiles haurire eam oporteat, & ob id neceſſaria ſit unio

ARTICVLVS III.

Vnica anima eſt in unoquoque homine, quæ ex tribus gradibus vegetativo, ſenſitivo, rationali ſolâ ratione diſtinctis coaleſcit.

HÆc enim Ariſtotelis, S. Auguſtini, S. Thomæ, Scoti, Henrici, Durandi, & Principum Philoſophorum philoſophia eſt.

Nam Ariſtoteles ait, cogitare, amare, odiſſe (utique per phantaſiam, & appetitum ſenſitivum) eſſe operationes non ſolius animæ intellectivæ, ſed communes compoſito ex anima intellectiva & corpore, *quatenus talem animam habet.* Vnde ejuſmodi operationes ceſſant corrupto corpore: *mens autem*, ſive anima rationalis, *fortaſſe divinius aliquid eſt*, inquit, *& impatibile.* Si igitur mens illa corpori conſerta, in operationes phantaſiæ, & appetitûs ſenſitivi influit, ipſa gradum animæ ſenſitivæ intra ſe continet, adeoque alia anima ſenſitiva, quæ realiter ab anima rationali diſtinguatur, neceſſaria non eſt. Ariſt. lib. 1. c. 4. tex. 66. de anima.

Vnde Gabriel novaculam iſtam Occami: *Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate* (ſive, ut Gabriel loquitur, *Non eſt ponenda pluralitas ſine ratione evidenti, aut experientiâ, vel auctoritate, cui non licet contradicere*) egregiè in ſuum auctorem ſtringit. Multiplicat enim entia ſine neceſſitate Occamus, dum animam ſenſitivam hominis à rationali diſtinguit. Axioma autem illud nouaculam Occami & Nominalium voco; quia per illud omnes entitates diſtinctas circumcidunt & abradunt, relictâ ſolâ nominum pluralitate; unde & Nominalium appellationem ſortiti ſunt. Gabr. in 2. d. 16. q. 1.

Deinde eodem argumento uti poſſumus, quo S. Auguſtinus duas Manichæorum animas reijcit. Cùm enim illi ex rebellione carnis & ſpiritûs, ſive, *quia in deliberando nunc in malam partem, nunc in bonam nutat aſſenſio*, duas illas animas homini

conarentur

S.Auguſt. lib.de duab. anim.c.13. conarentur inſerere; S. Auguſtinus unicam potiùs inde aſtruendam eſſe contendit. *Cur enim non magis*, inquit, *hoc ſignum eſt unius animæ, quæ libera illa voluntate huc & illuc ferri, hinc atque hinc referri poteſt? Nam mihi cùm accidit, unum me eſſe ſentio utrumque conſiderantem, alterutrum eligentem; ſed plerumque illud libet, hoc decet; quorum nos in medio poſiti fluctuamus. Nec mirum: ita enim nunc conſtituti ſumus; ut & per carnem voluptate affici, & per ſpiritum honeſtate poſſimus. Quare non duas animas fateri cogor. Poſſumus enim meliùs & multo expeditiùs intelligere duo genera rerum bonarum; quorum tamen neutrum ab auctore Deo ſit alienum, unam animam ex diverſis afficere partibus, inferiore ac ſuperiore, vel, quod rectè ita dici poteſt, exteriore atque interiore.*

In pugna igitur carnis & ſpiritùs, anima quæ carnalium voluptatum dulcedinem & blandimenta, ab una parte conſiderat, eadem eſt cum anima quæ virtutis honeſtatem, ab altera contemplatur; ut utra præponderet intelligat, & ſe ei inlinet.

Igitur unica anima eſt, quæ ſenſitiva eſt & rationalis. Nam animæ ſenſitivæ eſt, per imaginationem voluptates ſenſibiles ſibi repræſentare, eaſque per appetitum ſenſitivum appetere. Rationalis verò animæ officium eſt, virtutis honeſtatem per intellectum apprehendere, & eam voluntate diligere.

Quam doctrinam ſæpe, & adverſus Iulianum apertè confirmat S. Auguſtinus. Lib.6.c.14. contra Iul. *Motibus ſuis*, ait, *anima quos habet ſecundum ſpiritum adverſatur alijs motibus ſuis, quos habet ſecundum carnem. Et rurſus motibus ſuis quos habet ſecundum carnem, adverſatur alijs motibus ſuis, quos habet ſecundum ſpiritum. Et ideo dicitur caro concupiſcere adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem.*

Et alibi iterùm: Lib. 10. c. 12. de Geneſ. *Bonis deſiderijs, quibus ſola anima concupiſcit, cùm adverſatur aliquid quod eandem animam ſecundum carnem delectat, tunc dicitur caro concupiſcere adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem. Sic enim dicta eſt caro, in eo quod ſecundam ipſam facit anima, cùm ait, Caro concupiſcit; quemadmodum dictum eſt, Auris audit & oculus videt. Quis enim neſciat, quòd anima potiùs & per aurem audiat, & per oculum videat?*

S. Anſel. lib.de concept. virg. c. 4. Vnde S. Anſelmus Magiſtri ſui ſenſum ſecutus, & optimè aſſecutus: *Quidquid faciunt membra*, inquit, *totum imputandum eſt voluntati.*

voluntati. Quod cùm ita ſit, miratur forſitan quis, cur pro culpa voluntatis, membra puniantur vel ſenſus. Verùm non ita eſt: non enim punitur, niſi voluntas. Nam nihil eſt alicui pœna, niſi quod eſt contra voluntatem; membra autem & ſenſus per ſe nihil volunt. Sicut igitur voluntas in membris & ſenſibus operatur; ita in illis ipſa torquetur aut delectatur. Quod ſi non accipit, ſciat in ſenſibus & membris non niſi animam, in qua eſt voluntas, ſentire & operari, & ideo in illis torqueri aut delectari.

Attende ad iſta verba: *In ſenſibus & membris non niſi anima, in qua eſt voluntas, ſentit & operatur.* Quânam enim phraſi magis diſertâ dicere potuit, ſolam animam rationalem, ſine alia ſenſitiva diſtincta, ſenſuum noſtrorum operationes exercere?

Et ſanè, ſi alia anima eſſet, quæ carnales voluptates in homine appetit, & alia, quæ ad ſpiritualia bona ſe erigit; qua quæſo, ratione, gratia voluntati animæ rationalis infuſa, inferioris animę ſenſitivę motus reprimere valeret? Elevet enim ſe quantumlibet in altum voluntas animæ rationalis; appetitum tamen animæ ſenſitivæ ſecum ſurſum non reflectet, nec refrenare aut ſuſpendere eam poterit, quin affectus ſuos verſus terram declinet. Si enim anima ſenſitiva realiter à rationali diſtinguatur, nulla inter eas ſympathia erit; qualis eſt inter duas potentias (ut voluntatem, & appetitum ſenſitivum) quæ in eadem anima radicantur.

Si verò fingas, animæ rationalis influxum neceſſarium quoque eſſe ad animæ ſenſitivæ operationes; & ideo appetitûs ſenſitivi paſſiones, quibus ad voluptates carnis ſe inclinat, poſſe ab anima rationali per ſympathiam quandam reprimi ac ſuſpendi: ſtatim illius influxûs ſuperfluitas apparebit. Nam appetitus animæ ſenſitivæ brutorum tali influxu animæ ſuperioris non indiget. Ac deinde, ſi anima rationalis ad appetitûs ſenſitivi paſſiones concurrere debet, non opus eſt alia animâ ſenſitivâ, quæ animam rationalem ad talem concurſum determinet; cùm per nudam potentiam appetitivam accidentalem ſufficienter determinari queat.

Ex ſuperioribus S. Auguſtini teſtimonijs facilè intelligitur, quid ſibi velit, quando ſpiritum hominis ab ejus anima di-

 ſtinguit.

S. Aug. lib. de fide & ſymbolo c. 10.

ſtinguit. Vt cùm alicubi dicit: *Tria ſunt quibus homo conſtat, ſpiritus, anima, & corpus. Quæ rurſus duo dicuntur; quia ſæpe anima ſimul cum ſpiritu nominatur. Pars enim quædam ejuſdem rationalis, qua carent beſtiæ, ſpiritus dicitur. Principale noſtrum, ſpiritus eſt. Deinde vita, qua coniungimur corpori, anima dicitur. Poſtremò iſtud quod viſibile eſt ultimum noſtrum, eſt corpus.*

Lib. 15. c. 1 Trinit.

Non enim vult ſpiritum & animam in anima rationali eſſe res duas reapſe, ſed ſola conſideratione diſtinctas, ſive *quodam loquendi more*, ut alibi diſertè dicit. *Nomine mentis*, ait, *nonnulli Auctores linguæ Latinæ, id quod excellit in homine, & non eſt in pecore, ab anima, quæ ineſt & pecori, ſuo quodam loquendi modo diſtingunt.*

S. Tho. 1. p. q. 76. a. 4.

Quam doctrinam illuſtrans S. Thomas: *Dicendum eſt*, ait, *quòd nulla alia forma ſubſtantialis eſt in homine, niſi ſola anima intellectiva. Et quòd ipſa, ſicut virtute continet animam ſenſitivam & nutritivam; ita virtute continet omnes inferiores formas, & facit ipſa ſola quidquid imperfectiores formæ in aliis faciunt. Et ſimiliter dicendum de anima ſenſitiva in brutis, & de anima nutritiva in plantis, & univerſaliter de omnibus perfectioribus reſpectu imperfectiorum.*

S. Tho. ibid. a. 3.

Deinde utens eleganti Ariſtotelis comparatione, qua animam rationalem pentagono, ſive figuræ quinquangulari aſſimilat, quæ tetragonum & trigonum, ſeu quadrangularem & triangularem in ſe continet; & tamen figura unica eſt. *Sicut*, ait, *ſuperficies quæ habet figuram pentagonam, non per aliam figuram eſt tetragona, & per aliam pentagona (quia ſuperflueret figura tetragona, ex quo in pentagona continetur;) ita nec per aliam animam Socrates eſt homo, & per aliam animal, ſed per unam & eandem.*

Denique, ſi in homine aliqua anima purè ſenſitiva ſubſternatur rationali, materia priùs ad illam diſponetur, quàm ad animam rationalem ei ſuperinductam, Occamo etiam fatente; quemadmodum in prima hominis in utero formatione, diſpoſitiones ad animam vegetativam & ſenſitivam vialem antecurrunt diſpoſitiones animæ rationalis. Cùm autem ædificia incipiant à culmine diſſolvi, ultimæ diſpoſitiones quæ animam rationalem ſenſitivæ ſuperinduxerunt, reſolventur in morte hominis, ante animæ ſenſitivæ diſpoſitiones; & ſic

homo

homo non totus morietur, ſed compoſitum ex anima ſenſitiva & humano corpore ſuperſtes remanebit,

Non ignoro Bricoti reſponſionem: Non poſſe ſcilicet hoc naturaliter accidere, quia anima rationalis, inquit, corpore non egreditur, niſi ſenſitivam ſecum trahat. Sed ſine ratione & gratis hoc aſſeritur; cùm diverſæ ſint utriuſque animæ diſpoſitiones. Vnde in mortibus hominum videbimus ſæpe ipſos (niſi utriuſque animæ diſpoſitiones à cauſis vehementibus ſimul deſtruantur) in ſatyros & homines ſilveſtres reſolvi, & ex lecto mortis non efferri ad ſepulchum, ſed in ſilvas aufugere. Fatetur enim Bricotus, quid ſimile eventurum, ſi virtute divinâ eriperetur homini anima rationalis, ſenſitivâ ſolâ remanente. *Illud enim eſſet brutum talis ſpeciei*, inquit, *cujus dicuntur eſſe homines ſilveſtres; qui propter magnam ſimilitudinem in figura, corporibus, & operationibus, dicuntur homines; carent tamen anima rationali.* Sed tales ſatyros & ſilenos, ſimiliſque turpitudinis & formæ ſemihomines, corpore noſtro nos circumferre credemus, quando viderimus homines integros, cùm moriuntur, in ejuſmodi monſtra deſtrui ac reſolvi. Tho. Bricot lib. 2. de anima.

ARTICVLVS IV.

An formæ quædam ſubſtantiales inanimæ, præter animas, in viventibus ſint ponendæ. Et primùm, An elementorum formæ.

PHiloſophi ac Medici non pauci, non contenti unicâ formâ viventis, quæ eſt anima, multis alijs ſubſtantialibus formis inanimis corpora viventia onerant.

In primis enim formas ſubſtantiales elementorum, non tantùm in viventibus, ſed in quovis mixto remanere ſuperſtites quidam credunt. *Sunt enim*, ait Valleſius, *qui elementa non nihil retinere ſuas naturas aſſeverant, atque priuſquam in hanc compoſitionem coiviſſent. In horum numero eſt Avicenna, Auctor non omnino* Franc. Valleſ. lib. 1 c. 1. Controv.

mino contemnendus. Alij (in quibus Ariſtotelem, Galenum Hippocratem ſtatuo) ſolas elementorum qualitates ſervari, reliqua corrumpi putant. Eſt Averroes, qui media via voluit incedere, dicens retinere elementa formas, quæ ſubſtantiales appellantur, ſed remiſſas, & ſuas naturas non conſtituentes; ac proinde neque ſpecierum tribuentes appellationes.

Ariſt. lib. 2. c. 1. de parab. animal. Et ſanè Ariſtoteles, (etſi Dandinus & alij ambigua quædam loca in contrarium ducant) dilucidè alicubi ait, *Mixtum fortaſſe meliùs dici poſſe, ex virtutibus confici elementorum. Humiditas enim & ſiccitas, caliditas, & frigiditas materia ſunt corporum mixtorum.* Addit autem particulam dubitandi, *fortaſſe;* quia alibi fluctuando dicit, elementa δυνάμει ἢ ἐνεργείᾳ *virtute vel actu*, ineſſe corpori mixto. Lib. 3. c. 3. de cælo.

Galenus verò & Hippocrates, ſi interdum dicant elementorum formas manere in mixto, mirum non eſt; quia non alias in elementis formas, quam qualitates primas agnoſcunt, ut Medicorum doctiſſimi etiam fatentur. *Eſculenta & potulenta*, ait Galenus, *ex aëre, igni, aqua, & terra gignuntur. Quæ ſanè ex nullo ampliùs corpore conſtituta ſunt, ſed ex materia & qualitatibus tantùm quas ipſorum eſſe principia concedimus, elementa autem nequaquam. Tametſi elementa ab ipſis qualitatibus habeant, quòd elementa ſint. Siquidem ſi ſummus calor materiæ accedat, iam id totum elementum ignis evadet: ſimiliterque de ceteris qualitatibus tribus dicendum.* Eadem videtur Lactantij ſententia: *Subſtantia ignis, calor eſt*, inquit, *aquæ, humor.* Galen. lib. 1 de elem. Lactant. lib. 2. divin. Inſtit.

Verùm Philoſophia verior formas ſubſtantiales, qualitatibus primis excellentiores, in elementis admittit. *Nam elementa, quamvis in alias formas* (corporum mixtorum) *formanda; tamen quia iam elementa ſunt, etiam ſpeciebus proprijs diſtinguuntur*, ait S. Auguſtinus; *Hyle autem* (ſive materia prima) *non ſunt, quia illa eſt prorſus informis.* S. Auguſt. lib. 20. c. 14. contra Fauſt.

Formas verò elementorum ſubſtantiales manere incolumes in mixtis negat S. Thomas, Scotus, Durandus, & tota Philoſophorum Nobilitas.

Errant igitur Bodinus, Dandinus, & quotquot contra eos pugnant. *Tametſi non videtur ignis in phyſicis corporibus*, ait Bodi- Bodin. lib. 2. Theat.

ait Bodinus, *ineſt tamen in omnibus compoſitis, etiamſi plus hic appareat, quàm illic.* Quî ſic Bodine? *Argumento ſit*, ait, *quod omnia corpora motu vehementi calorem, vehementiore ardorem, vehementiſſimo flammam concipiant. Qui ſi non eſſet in compoſitis, non ex ijs eliceretur. Argumento ſit, quòd ligna arentia citiùs, viridia tardiùs attritu ſolo inflammantur, & in arentibus lignis pinguia omnium celerrimè attrita ignem promunt, ut lauri, ficûs, nucis, hederæ, oleæ, piceæ.*

Ignis tamen nec in chalybe & ſilice, nec in omnibus iſtis lignis aridis latet, mi Bodine, ſed attritu & rarefactione pinguium & inflammabilium ſpirituum, qui intus latent, generatur & excitatur,

Quare verò potiùs mixta ex elementis, quàm elementa ex mixtis oriri dicantur, ſi materiâ eâdem conſtent, & qualitates primas communes habeant, rationem concinnam reddit S. Thomas: *Quia in quolibet genere id quod maximè dicitur eſt principium aliorum, & alia dicuntur ſecundum ordinem ad ipſum: ſicut ignis, qui eſt maximè calidus, eſt cauſa caliditatis in corporibus mixtis; quæ in tantum dicuntur calida, in quantum participant de igne.* S. Th. 1. 2. q. 90. a. 2.

Quia igitur elementa qualitates illas primas, ex quibus refractis mixti temperies componitur, habent ſibi naturales in ſummo gradu; ideo mixta illas ab elementis participare dicuntur; etiamſi fortaſſe à ſole, ſtellis, vel ab alijs cauſis acceperint.

Quantum verò ad materiam, prima corpora mixta in principio Orbis conditi, ex terra & aqua à Deo facta ſunt. Deinde alimenta, ex quibus viventia jam nutriuntur & incrementa ſumunt, ex terra & aqua ſuccum materiamque proximè aut remotè rapiunt; ideoque meritò tam qualitatum primarum temperiem, quàm materiam totam indidem mutuari dicuntur.

Denique contra eos qui elementorum formas viventibus & omnibus mixtis inculcant, ſemper pugnat illud commune S. Thomæ & aliorum argumentum: *Quod forma ſubſtantialis perfectior virtute contineat omnes formas inferiores, & faciat*

 ipſa

S.Tho.1.p. q. 76. a. 4. *ipſa ſola quidquid imperfectiores formæ in alijs faciunt.* Vnde unica anima in plantis, brutis, hominibus, proximè unita materiæ primæ cum ſuis qualitatibus primis refractis, omne id præſtat corpori ſuo, quod poſſent formæ elementorum, ſi inter animam & materiam primam interjicerentur. Nullo igitur uſui formæ iſtæ elementares in mixto relinquuntur; & ſolùm ad falſificandum Ariſtotelis & Peripateticorum vulgatum ac receptum iſtud axioma, Generatio unius eſt corruptio alterius. Certè enim generatio mixti proximè ex elementis, non eſt corruptio elementorum, ſi elementa ſecundum ſuas formas compoſitionem mixti ingrediuntur.

Ratio verò illa S. Thomæ, quòd forma unica perfectior materiæ ſufficienter tribuat quidquid forma imperfectior poſſet, ſatis etiam oſtendit, formam corporeitatis ex ſupervacuo aſſeri, & animæ rationali ſubſterni à Scotiſtis. Nam, ut alibi adhuc S. Thomas aſſeverat: In *homine non eſt alia forma ſubſtantialis, quàm anima rationalis: & per eam homo, non ſolùm eſt homo, ſed animal, & vivum, & corpus, & ſubſtantia, & ens.* Per ſolam animam rationalem, inquam, homo omnia iſta eſt, ſed inadæquatè, & tanquam per partem ſui principalem. Quia inadæquatè eſt etiam omnia illa per materiam, tanquam per partem minùs principalem & ignobiliorem. Sicut enim quodlibet totum ſuam eſſentiam ab omnibus partibus ſuis ſimul, integre & completè habet; ita à partibus ſingulis ſolùm inadæquatè.

S.Tho.q.de ſpirit.creat. a. 3.

Gabriel. in 2.d.16.q.1. Verè igitur Gabriel: *Homo non plus eſt corpus per formam, quàm per materiam. Ita enim materia dat eſſe corporeum compoſito, ſicuti forma.* Imò verò, ut acutè Gregorius, ampliùs per materiam homo habet eſſe corporeum, quàm per rationalem, aut quamcumque aliam formam. *Corpus enim*, inquit *dicitur eſſe corpus, principaliter per materiam. Et ſic dico, quòd homo ſit corpus per materiam id eſt, quia ex materia compoſitus. Nec eſt corpus per aliquam aliam formam ab anima intellectiva diſtinctã.* Dicitur re verâ enim corpus, quia eſt compoſitus ex forma ſubſtantiali, & materia capace corporeæ quantitatis. Vnde capacitatem illam, non à forma ulla ſubſtantiali corporeitatis, aut aliâ quacumq; ſed à materia habet,

Greg.Arim. in 2. d. 16. q 2.

habet, quæ ſola in tali compoſito, corporeæ quantitatis eſt capax. Vnde incredibile eſt, quod contrà Cavellus reponit: *Quòd anima nequeat per ullam potentiam informare quod corpus non eſt; cum ſit eſſentialiter actus corporis. Et ſi per impoſſibile, informaret materiam, nullâ præcedente formâ corporis, animal non eſſet; quia nullam animalem functionem exercere poſſet, quia careret organis.*

Hoc incredibile eſt, inquam. Quia ipſamet forma corporeitatis talis corporis viventis, temperiem & figuram organorum, tanquam diſpoſitiones ſuas accidentarias præſupponeret, non eas introduceret. Talia igitur organa ſic accidentaliter temperata & configurata ſi animæ rationali, vel ſenſitivæ, aut vegetativæ immediatè dentur, nullâ formâ ſubſtantiali corporeitatis præjacente, & inter illas animas ac materiam intercedente; ſatis utique ad functiones animales exercendas inſtructæ erunt.

Nec quando Ariſtoteles dicit, *Animam eſſe formam corporis organici*, vult animam à corpore organico, tanquam formam informantem à ſubjecto ſuo condiſtingui; quaſi corpus aliud phyſicum, per formam aliquam corporeitatis conſtitutum, ei præjacere oporteat; ſed quòd ipſa anima tale corpus organicum, tanquam forma componens, conſtituat, ut ſuprà Cap. I. Art. IX. cum D. Thoma, & Ariſtotele ipſo expoſuimus. Ait quippe animam eſſe, τὸ τί ἦν εἶναι τῷ τοιῳδὶ σώματι, Ariſt. lib. 2 c. 1.
quod quid erat eſſe (ſive partem eſſentiæ) *talis corporis*, quod paulò ante organicum appellaverat. Ac mox eleganti ſimilitudine rem iſtam illuminat. Veluti, inquit, ſi aliquod inſtrumentum artificiale, v. g. ſecuris, eſſet corpus naturale, figura ſecuris eſſet forma ſubſtantialis, & pars eſſentiæ ejus; quâ abſente, illud inſtrumentum eſſet tantùm æquivocè tale. Ita anima eſt pars eſſentialis corporis naturalis organici; qua abſcedente, corpus iſtud non ampliùs ejuſdem rationis univocæ manet.

Vel certè, ſi corpus, in definitione animæ, pro parte tantùm compoſiti animati condiſtinctâ ab anima, accipi debet, reſpondere oportebit, quod Gregorius: *Corpus accipi pro materia organizata. Et ſic ſola animata*, inquit, *conſueta ſunt dici eſſe compoſita ex corpore.* Gregor. Arim. in 2. d. 16. q. 2.

ARTICV-

ARTICVLVS V.

An in corpore animato, præter animam, ſint formæ ſubſtantiales inanimæ organorum & membrorum, ut oculi, auris, cerebri, cordis, carnis, oſſis &c.

FOrmas quaſdam organicas membrorum corporis animati, Medici & Philoſophi quidam nuper invexerunt; quæ recedente animâ, etiam in cadavere, ſine aliâ formâ cadaveris ſuperinductâ, maneant, quam additis etiam convitijs & contumelijs longiſſimè reſpuunt.

Sed, ſi quæ præcedenti Artic. diximus adverſus formam corporeitatis, & formas elementorum, quas aliqui viventibus & mixtis inferciunt, valent; etiam contra iſtam formarum organicarum & heterogenearum, ut appellant, multitudinem valebunt. Omnis enim, inquam, iſta formarum ſupellex ſuperflua eſt, quarum vicem & munus totum unica anima abundè implet. Manet quippe ſemper invictum illud S. Thomæ pronunciatum: *Forma ſuperior virtute continet omnes formas inferiores, & facit ipſa ſola quidquid imperfectiores formæ faciunt.*

S. Th. 1.p. q.76.a.4.

Quod tamen S. Thomæ dogma non ſic accipiendum (ut quidam adverſarij ei objectant) quaſi forma ſubſtantialis poſſit tribuere materiæ quidquid formæ accidentales poſſunt; ut anima rationalis dare corpori humano eſſe album, quia albedo (quæ utique eſt imperfectior animâ rationali) hoc poteſt: ſed loquitur de formis ſubordinatis, & gradatim ſecundum perfectionem aſcendentibus; quarum una perfectionem inferiorem, altera ſuperiorem corpori ſuo tribuit. Veluti forma lapidis dat eſſe compoſitũ phyſicum, forma plantæ eſſe principium vegetationis, forma bruti eſſe principium ſenſationis, forma hominis eſſe principium ratiocinationis corpori ſuo tribuit.

Tres autem illi inferiores perfectionis gradus ſurſum

aſcendere & in unam animam rationalem confluere ſic poſſunt, ut unica anima eminenti & excellenti modo omnes illos contineat, Anima enim rationalis eſt inſtar triremis, in qua tres ordines remorum ſunt, etſi tantùm ſit unica navis. Quanquã tamen ad ſolas operationes vitales remis, ſive organis propriè indigeat. Vnde inſtar biremis potius eſt, in qua inferior remorum ordo, ſunt potentiarum vegetativarum organa; ſuperior, organa potentiarum ſenſitivarum. Quibus ijſdem in operationibus rationalibus utitur, quamdiu eſt in corpore.

Remi verò iſti & organa, ut ſint operationum vitalium idonea inſtrumenta, per temperies, & figuras, aliaque accidentia ſufficienter inſtruuntur, ſine formis ſubſtantialibus organicis, quæ nihil omnino ad operationes vitales organorum conferre valent: aut dicant, quid valeant?

Quam rem exemplo iſto poſſumus declarare.

Vt enim oculus ſit idoneum animæ organum ad eliciendam viſionem, non aliud requiritur, quàm ejus rotunditas, & tunicarum humorumque omnium talis conformatio, temperies, & perſpicuitas, ut ſpecies viſibilis ad perpendicularem in ijs refracta, ad oculi fundum & ultimum retinæ parietem perveniat; & ibi picturam ſuam diſtinctè efformet. Præter autem illa oculi & partium accidentia, peculiaris forma ſubſtantialis organica, ad idonei organi compoſitionem, eſt prorſus otioſa & ſupervacanea. Vnde nec à natura fabricatur, quia nihil agit fruſtrà.

Deinde, cùm homo & omne vivens in eſſentia ſua corpus organicum includat, quomodo erit ens unius naturæ, ſi multiplicem illam diverſiſſimarum formarum organicarum ſupellectilem includat? Nam forma oculi non videtur unione integrali per ſe cum formis organicis proximarum partium poſſe in unum coaleſcere; nec forma oſſis cum forma vicinæ carnis magis unum per ſe efficere, quàm forma lapidis cum forma terræ. Lapides enim oſſa terræ ſolent appellari. Vnio quippe integralis unum per ſe conſtituens, inter partes ſolo numero diſtinctas, aut ſaltē non ſpecie phyſicâ diverſas, debet proximè intercedere: formæ autem oſſis & carnis, ut ceteræ

Q pleræque

pleræque ferè omnes, quas Auctores earum, heterogeneas appellant, maximo inter ſe eſſentiæ phyſicæ, & perfectionis intervallo diſtant; adeoque in unum per ſe integraliter non magis coire queunt, quam machinæ Archimedis, aut horologij, particulæ quod æris, ferri, ligni, artificiali nexu cohæſum & concinnatum eſt.

De anima verò etiam ſenſitivâ brutorum, & vegetativâ plantarum, quæ per organa ſua diviſibiles ſunt, aliter eſt philoſophandum. Nam licet alia pars animæ equi ſit in oſſe, alia in carne; ejuſdem tamen ſpeciei phyſicæ ſunt, ideoque integraliter per ſe uniri valent. Quod ex nobilitate animæ ſupra formas inanimas, & quadam elevatione ſupra ſuum corpus provenit. Nam eſſentia animæ equi, exempli causâ, poſtulat multis partibus integralibus ſuis ſolo numero diſtinctis ſic inexiſtere, ut una formę pars, materię unius organi ſic temperatæ & conformatæ, altera pars, alterius organi materiæ aliter temperatæ ac conformatæ inexiſtat. Hoc enim ſolum in re præſenti, inter animam equi & hominis eſt diſcrimen: quòd anima hominis eadem prorſus & indiviſibilis, omnibus iſtis organis variè temperatis poſtulet inexiſtere; anima verò equi per partes ſuas integrales, quarum unam in uno, alteram in altero organo habeat. Atq; hæc, ſine dubio, ſententia Ariſtotelis eſt, quidquid eum Dandinus vellicet, & aliò trahere tentet. Cur enim toties dicit faciem, oculum, oſſa, carnes &c. hominis mortui, eſſe ſolùm æquivoce talia, non ſecus ac oculum lapideum &c. niſi quia ejuſmodi organa & membra, non ex formis inanimis, quæ in cadavere maneant, ſed ex animâ totius, phyſicè compoſita eſſe ſentit?

Ariſt. lib. 2. c. 1. de generat. animal.

Non enim eſt facies, ait, *quæ caret anima, neque caro, ſed poſtquam fuerint corrupta, æquivocè dicentur facies & caro; veluti ſi lignea eſſent aut lapidea.*

Quomodo deinde verum eſt, quod tam ſæpe inculcat & reculcat: *Omnem corruptionem eſſe alterius generationem*: Ac poſtea:

Lib. 1. c. 3. de generat.

Unius generationem in ſubſtantijs, ſemper eſſe alterius corruptionem; & contrà, unius corruptionem eſſe alterius generationem; ſi abeunte animâ nihil novi generatur, ſed materia ſola cum ſuis antiquis formis organicis manet, ut Dandinus & alij

exiſti-

exiſtimant? Et ut intelligamus, corruptionem veteris & generationem novi compoſiti phyſici, nullo temporis intervallo à ſe invicem diſtare, ait, in omni generatione corporis naturalis, totum mutari in totum, ut *aër in aquam, vel aqua in aërem*; ita videlicet, ut nulla temporis vacuâ intercapedine, formæ ſubſtantiali veteri nova immediatè ſuccedat. Quod tamen in opinione Dandini & Organiſtarum, qui corpus animatum iſtâ formarum organicarum ſupellectile inſtruunt, minimè verum eſt. Nam migrante animâ, domicilium, nullo ſuccedente proximè inquilino, vacuum manet. Lib. 1. c. 4. de generat.

Quia verò formam cadaveris (niſi homo vivus ardore ignis in flammam, aut in exhalationem proximè vertatur) animæ rationali ſuccedere Peripatetici dicunt; Dandinus omnes ingenij & eloquentiæ nervos ad expugnandam miſeram illam formam cadaveris convertit.

Non eſt, inquit, *credendum illam cadaveris, quam iſti introducunt, viliſſimam, inertiſſimam, omniq́ operatione deſtitutam formam, in eiuſdem corporis poſſeſſionem ſuccedere, quæ propria fuerat animæ, nobiſſimæ formæ atque ad omne operationis genus ſolertiſſimæ. Corporis, inquam, organici, quod ad plurimas operationes exercendas, omni organorum genere inſtructum eſt. Non mihi perſuadebit quiſquam, eam poſſe dare materiæ naturam carnis, & oſſis ac ceterarum partium, ut dabat anima, æquamq́ue eſſe vim & poteſtatem abiectiſſimæ formæ, ac diviniſſimæ.* Dandin. lib. 2. tex. 18 digreſſ. 8. p. 3. de anima.

Sed non intelligere videtur Dandinus, quid Peripatetici circa iſtam formam cadaveris philoſophentur & dicant.

Non enim volunt temperies & figuras organorum ab ea produci, conſervari, aut poſtulari tanquam naturales ſuas proprietates: cùm illi formæ cadaveritiæ indifferens ſit, an cadaveris caput rotundum, an triangulare, an manus mortui in quinque digitos diffiſſa, an unidigitalis ſit.

Sicut enim operationes organicas non exercet, ita nec organa tali exercitio deſtinata flagitat. Sed organa pro operationibus animæ olim fabricata invenit; quemadmodum forma lateris, quadrangularem luti materiam intrat, quam laterum plaſtes induxit; aut forma ſubſtantialis panis ſubit figuram,

quam maſſæ piſtor impreſſit; non indignatura quamcumque aliam ipſe imprimere voluiſſet. Vnde cadaver conciſum in partes, formam ſuam ſubſtantialem retinet, nec figurarum apparatum, quem in bove recèns jugulato invenit, pili facit. Vnde imaginatio Dandini fallitur, dum *naturam carnis & oſsis &c.* à forma cadaveris, quemadmodum ab anima quæ præceſſit, *dari*, nos exiſtimare credit.

Quòd autem nobiliſſimæ animæ, vilis cadaveris forma proximè ſuccedat, quid mirum? Nonne idem Dandinum dicere oportet, cum in veneficæ vivicomburio, animæ rationali viliſſima exhalationis, nidoris, & fumi forma ſuccedit? Illa quippe forma animæ ſuccedit, cujus diſpoſitiones inductæ, contrarias animæ diſpoſitiones ejiciunt, & ſic animam fugant. Tales autem inanimis & viliſſimæ formæ diſpoſitiones eſſe ſolent. Quales enim diſpoſitiones ſunt nobilibus diſpoſitionibus maximè contrariæ, nonne viles?

An verò in oſſis, carnis, nervi, venæ, arteriæ materiâ, & omnibus partibus mortui animalis ſit eadem ſpecie forma cadaveris, ex diſpoſitionibus, per quas anima ex unoquoque ſuo organo expellitur, æſtimandum eſt. Vt, exempli gratiâ, ſi aliâ contrariâ temperie anima ex cerebro, aliâ ex corde aut jecore expellitur; aio diverſam ſpecie cadaveris ſubſtantialem formam per illas diſpoſitiones inductam eſſe; nec idem eſſe cadaver, ſed multa ſpecie diſtincta, quamvis unam materiam continuam habeant; ſicuti quando diverſi ſpecie arborum rami, per inſitionem in eandem arboris materiam implantantur, & continuantur.

Nec mirari debet Dandinus, formam iſtam vocari cadaveris; cùm cadaver, inquit, potiùs animæ abſentiam, quàm formam poſitivam ſignificet. A cadendo quippe nomen habet, ut Grammatici volunt; quia corpus animâ ſuſtentante vacuum, cadere ſolet.

Sed nomen aliud ſimplex det nobis, quo exprimamus formam illam poſitivam, quæ animæ in materia proximè ſuccedit, & nomen claturam ejus fortaſſe recipiemus.

Formas enim illas proprijs nominibus ignotas, non ut volumus,

lumus, ſed ut poſſumus, circumloqui debemus. Quo enim nomine ſimplici formam lapidis, auri, argenti, & omnium inanimatorum exprimere poſſumus? Non poſſumus: & *forma lapidis, forma auri* &c. dicendum eſt, aut tacere oportet. *Nomina tu lapidis* (clamat ad Cardanum Scaliger in ſimili quæſtione) *qui quotidie tuis oculis obverſatur, formam: & Phyllida ſolus habeto. Nego tibi ullam formam eſſe nobis notam plenè & planè; noſtramq́ ſcientiam eſſe umbram in ſole. Neque verum eſt, formæ ſubſtantialis ſpeciem recipi in intellectum. Non enim in ſenſu unquam fuit.* Scalig. Exerc. 307. ſ. 12.

Verùm, otioſa & iners, eſt infit Dandinus, forma cadaveris.

Reſp. Non inertior mi Dandine, quàm forma ſilicis, quem in platearum ſtratis quotidie calcamus. Dormiunt enim quodammodo pleræque mixtorum inanimatorum ſubſtantiales formæ, nec actione aliquâ nobis ſenſibili evigilant; excepto magnete, & paucis mineralibus, aut gemmis, quæ virtutis alicujus & actionis ſatis ſunt vigiles & compertæ.

Dic igitur nobis, quam actionem forma ſilicis, aut ſaxi exerceat; & ſimilem aliquam, aut analogam formæ cadaveris aſſignabimus. Certè enim per naturalem ſuam & activam temperiem, quam in materia ſua flagitat, aliquid tenuiter & ſomniculosè agere poteſt.

Sed quare forma iſta cadaveris non conſervat corpus ſuum mortuum à putredine? interrogat Dandinus.

Interrogo viciſſim ergo, & potiori ratione: Quare formæ organicæ ſingula ſua membra, ut una oculum, altera cor, tertia jecur &c. non diutius conſervant; cùm ſingulæ, organorum temperies ſint formis ſuis organicis connaturales, ut ipſe & alij Organiſtæ imaginantur?

Reſp. igitur: Multas qualitates cadaveris non eſſe formæ cadaveris naturales, ſed diſpoſitionum veteris animæ eſſe reliquias; quæ proinde à forma cadaveris non adjutæ, à contrarijs agentibus facillimè expugnantur.

Quare deinde, pepones, melones, cucumeres, pruna, corna, pira, mala, & omnes καρποὶ ὡραῖοι *fructus horni*, tam ſubitò marceſcant, & in putredinem fatiſcant; cùm ſuas habeant formas ſubſtantiales, à quibus naturalis eorum temperies conſervatur?

Denique, qui non eandem eſſe hominis vivi & mortui carnem dicunt, *ſenſui adverſantur, qui eandem eſſe indicat*, inquit Dandinus.

Sed quo ſenſu identitatem iſtam viderit Dandinus, ignoro.

Certè Ariſtoteles ſenſu minimè carebat, qui tamen carnem hominis mortui toties dicit eſſe tam æquivocè carnem, quàm cadaver hominis eſt æquivocè homo.

Averr. lib. 1 de anima. Et Commentator ejus, nullam aliam formam præter animã, per omnia corporis organa diffuſam agnoſcens: *Non differunt membra leonis à membris cervi*, ait, *niſi quia anima differt ab anima*.

Vnde ſi caro animalis vivi, in eſſe carnis per animam conſtituebatur, profectò fugiente animâ, non manet eadem ſpecie caro, ſed ſolùm cadaver carnis, quod æquivocè tantùm eſt caro.

Accidentia autem, ut color, ſapor, mollities, & quædam adhuc qualitatum primarum (excepto vitali calore) temperies non indicant priorem formam aliquam ſubſtantialem organicam eandem in cadavere permanere, quæ fuerit in vivente; ſed accidentia iſta formæ priori & poſteriori (ut ſæpe accidit) communia eſſe. Aut certè, ſi formæ poſteriori naturalia non ſunt, ſignum eſt, poſterius compoſitum, quale hîc eſt cadaver, non omnino in ſtatu ſuo naturali genitum eſſe; ſed ſicut aqua calida interdum generatur ex aëre.

Tandẽ, quaſi naturę advocatus in nos Dandinus declamans, *Quid vos coëgit*, inquit, *novam hanc inertem, otioſam, & inutilem formæ cadaveris entitatem invehere? Quàm multos ponitis ortus atque interitus? Quàm multas genitas formas atque corruptas, non ſine ſummo dolore & gemitu totius naturæ?*

Verùm, ſub tuo potiùs tot formarum, quas ei imponis, onere natura gemit, & Peripateticorum opem adverſum te implorat Dandine.

Nam quamlibet corporis viventis partem ſex, ut minimùm, ſubſtantialibus formis oneras; quatuor videlicet elementorũ, ignis, aëris, aquæ, terræ formis; unâ deinde formâ organicâ; quibus denique ſextam, animam ſuperinijcis, ne perpluant.

Generatio verò & corruptio, mutabilitaſque rerum, naturę tantùm

tantùm luſus, non onus eſt. Hoc luſu aqua exhalatur in vaporem, vapor vertitur in nubem, nubes in pluviam, pluvia in herbam, herba in bovis carnem, caro bovis in hominem; & mille alijs gyris & circulis divina ſapientia ludit in Orbe terrarum. Quid ergo miraris, ſi corpus morientis animalis induat cadaveris formam, rurſum exuat, & eat in putredinem, ex putredine in terram, aut quò naturæ orbe circumducitur?

Fatigat nos deinde Dandinus interrogando, A quanam causâ forma cadaveris generetur?

Sed dicat ipſe nobis, quiſnam ſit formæ lapidis, tot mineralium, & inanimatorum pater? & pro forma cadaveris eundem inveniemus, aut ei affinem. Qui enim diſpoſitiones ad cadaveris formam inducendam præmittit, eſt cauſa inſtrumentalis; principalis verò, Creator omnium Deus: qui etiam, ut multis placet, ſolem, aut aliam cæleſtem cauſam aſſumit in conſortium.

Si hæc curioſitati tuæ non ſatis ſint, vide quæ infrà Lib. II. Cap. VI. Art. XVIII. de cauſa principali formarum animantium dicturi ſumus. Illa enim enim ad cauſam inanimatorum transferri poſſunt, & debent.

ARTICVLVS VII.

Medica quoque pro formis organicis argumenta parum valent. Fernelius, Valleſius, aliįque confutati.

MEdici paulò pinguioris Philoſophiæ eſſe ſolent, & ſenſuum errores minùs quam Platonici, aut Peripatetici, magiſtrâ ratione corrigere norunt.

Quia igitur carnes & oſſa animalis vivi & mortui, quà mollitie, quà duritie, & qualitatum primarum temperie ſimillima vident, idcirco eandem formam organicam in utriſq; manere credunt. *Vitâ excedente, ſimilarium partium*, ait eruditus Fernelius, *unaquaque, os, nervus, caro ſuam ſibi formam retinet, & quod ſuperas eſt, non homonymâ, ſed ſimplici, & illi peculiariter tributâ appellatione.* Fernel. lib. I c. 4. de abdit.

Caro

Caro enim, in Fernelij & Organiſtarum Philoſophiâ, compoſitum eſt, non ex anima quæ in morte diſcedit, ſed ex forma inanima carnis, quæ eadem numero in vivente & mortuo manet: & proinde caro mortua non homonymè & ſolo nomine, ut vult Ariſtoteles, ſed ſynonymè & eadem ratione eſt caro, ut Fernelius credit.

Quod etiam adeo manifeſtum viſum eſt Campanellæ, ut Ariſtotelem, & ſapientiæ Ordiniſque ſui columen S. Thomam, omneſque qui ſapiunt aliter, ſtultitiæ inſimulare non dubitet. *Corpus*, inquit, *diſtinctum eſt in oſſa, nervos, carnes, & viſcera, totaque in membra differentia colore, diſpoſitione, actione, temperamento, & difformitate, ut nullo pacto uniforme ſit, & unica forma conſtare poßit. Aqua quidem uniformis eſt, & ignis, & res ſimilares; & hæc unica informantur forma: at animal tanta ornatur difformitate, ut ſtultum ſit, putare ob una forma ipſum poſſe informari.*

Tho. Campanella lib. 1. c. 18 de ſenſu.

Sed timeat potiùs Campanella, ne in claſſem ſtultorum à Iul. Scaligero redigatur: *Latet enim plebeia ingenia*, inquit, *membra cadaveris alia eſſe ſpecie ab ijs quæ fuerant viventis. Soli ſapientes hæc hauriunt ex penitioribus naturæ fontibus.*

Scalig. Exerc. 346.

Si enim profundè & pauliſper ultra oculorum ſenſum, in hunc Democriti puteum deſcendamus, facilè apparebit, quomodo unica ſpecie anima ad totum ſuum corpus, variâ organorum ſupellectile inſtructum, habitudinem immediatam dicere valeat; etiamſi organa iſta non per formas ſubſtantiales diverſas, ſed per ſola accidentaria temperamenta, & figuras accidentales tornata ſint, ut ſic dicam, & diſtincta. Hæc enim eſt, ut ſuprà iterùm dictum fuit, formæ animatæ ſublimitas, ut quia varias operationes in corpore uno exercet, varia etiam earum inſtrumenta, varijs & diſcrepantibus qualitatibus cuſa & formata poſtulet. Et cur, quæſo, anima hominis, vel equi non tam poteſt materiam primam ſui corporis, tali qualitatum varietate in membris ſuis reſperſam, immediatè reſpicere & informare, quàm formas illas organicas oculi, carnis, oſſis &c. quibus alij animam proximè infigunt? Vel ſi negent (ut aliqui faciunt) formas ſuas organicas ab anima informari, ſed animam ſolùm ijs aſſidere, ſeu juxta ipſas eidem,

proximè

proximè materiæ inſidere; earum formarum ſuperfluitas jam manifeſtior erit. Evellantur enim ipſæ, & relinquatur ſola anima, materiæ primæ ſolis temperamentis & figuris accidentalibus diſtinctæ, unita; remanebit profectò corpus vivens, ad operationes ſuas vitales, ſine formis illis ſubſtantialibus organicis, ſufficienter inſtructum & expeditum.

Præterea hoc incommodi naſcitur, ſi anima & formæ organicæ ſibi in eadem proximè materia ſolùm aſſideant; quòd unio inter ipſas tantùm futura ſit integralis, non eſſentialis, ſive per modum actûs & potentiæ. Vnde ſequitur, hominem aut equum non eſſe ens unius naturæ. Componetur enim ex anima & formis heterogeneis organicis diverſæ longè ſpeciei, inter quas non poteſt unio per ſe integralis intercedere.

Denique, ſi oculus formâ unâ heterogeneâ indiget, ut à naſo, vel ab aure diſtinguatur; non ſolùm totus oculus, ſed ſingulæ ejus tunicæ, cornea, uvea, aranea, retina, adhærens; ſinguli humores aqueus, cryſtallinus, vitreus, ſuas etiam formas heterogeneas habebunt; ſinguli quoque aurium flexus & diverſæ per minutiſſimarum particularum configurationes. Atque ita innumerabili formarum ſubſtantialium multitudine naturam onerant, dum unicam cadaveris formam volunt evitare.

Duo tamen argumenta Medica ſunt, quæ me olim primo occurſu ferè terruerunt; ſed jam bene inſpecta, intima eorum non reſpondent ſuæ fronti.

Primum eſt. In plantis & animalibus mortuis, ait Fernelius, remanent virtutes quædam ad variorum morborum medelam, in officinis pharmacopolarum notæ, quibus attrahuntur, aut expelluntur humores noxij, & varijs alterationibus corpus humanum imbuitur. Ergo aliquæ formæ ſubſtantiales, quæ quibuſdam vivæ plantæ partibus inerant, in mortuis etiam ſuperſtites manent, à quibus illæ virtutes dimanant & conſervantur.

Exemplis rem iſtam probat Fernelius. *Cortex mali citrij*, ait, *calet, quæcumque verò illo integuntur interanea, & velut viſcera, non parùm frigent. Caſia fiſtula medulla lenis alvumque ſubducit, cortex* Fernel. lib. 1. c. 4. de abdit.

menſes potenter movet, adeoq́; fœtum etiam excludit. Et de animalibus.

Leporis pulmo, inquit, *ſuſpirioſos juvat, ſanguis calculum comminuit, oßiculum quod in poplite poſteriori eſt arenulas deturbat, coagulum appoſitione, conceptum retinet, pilus erumpentis ſanguinis impetum ſiſtit.*

Hôc præcipuè argumento ad formas organicas admittendas, ſe convictum Clar. vir. Thomas Fienus Academiæ noſtræ nuper Archiater, aliquando mihi eſt faſſus.

Sed argumentum non tam validum eſt, ut rem tantam extorquere poſſit.

Nam virtus illa occulta, cujus effectus in herbis & animalibus mortuis deprehenditur, non in partibus organicis quæ antea vivebant, plerumque reſidet, ſed in ſuccis vel ſpiritibus inanimatis, qui intra poros & meatus corporum animatorum (veluti ſanguis in venis, & ſpiritus vitalis aut animalis in arterijs vel nervis) continentur.

Illi ergo ſucci, vel ſpiritus formam eandem ſubſtantialem, virtuteſq; ab ea dimanantes, poſt mortem plantæ vel animalis retinent; quia etiam cùm illæ plantæ & animalia viverent, iſti ſucci aut ſpiritus nō erant partes eorū, ſed corpora inanimata, intra venas animatorum abſcondita. Vnde per chymicam deſtillationem educta, vel oſſibus animalium in pulverem comminutis, talis virtus perdurat. Evaneſcentibus autem ſpiritibus, paulatim & ipſa virtus langueſcit; manifeſto ſatis argumento, quòd non à forma organica, ſed à forma illorum ſpirituum evaneſcentium dependeat.

Si quando verò ipſi viventis organo talis virtus inhæreat, & abſente tamen animâ, adhuc in cadavere perſeveret; non eſt neceſſe, ut à forma aliqua ſubſtantiali organica ibi conſervetur, ſed vel immediatè à cauſa prima tantùm, vel à quadam primarum aut aliarum qualitatū temperie & craſi, quæ remanet in cadavere: quia iſta temperies non ita ab animæ irradiatione dependet, quemadmodum ſenſus, & ejuſmodi potentiæ, quæ non magis ſine anima in corpore mortuo remanere poſſunt, quàm radius luminis in aëre ſine ſole.

Vnde

Vnde argumentum Zabarellæ etiam evaneſcit, quo ex odore, qui in flore vivo & mortuo idem manet, colligit aliquam formam ſubſtantialem, à qua odor ille pendeat, in mortuo reſiduam eſſe, quę antea vivo inerat. Odor quippe eſt qualitas ſecunda, ex quadam primarum temperie emanans: temperiem verò iſtam non eſt neceſſe (totam ſaltem) cum anima floris interire. Veluti enim anima ipſa, & formæ inanimatorum non dependent in conſervari ab aliqua cauſa ſecunda efficiente, ſed à cauſa prima tantùm; ita nihil obſtat, quo minùs aliquæ qualitates ſint ſimilis indolis ac ingenij. Vt, inquam, ab anima vel immediatè, ſed mediante aliarum qualitatum craſi emanent, & dependeant in fieri, ut Philoſophi loquuntur, ſed non in conſervari. Nonne enim calor ab igne in aquam effunditur, & in eâ permanet, non conſervante, imò extincto igne?

Alterum Medicorum argumentum eſt, non longè diſſimile. In ſtomacho ſive ventriculo animalis, præter animam & calorem naturalem, oportet aliquam virtutem vertendi cibum ac potum in cremorem quendam, quem vocamus chylum; in jecore vim ſanguinem, in corde ſpiritum vitalem, in cerebro ſpiritum animalē excudendi. Quod inde, inquiunt, patet: quia ſi cibus & potus non in ſtomachum, ſed in aliud corporis conceptaculum (ut in alvum, aut uterum) conijcerentur, nullus inde chylus efficeretur, etiamſi nec anima, nec calor naturalis inde abſint. Igitur à virtute chylifica formæ organicæ ſtomachi chylus, à virtute ſanguifica formæ jecoris ſanguis, &c. proveniunt.

Definiendum eſt, ait Laurentius, *chyloſin non tam caloris vi, quàm inſita ventriculi proprietate fieri. Certum quidem eſt coctionem omnem caloris operâ & miniſterio perfici: nam propterea ventriculum omni ex parte, & ſuperiore & inferiore, & dextrâ & ſiniſtrâ, & anteriore & poſteriore, natura fovet; ſed talis coctio calori non debetur ut calor eſt (ita enim igneus & febrilis coqueret, qui omnia corrumpit) ſed ut eſt animæ inſtrumentum: chyliſicatio verò à ſola ventriculi forma & proprietate perficitur. Neque enim alibi uſpiam, quàm in ventriculo chyliſicat calor, quantumvis validus.* Andr. Laurent. lib. 6. q. 19. Anatom.

Sed quid hôc argumento iterum efficitur? Hoc profectò

tantùm: In ventriculo, præter animam & calorem naturalem, aliam peculiarem iſti membro virtutem chylificandi ineſſe: an verò virtus iſta à forma quadam organica ventriculi, an ab anima ſolùm dependeat, alijs argumentis oportet inveſtigare. Quòd enim magis ab animâ, quàm à formâ inanimâ organicâ emanet, ingens ſuſpicio eſt; quia recedente animâ, etſi forma organica Medicorum in cadavere maneat, ventriculus tamen nihil chylificat.

Itaque reſpondemus quod in ſuperiori argumento: Virtutem chylificandi ab anima dimanare, & ab ea ſic ſuſpendi, ut non tantùm in fieri, ſed etiam in conſervari dependeat. Sic enim etiam dependent facultas attractiva & expulſiva alimenti, quæ ſunt miniſtræ ejus. Vnde mirum non eſt, quòd recedente animâ, facultas chylificatrix, quemadmodum attractrix & expultrix, illicò evaneſcat. Potentiæ enim propriè vitales, quæ à natura ſolùm deſtinantur ad operationem, quâ anima vegetatrix vitaliter vegetat & perficit ſuum corpus, diſſipantur & evaneſcunt cum anima. Non ſic autem virtutes illæ herbarum, de quibus in priori argumento: quia non ad actionem vitalem, qua anima negotietur circa ſuum corpus, ſed ad tranſeuntem in ſubjectum externum, à natura principaliter ſunt deſtinatæ. Quod providentia planè divinâ ſic factum: ut in herbis & animalibus etiam vita functis, morborum remedia Medici invenirent. Si enim cum animâ virtutes illæ effugerent, pharmaca inde coqui & confici non poſſent. Ad hoc quippe neceſſe eſt, per diſtillationes & præparationes, herbarum & animalium animas interfici.

Quare verò virtus chylificandi ab anima reſultet, non alibi, ſed in ventriculo; temperies, aut occulta alia diſpoſitio ventriculi ad hoc determinat animam; ſicut ob aliam diſpoſitionẽ, viſus in oculo, auditus in ultimo aurium anfractu reſultant. Addamus & tertium quorundam Medicorum argumentum.

Quando transfixo corde, aut jugulo, anima hominis ſubitò avolat, temperies nulla nova, inquiunt, pro forma cadaveris introducitur: ergo in tali ſaltem morte, materia corporis cum veteribus ſuis formis organicis ſola manet, ſine novæ formæ introductione.

Sed

Sed nego, nullam etiam tunc in membris alterationem fieri, per quam abrumpitur vinculum illud, quo (eleganti Platonis verbo) anima corpori προσπεπορπᾶται *adfibulatur*, & materia utcumque ſaltem & imperfectè ſemper novæ formæ præparetur.

Dicat ipſe formarum organicarum princeps architectus Fernelius: *Repentè ac recèns extincto iugulatove animali*, ait, *partes ſimilares ſuam ſingulæ aliquamdiu retinent temperaturam: in iis tamen partibus neque inſitus calor, neque ſpiritus ineſt.* Fernel. lib. 1. c. 4. de abdit.

Igitur licet temperamentum illud ex mixtura elementorum reſultans (ex quo color, mollities, durities, & id genus qualitates ſecundæ in corpus emanant) idem aliquamdiu in mortuo, quod fuit in vivo, perſeveret; attamen calor vitalis & propria animalis temperies, quæ à ſpiritu vitali & irradiatione cordis fovetur & pendet, frigore contrario (quod frigidi humores, aër internus externuſque, aut aliæ cauſæ frigorificæ ſubitò, nullâ jam animâ impediente effundunt) extinguitur.

Si verò materia nondum ad novæ formæ introductionē ſufficienter ſit præparata, anima in veteri ſuo vinculo tantiſper hæſitat. Hoc enim in Schola Ariſtotelis & S. Thomæ ſemper fixum manet: Corruptionem unius eſſe generationem alterius, nec formam veterem unquam ſic migrare, ut domicilium omni ſucceſſore vacuum relinquat.

Valleſius denique Hiſtoriam ſacram Medicinæ ſuæ permiſcens: *Secutus*, ait, *quod & rationi magis conſonum, & divinis etiam oraculis, ut ego exiſtimo, congruentius eſt, affirmo eſſe in nobis ante animam, formas merè corporales heterogeneorum, quibus oſſa, carnes, & nervi inter ſe differunt, non minùs profectò (niſi me meis ſenſibus cre[illegible] nolunt) quàm aurum, argentum, & plumbum. His bene temperatis accedere actum quendam perfectiorem: corporalem eum quoque, & velut naturam quandam meliorem (ita enim placet vocare, potiùs quàm animam) quæ nutriuntur. Omneſque hos actus educi ex potentia materiæ. His poſtremò accedere extrinſecùs animam, quæ nobis vim ſentiendi & intelligendi præſtet. Non enim intelligendum eſt, illud corpus hominis, in quod inſpiravit Deus ſpiraculum vitæ,* Valleſ. c. 4. Philoſ. ſacræ. Gen. 2.

fuiſſe ſtatuam quandam luteam, eamq́; acceßione illius ſpiritûs, factam eſſe carneam & oſſeam; ſed corpus quoddam ex oßibus, nervis, carne, & cute; non quidem aridis, ſed floridis ac viventibus; immobile tamen adhuc & ſenſûs expers: & hæc, accedente ſpiritu, recepiſſe. Quæ verba omnia, propter ſententiæ & imaginationis amœnitatem, reſcribere volui.

Igitur Valleſij ſententia eſt: ſuper formas carnis, oſſis &c. heterogeneas animam vegetativam corporalem & mortalem induci, quæ membra vegetet, & flore quodam induat. Poſtremò ſpiritum, ſive animam rationalem à Deo inſpirari, quæ motum, ſenſum, & intellectum corpori præſtet. Et hunc ordinem, in prima etiam lutei Adami formatione, à Deo fuiſſe obſervatum.

Sed qui præcedentibus Articulis tradita receperit, hoc non credet. Nam præter formas organicas, duas inſuper animas, vegetativam & rationalem, corpori noſtro Valleſius infercit. Nec Deus, ut opinor, luteo homini priùs formas organicas & animam vegetantem impreſſit, quàm animam rationalem inſpiravit; ſed crudum lutum in organorum omnium temperies ſubitò decoxit figuravitque, ac eodem temporis momento, ſpiritum, qui & eſſe carnis, & eſſe vegetativum, ſenſitivum, rationale (miro naturæ compendio) luto ſuo tribueret, inſpiravit. Quid enim eſt eſſe carnem? Nihil aliud profectò, quàm eſſe partem integralem corporis animati, ex animâ & materiâ primâ, illis accidentibus ſubactâ quæ ad temperamentum carnis requiruntur, compoſitam. Non quòd accidentalis iſta temperies conceptum principalem & eſſentialem carnis ingrediatur (ſic enim caro non eſſet ens unius naturæ) ſed ſecundariò à voce, *caro*, connotatur.

ARTI-

ARTICVLVS VIII.

Nec argumenta Theologica ſatis fortiter formas organicas aſſerunt.

Quidam Theologi, præſertim recentiores, pugnam tandem iſtam ad Triarios, & fortiſſima, ut putant, argumenta ex armamento ſuæ Theologiæ, deducunt. Quæ enim circa myſteria Incarnationis & Euchariſtiæ, aut venerationem ſacrarum Reliquiarum diſputantur, non ſatis, ſine formis organicis, expediri poſſunt, ut ipſis videtur.

Primò enim, corpus Chriſti quod jacuit mortuum in ſepulchro non foret idem cum corpore Chriſti vivo; quod tamen affirmant SS. Patres. Nam S. Athanaſius Epiſt. ad Epictetum ait, Idem corpus pependiſſe in cruce, jacuiſſe in ſepulchro, & reſurrexiſſe.

Sed telum iſtud non valde ferit, ſed in æquivoco tantùm ludit. Nam SS. Patres corpus accipiunt vulgariter, ut vulgus & homines paſſim ſolent; pro altera videlicet parte hominis, viſibili & palpabili, corporeæ quantitati & qualitatibus ſenſibilibus ſubjectâ: quomodo vulgò dicimus hominem compoſitum eſſe ex anima & corpore.

An verò in illud Chriſti corpus animâ viduatum, alia forma ſubſtantialis, ut cadaveris, aut quæcumque alia ſucceſſerit; an verò ſolum tanquam vacuum omni inquilino habitaculum, manſerit,

Theologi certant, & adhuc ſub judice lis eſt.

Vnde Gabriel, *Corpus Chriſti iacens in ſepulchro*, ait, *fuit materia prima Chriſti ſine formâ ſubſtantiali, qualificata formis accidentalibus, & unita verbo. Nec enim impoſſibile eſt, materiam ſtare nudam abſque forma ſubſtantiali.* Gabriel. in 2.d.16.q.1

Alij ergo qui litigant, & ſudant, quomodo corpus vivum & mortuum idem ſit, in æquivoco laborant. Corpus enim accipiunt pro corpore aliquo completo ex materia & forma, ſub corpore quod eſt genus corporis animati & inanimati, in

ſerie

fuiſſe ſtatuam quandam luteam, eamq́, acceſsione illius ſpiritûs, factam eſſe carneam & oſſeam; ſed corpus quoddam ex oſsibus, nervis, carne, & cute; non quidem aridis, ſed floridis ac viventibus; immobile tamen adhuc & ſenſûs expers: & hæc, accedente ſpiritu, recepiſſe. Quæ verba omnia, propter ſententiæ & imaginationis amœnitatem, reſcribere volui.

Igitur Valleſij ſententia eſt: ſuper formas carnis, oſſis &c. heterogeneas animam vegetativam corporalem & mortalem induci, quæ membra vegetet, & flore quodam induat. Poſtremò ſpiritum, ſive animam rationalem à Deo inſpirari, quæ motum, ſenſum, & intellectum corpori præſtet. Et hunc ordinem, in prima etiam lutei Adami formatione, à Deo fuiſſe obſervatum.

Sed qui præcedentibus Articulis tradita receperit, hoc non credet. Nam præter formas organicas, duas inſuper animas, vegetativam & rationalem, corpori noſtro Valleſius infercit. Nec Deus, ut opinor, luteo homini priùs formas organicas & animam vegetantem impreſſit, quàm animam rationalem inſpiravit; ſed crudum lutum in organorum omnium temperies ſubitò decoxit figuravitque, ac eodem temporis momento, ſpiritum, qui & eſſe carnis, & eſſe vegetativum, ſenſitivum, rationale (miro naturæ compendio) luto ſuo tribueret, inſpiravit. Quid enim eſt eſſe carnem? Nihil aliud profectò, quàm eſſe partem integralem corporis animati, ex animâ & materiâ primâ, illis accidentibus ſubactâ quæ ad temperamentum carnis requiruntur, compoſitam. Non quòd accidentalis iſta temperies conceptum principalem & eſſentialem carnis ingrediatur (ſic enim caro non eſſet ens unius naturæ) ſed ſecundariò à voce, *caro*, connotatur.

ARTI-

ARTICVLVS VIII.

Nec argumenta Theoleogica ſatis fortiter formas organicas aſſerunt.

QVidam Theologi, præſertim recentiores, pugnam tandem iſtam ad Triarios, & fortiſſima, ut putant, argumenta ex armamento ſuæ Theologiæ, deducunt. Quæ cum circa myſteria Incarnationis & Euchariſtiæ, aut venerationem ſacrarum Reliquiarum diſputantur, non ſatis, ſine formis organicis, expediri poſſunt, ut ipſis videtur.

Primò enim, corpus Chriſti quod jacuit mortuum in ſepulchro non foret idem cum corpore Chriſti vivo; quod tamen affirmant SS. Patres. Nam S. Athanaſius Epiſt. ad Epictetum ait, Idem corpus pependiſſe in cruce, jacuiſſe in ſepulchro, & reſurrexiſſe.

Sed telum iſtud non valde ferit, ſed in æquivoco tantùm ludit. Nam SS. Patres corpus accipiunt vulgariter, ut vulgus & homines paſſim ſolent; pro altera videlicet parte hominis, viſibili & palpabili, corporeæ quantitati & qualitatibus ſenſibilibus ſubjectâ: quomodo vulgò dicimus hominem compoſitum eſſe ex anima & corpore.

An verò in illud Chriſti corpus animâ viduatum, alia forma ſubſtantialis, ut cadaveris, aut quæcumque alia ſucceſſerit; an verò ſolum tanquam vacuum omni inquilino habitaculum, manſerit,

Theiologi certant, & adhuc ſub judice lis eſt.

Vnde Gabriel, *Corpus Chriſti iacens in ſepulchro*, ait, *fuit materia prima Chriſti ſine formâ ſubſtantiali, qualificata formis accidentalibus, & unita verbo. Nec enim impoßibile eſt, materiam ſtare nudam abſque forma ſubſtantiali.* Gabriel. in 3.d.16.q.1

Alij ergo qui litigant, & ſudant, quomodo corpus vivum & mortuum idem ſit, in æquivoco laborant. Corpus enim accipiunt pro corpore aliquo completo ex materia & forma, ſub corpore quod eſt genus corporis animati & inanimati, in

ſerie

ſerie prædicamenti ſubſtantiæ : SS. Patres autem, ut ante dixi, pro corpore, quod eſt altera pars phyſica corporis animati; ratione cujus integrum corpus animatum etiam corpus vocatur. Nam gratiâ materiæ ſuæ, non gratiâ animæ, eſt corporeæ quantitatis ſubjectum.

Carnem quoque pro compoſito phyſico accipit Ariſtoteles, quando tam ſæpe repetit, Carnem vivam & mortuam non magis eſſe univocè carnem, quàm integrum hominem vivum & mortuum eſſe univocè hominem. Quam tamen Ariſtotelis ſententiam tam procul Ægidius Coninck reijcit, ut dicere audeat, *Ex principijs fidei evidenter ſequi contrarium. Nam niſi caro Chriſti*, ait, *viva & mortua dicatur univocè caro Chriſti, nullo modo dici poterit eadem caro ſumpta ex Virgine, poſita in ſepulchro, & elevata in cælum: quod tamen nemo Catholicus auderet negare. Quare ſi Ariſtoteles contrarium dicat, per fidem corrigendus eſt.*

Sed nullâ opus correctione. Aliàs etiam S. Thomas, qui tam frequenter illud Ariſtotelis etiam uſurpat, corrigendus eſſet.

Quando igitur viva & mortua caro, eadem univocè caro dicitur, non pro toto compoſito phyſico, ſed pro altera parte compoſiti, ſive pro materiâ carneâ, temperamento & qualitatibus carnis adhuc utcumque imbutâ, accipitur. Nam hoc modo eſt eadem caro, ſicuti totum corpus, primò ſub anima corporis ſui vivit, deinde ſub forma cadaveris, mortua jacet in ſepulchro.

Nec enim, ut ſic eadem maneat, fingere oportet miraculum illud Gabrielis, ut jaceat ſpoliata omni forma ſubſtantiali.

Itaque cum Peripatetica & S. Thomæ Philoſophia audacter ſuſtineamus, formam cadaveris, recedente animâ Chriſti, in materia corporis ſucceſſiſſe. Quod fieri debuit, *ut veritas corporis viventis demonſtraretur*, ait Medina; *& oſtenderetur corpus Chriſti emortuum eſſe eiuſdem rationis cum noſtris, quando morti traduntur. Corpora autem noſtra emortua, ſine dubio, habent formam cadaveris ſubſtantialem.*

S.Tho.3.p. q.50.a.5.

Manſit tamen idem corpus Chriſti, quod fuit vivum ſub anima Chriſti, & ſub aliena, non Chriſti ſed cadaveris formâ, fuit

fuit mortuum. Addit etiam S. Thomas, corpus Chriſti ſpecialiùs quàm ceterorum hominum, fuiſſe idem, quoad integram nempe Verbi divini ſuppoſitalitatem, qua materia illa in ſepulchro jacens ſuppoſitabatur, non ſecus ac integra viventis Chriſti natura.

Vtrùm verò deinde Verbum formam illam cadaveris immediatè aſſumpſerit, ſus deque diſputant Scholaſtici.

Franc. Suarez affirmat: quia etſi in reſurrectione Verbum illam formam dimiſerit, nihil tamen in hoc Theologorum axioma, *Quod Verbum ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*, committitur. Nam in via tantùm & obiter, *non per ſe, & ex primaria intentione* illam formam cadaveris aſſumpſit, ait Suarez.

Axioma verò illud, de eo intelligi debet, quod primariò & per ſe aſſumptum fuit; qualis eſt tota humanitas, & integræ partes eſſentiales ejus. Deinde de illo, quod dimiſſum à Verbo, in rerum ratione manet. Res enim quæ per corruptionem ſui, corpore Chriſti excidit, potiùs deſerit unionem Verbi, quàm Verbum ipſam deſerat. Sic particulas materiæ, quæ per reſolutionem & corruptionem, corpore Chriſti defluebant, propriè Verbum non deſerebat, ſed ipſæ quaſi ultrò ſe ſubducebant. Quomodo etiam forma cadaveris per Chriſti reſurrectionem evaneſcens, ultrò unionem ad Verbum deſeruit.

Alijs tamen (nec fortaſſis immeritò) talis formæ cadaveris aſſumptio, tanquam actus otioſus, diſplicebit. Quænam enim utilitas ejus? Quid verò incommodi, ſi in Chriſto mortuo ſolâ materiâ à Verbo aſſumptâ, forma cadaveris in propria ſua partiali ſubſiſtentia (ſi quam tamen ſubſiſtentiam talem habeat; de hoc enim ambigunt Philoſophi) permanſerit? Nunquid enim corpori Chriſti multæ ſubſtantiæ permiſceri potuerunt, quæ proprias ſubſiſtentias retinebant; ut fortè ſpiritus vitales & animales, qui per arterias & nervos diſcurrunt: certiùs autem, phlegmata, ſudores, & tot alia recrementa, quæ per omnes humani corporis vias fluunt? Solùm enim huic Incarnationis myſterio ſufficit, ut illa natura, quæ Verbi divini ſubſiſtentiâ proximè terminatur, careat propriâ.

Secundò, corpus Chriſti, inquiunt, in quod ex vi verborum, panis in Euchariſtiæ confectione tranſmutatur, aliud eſſe non poteſt, quàm corpus ex materia prima & formis organicis conſtitutum; quod in mortuo & vivente Chriſto debuit prorſus eſſe idem. Vnde ſi in triduo mortis facta fuiſſet conſecratio, in idem omnino corpus, inquiunt, panis converſus fuiſſet, in quod Chriſtus converterat ultimâ cœnâ, & quod olim ex Virgine fuerat conceptum. *Omnes enim Patres*, ait Ægidius Coninck, *communi conſenſu docent, idem corpus eandemq́ carnem natam ex Virgine, datam diſcipulis in cœna, iacuiſſe in ſepulchro, & aſſumptam in cælum*. Non eſſet autem eadem caro mortua & viva; ſi viva per animam, mortua per formam cadaveris conſtitueretur.

Ægid. Coninck 3. p. q. 76. a. 2.

Sed hæc SS. Patrum aſſertio evertit fundamentum & finem, propter quem Leon. Leſſius, Io. Præpoſitus, Ægidius Coninck (tres præcipui inter Theologos, formarum organicarum fabricatores) formas illas confinxerunt. Finis enim eorum fuit, ut idem prorſus phyſicè ac realiter eſſet corpus Chriſti vivum & mortuum. Cujus tamen contrarium potiùs verba illa Patrum indicant. Nam *caro nata ex Virgine*, vel tota, vel maximâ ex parte, poſt triginta tres annos, cum ſuis primis formulis organicis defluxerat, ut in alijs hominibus fieri ſolet. Vnde illa caro data diſcipulis, ſuſpenſa in patibulo, & poſita in ſepulchro, ex alimento corporis Chriſti per tot annos concreverat, & morali ſolum imaginatione, non phyſicâ identitate, eadem erat cum illa quæ olim apiculæ unius magnitudine, ut Medici dicunt, in utero Virginis concepta, & incremento Virginei ſanguinis aucta, prodierat in lucem. Non ergo idem omnino realiter & mathematicè, quoad materiam & organorum formulas, corpus Chriſti jacuit priùs in utero, & poſtea in ſepulchro. Nec SS. Patres in talibus locutionibus illum identitatis rigorem intendunt, quem formarum organicarum fabricatores ipſis affingunt.

Nihilominùs per iſta ſacroſancta verba, *Hoc eſt corpus meum*, panem convertit in corpus ſuum adultum, & tantum quantum tunc gerebat, unius & idem illud (niſi quantulum ſpatio noctis

& diei novæ materiæ per nutritionem acceſſu, & veteris per corruptionem deceſſu variatum fuit) quod paulò pòſt jacuit in ſepulchro. Corpus verò iſtud fuit altera compoſiti phyſici pars, organis humani corporis, non per formas ſubſtantiales organicas, ſed per temperamenta & figuras accidentales inſtructa & diſtincta. Erat enim *corpus humanum*, ait rectè Sotus, *quod dicit compagem ex oſſibus, & nervis, & carne, & diverſis organis, hoc eſt diverſarum complexionum & qualitatum.* Sot. in 4. d. 10. q. 1. a. 2.

Accipitur verò hìc corpus, inquit, *pro altera parte compoſiti, ut diſtinguitur ab anima; quam ideo non includit in recto, ut ſupponat pro aggregato ex corpore & anima.* Et ejus rei rationem concinnam reddit: quia *Chriſtus Dominus dedit nobis corpus ſuum & carnem in cibum ad manducandum: corpora autem animalium, dum nobis in cibum veniunt, occiſa ſunt, atque adeo animam non includunt.* Vnde iterum: *Ex vi conſecrationis manet hic corpus Chriſti, quod ſupponit pro altera parte compoſiti, connotando illam formam, à qua recipit eſſe corporeum, quæ eſt anima rationalis.*

Sed quomodo igitur fuit idem in ſepulchro, cùm ibi habuerit eſſe corporeum à forma cadaveris? Quare enim non ſequitur, ait Sotus: *Erat corpus ab alia forma; ergo non erat idem?* Reſpondet: *Hoc eſſet verum, ſi forma eſſet pars intrinſeca corporis, ſicut anima eſt pars hominis. Et tamen non eſt niſi extrinſeca, ſicut albedo albi.*

Itaque ſententia Soti non videtur ab opinione Gabrielis, Marſilij, & Nominalium, niſi in eo differre, quòd iſti velint corpus Chriſti mortuum caruiſſe omni forma ſubſtantiali; Sotus verò det ei formam cadaveris, à qua in eſſe ſuo corporeo dependebat; licet ipſa intrinſecam ejus compoſitionem non intraverit.

Si autem corpus, non pro altera parte compoſiti, ſed pro toto compoſito ex materia & forma accipiatur, ſine dubio, corpus Chriſti in triduo mortis non fuit idem cum eo, quod in cœna ultima Chriſtus habuit; cùm gradus etiam infimus formæ corporeitatis, quem anima rationalis materiæ Chriſti viventis tribuebat, differat realiter à gradu ſimili corporeitatis, quem in morte habuit à forma cadaveris; quemadmodum

modum gradus vegetativus, quem eadem anima rationalis dat homini, longè diverſus eſt à gradu vegetativo, quem anima plantæ tribuit arbori.

Vnde corpus ex materia & forma intrinſecè compoſitum, quod in ſepulchro jacuit, non fuit propriè corpus Chriſti, niſi ſecundum quid. Chriſtus enim in eſſentia ſua phyſica non includit illud eſſe corporeum, quod forma cadaveris compoſito ex materia Chriſti & forma cadaveris dedit.

Et hinc ulteriùs pronomen, *Hoc*, à Chriſto vivente & ab alio ſacerdote in triduo mortis pronunciatũ, aliud corpus deſignat, & ſumitur æquivocè. Vt jam appareat, quanto convenientiùs vox, *Corpus*, in forma conſecrationis, pro altera tantùm parte phyſica in recto accipiatur, ut dicunt Nominales, & Sotus; qui etiam D. Thomam huc trahit. Sic enim, ſive corpus illud animæ rationali, ſive formæ cadaveris ſubſtratum fuerit, ſemper eſt idem corpus.

Ex ſuperiori igitur ratiocinatione conſtat, quàm neceſſe non ſit, propter Euchariſtiæ myſterium formas organicas fabricare, & Ariſtotelem pænè convitijs inceſſere, cùm ait: *recedente animâ, animal deſinere, nec ullum membrum, niſi ratione figuræ, idem relinqui; modo eorum, quæ fabulæ tranſiſſe in lapidem narrant.* Alludens, credo, ad metamorphoſin Niobes in ſaxum; De qua Poëta:

Ariſt. lib. 1. c. 1. de part.

In vultu color eſt ſine ſanguine, lumina mæſtis
Stant immota genis, nihil eſt in imagine vivum.
Ipſa quoque interiùs cum duro lingua palato
Congelat, & venæ deſiſtunt poſſe moveri.

Ovid. 6. Met.

Nec ſolùm cum Ariſtotelis & S. Thomæ, ſed etiam S. Auguſtini Philoſophiâ pugnant illi novorum organorum fabri. Alia teſtimonia non congero: *Homo*, inquit S. Auguſtinus, *exceptâ formâ* (exteriori, quæ oculis patet) *membrorum, quæ diverſis generibus animantium diverſa tributa eſt, non diſtat à pecore, niſi rationali ſpiritu, qui mens etiam nominatur.* Quod falſum eſt, ſi præter ſpiritum rationalem, homo tantâ præterea formarum ſubſtantialium ſupellectile inſtruitur, quibus diſtat à pecore. Nec de alia forma membrorum, niſi exteriori & viſibi-

S. Aug. lib. de fide & ſymb. c. 5.

& viſibili alibi loquitur, quando de Lazari ſuſcitatione ait: *Reſuſcitavit putentem, ſed tamen in cadavere putente adhuc erat forma membrorum: ille in noviſſimo die ad unam vocem, cineres eſt reſtituturus in carnem.* Tract. 49. in Ioan.

Vltimum tandem telum, de Reliquijs Sanctorum in nos torquet Dandinus. *Reliquias Sanctorum*, ait, *propterea ſumma veneratione colimus; quòd corpora ſint, aut corporum partes Sanctorum virorum. Oportet autem aliquam in illis, præter materiam, ineſſe ſubſtantia formam, quâ idem numero corpus, eademq́ pars eſſe dicatur.* Dand. lib. 2. digreſſ. 8. p. 3. de anima.

Mirum profectò hoc telum in manus reſumi, quod olim à Gregorio Arim. tam egregiè exarmatum fuit.

In corporibus Sanctorum, inquit, *novæ ſubſtantiales formæ introductæ ſunt; quod neminem puto debere negare. Alioqui pulveres & cineres, in quos reſoluta ſunt multorum corpora Sanctorum quos veneramur, fuiſſent partes eſſentiales ipſorum Sanctorum dum viverent: quod abſurdum & manifeſtè falſum eſt. Et ideo quilibet habet concedere, quòd tales Reliquias veneremur, non quia fuerint ipſæ partes Sanctorum, ſed quia pars earum fuit pars Sanctorum. Illam autem dico ſolam materiam.* Greg. in 2. d. 16. q. 2.

Nam corpora ignibus, more Romano, concremata, & in favillas ac cineres, cum omnibus ſuis (ſi quas habuiſſent) formis organicis diſſipata, venerationem tamen non amittunt.

Poſt longum igitur diſcurſum, gradum hîc ſiſto, & aio, Leſſium nimis confidenter opinionem, de formis organicis partium heterogenearum, vocaſſe *veriſſimam, & corpore Chriſti longè digniorem, quàm alteram quæ formam cadaveris introducit.* Leon. Leſſ. 3. p. q. 76. a. 2.

Quid enim in iſta forma cadaveris homines imaginantur? Non enim graviùs, quàm formæ organicæ, olet. Et licet corpora animalium putreſcere ſinat, tantundem formæ organicæ faciunt. Imò Suarez (quod tamen ſuprà Artic. VI. non probavimus) aſſerit formam humani cadaveris tam nobilem eſſe, & animæ rationali affinem, ut *requirat aliquam organizationem propriam & accommodatam corpori humano.* Suar. 3. p. q. 76. a. 2. diſp 51. ſect 4.

Addit quoque Leſſius, *Medicis hac in re eſſe maximè credendum:*

Ego verò puto, Ariſtoteli & Philoſophis magis. Nam Medicis ſufficit demonſtratione *Quia eſt*, ex effectibus colligere talem herbis, aut animalibus proprietatem ineſſe, ex quâ poſſint corporibus noſtris medelam ſperare, aut timere perniciem: ceterùm qualis ſit in fundo ſuo illa proprietas, ſubſtantiane, an accidens, & de quo prædicamento, Philoſophorum eſt hoc inquirere, & litigare.

Denique, ſi tantæ apud nos fidei Fernelius, & aliquot alij recentiores Medici eſſe debent, oportebit quoque ejuſdem fidei ſimplicitate, non tantùm formas organicas animalibus & plantis, ſed etiam quatuor elementorum ſubſtantiales formas omnibus corporibus mixtis inculcare; quia Medicorum plurimi hoc etiam faciunt.

ARTICVLVS IX.

An anima ſit in omnibus partibus ſui corporis.

RAptim hoc expedio, & aio animam in toto corpore ſuo, non autem tantùm in aliqua ejus parte habitare. Nam etſi multi olim Philoſophi ac Medici videantur eam vel in cerebro, vel in corde tantùm poſuiſſe; & ipſam Regi Perſarum aut Aſſyriorum (qui pedem domo nunquam efferentes, regnum ſuum per Satrapas emiſſarios adminiſtrant) comparaſſe; de principali tamen animæ ſede, quam vel τὸ ἡγεμονικὸν, vel τὸ κύριον appellabant, loquebantur. Quemadmodum Ariſtoteles etiam τὸ κύριον *principale*, & quaſi ſedem regiam animæ vegetativæ, dicit eſſe in corde, τὸ κύριον verò animæ ſenſitivæ, in cerebro. Ex corde quippe per arteriarum tubulos, ſpiritus vitales, animæ vegetativæ ad nutritionem adjutores; ex cerebro ſpiritus animales, motûs & ſenſionis opifices, per nervorum traduces, ad corporis remotas partes perveniunt. Etſi interim in partibus illis remotis inſit anima ſaltem vegetativa, quæ omnes illas partes nutrit. Si autem vegetativa, ergo & ſenſitiva, & rationalis; quia tres illi gradus in anima humana ſola ratione ſunt diſtincti.

Ariſtot. lib. de juvent. c. 3.

Quid enim eſt in inteſtinis corporis, ubi non eſt ipſa? ait S. Auguſtinus

guſtinus. *Et tamen etiam quaque interna atque vitalia oculis corporis inquiſivit, & quidquid ex eis diſcere potuit, per oculos corporis didicit. Et certè ibi erat etiam quando illa neſciebat. Et cùm viſcera intrinſecùs noſtra non poſſint ſine anima vivere, faciliùs ea potuit anima vivificare, quàm noſſe.* S. Auguſt. lib. 4. c. 5. de orig. animæ.

Falluntur igitur Pythagoras, Plato, & Galenus, qui tres animas, in homine ſpecie diſtinctas, non quidem in eadem qualibet parte, ſupra ſe per modum actûs & potentiæ congeſtas, ut Philoponus Articulo III. confutatus cenſuit; ſed per diverſas ſedes & membra digeſtas; ut anima rationalis in cerebro, iraſcibilis in corde, concupiſcibilis in jecore deliteſcat. Vnde eleganter Plato dicere ſolitus eſt, animam immortalem à mortali, colli Iſthmo ſeparatam eſſe. Plat. in Timæ. Tanquam ſi Peloponeſus eſſet caput hominis, in quo aiebat animam rationalem habitare, & Iſthmus Corinthiacus collum, ſejungens caput à pectore; ſicut Peninſula illa, Iſthmi interjectu removetur à Græciæ continente. Et hujus veritatis tam certum ſe putat Galenus, *ut ſcientificas* clamet *ſe demonſtrationes habere.* Galen. lib. 9. c. ult. de placit.

Non credo tamen Galeno. Profer illas, & conabimur pſeudographas oſtendere. Certè enim triplicem illam Platonis animam, ſedibus & habitaculis diſtinctam Ariſtoteles olim egregiè confutavit.

Nam in animalibus inſectis, ait, animæ plures non ſunt ſedibus diſtinctæ; ſed eadem ſpecie anima ſenſitiva eſt in toto corpore. Pars enim corporis à reliquis deciſa, ſenſum & motum habet, ut ex Ariſtotele & S. Auguſtino, ſuprà, Cap. IV. Art. II. demonſtratum fuit. Ariſt. lib. 1. c. ult. de anima. Non ergo in una parte eſt anima iraſcibilis, aut concupiſcibilis tantùm ſine ſenſitiva, quæ motũ illum & ſenſum debet efficere. Si autem in illis animalibus inſectis animæ tres non ſunt ſedibus diſtinctæ, non eſt ratio, cur in ceteris oporteat fingere.

Deinde ex triplici anima ſpecie diſtincta, quarum una tantùm rationalis, altera tantùm iraſcibilis, tertia tantùm concupiſcibilis eſt, non poteſt, ait Ariſtoteles, forma unius naturæ integraliter coaleſcere. Vnio quippe integralis per ſe, flagitat extrema ſolo numero diverſa.

Erit

Erit ergo homo quaſi Centaurus, ex anima equi & hominis, malè & per accidens inter ſe hærentibus, compactus. Quod profectò etiam Plato eſt confeſſus, cùm dicere eſt ſolitus, tres illas animas, non ſicut Vlyſſes & turba Græcorum in equo Trojano, ſine ordine & inconditè; ſed harmonicâ quadam conſpiratione inter ſe devinctas eſſe, ut milites in acie. Certè enim milites in aciem unam compoſiti, ordine tantùm, non unione per ſe integrali unum ſunt.

Plat. in Theæt.

Videtur autem Plato in illam de animarum in homine uno multitudine, eodem quo Manichæi argumento inductus eſſe. *Cùm enim Manichæi viderent*, ait S. Auguſtinus, *non poſſe carnem ſine anima concupiſcere, aliam quandam animã ſuam ex alia natura Deo contraria, carnẽ habere putaverunt, unde concupiſcat adverſus ſpiritum.*

S. Auguſt. lib. 10. c. 13. de Geneſ.

Sed propter iſtam, inter ſpiritum & carnem pugnam, non eſt neceſſe animam in partes concîdere. Nam eadem anima diverſis affectibus à ſeipſa diſcordare poteſt: ſicut *per ſenſualia* (ſenſuum organa) *varijs modis emicat*, ait Tertullianus, *non tam conciſa, quàm diſpenſata.*

Tertull. lib. de anima c. 14.

Eadem quippe anima eſt, quæ ſecundum ſpiritum, & ſecundum carnem concupiſcit. *Motibus enim ſuis anima quos habet ſecundum ſpiritum, adverſatur alijs motibus ſuis, quos habet ſecundum carnem; & ideo dicitur ſpiritus concupiſcere adverſus carnem.*

S. Auguſt. lib. 6. contra Iul. c. 14.

Eadem quoque anima ad hominem interiorem, & exteriorem pertinet. Ad interiorem quatenus rationalis; ad exteriorem, quatenus ſenſitiva. Cùm enim ſecundum ſpiritum concupiſcit, *Condelectatur legi Dei ſecundum interiorem hominem*; cùm ſecundum carnem, *Videt aliam legem in membris ſuis, repugnantem legi mentis ſuæ.*

Rom. 7.

Duo autem iſti hominis interioris & exterioris affectus non ita contrarij ſunt, ut in eadem anima ſe compati nequeant. Vnde nec ideo duæ animæ in diverſis corporis ſedibus cum Platone, aut in ijſdem omnibus membris, cum Manichæis, Philopono, & Occamo, fingendæ ſunt. Aliàs enim in eodem cane, aut fele animam ſenſitivam geminam compingere oporteret, ut adverſus Occamum ſuum rectè perpendit Gabriel. Nam *guſtus appetit, & tactus refugit idem*, ait, *ut patet in cattis, cùm offertur*

Gabr. in 2. c. 16. q. 1.

offertur cibus conveniens, ſed nimis calidus.

Igitur non tantùm ſpiritus & caro, ſive voluntas & concupiſcentia, poſſunt in idem objectum partim inclinari, & partim ab eo refugere; ſed etiam unus idemque bruti appetitus eundem cibum ut guſtui blandũ appetit, ut tactui inimicum fugit.

Nec refert, quòd concupiſcentia, qua concupiſcit ſpiritus, ſit actus liber, concupiſcentia verò carnis ſit actus neceſſarius. Nam etiam ſecundum eundem & ſupremum mentis ſuæ apicem, anima per intellectum neceſſariò, per voluntatem liberè operatur. Imò ab eadem voluntate actus quidam primò primi neceſſariò emicant, & actus deliberati liberè effunduntur.

ARTICVLVS X.

An anima per partes ſui homogeneas, an heterogeneas, omnia membra corporis ſui informet.

Paul. Venetus, Auguſtinus Nyphus, Suarez, Hurtadus reiecti.

POſtquam animam unam eandemque per totum corpus diffuſam, & materiam primam omnium membrorum immediatè, ſine formis inanimis organorum, informare diximus; hæc denique quæſtio reſtat: An ipſiuſmet animæ partes, homogeneæ, ſeu ejuſdem planè rationis & perfectionis ſint, an heterogeneæ, & difformitati membrorum ſui corporis ſe conformantes & accommodantes.

Quæſtio in anima rationali, quæ partibus integrantibus caret, & per ejuſdem indiviſibilis ſubſtantiæ replicationem, totum corpus ſuum implet, locum non habet. Quanquã de unione ejus ad corpus, quęri etiam poſſit, An uniformiter, aut cum quadam partium ſuarum difformitate, per omnia membra diffuſa ſit. Antea enim eam eſſe integraliter diviſibilem probavimus.

Paulus Venetus & Auguſtinus Nyphus olim, Suarez & Hurtadus nuper, animas brutorum & plantarum partibus he-

terogeneis veluti conſutas eſſe volunt: aiuntque animam leonis in capite leonini corporis veluti caput etiam ſuum, in pede aut cauda, pedem aut caudam habere. Dicunt enim partem animæ quæ informat materiam capitis, naturâ ſuâ ſolummodò aptam eſſe ad informationem talis partis, ineptam verò quæ pedis vel caudæ materiam informet. Quam opinionem Hurtadus *apud recentiores eſſe communem* dicit. Sed fallitur, & fallit.

Rem iſtam unico ferè argumento conficiunt: Quia pars animæ quæ informat bruti caput, poſtulat determinatè capitis, non alterius membri diſpoſitiones: igitur alterius rationis, aut entitativæ perfectionis eſt ab altera animæ parte, quæ pedis, caudæ, cordis, jecoris &c. diſpoſitiones flagitat.

Vnde in iſtorum Philoſophorum Schola, ſi quis cani auriculas præſcindat, non tantùm corpus caninum, ſed etiam animam mutilabit, partemque talem revellet, cui in toto corpore nulla ampliùs ſimilis erit.

Contraria ſententia eſt veterum Thomiſtarum, Scotiſtarum, Nominalium, & plurimorum recentiorum, eorum præſertim, qui in intenſione qualitatum, gradus Hurtadi & Suarezij heterogeneos rejiciunt.

D.Th.lib.2 c.64. contra Gent. Et certè D. Thomas negat animam eſſe *rationem harmonicam compoſitionis: quia cùm in diverſis partibus corporis*, inquit, *ſint diverſæ rationes ſeu proportiones compoſitionis, ſingulæ partes corporis haberent ſingulas animas. Aliam enim animam haberet os, & caro, & nervus: cùm ſint ſecundum diverſam proportionem compoſita: quod patet eſſe falſum.*

Quod argumentum ſupponit, falſum & abſurdum eſſe, ſingulis membris corporis ineſſe ſingulas animas, non ſolùm totales, ſed etiam diverſas partes unius heterogeneas, ſecundum harmonicam proportionem temperiei qualitatum primarum uniuſcujuſque partis corporis.

Deinde D. Thomas & D. Auguſtinus, qui animas omnium animalium perfectorum ſtatuunt integraliter indiviſibiles, ut ſuperiùs oſtendimus, non poſſunt exiſtimaſſe animam leonis, aut canis ſecundum partes heterogeneas aut homogeneas,

per-

per membra corporum diffundi.

Quænam vero Ariſtotelis de partibus iſtis heterogeneis mens etiam fuerit, patet ex refutatione trium animarum Platonis, quarum unam in cerebro, alteram in corde, tertiam in jecore nidulari & habitare dicebat.

Refellit enim, quia ſi hoc verum eſt, homo ens unius naturæ futurus non eſſet, ut Artic. ſuperiori narratum fuit. Ariſt. lib. 1. c. ult. de anima.

Simile enim argumentum adverſus Venetum, Nyphum, & ceteros quibuſcum diſputamus, pugnat.

Si namque anima leonis ex partibus heterogeneis, quarum una cerebrum, altera cor, aut jecur informat conſuta eſt, non eſt magis ens unius naturæ, quàm mendici pallium, quod ex nigro, viridi, rubro, & tot alijs ſcrutorum particulis conſarcinatum eſt. Adeoque homo, licet corpore uno continuo conſtet, re vera tamen, quantum ad animam, erit inſtar Centauri, aut Tragelaphi, qui ex animabus ſpecie phyſicâ diſcordantibus, & ideo integraliter per ſe non cohærentibus, compoſiti ſunt. Hinc enim Philoſophi Tragelaphum, perinde ac Chimæram, pro exemplo entis rationis uſurpare ſolent. Nam re veriſſimâ, ens rationis eſt, ſi unionem per ſe integralem inter hirci & cervi animas (quas Tragelaphus nomine ſuo comprehendit) ratio fingat. Talis enim unio integralis impoſſibilis eſt.

Pars autem heterogenea animæ leonis, quæ cerebrum informaret, ſpecie quoque & perfectione eſſentiali diſſideret à parte ejuſdem animæ quæ cor aut jecur inhabitat. Ergo nec iſtæ etiam poſſunt integraliter unum conſtituere.

Quod evidentius eſt in opinione Hurtadi, qui partem animæ leonis quæ eſt in oſſe, negat eſſe ſenſitivam, ſed vegetativam tantùm, quia os ſenſu caret. Quomodo igitur unione integrali cum anima carnis, quæ ſimul vegetativa & ſenſitiva eſt, coaleſcet? Suarez verò contendit, animam carnis & oſſis, aut cerebri & cordis, etſi heterogeneæ ſint, unius tamen ſpeciei eſſe; veluti, ait, *declarari poteſt exemplo duarum viſionum ſenſibilium Petri & Pauli; quæ licet ſolo numero diſtinguantur, nihilominùs ita comparantur, ut una repræſentet Petrum, & non poſſit repræſen-*

Hurtad. diſp. 2. ſect. 5. de anim.

Suar. lib. 1. c. 2. de anima.

repræſentare Paulum, & alia è converſo. Ob quas habitudines dici poſſunt habere entitates diſſimilares, licet ejuſdem ſpeciei ſint.

Verùm licet duæ viſiones, quarum una candorem Petri, altera candorem Pauli pro objecto habet, non diſcrepent ſpecie phyſicâ, quia ſunt ęqualis perfectionis eſſentialis; ſpecie tamen logica (ut jam loquuntur Philoſophi Lovanienſes) differunt, propter habitudines eſſentiales ad duo objecta numero diſtincta. Tales enim duæ viſiones eſſentialiter magis inter ſe diſtant, quàm duæ ejuſdem objecti; quæ tamen numero differunt. Si autem illæ magis quàm numero differant; ergo ſpecie. Nam poſt diſtinctionem numericam, quæ minima eſt, proximé ſequitur ſpecifica.

Verùm, etſi res ſolâ ſpecie logicâ diſtinctæ (ut duæ ſubſiſtentię partiales, aut præſentię locales capitis & colli in eodem corpore humano) per ſe integraliter fortaſſe uniri poſſint; non tamen res ſpecie phyſicâ differentes, inter quas eſt tanta & tam notabilis perfectionum eſſentialium inæqualitas, quantam inter animam cerebri, & cordis eſſe intelligimus; ſi una tantùm flagitat naturâ ſuâ temperiem conformationemque cerebri, altera temperiem & conformationem tantùm cordis.

Si enim res tam diſtantes, integraliter concreſcere in unum per ſe valeant, nihil eſt cauſæ, cur formæ lapidum, lignorum, & calcis in unum ædificium colligatæ, in ens unius naturæ coaleſcere non poſſint.

Itaque dicendum eſt, partes animæ leonis, ac cujuſcumque animalis & plantæ, eſſe homogeneas, & ejuſdem planè ſpeciei ultimæ, non ſecus, ac partes formæ aquæ, aut lapidis.

Fruſtrà enim tot diverſæ ſpecie animæ partiales, & ſine ratione, imò contra rationem, multiplicantur.

Si enim anima rationalis, ſine ullis partibus integralibus, eadem tota & indiviſibilis cerebrum, cor, hepar, carnes, & oſſa informare, & omnibus illis eſſe cerebri, eſſe cordis &c. conferre poteſt; nulla eſt ratio, quare una anima leonis, aut anima arboris, diviſibilis quidem integraliter, ſed ſub homogenea & uniformi partium ſuarum multitudine, heterogenea & difformia corporis ſui membra informare non valeat.

Eſſentia

Eſſentia enim cujuſcumque animæ, ut ex definitione patet, corpus organicũ flagitat; ac proinde licet in ſe uniformis, difformia tamen organa habitudine eſſentiali reſpicit. Vnde ſtatim evaneſcit illud Hurtadi:

Si forma equi eſſet omnino per omnia membra ſimilis, inquit, *ſicut forma ignis, haberet corpus ſimilibus accidentibus aptum, ut forma ignis,*

Convertat enim Hurtadus argumentum ſuum contra animam rationalem, & illicò videbit, quàm imbecille ſit. Nam licet anima rationalis, non tantùm ſibi ſimilis, ſed una eademque indiviſibilis per omnia membra hominis ſparſa ſit; non ideo tamen ſimilia & ejuſdem temperamenti accidentia in omibus membris poſtulat: aliàs totum hominem carneum, aut totum oſſeum eſſe oporteret.

Veluti ergo anima rationalis ex vi eſſentiæ ſuæ, varietatem organorum poſtulat; ad quæ per extenſionem virtualem, ſive per ſubſtantiæ ſuæ replicationem ſe extendit; ita forma equi per formalem partium homogenearum extenſionem tantundem valet.

Sed pergit H[illegible]rtadus: *Si nulli parti*, inquit, *in anima leonis, conveniat petere determinatè diſpoſitiones capitis; nec etiam toti formæ conveniet petere determinatè eas diſpoſitiones. Nam tota forma nihil eſt formaliter, præter omnes ſuas partes unitas.*

Sed argumenti ſophiſma ex iſto ſimili ſtatim ſe prodit: Nulla pars cæli primi mobilis poſtulat eſſe determinatè in Oriente; ergo totum cælum id non poſtulat. Totum enim cælum poſtulare poteſt per partem aliquam hanc vel illam in confuſo, ſpatium illud determinatum Orientis occupare, licet nulla determinatè pars id poſtulet.

Sic eſſentia animæ leonis poſtulat per aliquam confusè partem ineſſe capiti, licet nulla determinata pars hoc flagitet.

Et accipiamus unicam partem leonini corporis homogeneam, ut os cranij capitis, per quod anima non partibus heterogeneis, ſed homogeneis extenditur. Hurtadum deinde interrogo: Qui fieri poſſit, ut tota illa cranij anima partem aliquam in ſincipite, & alteram in occipite cranij habere

 poſtulet;

poſtulet; cum nulla determinatè ejuſdem animæ pars, potiùs ſinciput, quàm occiput informare petat? Solvat hunc nodum Hurtadus, & eodem ungue illum quem nectit ſolvemus.

Ad hoc autem penitus extricandum, perpendere oportet, In eſſentijs rerum, quarum ſingularia partibus integralibus conſtant, nullas determinatas partes integrales formaliter includi. Si enim in eſſentia lineæ, v. g. partes aliquæ integrales determinatę includerentur, vel ſingulares eſſent, vel univerſales. Non univerſales, quia unica eſt linea univerſalis, non plures. Non ſingulares, quia ſic oporteret aliquas determinatè lineas partiales ſingulares omnibus inferioribus lineæ univerſalis inexiſtere; quod omnino falſum eſt.

Igitur eſſentia lineæ univerſalis ſolum poſtulat inexiſtere pluribus ſingularibus lineis, quarum unaquæque integraliter componatur ex pluribus partibus ſolo numero diſtinctis.

Sic ergo quoque, eſſentia animæ leonis in genere, non debet apprehendi ut compoſita ex partiali anima leonini capitis, & cordis &c. ſed ut apta inexiſtere pluribus ſingularibus animabus leoninis, quarum unaquæq; conſtet pluribus partibus integralibus ejuſdem ſpeciei, per quas totum corpus leoninum valeat implere; & per unam partem ſui integralem caput, per alteram cor &c. informare. Non quaſi una determinata pars animæ ſit eſſentialiter alligata capiti, altera cordi; ſed quòd iſta pars in capite potiùs ſit, quàm in corde, hoc provenit ex determinatione cauſæ primæ, ſive ſimilis cauſæ, quæ determinat ſolem, ut in hac parte aëris hoc lumen, in iſta iſtud, potiùs quàm aliud numero diſtinctum, efficiat.

Aliud tamen præterea, & vetuſtum contra nos argumentum eſt, quod contemni non debet.

Oculus bovis & leonis, inquiebant quidam, differunt ſpecie per diverſas ſpecie animas; ergo oculus & cor bovis, ſpecie quoque per diſtinctas ſpecie animas different. Nam oculus bovis & oculus leonis, temperie & ceteris accidentibus naturalibus ſimiliores ſunt, quàm oculus & cor ejuſdem bovis.

Sed bellè & muſicè reſpondit olim Trajectenſis noſter Marſi-

Marſilius. Nam licet oculi diverſorum ſpecie animalium, inquit, *habeant complexiones propinquas in calido & frigido, proportiones tamen eorum ſunt omnino diſſonantes. Sicut in Muſica non concordat ſeptima nota cum octava, etiamſi proxima ſit; ſed magis concordat octava cum prima. Septima enim deſtruit octavam; quam dulciùs reſonare facit prima, vel quinta ei conjuncta.* Marſil. in 2. q. 11. a. 6.

Igitur pari modo, licet temperiei & conformationis ſimilitudine oculus bovis & oculus leonis ſibi magis appropinquent, quàm oculus & cor bovis; harmonicâ tamen quadam proportione, quâ ſub eadem anima devinciri & colligari poſſunt, oculus bovis & cor bovis magis inter ſe concordant. Eadem enim bovis anima oculum & cor bovinum in unum corpus confœderata & devincta reſpicit, & informare poteſt; non oculos bovis & leonis, qui ad diverſa corpora pertinent.

Illam verò inter oculum & cor bovis proportionem & concordiam Fernelius à ſpiritu naturali effici credit: *qui cùm unus ſit*, ait, *è ſimplici fonte ſcaturiens, non niſi unius ſimpliciſque animæ vehiculum & nexus eſſe poteſt* Et deinde: *Vis illa naturalis*, inquit *quæ canis oſſi moderatrix praeſt, eadem non poteſt oſſa aſini regere; & canis tamen cartilaginem & carnem, perinde atque os moderatur. De hac ergo partium ſimilitudine ſi rectè judicare voles, non eſt æſtimandum ſubſtantiæ temperamentum, aut craſſitudo, ſed ipſius ſua quadam proprietas & is ſpiritus, qui accidenti formæ illam certo modo præparat.* Fernel. lib. 1. c. 4. de abdit.

In eundem ſenſum interpretandus D. Thomas (quem Suarez & Hurtadus in ſuam ſententiam fruſtrà ſollicitant) ubi ait: *Caro mea cum carne tua magis convenit ſecundum rationem ſpeciei* (accidentariæ, & temperamenti carnis) *quàm caro mea cum oſſe meo. Sed ſecundum analogiam ad totum, eſt è converſo. Nam caro mea & os meum poſſunt ordinari ad unum totum conſtituendum; non autem caro mea & caro tua.* S. Th. q. 1. a. 4. de ſpirit. creat. ad 14.

Et inde probat, eandem numero animam rationalem poſſe carnem & oſſa ejuſdem corporis informare, etiamſi diverſorum corporum carnes non poſſit.

Denique ut finiam, non tantùm in animalibus, ſed etiam in plantis, animæ partibus homogeneis conſtant, licet arbor

aliam temperiem & conformationem in radice, trunco, & ramo, aliam in cortice, & ligno poſtulent. Dicit Fernelius: *Viventis ſtirpis*, inquit, *lignum, cortex, folium, flos, atque fructus, omnia unius ſunt formæ, unaq́; ſpecie continentur: ut animantis os, caro, vinculum, cartilago, ſpecie nequaquam diſſident.*

De folio tamen, flore, & fructu eſt quod ambigam. Videntur enim folia, flores, & fructus in arboribus, quod crines, & plumæ in animalibus. Hæc autem non animâ ſenſitivâ totius, ſed ſolâ vegetativâ, Lib. II. Cap. V. Art. VI. animabimus.

CAPUT VI.

De potentijs animæ in genere.

EXpeditis quæ ad ſubſtantiam animæ, & informationem corporis pertinent, ſequitur proximè, ut de potentijs ejus, quæ ſunt naturales ipſius proprietates, generaliter aliquid dicamus. Specialiter verò de ſingulis, quæ ſingulas ſpecies animarum ſequuntur, diſſerendum in Libris ſequentibus.

ARTICVLVS I.

Potentiæ vitales realiter ab anima diſtinguuntur.

TRes Philoſophorum Scholæ in hac Arena pugnant. Occamus cum ſuis Nominalibus, nullam inter animam & potentias ejus diſtinctionem interponit: Scotus formaliter, D. Thomas realiter diſtingui putat. Sed quid per diſtinctionem formalem Scotus intelligat, obſcurum eſt, nec inter Scotiſtas ſatis convenit. Si diſtinctio formalis ſit ſolùm rationis ratiocinatæ, ut quidam interpretantur, vix ullum diſcrimen eſt inter Scotum & Nominales. Non poteſt verò intelligi illa, quam hodie modalem appellant: quia nullibi Scotus indicat, potentias animæ eſſe puros ejus modos.

Nec ſanè res tam vivaces, & actuoſæ, poſſunt eſſe puri tantùm modi; cùm iſti tenuis, ſemivacuæ, & otioſæ entitatis eſſe ſoleant. Si igitur diſtinctio à parte rei inter animam & potentias ejus interjici debeat, erit realis ſtricta, qualis inter res plenæ entitatis (ut inter animam & corpus, inter frigus & aquam &c.) intercedere ſolet.

Et hæc eſt ubique S. Thomæ ſententia; quam Thomiſtæ varijs argumentis ſtabiliunt, ſed multis invalidis; ut proinde delectu hìc uti neceſſe ſit. Sed tamen nec ea quæ adferemus tam valida erunt, ut à pertinacibus labefactari, & quoquo modo eludi non poſſint. Raræ quippe in rebus naturæ, extra mathematicas diſciplinas, tam evidentes & robuſtæ demonſtrationes reperiri poſſunt, quæ aſſenſum à pugnacibus etiam & contentioſis extorquere valeant.

Sed bene eſt, quòd Ariſtoteles ingenij intemperantis eſſe dicat, in quavis materia mathematicas demonſtrationes exigere.

Hæc quoque ſententia communi modo loquendi, quo potentias animæ, tanquam proprietates quaſdam naturales ab eſſentia ejus dimanantes apprehendimus, eſt accommodatior, & varios præterea in Theologia uſus habet: ut quando habitus ſupernaturales, ad intellectum & voluntatem pertinentes, diſtinguere ſolemus, ſecundum ſimilitudinem & proportionem, qua illæ potentiæ naturales inter ſe, & ab anima diſtinguuntur, &c.

Probatur igitur primò: *Deus creaturis quas ad bonum naturale habendum diligit, ſic providet*, ait S. Thomas, *ut non ſolùm moveat eas ad actus, ſed etiam largitur eis formas & virtutes quaſdam quæ ſunt principia actuum, ut ſecundum ſeipſas inclinentur ad hujuſmodi motus. Et ſic motus quibus à Deo moventur, fiunt creaturis connaturales & faciles, ſecundum illud Sap. 8. Et diſponit omnia ſuaviter.* S. Th. 1. 2. q. 110. a. 2.

Vbi rationem a priori, & pro materiæ hujus capacitate, ſanè optimam allegat. Nam ſicut Deus formæ ignis providet calorem, ab ea realiter diſtinctum, formæ aquæ frigus &c. ut per iſtas qualitates, tanquam propinquiora & inſtrumentalia principia operationes ſuas naturales exerceant; ita de potentijs vitalibus accidentarijs providit animæ, per quas faciliùs &

ſuaviùs operaretur, ſub omnipotentia & concurſu ejus qui
Sap. 8. *omnia diſponit ſuaviter.*

Nam propterea etiam natura invênit habitus, qui potentias ipſas animæ, velut adventitio aliquo pondere in actus ſuos inclinarent, ut ſic adhuc proniùs, faciliùs, & ſuaviùs operarentur.

Quæ res probabilior adhuc apparebit, ſi cogitemus, ſubſtantiam animæ ad multos & valde differentes actus eſſe indifferentem; & proinde nihil bellius, & ad agendum accommodatius fieri poſſe, quam ut per potentias & accidentaria inſtrumenta magis reſtricta & particularia, ad hanc vel illam actionis ſpeciem determinaretur, & adjuvaretur, ut omnibus ſufficere poſſet.

An verò hæc neceſſitas operandi per talia accidentaria inſtrumenta, oriatur ex generali imperfectione & impotentia ſubſtantiæ creatæ; an verò talis ſubſtantiæ, qualis eſt anima, quævis forma ſubſtantialis, eſt incompertum.

Franc. Suarez, & plurimi Thomiſtæ in generalem creatæ ſubſtantiæ limitationem & imperfectionem refundunt. Vnde & in Angelis, intellectum & voluntatem à natura Angelica realiter diſtinguunt. Quidquid id eſt: omnes formæ ſubſtantiales corporum nobis notæ (quantum conjectare poſſumus) ſic agunt; ut non futilis inde ſuſpicio naſcatur, ſimile eſſe omnis ſubſtantiæ creatæ activæ ingenium.

Quæ ſuſpicio augetur, quia in Deo intellectus & voluntas, ratione ratiocinatâ ab eſſentia divina & inter ſe diſtinguuntur; ergo in creatis potentiæ illæ diſtingui videntur à parte rei; cùm in Deo omnia ſimpliciora eſſe ſoleant, quàm in creaturis. Et facilè diſſolvi poſſunt quæcumque contra diſtinctionem iſtam à Nominalibus & alijs objectantur, ut mox videbimus,

Secundò, facultates, quibus anima utitur in alteratione & converſione alimenti in ſubſtantiam viventis (ut calor naturalis, & temperies partium corporis) re ipsâ diſtinguuntur ab anima; ergo & ſenſus & appetitus ſenſitivus, intellectus & voluntas, quæ ſunt inſtrumenta animæ ad ceteras ejus operationes;

tiones. Quæ eſt aperta mens & phraſis S. Anſelmi, cùm ait: *Sicut viſum, qui eſt inſtrumentum videndi, habemus etiam cùm non videmus; viſus autem quod eſt opus ejus, non eſt niſi cùm videmus: ita voluntas, inſtrumentum ſcilicet volendi, ſemper eſt in anima, etiam cùm non vult aliquid; velut cum dormit. Voluntatem verò, quam dico uſum, ſive opus ejuſdem inſtrumenti, non habemus niſi quando volumus aliquid.* S. Anſel. lib. de arb. arb. c. 7.

Idem alibi: *Inſtrumentum volendi eſt vis illa animæ, qua utimur ad volendum; ſicuti ratio inſtrumentum ratiocinandi, qua utimur cum ratiocinamur, & viſus inſtrumentum videndi, quo utimur, dum videmus.* Vnde ibidem, Voluntatem definit, *Inſtrumentum ſeipſum movens.* Propter videlicet libertatem motùs voluntatis, & peculiarem modum ſe movendi & agendi, quem anima exercet, dum per voluntatem deliberatam operatur; qui in ceterarum potentiarum officijs & actibus minimè reperitur. Idem lib de concord. grat. & liberi arb. c. 21.

Vnde Gregorius Arim. ſententiæ quæ potentias ab anima diſtinguit, tam compertum S. Anſelmum habuit, ut det manus, & dicat: *Ad Anſelmum & Magiſtrum, quamvis aliqui conentur eos exponere, dico tamen, quòd mihi apparet, eos fuiſſe illius opinionis, ſicut & multi alij ſolennes Doctores. Quia tamen Auguſtinus videtur mihi eis contrarius, nec neceſſitatem video ponendi huiuſmodi diſtinctionem, idcirco teneo oppoſitum, ſalvâ ſemper aliorum reverentiâ.* Sed de S. Auguſtino poſtea viderimus. Gregor. Arim. in 2 d. 16. q. 3. a. 2.

Tertiò, anima per organi alterationem amittit quandoque viſum, auditum, aut ſenſum alium; etiamſi diſpoſitiones in organo permaneant ſufficientes ad retinendam animam: igitur ſenſus eſt qualitas quædam diſtincta ab anima, quæ alias, aut plures in organo diſpoſitiones exigit, quàm anima.

Io. Buridanus, & Thomas Bricotus, Philoſophi de claſſe Nominalium reſpondent: Ipſas organi diſpoſitiones, eſſe potentiam ipſam animæ inſtrumentalem.

Sed perperàm. Nam temperamentum, aut figura oculi nequit cum anima efficienter concurrere ad viſionem. Vnde anima ab ipſis adjuvari non poteſt, ut faciliùs & ſuaviùs actum vitalem organicum exerceat.

Deinde virtutes alimenti attractrices, & expultrices excrementorum, omnium, ut puto, Medicorum conſenſu, à temperie & figurâ organicâ diſtinguuntur; ergo & viſus, & auditus, ceteriq́ue ſenſus, qualitates nobiliores ſunt temperamentis (quæ nihil amplius ſunt, quàm cœtus qualitatum primarum) & figuris ſuorum organorum.

Quartò, in quibuſdam animalium, & herbarum cadaveribus, virtutes quædam animæ remanent, quibus Medici utuntur in medicamentis. Hæ ergo certiſſimò ab anima jam abſente, realiter diſtinguuntur: cur non igitur etiam potentiæ, ſenſitivæ, quæ non tantùm in fieri, ut illæ medicæ virtutes, ſed etiam in conſervari ab anima dependent?

Quintò, ſi potentiæ ſenſitivæ, & rationales idem prorſus ſint quod anima: ergo inter ſe etiam prorſus idem erunt. Quę enim, in rebus creatis, idem ſunt uni tertio, etiam inter ſe in unum coaleſcunt.

Vnde intellectus hominis erit idem ac omnes ſenſus, tam exteriores, quàm interiores: & iſta vocabula (intellectus, phantaſia, viſus, auditus &c.) erunt nomina plura, res autem una. Nam eadem anima vocabitur viſus, quatenus per oculorum quaſi feneſtras, foràs proſpicit; auditus, quatenus per aurium foramina ſonos percipit &c.

Imò, ſi operationes ſenſuum tam externorum, quàm internorum recipiantur proximè in ſolam animam (ut multi pręſertim recentium Nominalium philoſophantur) non tantùm res, ſed etiam nomen, *intellectus*, ſenſui poterit tribui. Quare enim viſus hominis in oculo non intelligit lumen ſolis, quando cognitione ſpirituali, in animam ſolam receptá, illud cognoſcit? Quòd enim cognitio iſta formetur, vel proximè occaſione ſpeciei ſenſibilis, organo ab externo objecto impreſſæ; vel remotè tantùm, & occaſione alterius ſpeciei intelligibilis, quæ per organa ſenſuum quodammodo trajecta & rapta eſt in animam; ad rationem & nomen intellectionis parum referre videtur.

Vnde Gregorius Arim. tandem admittit, viſum & quemlibet ſenſum hominis, eſſe ipſum intellectum hominis quem

ad tale objectum ſenſibile comparamus: veluti etiam, inquit, *appetitum ſenſitivum & intellectivum in homine, non eſſe duas potententias eſſentialiter diſtinctas, ſed eandem & ipſam animam.* Greg.Arim.

Quæ videtur etiam Tertulliani fuiſſe opinio. *Quid ſenſus,* inquit, *niſi ejus rei quæ ſentitur, intellectus? Quid intellectus, niſi ejus rei quæ intelligitur, ſenſus? Vnde iſta tormenta cruciandæ ſimplicitatis, & ſuſpendendæ veritatis? Si corporalia quidem ſentiuntur, incorporalia verò intelliguntur; rerum genera diverſa ſunt, non domicilia ſenſûs & intellectûs, id eſt, non anima & animus.* Tertul lib. de anima c. 18.

Niſi malumus eum intelligere, non de diviſione animæ humanę in plures potentias, ſed in duas partiales animas, quarum una ſit ſenſitiva, altera rationalis, ſive anima, & animus. Hac enim bifariâ ſectione, quaſi tormento, diſcerpetur & cruciabitur, phraſi Tertulliani, animę ſimplicitas. Si deinde ſenſus ſint intellectus, & operationes ſenſuum in animam ſolam proximè imprimantur; quare eorum, quę aliquando ſcivimus, obliviſcimur? Certe enim in Angelos ideo nulla oblivio cadere poteſt; quia ſpecies memorativas in ſolam memoriam intellectivam recondunt, nec alias ſpecies corruptibiles phantaſticas in memoria aliqua organica (qua Angeli carent) reſervant. Angelis autem homines ſimiles erunt, ſi intellectus ſit eorum phantaſia. Sic enim intellectus omnem cognitionem, quam phantaſticam appellamus, in ſe rapiet, & omne cujuſcumque cognitionis veſtigium ſpirituali ventri animę, nullum ventriculo cerebri (ubi ſpecies phantaſticas reponimus) imprimetur. Atque ita per reſolutionem partium cerebri, nulla ſpecies memorativa dilabetur, nulla humore cerebri diluetur & oblitterabitur. Cur igitur homo memoriæ magis madidæ, & obliviosior, quàm Angelus, erit?

Quæret poſtremò aliquis, cur ad aſſerendam potentiarum ab anima diſtinctionem, non utamur eo argumento, quo Occamus animæ humanæ ſimplicitatem in duas animas, vegetativam & rationalem diſcidit: quia nempe, *caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem; & hæc ſibi invicem adverſantur?* Galat. 5. Si enim appetitus carnalis ſenſitivus adverſatur appetitui ſpirituali & intellectuali, nonne duæ iſtæ potentiæ tam

contrariæ, & inter ſe, & ab anima diſtinguuntur?

Reſp. Argumentum infirmum eſſe. Nam animæ quæ ſub iſtis potentijs operatur, etiam ſibi ipſi adverſatur. Vnde facilè intelligi poteſt, quomodo ad illam carnis & ſpiritûs pugnam neceſſe non ſit, unam potentiam ab altera realiter diſtingui; cùm etiamſi anima nuda, & nullis potentijs à ſe diſtinctis ſuccincta cogitetur, ipſa tamen in contrarias inclinationes diſtrahi, & ſibi ipſi adverſari valeat. Nam etiam in ſententia noſtra, quæ appetitum inferiorem à ſuperiori diſtinguit, pugna iſta qua inferior ſuperiori rebellat, non ſolùm in appetitu inferiori hæret, ſed in ſuperiorem quoque aſcendit, ipſaque voluntas contrarijs motibus ſeipſam exagitat. Conſtat hoc enim experientiâ, & S. Auguſtinus ſæpe dicit.

S. Aug. lib. 8 c. 5 Confeſ. *Duæ voluntates meæ*, inquit, *una vetus, alia nova, illa carnalis, iſta ſpiritualis confligebant inter ſe, atque diſcordando diſſipabant animam meam.*

Ibid. c. 10. Et iterùm: *Cùm æternitas delectat ſuperiùs, & temporalis boni voluptas retentat inferiùs, eadem anima eſt, non totâ voluntate illud, aut hoc volens; & ideo diſcerpitur gravi moleſtia, dum illud veritate præponit, hoc familiaritate non deponit.*

ARTICVLVS II.

An Ariſtoteles diſtinxerit potentias ab anima.

QVia Nominales, Peripatetici quoque eſſe & audire volunt, Ariſtotelem in claſſem ſuam attrahere conantur. Et per iſtum maximè locum, ubi ait, *Si oculus* Ariſt. lib. 2. c. 1. de anima. *eſſet animal, viſus eſſet ipſi anima*: Igitur, inquiunt, anima quæ eſt in oculo, eſt ipſa potentia viſiva; per quam conſtitueretur in eſſe integri animalis, niſi oculus eſſet pars integralis animalis.

Sed falluntur, ut verba ſequentia attendenti ſtatim patebit. *Viſus enim*, inquit, *eſt eſſentia oculi illa, quæ ſecundum rationem. Oculus autem materia viſûs eſt. Quo deficiente, non eſt ampliùs oculus, niſi æquivocè; ſicut lapideus, aut depictus.*

Itaque conſiderat oculum tanquam compoſitum acciden-

tarium

tarium ex organo illo animato & viſu, ſive potentiâ viſivâ; cujus *eſſentia ſecundum rationem*, ſive pars eſſentiæ, quæ totius compoſiti rationem complet (hoc eſt, pars eſſentialis formalis) eſt viſus.

Voluit enim per tale compoſitum accidentarium, tanquam per aliquid notius, manifeſtare, quomodo anima ingrediatur eſſentiam corporis animati; ſicuti nempe viſus ingreditur eſſentiam oculi viſivi, qui eſt idoneum animæ inſtrumentum ad vitales organi functiones exercendas. Quod proximè antè exemplo compoſiti artificialis adhuc oſtenderat. Vbi dixerat, quòd ſi ſecuris eſſet animal, figura artificialis eſſet ejus anima. Addideratque figurâ iſtâ artificiali abolitâ, ſecurim non niſi æquivocè fore ſecurim; quemadmodum jam dicit, oculum cęcum, deleto viſu, tanquam parte eſſentiali illius organi, eſſe tantùm æquivocé oculum.

Quid verò de diſtinctione potentiarum ab anima Ariſtoteles cenſeat, alibi ſatis indicat.

Vt cùm Empedoclem, & veterem Philoſophiam refellit, quæ intellectum à ſenſu non diſtinguebat. Item, quando mentem vocat ὄργανον *inſtrumentum* animæ, ſicut manum corporis. *Natura*, inquit, *duo inſtrumenta nobis inſervit, quorum operâ inſtrumentis extraneis uti valeret; manum, inquam, corpori dedit, animo mentem.* Deinde ſtatim pòſt, ſcientiam, mentis inſtrumentum appellat. *Menti namque*, ait, *utilis eſt ſcientia, ut tibicini tibia.* Atqui ſcientia à mente, & tibia à tibicine diſtinguitur; ergo & mens, ſive intellectus ab anima. Ariſt. lib. 3. c. 3. de anima. Problem. ſect. 30.

Alibi quoque dicit, in operationibus vegetativis calorem naturalem eſſe inſtrumentum animæ; & ideo eos qui arbitrati ſunt animam eſſe calorem, ſimiles illis eſſe, qui *ſerram aut aſciam fabrum eſſe arbitrarentur.* Lib. 2. c. 7. de partib.

Igitur, cùm toties etiam inculcet, intellectum eſſe animæ inſtrumentum, nulla ratio, nullum indicium eſt, cum non loqui de tam proprio & diſtincto ab anima inſtrumento hìc, quàm ibi. Calor autem, ſine controverſia, realiter diſtinguitur ab anima, cui in actu nutriendi miniſtrat. Lib. 1. c. 2. de generat. animal.

Nonnunquam etiam generaliter definit, *Ad omnem animæ functionem*

functionem inſtrumento opus eſſe. Ac deinde, *Melius eſſe, ſi fieri poteſt, non idem inſtrumentum ad uſus diſſimiles haberi.* Quapropter multa ejuſdem animæ inſtrumenta agnoſcit. Et tamen multas in eodem homine animas negat. Negat autem animas realiter diſtinctas; igitur & inſtrumenta realiter diſtincta agnoſcit.

Lib. 4. c. 6. de partib. Lib. 1. c. ult. de anima. Lib. 3. c. 10. Rhetor.

Memini quoque alibi dixiſſe, *Intellectum à Deo, tanquam lumen accenſum eſſe in anima.* Lumen igitur iſtud diſtinguitur ab anima. Vnde non inſcitus ſanè Ariſtotelis Interpres Franc. Toletus, dicere eſt auſus, *ſe arbitrari certiſſimè Ariſtotelem ejus ſententia fuiſſe.*

Tolet. lib. 2. q. 9. de anima.

Alia tamen Platonis, præceptoris ejus, ſententia; omneſque ſenſus corporeos ab anima diſtinctos videtur palàm negare. Vnde hominem dicit videre δι' ὀφθαλμῶν, οὐκ ὀφθαλμοῖς *per oculos, non oculis*: quemadmodum per feneſtras, non feneſtris foràs proſpicimus. Et M. Tullius ex eo: *Non eſt ullus ſenſus in corpore,* ait; *ſed ut non ſolùm Phyſici docent, verùm etiam Medici, qui iſta aperta & patefacta viderunt, viæ quaſi quædam ſunt ad oculos, ad aures, ad nares à ſede animi perforatæ. Itaque ſæpe aut cogitatione, aut aliqua vi morbi impediti, apertis atque integris & oculis & auribus, nec videmus, nec audimus. Vt facilè intelligi poſſit, animum & videre & audire, non eas partes, quæ quaſi feneſtræ ſunt animi: quibus tamen ſentire nihil queat mens, niſi id agat, & adſit.*

Plat. in Theæt. Cic. lib. 1. Tuſcul.

Sed hæc à Platone dici nihil mirum, qui animam rationalem negat eſſe formam corporis, ſed ei inſidere, ut nautam navi. Nauta autem non nave ut inſtrumento, ſed per feneſtellam navis in mare proſpicit.

ARTICVLVS III.

An S. Auguſtinus potentias ab anima diſtingui exiſtimaverit.

MAjor inter Theologos dubitatio, & certamen eſt, an S. Auguſtinus animam à ſuis potentijs diſtinxerit.

Henricus Gandavenſis, & Gregorius Ariminenſis fortiter negant, & Sanctum illum Patrem ad Scholam Nominalium abducunt. Sed tamen teſtimonia etiam non deſunt,

quibus in S. Thomæ potiùs Scholâ retineri poſſit.

Nam profectò de quinque corporis noſtri ſenſibus, tanquam de rebus diverſis, & inter ſe diſtinctis, ſæpiſſimè loquitur. Præter quos, ſenſum etiam aliquem interiorem omnibus exterioribus præſidentem agnoſcit. Vno aut altero loco id eum docentem audiamus: *Hic ſenſus interior*, inquit, *nec viſus, nec auditus, nec olfactus, nec guſtus, nec tactus dici poteſt, ſed neſcio quid aliud, quod omnibus communiter præſidet. Quod cum ratione comprehendimus, hoc ipſum tamen rationem vocare non poſſum; quoniam & beſtijs ineſſe manifeſtum eſt.* S. Auguſt. lib. 2. c. 3. de lib. arb.

Et videtur illos ſenſus ab anima re ipsâ ſeparare, cùm alibi ait: *Eſt alia vis, non ſolum, qua vivifico, ſed etiam qua ſenſifico carnem meam, quam mihi fabricavit Dominus; iubens oculo, ut non audiat, & auri ut non videat; ſed illi, per quem videam, huic, per quam audiam; & propria ſingillatim ceteris ſenſibus ſedibus ſuis & officijs ſuis, quæ diverſa per eos ago unus ego animus.* Lib. 10. c. 7. Confeſſ.

Vbi ſanè, non accipit ſenſus pro ipſa ſenſuum operatione (quomodo Gregorius Arim. ceteriq́ue Nominales ſolent S. Auguſtinum interpretari) ſed pro ipſis animæ potentijs, quandoquidem ſenſus diſtinguat à ſenſuum officijs, quæ ſunt eorum operationes, & dicat animum diverſa (ſcilicet videre, audire &c.) per eos agere.

Sæpe etiam eos à ſenſu animi, ſive ab intellectu diſtinguit. *Videntur*, inquit, *quæ præſtò ſunt (unde & præſentia nominantur) vel animi, vel corporis ſenſibus.* Et mox addit, ſenſus corporis eſſe quinque. Epiſt. 112. c. 2.

Nonnullibi membra corporis, tanquam à ſenſibus diſtincta nominat, & dicit, membra ac ſenſus dari à Deo ex propagine; & tamen, an anima noſtrâ ſic etiam detur, dubitat. *Corporis membra*, ait, *& corporis ſenſus, corporis formam, & corporis omnino ſubſtantiam Deus hominibus dat, quamvis ex propagine det. Quid ſi ergo ſic etiam anima & ſpiritus hominis, & à Deo datur, & tamen ex propagine ſui generis datur? Quod ego nec defendo, nec refello.* Lib. 1. c. 16. de orig. animæ.

Plurima alia teſtimonia citari poſſent, ſi foret opus.

Sed Henricus & Gregorius Arim. quædam etiam in partem ſuam recitant, & præſertim ex Libris de Trinit. ubi

S. Auguſtinus totis ingenij viribus, SS. Trinitatis imaginem in memoria, intelligentia, voluntate animæ noſtræ oſtendere conatur.

Lib. 10, c. ult. Trin. Ait verò, *Hæc tria, memoria, intelligentia, voluntas, quoniam non ſunt tres vitæ, ſed una vita, nec tres mentes, ſed una mens; conſequenter utique nec tres ſubſtantiæ ſunt, ſed una ſubſtantia.* Deinde: *Tria hæc eo ſunt unum, quo una vita, una mens, una eſſentia.*

Sed hunc locum optimè S. Thomas explanat. Quòd anima S. Th. 1. p. q. 77. a. 1. reſpectu ſuarum potentiarum ſit totum potentiale; *totum verò potentiale*, inquit, *adeſt ſingulis partibus ſecundum totam ſuam eſſentiam, ſed non ſecundum totam ſuam virtutem.*

Notandum enim eſt, animam intrare quodammodò & animare vitâ primâ potentias ſuas vitales, ut actus qui à potentijs exeunt ſint vitales, & unà à vita prima ſcaturiant. Vnde imaginari oportet illas potentias, ut compoſita quædam accidentaria ex ſubſtantia animæ, & ex ipſa potentia accidentali ſecundæ ſpeciei prædicamenti qualitatis.

Sic enim magis illuſtris & perſpicua eſt in animâ noſtrâ imago Trinitatis. Sicut enim eadem eſſentia divina, per identatem tres perſonalitates divinas ſubintrat; ita eadem animæ eſſentia tres illas potentias ſuas ſpirituales memoriam, intellectum, & voluntatem, per unionem ſaltem ſubingreditur, & cum ijs tria compoſita accidentaria ex eadem numero anima componit: ad figurandam quandam ſaltem rudem imaginem myſterij, quo in divinis eadem eſſentia cum tribus perſonalitatibus tres divinas perſonas conſtituit.

S. Auguſt. lib. 1. c. 2. Trin. Hinc fortaſſe intelligi poteſt illud alibi Auguſtini: *Detracto corpore, ſi ſola anima cogitetur, aliquid ejus eſt mens, tanquam caput ejus, vel oculus, vel facies: ſed non hæc ut corpora cogitanda ſunt.* Trium autem illarum potentiarum, & ex ſubſtantia animæ, tres quaſi radices, per rationem diſtinguendæ ſunt; quarum una eſt velut apex totius ſubſtantiæ animæ, & potentiam intellectivam ſubintrat; alia memoriam, tertia voluntatem. Prima ergo illa radix & ſubſtantialis apex, cum accidentali intellectu in unum quaſi convolutus, eſt *mens animæ, tanquam caput ejus, vel oculus*, ut loquitur S. Auguſtinus.

Et

Et alibi iterùm ait, *Intellectum eſſe aliquid animæ, ſicut oculus eſt aliquid carnis.* Tract. 15. in Io.

Et Auctor Libri de ſpiritu & anima, qui non Auguſtini, ſed tamen plurima ab Auguſtino conſarcinat: *Dicitur ſpiritus, mens rationalis*, inquit, *ubi eſt quædam ſcintilla, tanquam oculus animæ, ad quem pertinet imaginatio & cognitio Dei.* Lib. de ſpirit. & anima c. 10

Sic jam S. Bernardi phraſis non erit etiam intellectu diffi- cilis, qui S. Auguſtinum, ut ſolet, imitatus ait: *Tria in anima intueor, rationem, voluntatem, memoriam; & hæc tria animam eſſe.* Nam aliàs videtur ipſas formales & accidentarias potentias quibus ſubeſt anima, ab ipſa diſtinguere, quando poſtea dicit: *Arbitrij libertas* (quæ apud ipſum voluntatem & intellectum complectitur) *eſt planè divinum quiddam, præfulgens in anima, tanquam gemma in auro.* Gemma autem certè aliud eſt ab annulo aureo, cui inſeritur. S. Ber ſer. 11. in Cant. Idem ſerm. 81. in Cant.

Nec præcedentibus adverſatur S. Auguſtinus, ubi videtur organum ipſum, ſenſum appellare, ac proinde in fabricatione actus vitalis ſenſitivi, nihil aliud quàm animam & organum corporeum agnoſcere: *Senſus oculorum*, inquit, *non ob aliud ſenſus corporis dicitur, niſi quia & ipſi oculi membra ſunt corporis. Et quamvis non ſentiat corpus exanime; anima tamen commixta corpori per inſtrumentum ſentit corporeum. Et idem inſtrumentum ſenſus vocatur.* S. Auguſt. lib. 1. c. 2. Trin.

Verùm hoc inſtrumentum animæ (mente S. Auguſtini) non eſt nuda materia oculi, ſed ſumpta ſimul cum viſu corporeo, illam materiam informante, & cum ea idoneum animæ inſtrumentum conſtituente. Mox quippe ſubdit: *Qui ſenſus etiam paſſione corporis, cùm quiſque excæcatur, interceptus extinguitur; cùm idem maneat animus, & ejus intentio, luminibus amiſſis.* Poteſt enim quiſpiam, ſalvâ ſubſtantiâ oculi, viſum & lumen oculorum amittere: ergo ſenſus tunc amittitur, non quia anima recedat, & oculus moriatur; ſed quia potentia viſiva accidentaria extinguitur: aut certè intercipitur, ſi organo ipſi non ſtabiliter inhæreat, ſed per cerebri irradiationem, in oculos deſcendat, ut multi Medici philoſophantur. Quò etiam fortaſſe S. Auguſtinus hìc utendo verbo, *interceptus*, aſpexit.

Nam propriè intercipietur viſus, ſi è cerebro per nervos opticos delabi debeat, & canalibus iſtis humore aliquo oppletis, (ut in guttâ ſerenâ accidit) luminis è cerebro manantis fluxus intercipiatur.

Cùm igitur S. Auguſtinus antea dixit, *Inſtrumentum corporeum ſenſus vocatur*; ſenſum, non pro nuda potentia ſentiendi, ſed pro integro inſtrumento corporeo, quo anima in actu ſentiendi utitur, accepit: id eſt pro compoſito accidentario ex ſubſtantia oculi & potentiâ viſivâ ejus. Ne quis etiam exiſtimet, S. Auguſtinum uſurpaſſe hoc loco viſum pro viſione, ut ſæpe ſolet, non pro ipſa potentia viſiva, quæ in tenebris, aut oculis clauſis, in nobis manet; ibidem de eo diſſerens ait: *Senſus ante obiectum rei viſibilis niſi eſſet in nobis, non diſtaremus à cæcis, dum nihil videmus, ſive in tenebris, ſive clauſis luminibus. Hoc autem diſtamus, quòd nobis ineſt, etiam non videntibus; quo videre poſſimus, qui ſenſus vocatur; illis verò non ineſt.*

Igitur non tantùm de operatione ſenſûs, ſed etiam de potentia ſentiendi, tanquã de re aliqua ab anima diſtincta, loquitur.

Nec aliud etiam vult, opinor, S. Auguſtinus in loco qui nobis ab Henrico & veteribus Nominalibus objicitur, ubi ait: *Cùm diſſerimus de natura mentis humana, de una quadam re diſſerimus; nec eam in hac duo qua commemoravi* (rationem, & appetitum rationalem) *niſi per officia geminamus.* Lib. XI. c. 4. Trin.

Non enim negat nudas potentias intellectûs, & voluntatis, quæ ſunt diverſorum officiorum inſtrumenta, à ſe invicem diſtingui; ſed negat animam per iſtas potentias in duas partes ſecandam & geminandam eſſe. Vult enim, ſicut in Deo unica ſimpliciſſima eſſentia eſt in tribus diſtinctis perſonis; ita unam & ſimplicem hominis animam in plures animas, propter potentiarum diverſitatem, ſecandam non eſſe. Legamus enim quod præceſſit, & fortè non obſcurè videbimus.

Quiddam, ait, *rationale noſtrum* (apicem animæ, qui intellectum & voluntatem ſuſtinet) *non ad unitatis divortium ſeparatum, ſed in auxilium ſocietatis quaſi derivatum, in ſui operis diſpertitur officium. Et ſicut caro eſt duorum in maſculo & femina; ſic intellectum noſtrum & actionem, vel conſilium & executionem, vel*

rationem

rationem & appetitum rationalem; vel ſi quo alio modo ſignificantiùs dici poſſunt, una mentis natura complectitur. Vt quemadmodum de illis dictum eſt: Erant duo in carne una; ſic de his dici poſſit, duo in mente una.

Deinde verba illa ſuperiùs nobis objecta ſubjungit, quibus ait, ſe in intellectum & voluntatem animam dividendo, non aliter eam geminare, ſive geminam facere, quàm per officia. Subſtantia quippe animæ eadem eſt, officia verò intelligendi & volendi diverſa. Vbi interim non negat officia iſta, per potentias inſtrumentales ab anima exerceri. Imò talia inſtrumenta ſub officijs poſſunt comprehendi.

Dicit ergo, quòd ſicut Adam & Eva duo homines diſtincti erant in carne una; ita intellectus & voluntas duæ diſtinctæ potentiæ, in una tamen animæ eſſentia. Non verò in duabus animæ diſtinctis partibus: quaſi ſupremus animæ vertex ſit biceps, ut Parnaſſus, & intellectus uni verticis jugo, voluntas alteri inſideat.

Denique ceteri quoque SS. Patrum talibus ferè loquendi formulis utuntur, ut quandam inter animam & potentias diſtinctionem interponere videantur. Vnde S. Gregorius Nazianz. per quatuor animalia Ezechielis, totidem animæ potentias deſignari exiſtimat. *Exiſtimamus*, ait, *per hominem, vim rationalem intelligi; per leonem, iraſcibilem; per vitulum, concupiſcibilem; per aquilam, conſcientiam reliquis incumbentem, qui à Paulo ſpiritus hominis dicitur. Per eum qui inſidet, Patrem; per ſpiritum, Spiritum ſanctum; per nubem, Filium.* Ezech. 1. Naz. Orat. 46.

Ecce igitur humanæ animæ, in curru & animalibus illis quæ SS. Trinitas regit, imaginem. Currus eſt anima rationalis: cujus rotas implet & impellit Spiritus ſanctus. *Spiritus enim vitæ erat in rotis.* Pater, auriga inſidens. Filius, aſſumptâ humanæ naturæ nube protegens. Animalia circa currum, quæ pari paſſu gradiuntur, aut quieſcunt cum rotis, ſunt potentiæ animæ, quas Spiritus ſanctus, animam movendo, pari motu ire, aut ceſſare facit. Ezech. 1.

Attamen, ut animi mei fundum hîc aperiam: dum per varia S. Auguſtini loca cogitationem mitto; videtur mihi

minimum curæ ei fuiſſe, An potentiæ realiter ab anima diſtinguerentur, nec ne; ſed ſufficit ipſi, modò anima (quam alicubi *quaſi cardinem quendam in agendo, cunctarum corporalium motionum* vocat) in operationes vitales, tam corporales, quam ſpirituales, activitatem ſuam exerat; parum, aut nihil penſi habens, an proximè per nudam eſſentiam ſuam, an per potentias & facultates à ſe diſcretas, id faciat. Vnde varietas illa loquendi, qua nunc in Ariſtotelem, nunc in Platonem libratur & inclinat.

S. Auguſt. lib. de quant. anim. c. 14.

In ejuſmodi enim naturæ rebus non ſemper totas ingenij vires intendit & impendit; ſed aliquid ſæpe obvium ex Philoſophia maximè Platonis (qui illo ævo longè notior, & nobilior erat Ariſtotele) in rem præſentem rapit. Vt patet de actione videndi, quam fieri ejaculatione radij ab oculo in rem viſam, toties cum Platone dicit. Hoc autem Platonicum quoque videtur, cùm *Animam eſſe oculorum potentiam* ait. Plato enim, ut Artic. ſuperiori narravimus, nullas potentias animæ organicas à ſubſtantia animæ diſtinctas admittit.

Lib. de quant. anim c. 30.

Non ergo de nihilo D. Thomas, *In multis*, ait, *quæ ad Philoſophiam pertinent, Auguſtinus utitur opinionibus Platonis, non aſſerendo, ſed recitando.*

D. Th. 1 p. q. 77. a. 5. ad 3.

Medicis etiam, & præſertim Sorano, quem *Medicinæ auctorem nobiliſſimum* vocat, multa credidit. Vt Lib. 5. c. 14. contra Iul. Lib. 7. c. 13. Geneſ. & alibi videre licet.

S. Auguſt. lib. 5. c. 14. contra Iul.

ARTICVLVS IV.

Quid adverſus diſtinctionem potentiarum ab anima objectent Nominales.

SI Ariſtotelis, & S. Auguſtini teſtimonia ſeponantur, de quibus jam diximus, unico ferè argumento (quod *novaculam Nominalium* nuper appellavimus) diſtinctionem potentiarum ab anima reſecant antiqui Nominales.

Ad hoc enim movet me maximè ratio, ait Gregorius: *Quòd pluralitas rerum non ſit ponenda, ad quam nec experientia, nec ratio ex experien-*

Greg. Arim. in 2. d. 16. q. 1. a. 2.

experientia præcedens, nec auctoritas ſacra cogit. Aliàs enim fruſtrà poni videtur.

Sed ſat multa, ut opinor, argumenta, & quædam etiam ab experientiâ deducta, Art. 1. ſuggeſſimus. Satis enim expertum eſt, calorem naturalem eſſe diſtinctum animæ vegetativæ inſtrumentum; & inde ad animæ ſenſitivæ & intellectivæ inſtrumenta diſtinguenda gradum fecimus. Et alia cumulavimus, quæ oſtendunt non eſſe fruſtraneam iſtam diſtinctionem. Sic enim anima ad varia actionum vitalium genera determinatur, & adjuvatur, ut faciliùs & ſuaviùs per potentias eòdem inclinantes operetur. Veluti etiam quibuſdam potentijs, habituum quoddam quaſi pondus ſuperijcitur, ut illa operandi facilitas & ſuavitas magis adhuc augeatur.

Illa quippe potentiarum diverſitas & varius apparatus eſt quædam veluti *ſupellex in officina vitæ*, ut de toto corpore reſpectu animæ, eleganter loquitur Tertullianus. Supellex autem & inſtrumenta quædam neceſſaria ſunt ad iſtius officinæ opera; non ſicut ſcutella Diogenis, quam veluti minimè neceſſariam abjecit; ubi ruſticum è rivo cavâ manu bibentem conſpexiſſet. Tertul. lib. de anima c. 40.

Nec natura ubique eſt tam parca, quàm clamitant Nominales. Nam licet ſuperflua non cumulet; multa tamen vel ad ornatum, vel ad faciliorē operandi modum creatis agentibus ſuppeditat. Nam ut in hanc rem egregiè Ariſtoteles, *Meliùs eſt, ſi fieri poteſt, non idem inſtrumentum ad uſus diſſimiles habere.* Ariſt. lib. 4. c. 6. de partib.

Secundò, novi quidam Nominales objiciunt, animam in operationibus vitalibus fore otioſam, ſi potentijs à ſe diſtinctis eas exerceat.

Vnde Hurtadus mirari ſe dicit quoſdam Thomiſtas, qui & potentias diſtinguunt ab anima, & tamen credunt eam cum potentijs ſuis proximè operari; aitque D. Thomam *cum ipſis aperto Marte pugnare.* Quia nempe D. Thomas ſæpe negat *ſubſtantiam creatam immediatè operari.* Attamen Thomiſtæ illi verum dicunt, & Hurtadus fallitur. Hurt. diſp. 4 ſect. 4. de anima.

Licet enim S. Thomas neget ſubſtantiam creatam operari ſine medio inſtrumento; ſentit tamen eam actioni inſtrumenti

ſe etiam

ſe etiam immiſcere. Nonne enim, etiamſi ſecuris ſecet, & malleus tundat; faber tamen etiam brachia movet? Sic viſus videt, & intellectus intelligit; ſed etiam anima, & quidem principaliter, idem agit, & iſta ſua inſtrumenta ad opus applicat. Sunt enim inſtrumenta non ſeparata, ſed quoad cauſalitatem conjuncta cum cauſa principali, quæ cum ipſis proximè in eandem actionem influit. Non repugnant enim iſta, mediante inſtrumento operari, & tamen activitatem ſuam in actionem inſtrumenti proxime inſerere; ſic ut habitudinem eſſentialem actionis ad ſuum principium, tam cauſa principalis, quàm cauſa inſtrumentalis proximè terminet.

Et ut Hurtadus S. Thomæ mentem ſatis perſpicuè videat; ecce ubi de ſympathia potentiarum animæ diſſerit: *Dicendum*, ait, *quòd quia omnes potentiæ animæ in una eſſentia animæ radicantur, neceſſe eſt, quod quando intentio animæ vehementer trahitur ad operationem unius potentiæ, retrahatur ab operatione alterius. Vnius enim animæ non poteſt eſſe niſi una intentio. Et propter hoc, ſi aliquid ad ſe trahat totam intentionem animæ, vel magnam partem, non compatitur ſecum aliquid aliud quod magnam attentionem requirat.*

D. Th. 1.2. q. 37. a. 1.

Et alibi: *Vna potentia impeditur in actu ſuo, quando alia vehementer operatur; quia una de ſe non ſufficit ad tam intenſam operationem, niſi ei ſubveniatur per id quod erat aliis potentiis, vel membris influendum à principio vitæ.*

Idem q. 82. a. 3. ſuppl.

Vides igitur, quomodo principium vitæ, quod eſt anima, in actiones potentiarum proximè etiam influat, ideoque ſi unius potentiæ actioni ſe valde effusè impendat, aliquid activitatis ceteris potentiis ſubtrahi oporteat?

Tertiò, forma ſubſtantialis aquæ calefactæ, immediatè ſine inſtrumento reducit ſe ad frigus; imò anima ipſa eſt *principium activum omnium ſuarum potentiarum, per aliquam naturalem reſultationem*, ait D. Thomas; & ad hoc non indiget inſtrumentis: cur igitur ad actiones vitales magis indigebit?

Reſp. quòd potentiæ ſpectent ad naturale & permanens quoddam animæ complementum; non ſic actus vitalis. Quod ergo magnum mirum, ſi anima ex appetitu naturali, quem habet ad ſui conſervationem & perfectionis ſuæ ſtabilimentũ,

potentias

potentias ſola immediatè ſine inſtrumento ex ſe effundat, ſibique ipſi inſtrumenta conficiat; ſine quibus tamen inſtrumentis actiones ſuas vitales exercere non valeat? Eſt enim ſicut materfamilias quæ colum, & fuſos, ſartagines, & ollas ſibi comparat, quibus ad culinæ & domeſticas functiones indiget.

Nec quidquid eſt proxima cauſa cauſæ, etiam proxima cauſa cauſati eſſe poteſt. Faber quippe ferrarius vomerem conficit; etiamſi eo uti, & arare neſciat. Forma aquæ calefactæ per naturalem reſultantiam immediatè reparat ſuum frigus; & tamen ſine frigore reparato, vicinum aërem frigefacere nequit.

Quartò, Pomponatius negat eſſe intelligibile, quod vulgò tamen inter Philoſophos jactatum: Voluntatem eſſe cæcam. Itaque ne cæca maneat, jubet eam cum intellectu confluere in unam potentiam, & utramque eſſe animam ipſam. Sic quoque appetitus inferior, ne cæcus ſit, debebit cum phantaſia coaleſcere in unum. Pet. Pomponat. lib. 3 c. 6 de fato.

Sed non eſt opus. Nam etiamſi manus cæca ſit, poteſt tamen tangere quod ei oſtendit oculus; nec ad hoc neceſſe eſt, ut manus & oculus in unum membrum concreſcant.

Licet ergo voluntas cæca vocetur, quia anima per iſtam potentiam nihil videt & cognoſcit; non tamen fertur in incognitum, quia eadem anima vult per voluntatem, quod ipſa per intellectum cognovit.

In hoc igitur, cum novis Nominalibus, hallucinatur Pomponatius, quòd intellectum & voluntatem imaginetur duas potentias ſic ab anima divulſas, ut ejuſdem animæ influxum non participent.

Sic enim difficile eſt explicatu, quomodo voluntas, ſi cæca ſit, non feratur in incognitum; quandoquidem eo caſu nihil videatur poſſe adjuvari & dirigi per intellectûs cognitionem. Sed jam omnis difficultas evaneſcit, ſi cogitemus, eandem animæ eſſentiam, quæ ſub utraque potentia, tanquam cauſa principalis ſub inſtrumentis latet, velle illud per voluntatem, quod intelligit per intellectum.

Nominales denique tam novi, quàm veteres viciſſe cauſam

ſe jactant per S. Auguſtini ſententiã, in Libro de ſpirit. & anima c. 13. ubi ait: *Dicitur anima dum vegetat, ſpiritus dum contemplatur, ſenſus dum ſentit. animus dum ſapit, dum intelligit mens, dum diſcernit ratio. dum recordatur memoria, dum vult voluntas. Iſta tamen non differunt in ſubſtantia quemadmodum in nominibus; quoniam omnia iſta una anima eſt: proprietates quidem diverſa, ſed eſſentia una.*

Hurt. diſp. 4. ſect. 4. de anima. Vnde Hurtadus, inter novos Nominales hîc ferè præcipuus, *Non potuit*, inquit, *clariùs à nobis eſſe S. Auguſtinus.* Et Vitalis Zuccolius: *Sufficit*, inquit, *Doctori noſtro* (Henrico Gandavenſi, qui Nominalibus hîc viam præivit) *tanquam Theologo, Theologis Theologorum ſapientiſſimum adducere Auguſtinum, quo refellat aliorum argumenta, & ſuam comprobet ſententiam.* Hugo Cavellus deinde, *expreſſiſſimè*, ait, *pro nobis eſt Auguſtinus*. Rodericus Arriaga noviſſimè eandem ſententiam affirmat, *auctoritate*, ut loquitur, *expreſsâ D. Auguſtini, Libro de ſpiritu & anima.*

Henr. quodl. 3. q. 14.

Arriag. diſp. 3 ſect. 3 ſubſect. 4 de anima.

Sed Liber iſte, ſine dubio, non eſt S. Auguſtini; cùm cap. 17. Boëthium citet, annis ferè 100. S. Auguſtino poſteriorem. Quod etiam non ignoravit S. Thomas, ideoque ait, *Non eſſe neceſſarium, verbis illius Libri fidem adhibere.*

S. Tho. 1. p q. 82. a. 5. ad 3.

Deinde verba illius Auctoris retorquere poſſumus in Nominales. Addit enim, potentias illas animæ *proprietates diverſas, ſed eſſentiam unam eſſe*; ſubſtantialem eſſentiam videlicet, quę eſt ſubſtantia animæ unica, in qua illæ proprietates, ſeu potentiæ radicatæ ſunt. Voluit igitur iſtâ phraſi S. Auguſtinum imitari, qui ut imaginem SS. Trinitatis in anima noſtra expreſſiorem inveniret, dicit (ut Art. præcedenti citavimus) intellectum & voluntatem in mente noſtra, eandem naturam eſſe, quam *niſi per officia geminamus.* Et tamen proximè dixerat, *quemadmodum de primis parentibus dictum eſt, Erunt duo in carne una; ſic de intellectu & voluntate dici poſſe, Duo in mente una.*

S. Auguſt. lib. 12. c. 3. Trin.

Et nonne apud illum Pſeudo-Auguſtinum etiam legerunt: *Ex duabus ſubſtantijs conſtat homo, animâ & carne: animâ cum ratione, carne cum ſenſibus ſuis: quos tamen ſenſus non movet caro, abſque animæ ſocietate?* Si autem ſenſus moventur ab anima & carne; nonne animæ & carnis inſtrumenta tibi eſſe videntur, & ab ijs

Auctor lib de ſpirit & anim. c. 3.

ab ijs tam diſtingui, quàm ſecuris à fabro?

Meminit etiam Gregorius Arim. Libri, vel Sermonis S. Auguſtini *De Imagine:* in quo quædam cauſæ Nominalium faventia dixiſſe narrat. Laudat quoque Sermonem iſtum Hurtadus. Sed nihil, præter nomen apud Gregorium, vidiſſe apparet. Ait enim, *Vt refert Gregorius.* A me certè undique conquiſitus, nuſquam inter Opera S. Auguſtini Liber iſte apparuit. Rogavi Exim. Collegam tunc noſtrum Cornel. Ianſenium, qui poſtea Ipris in Flandria Epiſcopus, virum in S. Auguſtini lectione diligentiſſimum & aſſiduum, ſi quis unquam: qui de tali Sermone, vel fando, vel legendo ſe quidquam inaudiviſſe negavit. Itaque nihil Nominalibus præſidij in iſtis ſpurijs S. Auguſtini Libris. Nec causâ habuit Navarrus, cur à S. Thomá ad Nominales tranſcurreret: addens: *Omnes Pariſienſes, exceptis Dominicanis*, illam indiſtinctionem potentiarum ab anima defendere. Laudatque Ioan. Majorem Pariſienſium Nominalium facilè principem, *Per multas*, inquit, *propoſitiones dilucidiùs quàm alij omnes, hoc explicantem.* Sed quid Ioan. Majori reponi poſſit, Artic. hôc & præcedentibus ſatis eſt explicatum. Navarr. Manual. præl ud. 3.

ARTICVLVS V.

Potentiæ organicæ animæ in quo proximè ſint ſubjecto.

DE intellectu & voluntate, nulla difficultas; quia hæ potentiæ organicæ non ſunt, ſed merè ſpirituales, & anima rationalis eas ſecum aufert, cùm ſeparatur à corpore.

Sunt igitur immediatè in ſola ſubſtantia animæ, tanquam ſubjecto. De potentijs verò quæ organis corporis inhærent, eſt dubitatio.

Sicuti enim organum, v. g. oculus materia prima & forma ſubſtantiali conſtat; ita ambigi poteſt, An potentia viſiva à materia ſola, an à forma ſola, an à toto compoſito ex utraque, proximè ſuſtentetur.

Et quantum ad potentias animæ bruti vix ambigitur, quin materiæ proximè inhæreant, cui anima ipſa bruti proximè infigitur & immergitur.

Sicut enim operatio talis potentiæ nunquam extra corpus, ſed ſemper in organo corporeo exercetur; ita potentiam inhærere materiæ talis organi, non ſoli animæ bruti, oportet.

Nam recipere in ſe, per modum ſubjecti totalis & adæquati, ſuas operationes, & potentias quibus eas exercet, proprium eſt animæ immortalis, & à materia independentis. Vnde Ariſtoteles independentiam animæ rationalis à corpore colligit ex eo, quòd operationem aliquam ſibi ſoli inhærentem, nec cum corpore communicantem habet. Si enim imaginatio bruti in ſola anima bruti, tanquam ſubjecto adæquato, formetur; cur tali animæ non debetur conſervatio extra corpus? In illo enim ſeparationis ſtatu minimè otioſa erit, aut fruſtrà; cùm cognoſcere & appetere aliquid poterit ſine corpore.

Igitur anima bruti omnes operationes ſuas vitales in materiam corporis ſui effundit: & conſequenter etiam potentias, quibus operationes illas exercet. Nam operationes ſenſitivæ & appetitivæ brutorum cenſentur eſſe ſtrictè immanentes; ac proinde proximè recipi in potentias naturales, à quibus proximè emanant.

Si ergo viſio equi ſit in materia oculi equini; ergo & viſus ipſe, quo mediante, ut ſubjecto propinquiori, viſio in materiam iſtam recipitur, eidem materiæ (& quidem immediatiùs) debet ineſſe.

Si autem tam viſio quàm viſus equinus in materiam organi recipiantur; igitur & viſio & viſus hominis, materiam oculi humani pro ſubjecto habent: nec alio modo viſio in oculo hominis, quàm in oculo equi exercetur. Quod etiam eædem tunicæ, ijdem humores, eadem figura, & tota utriuſque oculi conformatio ſatis liquidè adteſtantur. Igitur anima rationalis, non ſecùs ac anima equina, viſum & omnes ſenſus ſuos externos, internos, ac appetitum ſenſitivum, in materias organorum, per naturalem dimanationem effundit, & per tales, ac ſuper tales potentias, operationes ſuas ſenſitivas, & ap-

petitivas

petitivas inferioris appetitûs exercet.

Sed, An in ſolam organi materiam, an partim etiam in animam recipiantur, ambiguum eſt, & utrimque ventilari poteſt.

Quid enim abſurdi eveniet, ſi dicas, omnes potentias ſenſitivas & earum operationes, in ſola materia organi, ut ſubjecto proximo hærere? Non enim Leon. Leſſio credere poſſum, Actum aliquem non poſſe eſſe vitalem, ſi potentia à qua elicitur, in anima ut ſubjecto non inſit. *Non enim*, inquit, *procedet ex vi animæ, ſed ex vi illius qualitatis corporalis. Sicut diffuſio ſpecierum viſibilium non eſt actus vitalis; quia vis effectrix, nempe color, non eſt in anima, ſed in corpore.* Leon. Leſſ. lib. 3. c. 6. de ſummo bono.

Sed nonne tamen concoctio alimenti, & converſio in ſubſtantiam viventis, eſt actus vitalis; etiamſi anima pro inſtrumento utatur calore naturali, qui ſoli corpori, non animæ inhæret? Quare enim anima, in eâdem materiâ primâ corporis cum calore naturali permixta, nequeat calorem intimè & penetrativè ſibi præſentem, ut inſtrumentum ad nutritionem efficiendam aſſumere, & in actionem illam caloris vitaliter influere? Ideo autem diffuſio illa ſpecierum viſibilium, cujus meminit, non eſt actio vitalis; quia nulla vita prima, ſive anima tali actioni ſe immiſcet, ſed à ſolo colore totaliter emanat.

Verùm, licet olim in hac philoſophia & cogitatione fuerim; nunc tamen magis placet, potentias ſenſitivas, non in ſola materia prima organi, ſed in toto compoſito, id eſt, partim in corpore, partim in anima, tanquam ſubjecto proximo & adæquato infigere; & de ipſis aliter, quàm de potentijs vegetativis philoſophandum eſſe.

Ratio eſt, quia actiones vitales ſenſitivæ ſunt ſtrictiori modo vitales, & perfectiùs principio ſuo effectivo (quod eſt anima) immanentes, quàm animæ vegetativæ actiones. Sufficit enim vitalitati actionis vegetativæ, ut aliquo rudiori modo in eodem ſuppoſito maneat cum anima vegetativa, quæ illam actionem elicit. Actio verò vitalis ſenſitiva in ipſam etiam animam ſenſitivam, ſaltem partialiter, recipi, & eam vitaliter afficere debet. Ergo & potentia, qua mediante anima talem

actionem elicit, & recipit, eodem modo, ſaltem partialiter, in anima ſenſitiva ſubjectari poſtulat. Niſi enim viſus v. g. partim ſaltem, & ut ſubjecto inadæquato, animæ equi inſideret, actio videndi, quæ in viſum recipitur, animam equi vitali informatione non attingeret. Cognitionem autem ſenſitivam poſtulare, ut per informationem redeat in animam, à qua per efficientiam emanat, exemplo cognitionis intellectualis probari poteſt. Nam cognitio intellectûs ita ab anima, ut agente principali emanat, ut in eandem animam reflectatur & eam informet: igitur cognitio ſenſitiva, ut rationem cognitionis vitalis obtineat, partialiter, ut minimùm, in animam ſenſitivam, unde egreditur, reflecti, & eam informare debet. Anima enim ſenſitiva ita actionem ſuam vitalem elicere debet, ut eam in ſe experiatur, & quodammodo ſentiat; ſicuti anima rationalis cognitionem ſuam intellectivam experitur & percipit. Cujus rei indicium eſt ſympathia illa, quæ inter imaginationem & appetitionem bruti intercedit. Sic enim anima equi à ſua imaginatione afficitur, & quaſi tangitur, ut evigilet, & ad appetendum, quod imaginatio proponit, ſe transferat.

Vnde jam pulchram naturæ gradationem in actionibus trium animarum vitalibus videre licet.

Animæ enim vegetativæ operatio (ut nutritio, accretio, generatio) in ſolam materiam corporis recipitur: animæ verò ſenſitivæ ſenſatio & appetitio in materiam corporis & animam ſimul: animæ denique rationalis intellectio & volitio à ſola anima, non à materia ſimul, dependent. Atque hæc ſententia non tantùm Gabrielis & Nominalium, ſed S. Thomæ quoque, Cajetani, & doctiſſimorum Thomiſtarum, imò S. Auguſtini, & Ariſtotelis mihi eſſe videtur.

S. Th. 1. p. q. 77. a. 5 — Nam S. Thomas Ariſtotelem interpretans, ait, *Potentiam ſenſitivam eſſe in conjuncto* (ſive in toto compoſito ex materia & forma) *ſicut in ſubiecto.*

Ariſt. lib. de ſomno & vigil. c. 1. Lib. 1. c. 4 de anima. — Dixerat verò Ariſtoteles, *Non animæ proprium eſſe ſentire, neque corporis, ſed coniuncti.* Veluti alicubi etiam ait, Paſſiones appetitûs ſenſitivi non eſſe animæ (ſicut eſt intellectio) ἀλλὰ

τοῦ

τοῦ κοινοῦ ſed communis, ſive conjuncti & compoſiti ex anima & corpore.

Et S. Thomas in eandem ſententiam adhuc manifeſtiùs: *Dicendum*, inquit, *quòd potentiarum animæ quædam ſunt in ea, ſecundum quod excedit totam corporis capacitatem, ſcilicet intellectus & voluntas. Vnde hujuſmodi potentiæ in nulla parte corporis eſſe dicuntur. Aliæ verò potentiæ ſunt communes animæ & corpori. Vnde talium potentiarum non oportet, ut qualibet ſit in quocumque eſt anima; ſed ſolùm in illa parte corporis, quæ eſt proportionata ad talis potentiæ operationem.* S.Tho.1.p. q.76. a.8.

Hinc Cajetanus Magiſtri ſui veſtigia legens, ait ejuſmodi operationes organicas ſenſitivas *recipi in compoſito ex anima & corpore, tanquam in proximo ſuſceptivo.* S. Auguſtinus quoque in eadem mihi videtur eſſe mente, & ſenſus tam externos, quàm internos, eorumque operationes in anima, ſaltem tanquam ſubjecto inadæquato poſuiſſe. Vt cùm hæc, & ſimilia tam ſæpe repetit: *Aliquid eſſe in anima, quo corpora ſentimus; quod facimus quinque ſenſibus corporis.* Lib. 4. c. 20. de orig. animæ. *Animæ ovium* Iacob *inhæſiſſe diſcolorem phantaſiam, ex intuitu virgarum, per oculos impreſſam.* Lib. 3. c. 8. Trin. *Primordia ſeminum ſequi intentionem maternæ animæ, & quæ in ea facta eſt, phantaſiam, per corpus, quod avidè aſpexit.* Quod iterùm exemplo ovium Iacob probat. Lib. 11. c 2. Trin. *Memoriam retinere illam ſpeciem, quam per corporis ſenſum anima combibit.* Lib. 11. c. 3 Trin. *Illas animæ partes, quæ corporum ſimilitudinibus informantur, nos cum beſtijs habere communes.* Lib. 10. c. 5. Trin. *Animas vigilantiũ & dormientiũ imaginibus affici.* Epiſt. 72. *Aciem recordantis animi converti ad memoriam, ut ex eo quod iſta retinuit, illa formetur.* Lib. 11. c. 3. Trin. *Animum oſtendere non ſe diffuſum eſſe per locos, quia maximorum locorum imaginibus non quaſi capitur, ſed potiùs eas capit; non ſinu aliquo, ſed vi potentiaq; ineffabili: quæ licet eis & addere quodlibet, & detrahere, & in anguſtum eas contrahere, & per immenſa expandere, &c.* Lib. contra Epiſt. Fundam. c. 17. Cajet. 1 p. q. 75. a. 3. S. Auguſt.

Quæ teſtimonia, & plurima quæ colligi poſſent; clarè ſignificant ſenſuum omnium, ac etiam conſequenter appetitûs ſenſitivi operationes, ab animâ tanquam ſubjecto excipi, non

autem

autem in ſolo corpore reſidere: ac proinde potentias etiam, quæ ſunt talium operationum principia, cum ſuis ſpeciebus, imaginibus, & habitibus eidem animæ, ut ſubjecto incumbere: etſi de ſpeciebus, quæ non ab anima, ſed ab objectis ſenſuum externorum organis imprimuntur, fortaſſe veriſimilius ſit, ſoli materiæ organi inhærere.

Sed ſtatim objicit ſe difficultas, quomodo v. g. viſio partim materiæ, partim animæ oculi incumbere valeat. Non enim uno pede, ut ſic dicam, uni, altero alteri inſidet; ſed eadem viſio indiviſibiliter, & immediatè utrique.

Gabriel. in 2.d.16.q.1 Reſpondet non ineptè Gabriel, *Accidens poſſe eſſe ſimplicius ſuo ſubjecto*; ac proinde idem proximè duplici ſubjecto poſſe inhærere. Sicut enim facilè intelligitur, quo pacto eadem totalis viſio, aut imaginatio, aliuſve animæ conceptus, aut affectus, etiamſi in ſe unus idemque ſit, ad duo tamen objecta partialia ordinem eſſentialem dicat; ita unica conceptûs viſivi unio geminum ſubjectum partiale, materiam nempe & formam ſui organi reſpiciat, & utrique ſimul conceptum illum infigat. Sic etiam unica (meâ & multorum opinione) unio eſt, quæ materiam & formam conſtringit, & habitudine eſſentiali utrumque extremum ſimul & copulatim reſpicit.

In viſione tamen, ceteriſque operationibus ſenſitivis hominis, major apparet dubitatio. Quomodo enim conceptus viſivus, qui materialis & diviſibilis eſt, poteſt animæ rationali indiviſibili, quæ eſt forma oculi humani inhærere?

Gabriel. ibid. Reſpondet iterùm, & bene, Gabriel: *Non videri magis impoſſibile, ut accidens diviſibile inhæreat formæ indiviſibili, inexiſtenti ſubjecto diviſibili* (id eſt, animæ rationali quæ inexiſtit materiæ organi) *quàm ipſam formam indiviſibilem inhærere ſubjecto diviſibili.*

Sicuti ergo anima rationalis indiviſibilis, & tota ſpiritualis, poteſt inexiſtere materiæ primæ diviſibili, tanquam ſubjecto adæquato; quidni & conceptus viſivus oculi humani, eidem animæ, ut ſubjecto inadæquato, valeat inhærere?

Denique, unio animæ rationalis ad materiam, etſi partim à materia dependeat, tamen ab anima rationali, ut altero extre-

extremo, ergo nihil vetat, quin etiam conceptus viſivus ſimili habitudine & materiam oculi, & animam rationalem ſimul aſpiciat.

Cùm autem anima rationalis ſeparatur à corpore, etiamſi viſus & aliæ potentiæ ſenſitivæ ei partim inhæreant, non tamen ſecum eas aufert, ſicut intellectum & voluntatem, ſed ipſę extinguuntur, quia partim etiam materiæ inhærent, & niſi in corpore & anima ſimul, ſubſiſtere non poſſunt.

ARTICVLVS VI.

Potentiæ animæ ſpeciem, & diſtinctionem ſuam ſumunt ab objectis.

QVia potentiæ animæ ſunt quædam naturales inclinationes, quæ animam in hoc, aut illud objectum faciunt propendere; ideo habitudine quadam eſſentiali verſus illa objecta reſpiciunt, & meritò differentias ſuas eſſentiales ab illis dicuntur accipere. Ex varietate enim objectorum quæ reſpiciuntur, varietas reſpectuum naſcitur.

Sed tamen, quia potentia eſt eſſentialiter virtus efficiendi aliquem actum, habitudo & inclinatio ejus eſſentialis propinquiùs actum reſpicit, quàm objectum. Actus enim quodammodò ducit potentiam verſus tale, aut tale objectum. Quia enim viſus eſt potentia efficiendi viſionem, & viſio non niſi reſpicit colorem, aut lumen; ideo viſus verſus idem etiam objectum ducitur à ſua viſione & inclinatur. Cum hôc tamen diſcrimine: quòd unuſquiſque actus objectum ſuum particulare (ut viſio albi, albedinem, viſio nigri, nigredinem) habeat; potentia verò omnia univerſim actuum ſuorum objecta comprehendat. Vnde eadem potentia actus ſpecie diſtinctos, circa objecta ſpecie diſtincta elicere poteſt. Vt autem objecta ſpecie diſtincta terminare poſſint actus ab eadem potentia emanantes, convenientiam aliquam in modo immutandi potentiam, aut ſe illi objiciendi habere debent. Aliàs nulla foret ratio, cur ad eandem potiùs potentiam, quàm ad diverſas ſpectarent.

Sic omnes colores in hoc conveniunt, quòd *per medium ex-*
Capreol. q. 3. Prolog. *trinſecum, diaphanum, ſine alteratione medij, vel organi immutent ſenſum*, ut Thomiſtarum facilè doctiſſimus ait. Vnuſquiſque enim ſenſus uno certo & peculiari modo ab objectis ſuis immutari & ad operandum excitari poſtulat; unde ſi quod objectum illo modo & ingenio immutandi caret, extra ſphæram & circumferentiam objecti adæquati talis ſensûs ſummoveri debet. Hac de cauſa ſonus, odor &c. non pertinent ad objectum visûs: ſicut nec è contrà, color ad objectum auditûs, aut olfactûs.

Ariſt. lib. 2. c. 4. de anima. Etſi verò omnes Philoſophi ac Theologi poſt Ariſtotelem, doceant, potentias, habitus, & actus accipere ſpeciem ſuam ab objectis, rem tamen iſtam valde implicuerunt & obtenebraverunt varijs & innumeris ferè objectorum diſtinctionibus. Objectum enim aliud eſt formale, aliud materiale, per ſe, per accidens, primarium, ſecundarium, Quod, Quo, Cui, ratio ſub quâ, per quam, propter quam &c.

Objectum formale primò vocatum eſt forma quædam circa quam potentia aliqua proximè verſatur. Quæ appellatio ab objectis ſenſuum externorum ſumpſiſſe videtur initium. Manifeſtum enim eſt, quòd ſenſus proximè tendant in formam aliquam accidentalem, & in illa hæreant, nec acie ſuâ uſque ad ſubjectum, & materiam tali formæ ſubſtratam penetrent.

Hinc factum eſt, ut dixerint, potentiam & actum ejus non ab objecto materiali (quod eſt ſubjectum talis formæ) ſed ab objecto formali tantùm, ſpeciem ſuam accipere.

Hoc enim actum & potentiam ipſam ſpecificat, quod reſpectum ejus eſſentialem proximè, & ſecundum ſe terminat. Hoc autem in viſu v. g. eſt color, non paries, aut nix; quia acies videndi ad materiam illam colori ſubjectam non pertingit.

Simili modo in potentia appetitiva & actibus ejus, res ſe habet. Aliquando enim in objecto primario hærent, aliquando etiam uſque ad objectum materiale, per ſe, & non tantùm merè per accidens penetrant. *Is enim qui dulcedine delectatur,*
Ariſt. lib. 3. c. 3. Topic. ait Ariſtoteles, *vinum expetit, non quia vinum, ſed quia dulce eſt.*

Dulce-

Dulcedinem enim per ſe concupiſcit, vinum autem per accidens: quia ſi auſterum ſit, non concupiſcit ampliùs.

Et alibi quærens: *Cur vini dulcis, quod ſuavius eſt, vinolentum neminem eſſe arbitramur?* Reſp. *An quòd vinum dulce nullum ſaporem obtinet proprium vini, ſed alienum? Igitur dulcis rei, non vini avidus appellandus eſt, qui vini dulcis deſiderio tenetur.* Modò enim dulcedinem percipiat, de ſubjecto nihil curat. Problem. Sect. 3.

Vnde D. Thomas: *Vnitas potentiæ & habitûs*, inquit, *conſideranda eſt ſecundum objectum, non quidem materialiter, ſed ſecundum rationem formalem objecti. Puta, homo, aſinus, & lapis conveniunt in una formali ratione colorati, quod eſt objectum viſûs.* Ab illa igitur ratione formali colorati, hoc eſt à colore, non ab homine, aſino, lapide unitatem & ſpeciem ſuam viſus accipit: licet non tantùm colorem hominis, aut aſini, ſed etiam hominem & aſinum videre dicamur; per accidens ſcilicet, & tanquam in veſte illâ coloris, ſub qua latent. D. Th. 1. p. q. 1. a. 3.

Hinc nomen objecti formalis tractum eſt longiùs, ut ſignificaret omne illud quod ſecundum ſe proximè à potentia attingitur, etiamſi forma non ſit. Sic eſſentia divina vocata objectum formale viſionis beatificæ, & ſubſtantia creata reſpectu conceptûs, quo Angelus, vel homo proximè & in ſe eam attingit.

Fieri autem poteſt, ut plura objecta, ordine quodam propinquioris & remotioris, ſed tamen in ſe & per ſe, non per accidens tantùm uno eodemque actu attingantur. Nam eâdem viſione beatificâ eſſentia divina proximè aſpicitur, & remotè creatura aliqua, ad quam viſio illa per mediam eſſentiam divinam, quaſi penetrat & deſcendit. Item, quando Angelus eſſentiam alicujus creaturæ comprehendens, unico actu eſſentiam illam penetrat, & uſque ad proprietates ab ea dimanantes pertingit.

Quo caſu, utrumque objectum eſt per ſe, ſed unum primarium, quod proximè, non alterius interventu, attingitur; alterum ſecundarium, ad quod remotè, & penetrando objectum aliud quaſi interpoſitum, actus pervenit.

S. Thomas tamen, & plurimi Scholaſtici ſic loquuntur, ut

 actum

actum à ſolo objecto primario, non à ſecundario ſpeciem ſuam accipere velint. Dicunt enim omnes viſiones beatificas eſſe ejuſdem ſpeciei, propter objecti primarij identitatem; etiamſi unus Beatus in eſſentia divina alias creaturas, quam alter aſpiciat.

Deinde tale objectum ſecundarium, vocant etiam materiale & per accidens; & comparant cum pariete aut nive, quod eſt propriè materiale & per accidens objectum reſpectu viſionis.

Quæ tamē comparatio profectò in eo claudicat, quòd parietis ſubſtantia albedini ſubjecta, nullo pacto in ſeipſa per viſionem albedinis attingatur, ſed tota viſio in colore illo hæreat; in ſuperioribus verò exemplis, actus uſque ad objectum ſecundarium penetret & deſcendat.

Ex qua penetratione manifeſtum eſſe videtur, oriri in tali actu aliquam eſſentialem, aut entitativam diverſitatem ab alio actu qui non penetrat; aut ſi penetret, ad alia objecta ſecundaria deflectit. Magis enim in entitativa ſua perfectione inter ſe ſimiles ſunt duo actus, quibus in eſſentiâ divinâ eadem creatura videtur, quàm cum alio actu, quo alia creatura aſpicitur. Nec iſta ſimilitudo major ex pari intenſione aut remiſſione, vel ex forma aliqua accidentali, ſed ex nuda actuum entitate naſcitur. Ac proinde, ſi in omni rigore velimus philoſophari, videntur duo tales actus, qui ad diverſa objecta ſecundariò, & tamen per ſe terminantur, ſpecie logicâ differre.

Quando verò S. Thomas & alij Theologi id negant, & à ſolo objecto primario ſpeciem petendam eſſe dicunt, ſolam habitudinem principalem & quaſi capitalem, quatenus ad objectum primarium & immediatum terminatur, pro eſſentiali reputant; appendiculam verò, quâ eadem habitudo ad objecta ſecundaria, ultra primarium quodammodò excurrit, inſtar proprietatis cujuſdam eſſentiam conſequentis, & ei velut appenſæ, potiùs imaginantur, quàm eſſentiæ partem, quæ quod in re eſt principale, & maximè intimum, ac veluti centrale conſtituere ſolet. Aut certè nonnunquam ad entitatem (quemadmodum etiam partes integrales intenſivæ, vel extenſivæ)

non

non ad eſſentiam rei, pertinere dicunt.

Ex ſimili quoque, ut opinor, imaginatione ortum eſt, ut aſſenſus concluſionis, non à concluſione objectivâ ſyllogiſmi, quam tamen intrinſecè & in ſe attingit; ſed ab antecedente, & motivo quod intellectum ad illum aſſenſum determinat, ſpeciem ſuam rapere, dicere ſolent. Nam ſicuti quando Angelus unico oculi, ut ſic dicam, conjectu & ſine diſcurſu, proprietatem in eſſentia, & conſequens in antecedente videt, proprietas quæ in conſequente ponitur, eſt objectum ſecundarium & remotum, ad quod intellectus Angeli penetrando antecedens, excurrit; ita quoque quando per diſcurſum homo unicum illum Angeli aſſenſum in duos quaſi reſolvit, quorum uno antecedenti, altero conſequenti aſſentit; aſſenſus conſequentis dicitur etiam ab antecedente (ſive à motivo quod in antecedente ponitur) ſpecificari; non autem ab ipſo conſequente objectivo, in quod tamen directè tendit, cum actuali, vel virtuali reflexione intellectûs ſuper motivum antecedentis.

Vnde quia in aſſenſu illo unico, quo intellectus Angeli perſpicacior, per antecedens uſque ad conſequens penetrat, conſequens vocatur objectum materiale illius aſſensûs; ita etiam in diſcurſu humani & obtuſioris intellectûs, conſequens ſyllogiſmi appellant objectum materiale, etiamſi ſecundum ſe aſſenſu ſcientifico directè attingatur; negantque ſpecificationem iſtius aſſenſus inde ſumi, ſed à motivo antecedentis, tanquam objecto formali, ſive objecto Quo, & ratione ſub qua elicitur talis aſſenſus. Hinc iſtud, & talia tam ſæpe D. Thomas: *In ſcientia Geometriæ materialiter ſcita ſunt concluſiones; formalis verò ratio ſciendi ſunt media demonſtrationis.* D. Th. 2. 2. q. 1. a. 1. Et ab iſtis medijs, non à concluſionibus quæ inde deducuntur, ſpeciem actûs ſcientifici deſumi dicit.

Totâ verò iſtâ nominum varietate (*objectum Quo, ratio formalis ſub Qua, per Quam, propter Quam*, & ejuſmodi) nihil aliud quàm idem objectum formale ſignificatur, quatenus ſub uno, aut alio reſpectu ad objectum materiale concipitur.

Objectum verò *Cui*, eſt terminus, cui aliquod objectum *Quod* defertur. Vt Deus eſt objectum *Cui* religionis. Cultus enim ei per religionem, tanquam primo creaturæ principio defertur. Creditor eſt objectum *Cui* juſtitiæ, quâ debitor ei debitum ſuum ſolvit. &c.

Hoc autem objectum *Cui*, potiùs ad materiale, quàm ad formale objectum ſpectat. Nam præter illud, eſt aliud objectum formale, propter quod Deo, aut proximo aliquid debitum offertur. Excellentia namque primi principij, quæ in Deo apprehenditur, eſt objectum formale, propter quod Deo cultus defertur. Item, jus in re, vel ad rem, quo quis debitor alteri ſolutionem defert, per quam jus illud vult diſſolvere, eſt obiectum formale actûs iuſtitiæ.

Applicatio quoque objecti formalis ad varia materialia, cenſetur variare objectum formale, & ſpeciem actûs mutare. Sic plurimi Theologi docent adorationem imaginis reſpectivam ſpecie differre ab adoratione abſolutâ prototypi; quia excellentia prototypi, etiamſi utriuſque adorationis ſit objectum formale, aliter tamen prototypo, tanquam forma ſubjecto applicatur, & aliter imagini, tanquam terminus relationi à qua reſpicitur. Vnde prior applicatio, intrinſeca; poſterior extrinſeca eſt.

Pari modo, multi amorem Dei ab amore proximi ſpeciè diſtinguunt, quia licet eadem divina bonitas & perfectio ſit formale objectum utriuſque; intrinſecè tamen Deo, extrinſecè proximo applicatur.

Simile quid in actu charitatis, & actu ſpei licet animadvertere. Nam propter divinam bonitatem Deo quaſi inhærentem, Deus in ſe charitate amatur; ſperamus verò eandem, tanquam ſummum noſtrum bonum poſſidere; ſed extrinſecè per viſionem intellectûs & fruitionem voluntatis, nobis applicatam.

Denique, ſi obſcuras iſtas differentias actuum animæ noſtræ acutè & altè introſpiciamus, licet ſemper aliquam differentiam ab objecto ſuo formali rapiant; non eſt tamen neceſſe, ut illa ſemper ſit differentia ultima, qua actus unus à quo-

cumque

cumque alio eſſentialiter diſtinguitur. Poſſunt etenim duo actus ſpecie diverſi idem undique objectum formale attingere, & vel ex parte modi tendendi, vel cauſę efficientis, differentias diſtinctas contrahere. Tales videntur eſſe, velleitas, & efficax volitio ejuſdem per omnia objecti. Modi enim efficaciter, & inefficaciter tendendi in eundem directè ſcopum; quorum unus impreſſiori, & velut robuſtiori modo penetrat; alter infirmiori, & tanquam extremam ſolùm ſuperficiem attingat, videntur actus ſpecie diſtinguere. Similiter aſſenſus, & nuda apprehenſio eiuſdem propoſitionis obiectivæ.

Viſio quoque, & imaginatio, circa hunc colorem ita verſantur, ut imaginatio nihil omnino aliud in iſto colore attingat, quod oculus non viderit. Species enim phantaſtica ab oculo in cerebrum trajicitur, quæ hunc colorem qui ante oculos eſt, eodem modo (quantum eſt ex parte objecti) exprimat, quo modo ab oculo conſpectus fuit. Imaginatio tamen ſpecie à viſione oculi diſtinguitur; quia ex eſſentiali ſua ratione, à ſenſu interno; viſio à ſenſu externo, emanare poſtulat.

Ac denique duo actus, unus naturalis, alter ſupernaturalis (ſi multis Theologis credimus) in idem undique objectum materiale & formale ita tendere poſſunt, ut nihil in objecto attingat unus, quod non & alius; & tamen ſpecie inter ſe diſtingui nemo dubitat. Tales fortaſſe ſunt actus temperantię naturalis, & ſupernaturalis circa idem omnino obiectum; aut actus unus fidei, quem hæreticus propter divinam auctoritatem; & alter, quem Catholicus propter eandem auctoritatem, & circa eandem propoſitionem elicit.

Quidam tamen totis viribus contendunt actum naturalem à ſupernaturali ſemper objecto formali diſtingui, & inde differentiam ultimam, qua inter ſe ſpecie diſtinguuntur, perpetuò petendam eſſe. Tanner. diſp. 2. q. 2. d. 2. de ſpe & char.

Sed nunquam acquieſcere potui. Sunt enim aliæ habitudines in actibus, præter illam quæ eſt ad objectum: cur ergo per illas habitudines diſtingui non poterunt actus, etiamſi in objecto, tam materiali quàm formali conveniant?

In S. Thomæ Theologia, præter virtutes cardinales acqui-

ſitas

ſitas naturalis ordinis, ſunt aliæ ſupernaturales infuſæ: quô-nam autem obiecto formali ab invicem diſcretæ? Loquimur verò de obiecto formali quod per ſe ab actu attingitur: iſtud enim ſolum eſt, quod habitudinem eſſentialem actûs terminat, & ſpeciem tribuit. Si enim ſit tantùm formalitas quædam obiecti, quæ actu non attingitur, non magis ſpeciem actui dare poteſt, quâm dulcedo lactis (quæ à viſu non attingitur) viſionem albedinis lactis ſpecificare, & à viſione albedinis nivis diſtinguere valeat.

Actus autem virtutis juſtitiæ, aut temperantiæ ſupernaturalis, in quodnam objectum formale dirigitur, ipſumque attingit, quod ab actu iuſtitiæ, aut temperantiæ naturalis non perinde attingi poteſt?

Quidam aciem intellectûs per omnia verſantes, tandem non aliud invenerunt, quàm quòd actus iuſtitiæ, & temperantiæ ſupernaturalis, actu fidei ſupernaturalis dirigi poſtulent; actus verò naturales cognitione tantùm naturali regantur. Sed profectò actus intellectûs, qui actum voluntatis dirigit, non eſt pars obiecti formalis, ſed ipſum obiectum formale, in quod collimet, voluntati proponit. Vnde iſti non evadunt, ſed ſuccumbunt difficultati.

Alij denique varias in eodem objecto materiali attingibilitates, ut vocant, pro objectis formalibus ſibi fingunt; qualis eſt in colore viſibilitas, in objecto ſcientiæ, ſcibilitas &c. Sed iſtæ ſunt tantùm relationes rationis; quæ non præcedunt actus, ſicut obiectum formale debet, ſed ſequuntur ipſos, ſicut relatio ſuum terminum, aut ſuam rationem fundandi ſequi ſolet.

Hæc generatim & breviter jam quaſi digito monſtraſſe ſufficiat, pluribus hanc rem Lib. IV. diſputaturi, ubi de operationibus intellectûs & voluntatis, Deo dante, diſſeremus.

PHILO-

PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ

DE ANIMA

LIBER SECVNDVS

De Anima vegetativa.

TRactatis quæ ad animam in genere viſa ſunt pertinere, deſcendimus ad ſpecies; inter quas prima eſt vegetativa. Hæc ulteriùs in tot ſpecies ſubalternas diſpergitur, quot ſunt modi inſigniter diverſi adminiſtrandi operationes vegetatrices. Longè enim aliter, & per alia inſtrumenta, arbores & animalia nutriuntur, accreſcunt, & generant; & inter animalia, aliter homo, aliter quadrupes, volucris, piſcis.

De anima vegetativa plantarum & brutorum pauca, de hominis plura differemus; quia Philoſophiam Theologiæ ancillam formamus, Myſteriorum autem fidei, & Caſuum conſcientiæ non pauca ab animæ hominis vegetativæ operationibus dependent, nec ſine earum cognitione, ab imis fundamentis intelligi poſſunt.

CAPVT I.

Quid anima vegetativa.

VIdetur compendioſiſſimè poſſe definiri: Anima, cujus vitalis operatio ad ſubſtantiam viventis tendit. Tres enim generaliter ſunt principales ejus operationes vitales, nutritio, accretio, generatio. Per nutritionem convertitur alimentum in ſubſtantiam viventis. Eadem verò converſio vocatur etiam accretio, quatenus per eam, ſimul

 cum

cum nova parte ſubſtantiæ, accedit viventi major quantitas. Vnde accretio re verâ proximè ad ſubſtantiam terminatur, licet nomen accretionis ſortiatur, quatenus remotè comparatur ad quantitatem, quæ ſubſtantiæ eſt appendix, Generatio ad novi individui viventis ſubſtantiam tendit. Alimenti quoque attractio, alteratio, ac in varias formas viales, ut chyli, chymi &c. transmutatio, tendunt etiam, ſaltem remotè, & tandem appellunt, ad ſubſtantiam viventis; quia nutritioni miniſtrant, adducendo aut præparando ei materiam, in quam inducat formam viventis.

Animæ autem ſenſitivæ & intellectivæ operationes, non ad ſubſtantiam viventis generandam, aut aggenerandam tendunt; ſed ad accidentia varia, ut ad cognitiones ſenſuum & intellectûs, ad affectus appetitûs & voluntatis, quibus ſubſtantiam ornant ſui corporis.

CAPVT II.

De Alimento.

PRima operatio animæ vegetantis eſt nutritio, cujus materia circa quam, ſeu objectum, eſt alimentum: quod proinde ordine naturæ, priùs cognoſci debet; quia actiones ſpecificantur à ſuis objectis, & per illa definiuntur.

Nutritio enim eſt converſio alimenti in ſubſtantiam viventis, facta ab anima vegetativa, virtute caloris naturalis, ut fiat inſtauratio partium viventis, quæ defluunt. *Quid nutritio.*

Nutritionem autem animalium perfectorum præire debent tres principales alimenti concoctiones; quarum prima in ventriculo, ſecunda in jecore ſeu hepate, tertia in unoquoque corporis membro perficitur. In animalibus quoque imperfectis, imò etiam in plantis, partes quædam ventriculo, & hepati analogæ ſunt, in quibus alimentum coquitur & perficitur, antequam in ſubſtantiam cujuſque partis faceſſat.

Non indignabuntur autem, ſpero, Æſculapij & Medicorum filij, ſi eorum pauliſper fines ingrediamur: quia olim Sapientes Philo-

Philoſophiam Medicinæ ſororem vocaverunt, & Ariſtoteles ait Naturalium, Philoſophorum σχαριεστάτους σχεδὸν εἰς τὰς ἀρχὰς ἰατρικὰς τελευτᾷν *elegantiſſimos ferè in principia Medicinæ deſinere, & Medicos incipere, ubi deſinunt Philoſophi Naturales.* Tetull. c. 2. de Anima Ariſt lib. de Senſu c. 1.

ARTICVLVS I.

An alimentum debeat eſſe corpus mixtum.

FRanc. Valleſius negat aquam, aut ullum elementum alere, & Medicos pleroſque conſentire dicit. Ac de aqua, rem credit eſſe certam; quia eſt ſubſtantiæ fluxæ & ſero ſimilis, nec ullius pinguedinis particeps, quâ poſſit corpori noſtro affigi. In ea mente videtur Ariſtoteles: *Cibum oportet eſſet compoſitum*, aït, *quia quæ nutriuntur non ſunt ſimplicia.* Sed ſanè, ſi aqua non alit, fruſtra *lignum plantatum ſuper aquas, ad humorem mittet radices ſuas*: falſum erit, *plantatam unquam eſſe pinum, quam pluvia nutriverit*: falſus S. Auguſtinus, cùm dixit, imbrem, *quem nubes fundunt, in vinum* & vitem *converti.* Rami quoque ab arbore matre avulſi, in domibus & templis noſtris flaccidam & languentem vitam aquæ ſuctu aliquamdiu tolerant. Quid deinde S. Paulus Eremita, & tot alij Anachoretæ facient, qui ad ſiccum panem nil præter fontanam addebant? Non enim ſolâ materia panis, ſed etiam humido alebantur; aliàs enim non liquidum, ſed concretum in venis ſanguinem habuiſſent. Ariſtoteles deinde docet *omne animans humido nutriri.* Et de aqua diſertè, τὸ ὕδωρ δυνάμει ὄξος καὶ οἶνος, *aqua potentiâ eſt acetum & vinum.* Si verò aqua in vinum, quod quaſi pars vuæ & vitis eſt; cur non etiam in folia & pampinos converti poteſt? Et alibi, aquam generale eſſe alimentum, aït, & *in omnibus, etiam ſiccis alimento eſſe.* Vnde Homerus aquam τροφιμώτατον, *maximè alibilem* vocat. Et Athænæus, *aquam alere*, inquit, *manifeſtum eſt, quòd eâ ſolâ nutriantur quædam animalia, ut cicadæ.* Quippe *thymo paſcuntur apes, & rore cicadæ.* Alit ergo ſanè aqua, ſed materiæ ſiccæ ac ſolidiori, antequam ſumatur, aut in ventriculo ſaltem, permixta fermentataque,

Valleſ. lib. 6. c. 6. Contr. — Ariſtot. c. 6 de Senſu. — Ierem. 17. — Iſa. 44. — S. Auguſt. Tract. 8. in Ioan. — Ariſt. lib. 8. c. 5. Metap. — Lib. 4. c. 2. de Generat animal. — Virgil.

tataque, ut per chyloſim & chymoſim valeat in ſanguinem converti, ac deinde in carnem concreſcere. Verè igitur alicubi. S. Thomas: *Quamvis aqua in ſe non nutriat, tamen commixta nutrit.* Et quidem tam celeriter, ut ſi poſt ſiccitatem pluvia ſuperveniat, herbę antea flaccidę ſubitò erigant caput, & ſic creſcere feſtinent, ut lintea fortè in viridario ſuperextenſa pauxillo tempore penetrent, ſi fila non ſatis compreſsè texta ſint, ut mihi narravit qui viderat.

S.Thom.4. d.3. q.1.a.4.

Si autem aqua ſola ventriculo infundatur, nihil, aut minimum inde rapit vivens, quia lubrico & celeri motu trajicit inteſtina, & in veſicam elabitur; ut patet in Spadanâ, quæ eâdem menſurâ quâ hauſta eſt, egeritur. Sed tamen etiam vino idem ferè continget, ſi jejunis inteſtinis, nullo ſolidioris cibi ſuſtentaculo, committatur. Hoc voluit, credo, Ariſtoteles, cùm dixit, τὰ ὑγρὰ δυσπεπτότατα, *humida difficillimè concoqui.* Fugiunt enim & elabuntur, antequam poſſint ſubigi; deinde nullo ſolidiori retenta & commacerata, vix poſſunt corpori viventis affigi. Unde cùm Ariſtoteles ait, *oves potu maximè pingueſcere, ideoq́ paſtores ſalem paleis ſolere inſpergere, ut ſitibundæ plus aquæ hauriant,* intelligit non ex ſolâ aquâ, ſed ſicciori alimento confermentatâ, illam ovium pinguedinem concreſcere. Nam ne piſces quidem ſolâ aquâ nutriuntur, ſed ſolida quæ aquis innatant, unà devorant, aut aquæ fundum fodiendo ſcrutantur, ut herbarum radices vellicent, ſicut fatentur, qui eos in vivarijs alunt.

Meritò igitur dixit Ariſtoteles, alimentum oportere mixtum eſſe, quià mixtum eſt corpus animantis, in quod debet tranſire. Non quia in qualibet parte alimenti debeant omnium elementorum formæ eſſe, aut formæ quædam aliæ heterogeneæ, quæ ſint neceſſariæ diſpoſitiones ad introducendam animam viventis, ut quidam Medici ſunt nuper commenti; ſed quia, ut elementum faceſſat in ſubſtantiam viventis, debet antea alijs elementis, aut mixtis permiſceri, ut fiat una conveniens craſis, capax animæ viventis. Et hoc, credo, tantùm volunt, qui negant animal, aut plantam puro elemento ali.

Sed

Sed elementum non poteſt proximè tranſire in vivens, inquies.

Quid mirum? quia nec panis poteſt, qui tamen maximè alit. Sufficit igitur ad nutritionem, ut aqua mutetur in ſubſtantiam viventis, ſicut panis, caro, piſcis: id eſt, particulæ quædam ejus cum ſolidiori cibo fermentatæ, in ventriculo coquantur primò in chylum, deinde in chymum, poſtremò in partem viventis. Calor enim naturalis partium viventis non eſt tam efficax & validus, ut alimentum crudum, aut prout ventriculo inijcitur, in partem viventis convertat; ſed qualitates alimenti contrariæ frangi, ſubigi, & domari antea in ventriculo, jecore, venis debent, ut à calore partium poſſint vinci.

Olim quoque vulgatum eſt, chamæleontem, *nec cibo, nec potu, nec alio quàm aëris alimento ali.* Negat tamen id Andr. Laurentius; quia fortaſſe apud Scaligerum legit, *Io. Landium vidiſſe chamæleontem lingua repentino iaculatu muſcam, quæ in eius eſſet pectore, legiſſe.* Sed idem tamen Scaliger, *quòd aër illi pro cibo aliquamdiu ſit, ex eo* ait *patere*; quod & *annum integrum aiunt inediam tolerare, & ubi accepit hiatu auram & occluſit malas, turget ei venter.* Vnde ex aëreo & futili hoc alimento, pellicula & cartilago totus eſt chamæleon, *nec uſquam carnem, niſi pauxillum in capite, maxillis, & extremo cauda habet.* Alit igitur etiam aër, qui tamen elementum eſt.

Plin.

Scalig. Exer. 196.

Ariſt. lib. 2. c. 11. Hiſtor. animal.

Deinde Hippocrates, Galenus, & Medicorum quis non? ex aëre pulmonibus, aut naribus attracto, ſpiritum vitalem in corde, animalem in cerebro ali affirmant. Spiritus autem iſti aut vivunt, aut certè quaſi partes viventis habentur.

Medicis concors eſt S. Auguſtinus, qui aërem *flabile alimentum* vocat, *& aurâ iſtâ undique circumfuſâ corpus intrando ali, & relevari exeundo*, dicit.

S. Aug. lib. 4. c. 3. de Origin. animæ.

In igne quoque, ut piſces in aqua, pyrauſtas gigni & vivere Ariſtoteles prodidit; quidni ergo etiam igne partim & atomis per ignem volitantibus ali poſſint? Hiſtoriam tamen Ariſtotelis de Cypri pyrauſtis, Medici quidam, ſcio, irrident; ſed affirmat Plinius cum Philoſophis. *In Cypri ærarijs fornacibus,* inquit,

Ariſt. lib. 5. c. 19. Hiſtor. animal.

Plin. lib. 11. c. 36.

inquit, *ex medio igni maioris muſcæ magnitudine volat pennatum quadrupes. Appellatur Pyralis, à quibuſdam Pyrauſta. Quamdiu eſt in igne, vivit, cùm evaſit longiore paulò volatu, emoritur.* Huc reſpiciens, credo, S. Auguſtinus, *in ardore ignis nonnulla animalia, per convenientiam ſalubriter vivere dixit.* Seneca quoque, *ignis qui omnia conſumit,* inquit, *quædam etiam creat, & quod videri non poteſt ſimile veri, ſed tamen verum eſt, animalia igne generantur.*

S. Aug. lib. 12. c. 4. Civit. Sen. lib. 5. & 6. Natur.

Et Scaliger negantibus os ferulâ batuens: *Ferulâ,* inquit, *caſtigandi ſunt, qui hoc quaſi temerè proditum ab Ariſtotele calumniantur, temerarij ipſi reprehenſores. Cùm ea quæ in alijs terrarum mariumque tractibus inventa ſunt, contemplamur, omnia iam libet credere. Sed barbara ingenia,* addit, *leviſſimis momentis impelluntur ad divini atque incomparabilis Herois obtrectationem.*

Certè enim ſi lapis friabilis & textilis amiantus, tam ignibus inviolabilis eſt, ut mappæ ex eo textæ, impunè iaciantur in ignem, ut maculas & ſordes exugat, ſicut vidiſſe ſe teſtatur Plinius; neſcio cur quaſi ferreæ quædam muſcæ creari à Deo non poſſint, quæ in igne vivant, & eo, ut piſces aquâ, nutriantur.

Plin. lib. 19 c. 1.

Vltimum denique elementum terra, quidni in ſerpentis, aut alîus animalculi nutrimentum cedere poſſit? Maledicens enim olim ſerpenti Deus, *terram comedes,* inquit, *cunctis diebus vitæ tuæ.*

Gen. 3.

Terrâ igitur, ſaltem impurâ, & imbribus, alijſque, miſcêlis fermentatâ vivere animal poteſt. Et nónne certò etiam ſic nutricantur & vivunt arbores?

Ex ſuperiori doctrina patet jam infirmitas argumenti, quo Theologi quidam probant, ſtillam aquæ, quæ calici Euchariſtico infunditur, non poſſe in vinum verti, quia nullum vivens elemento nutritur. Nam & viventia quædam elementis nutriuntur; & verius eſt, vinum non vivere, ne quidem in uva, multo minùs in calice aut vaſe. Nec fortè neceſſe eſt, aquæ miſceri aliud ſolidius elementum, aut corpus mixtum, ut in vinum convertatur; quia vino, ſicut corpori ſolido affigi aqua non debet, ſed ut liquidum liquido permiſceri.

ARTICVLVS II.

An ſpiritus odoriferi carnium, florum, tabaci &c. alimentum eſſe poſſint corporis humani.

PLinius narrat Indorum quandam gentem *halitu tantùm vivere, & odore quem naribus trahant. Nullum illis cibum, nullumq́, potum: tantum radicum florumq́, varios odores & ſilveſtrium malorum, quæ ſecum portant longiore itinere, ne deſit olfactus.* Sed & Marſ. Ficinus cenſet, odores qui ex rebus nutrientibus exſpirant, ut pomis, pane, recenti, & maximè carnibus aſſis, & vino etiam nutrire.

Plin. lib. 7 c. 2.

Ficin. l. 2. c. 18 De vit. produc.

Ariſtoteles tamen negat, aërem, aut ſpiritus etiam corporibus mixtis exhalantes alere; quia non habent eam corpulentiam & craſſamentum, quod neceſſarium eſt, ut poſſint corpori humano adglutinari, & cum eo in vnum concreſcere. Vnde Agellius ait, hiſtoriam illam Plinianam, *omnem admirationis*, imo fidei, *modum egredi.* Attamen aromatum, roſarum, & id genus ſpiritus benigni, corpus, & præcipue cerebrum recreant, & conducunt ſanitati. Deinde in pulmones cum aëre attracti, in ſinus cordis penetrant, & ex ijs ſanguini arterioſo permixtis fabricantur ſpiritus vitales in corde, & deinde animales in cerebro; ſicque poſſunt fluidam illam hominis ſubſtantiam, ſi non ſolidas ejus partes, nutrire. Verùm hæc non eſt propria nutritio, nec facta ab anima, quæ ſpiritui vitali aut animali inſit, cùm longè verius ſit, hos ſpiritus exanimes eſſe. Vnde nec propriè partes hominis ſunt, ſed ſubſtantiæ quædam tenues & raræ, quæ per arterias & nervos fluunt, ab illis (ut aër à ſiphonibus & fiſtulis, per quas meat) diſcontinuæ. Si tamen ſpiritus odorati non liberè vagentur, ſed ſolidiori alimento compediti ſint & impliciti, poſſunt cum cetero alimento tantum craſſamentum à facultate nutritiva accipere, ut in partem viventis ſolidiorem, aut in humidum ejus radicale valeant conſtipari & faceſſere.

Ariſt cap. 5. De ſenſu

Agell. lib. 9. c. 4

Quid ergo? inquies, nónne vulgatum eſt, coquos culinæ

ſuæ nidoribus, tabacobibulos fumis paſci, & vires recreare?

Fateor, minùs eſurire coquos, & quicumque ollarum halitus ore patulo excipiunt. Sed aliud eſt, nutriri, aliud inediam tolerare. Nam aliquid inde in ſtomachum vadit, quod famen quidem ſolatur, ſed ſpe vanâ, dum fumo inflatus, credit materiam ſe ſolidam habere, unde chylum valeat elaborare. Similiter nec tabacopotæ (quidquid ipſi jactent) nutriuntur fumo tabaci, ſed ut rectè Tabacologus quidam, *pituitoſos è cerebro humores*, vapore & qualitate fumi, *eliciunt, quos ſucci melioris penuriâ, in ſuum nutricatum convertit ventriculus.* Imò, ſi pluſculum ex fumo, aut ſpiritu tabaci in ventriculum deſcendat, ſentimus eum, tanquam ab inimico torqueri, & ad vomitum provocari. Vnde licet Ficino daremus, ex ſpiritu vini & carnis aſſæ leve & fugax quondam nutrimentum rapi, quia ſpiritus illi rerum nutrientium ſunt, & ſtomacho blandiſſimi; non tamen id dabimus de ſpiritu tabaci medicamentoſo, & ſtomachi inimico. Hinc in Synodo nupera Epiſcopatûs Canariarũ præcipitur ſub pœna excommunicationis latæ ſent. *Ne quis Clericus intra duas horas poſt celebratam Miſſam, ſumat tabacum:* idque propter periculum vomitûs. Poteſt etiam tabacum, alterando corpus, & inflammando ſpiritus, vigorem quendam & vires corpori conciliare. Sed non ſolidas & fixas, quales ſubminiſtrat alimentum, ſed inanes & fugitivas, quales ebrietas ſolet. Nam & tabacum etiam inebriat. An verò ſacerdos, aut communicans dici poſſit naturaliter jejunus ad communionem, à Theologis intra XL. iſtos annos, quibus Tabacaria hæreſis Europæorum invaſit animos, cœptum eſt diſputari. Et nos ergo etiam de re iſta aliquid philoſophemur.

Neand. in Tabaco. log.

ARTICVLVS III.

An ſpiritus tabaci naturale ieiunium ſolvat.

IN primis, ut res aliqua jejunium naturale frangat, non eſt neceſſe, ut ſit alibilis; nam medicamenta non alunt, & tamen ſtomachus qui ea ſumpſit, non eſt ampliùs naturaliter

raliter jejunus. Vnde tabacum, quod inter medicamenta numeratur, in ſtomachum deſcendens, etſi naturale fortaſſe jejunium ſolveret, non tamen Eccleſiaſticum, quale illud eſt, quod Eccleſia in Quadrageſima præcipit.

Sed diſtinguendum eſt inter tres modos, *in folio, in pulvere, in fumo*, quibus tabacum ſumi ſolet.

Antonin. Diana, vir qui dum ſcrupulos & anguſtias conſcientiarum metuit, eas egregiè relaxat, uno ferè verbo ſe expedit. (Dian. Tract. 13. Miſcel. 1.) Tabacum, ſive in folio, ſive in pulvere, in ventriculum demiſſum, ait non ſolvere jejunium naturale, quia intrat ſtomachum per nares, ac per modum reſpirationis; non per os, per modum cibi aut potûs. Vnde cum Franc. Suario, Granado, & quibuſdam alijs credit, ſi aqua, in notabili etiam quantitate, aſſumatur per nares, non ſolvere naturale jejunium; quod faceret, ſi tantundem per os biberetur. Hinc conſequens videtur, ut ſi quis etiam integrum poculum aquæ aut vini, per nares (quod fieri poteſt, & patet per phlegmata, quæ è naribus in foramina palati retrahuntur, & deglutiuntur) ſugeret in ventriculũ, maneret naturaliter jejunus ad ſacram communionẽ. Quod ſanè mihi videtur eſſe ridiculum. Nam Eccleſia non tam modum & viam ſumendi per os, aut per nares, æſtimat, quàm cibi aut potûs quantitatem, quæ ante ſacras Euchariſtiæ ſpecies, perventura eſt ad ventriculum. Indecens enim exiſtimat, ut aliquid tale extrinſecus aſſumatur per œſophagum, quod ſacram hoſtiam præcedat. Id verò quod per nares in palatum, & deinde per œſophagum in ventriculum traijcitur, non intrinſecus per modum pituitę, aut ſanguinis è capite decidit, ſed extrinſecus infunditur. Cùm ergo Conc. Toletanum dicit, *Nullus poſt cibum potumque quàmlibet minimum ſumptum, Miſſas facere præſumat*; (Conc. Tolet. 7. can.) etſi de ſumptione quæ ore fit, fortaſſe ſolùm cogitaverit, quia non alia via cibus potuſque intrare ſolent; ſi tamen Patres illi rogati fuiſſent, quid cenſerent de eo, qui ore fortè impedito, juſſus eſſet à Medicis, pharmacum per nares attrahere; reſpondiſſent, ut exiſtimo, talem jejunum non eſſe. Nam aliàs, ſi homines, aut hominum monſtra, Aſtomi, id eſt, ſine ore naſcerentur, q[illegible]

ſuctu victitandum eſſet, non poſſent jejunium naturale ſolvere, quod videtur incredibile. Nec S. Thomas, qui huc citatur, ait cibum, ut dicatur comedi, neceſſariò oportere per os aſſumi, ſed *exteriùs*; quod fit, etiamſi per nares ſumatur. *Comeſtio*, inquit, *principaliter dicitur à ſumptione exterioris cibi; quamvis terminetur ad traiectionem cibi in ventrem, & ulteriùs ad nutritionem*. Vnde tantùm infert: *Et ideo quæ interiùs geruntur, ſine exterioris cibi ſumptione, non videntur ſolvere jejunium naturæ, nec impedire Eucharistiæ perceptionem; ſicut deglutitio ſalivæ.*

S. Tho. 4 d. 8 q. 1. a. 4.

Cenſeo tamen cum Diana, Alphonſo Legionenſi, & alijs, tabaco in folio, aut pulvere per nares attracto, non ſolvi jejunium naturæ; non tamen quia per nares intrat, ſed quia ad ſtomachum non deſcendit, eâ ſaltem quantitate, quæ æſtimari debeat. Vnde perinde erit, etiamſi ori imponatur. Nam ſolùm ſalivam & pituitam è capite attrahit; & licet aliquid pulviſculi, aut ſpiritùs tabaci (ſecùs tamen, ſi totum folium) pituitæ permixtum, in ventriculum vnà deſcenderet, pro nihilo, aut tanquam particula ſalivæ duceretur.

Multo minùs tabaci fumus per ſyringem ore attractus jejunium ſolvit. Quia aut per nares expiratur, aut ſi quid in ſtomachum etiam notabili quantitate illabitur, non tamen per modum cibi aut potûs; licet per metaphoram & abuſivè, bibere tabacum vulgò dicatur, qui fumum ore ſugit. Cibi enim & potûs humani ratio in materia non tam ſpiritali, ſed corpulentiori conſiſtit. Vnde verum exiſtimo, quod Diana addit: *Quòd ſi quis ex induſtria aperto ore fumoſum halitum carnis in magna quantitate, tempore Quadrageſimæ, reſpirando attraheret, nec jeiunium naturale, nec Eccleſiaſticum ſolveret.* Halitus enim illi, uti etiam fumus tabaci, inter cibos & edulia haberi non debent; licet in Tribunali quodam Belgico nuper, morali, aut conviviali potiùs ratione, quàm phyſicâ ſpeculatione, aliter fuiſſe judicatum ſciam. Cùm enim inter Hiſpaniæ & Angliæ Reges conveniſſet, ut nulla edulia Angli veherent in Hollandiam, navis Anglica intercepta eſt à Flandris Duynkercanis, quæ tabacum eò vehebat. Diſputatum ergo, an tabacum inter edulia cenſeri deberet. Et debere, eſt judicatum; quia Angli inter

Dian. ibid.

menſas

menſas ſecundas, tabaci ſyringas apponunt. Quando ergo Theologi aiunt, id quod ſumitur per modum reſpirationis non frangere jejunium naturæ, de tali ſubſtantia rara & ſpiritali intelligi debent, non de omni, quod per nares & inſtrumentum reſpirationis intrat ſtomachum, etiamſi aqua, vinum, aut ſimilis liquor eſſet, ut philoſophatur Diana, meo calculo, non bene. Pergit verò Diana, ac cum Io. Sancio, & Card. Lugo aſſerit, eum ad Euchariſtiam manere jejunum, qui *in magna quantitate deglutiret nummos aureos, plumbum, aut lapillos*; quia non ſunt cibi. *Cibi enim nomine*, inquit, *non intelliguntur, niſi ea, quæ per ſe loquendo, alterari poſſunt à ſtomacho.* Et hanc regulam à Card. Lugo præformatam recipit: *Si cibus ſit in quantitate notabili, nullum videtur eſſe diſcrimen inter ieiunium naturale & Eccleſiaſticum, niſi excuſet materiæ paruitas. Vnde ſi quis deglutiret*, ait, *in magna quatitate nummos aureos, non frangeret jejunium Eccleſiaſticum; ergo nec frangeret naturale.*

Verùm, ſi hanc regulam recipimus, amphora rhabarbari epota jejunium naturale non ſolvet, quia jejunium Eccleſiaſticum non ſolveret; quod tamen paſſim jam ab reijcitur omnibus. Nec Theologi dicunt, oportere eſſe cibum aut potum, id quod jejunium naturale ſolvit; ſed debere ſumi per modum cibi aut potûs, id eſt, comedi, aut bibi, ſive extrinſecus aſſumi, & propria actione vitali in ſtomachũ traijci: quomodo etiam venena, & mera medicamenta ſumi poſſunt, licet minimè ſint cibi. Nam tantùm *quod coctum à natura accedit & corpori adhæreſcit, alimentum appellatur*, inquit Ariſtoteles; *quod autem domari non poteſt, ſed venas ingreſſum, per exceſſum caliditatis vel frigiditatis perturbat, hoc naturam habet medicamenti.* Ariſt. ſect. 1. Problem. Si Diana fortè reponat, venena poſſe alterari à ſtomacho, etiamſi non valeant concoqui, ideoque generali nomine ciborum poſſe appellari. Hac jam ratione, etiam aurum, plumbum, lapides erunt cibi; cùm imperfectam quoque alterationem à ventriculo poſſint ſuſcipere.

Itaque non malè Nugnus, quem refellit Diana, affirmat, eum qui papyrum deglutijt, non manere naturaliter jejunum, nec poſſe eo die Euchariſtiam ſumere. Et Antonius Legio-

nenſis, à Dianâ quoque rejectus, *Quantum ad me*, inquit, *cenſeo hoc præceptum tam tenerum & delicatum, & hanc doctrinam eſſe veram; ut ſi quis comedat plumbi fruſtum, aut aliquem nummum, frangat ieiunium naturale, nec illo die poßit recipere ſacram communionem.* Henriquez quoque: *Quòd ſi rem parvam, etiam non nutritivam*, inquit, *ut papyrum, per modum cibi aut potus traiecisſet, etiam per ignorantiam, ieiunus non cenſeretur.* Nam aliàs feminæ gravidæ, cittâ laborantes, poſt picem, ceram, lapillos, carbones, quos vitiato & abſurdo appetitu devorant, manerent naturaliter jejunæ. In magna etiam & Saguntina fame, calceorũ coria, animalium cornua, & id genus non edulia, ad fallendam, non ſaturandam famis impatientiam, edi ſolent; & tamen iſtis, opinor, naturale jejunium ſolvitur. ¶ Licet verò ea quæ deſſeruimus de tabaco, jejunium naturale minimè ſolvente, vera exiſtimem, indecens tamen eſt, ante ſacram communionem ſumere, meritoque nupera Synodus Provincialis Mechlinienſis ſacerdotibus inhibuit. Duæ quoque Indicæ Synodi, Limenſis in Peru, & Mexicana præcipiunt: *Ne ullus ſacerdos ante Miſſam, aut quævis alia perſona ante communionem, quidquam tabaci per modum fumalis evaporationis, aut quovis modo percipiat.* Quas Synodos, ut fatetur Diana, S. Congregatio Card. approbavit. Vnde Franc. Niger: *An uſus tabaci*, inquit, *ante Miſſam ſit licitus? Vtuntur omnes communiter, & dicunt, non eſſe illicitum, ac præcipuè Hiſpani. Ego tamen laudarem contrarium: quia ſæpiſſimè deſcendit in guttur, & videtur irreverentia, & video timoratos ſcrupulizare.*

Henriq. de Euchar. c.

ARTICVLVS IV.

An alimentum debeat eſſe ignobilius vivente.

Alimentum, inquit Cajetanus, *ſuapte natura debet eſſe imperfectius illo quod alitur; quia ordinatur ad id quod alitur, ſicut medium ad finem. Conſtat autem univerſaliter, finem eſſe perfectiorem ijs quæ ſuapte natura ordinantur ad finem.* Et alibi ipſe: *Beſtialitas*, inquit, *qua quidam veſcuntur carnibus humanis,*

Caiet. 2.2. q.148.a.2.

manis,

manis, eſt contra præcepta iuris naturalis. Sicut enim naturaliter ſola femina humana eſt habilis ad coitum hominis; ita naturaliter ſola vegetabilia & animalia irrationalia ſunt materia habilis ad nutriendum hominem. Vnde cùm Deus poſt diluvium omnia animantia homini conceſſit in cibum, non conceſſit hominem. Aliàs, cùm nullus in cibo ſoleat hominibus eſſe uſus morticinæ carnis, liceret homines venari, ut Anthropophagi in India faciunt, & eos occidere in cibum.

Deinde ne quidē bruta ſolent edere carnes animaliū ejuſdem ſpeciei: ut pro miraculo habeat Plinius, *cuculum abſumi ab accipitre: ſola omnium avium,* inquit, *à ſuo genere interempta.* A ſuo genere, dixit, quia re verâ diſtinctę ſpeciei eſt cuculus ab accipitre. Vnde multo magis contra naturā eſt, hominem homini accipitrem, aut lupum fieri, & carnes ejus devorare. Non quòd palatum noſtrum à carnium humanarum ſapore abhorreat (cùm Galenus carnibus ſuillis ſimillimas eſſe fateatur) ſed potiùs, quia inter carnem unius & alterius hominis nimia ſimilitudo, & naturæ quædam cognatio eſt. Vnde veluti natura concubitum patris & filiæ, fratris & ſororis, ob nimiam propinquitatem, abhorret; ita carnium humanarū eſum; per quem homo comedens & comeſus longè ſtrictiùs & magis propriè fiunt una caro, quàm pater & filia, frater & ſoror per copulam inceſtuoſi concubitûs. Et veluti natura gaudet perſonas ſanguine diſiunctas ad copulam conjugalem adducere, ut ſic multiplicentur in genere humano amicitiæ, & diſſita ſibi appropinquent; ita unumquodque animal carnibus alterius ſpeciei in cibo potiùs afficitur, ut diverſa in unum ſuppoſitum coëant, & naturalem amicitiam contrahant, ac veluti conjugium.

Mirum eſt, quod narrat Eruditiſſimus nuper Chriſtianiſſimi Regis Medicus, Andr. Laurentius, Veneream luem à quibuſdam doctis exiſtimari ex Anthropophagia ortum habere. *Medicus quidam non incelebris,* inquit, *cùm iter faceret per Italiam, & Neapolim tranſiret, habita diligenti ſuper hoc malo inquiſitione, ait ſe ex hoſpite ſuo, ſene octogenario intellexiſſe, lixas & caupones, qui exercitui* Caroli VIII. Francorum Regis, ante Neapolim An. 1495. *cibaria ſubvehere ſoliti fuerunt, urgente ſupra mo-*

Andr. Laur. c. 2. de luc. Vener.

dùm fame, clanculum militibus carnes humanas manducandas exhibuiſſe; quo facto celeriter ſe malum hoc in univerſum exercitũ diffudiſſe. Hinc credebat Medicus ille, luem Veneream ideo hominibus ſupervenisse, quod comederint carnes ſuis ſimiles. Hanc opinionem ſuam ut roboraret, dixit, nutriuiſſe ſe complura animalia, ut canes porcoſq́; carnibus eiuſdem ſpeciei, puta canum porcorumq́;, quibus paulò poſt capilli defluxerint, ulceribuſque totum corpus oppletum fuerit, ut perpetuo tumore & debilitate correpta manſerint.

Alij tamen ab Indis Occidentalibus Hiſpanos malum illud attuliſſe volunt; ſed tamen morbum apud Indos popularem eſſe; & ex Anthropophagia illorum barbarorum natum addunt. Tanto horrore natura noſtra Thyeſteas iſtas carnium humanarum dapes deteſtatur. Vt ſanè ignorem, an ſatis acutè conjectaverit Galenus, carnes porcinas in cibo hominibus omnium ſaluberrimas eſſe, quia ſapore & temperamento carnibus humanis ſunt viciniſſimæ. Certè Iul. Scaliger veçordes vocat Medicos, qui perdicibus porcinam anteponunt.

Galen. lib. 3 de Aliment. Scal. lib. 1 de Plant.

Adipe tamen humano, & Mumijs, ſive cadaveribus humanis balſamo conditis, in medicina uti licitum eſt; quia ut alterent, non ut nutriant corpus humanum, iſta adhibentur.

Addit & aliam rationem Franc. Victoria, cur carnibus humanis veſci illicitum; quia *fieret iniuria Reſurrectioni, cùm confunderentur corpora hominum.* Quod latiùs diffundens Leon. Leſſius: *Cyclops aliquis in Braſilia*, inquit, *à puero carne humana educatus, comederit centum homines, ſive ſolus, ſive cum alijs: ex quibus tempore mortis extent in corpore ipſius centum libræ materiæ corporalis diffuſæ per omnia membra. Hæ centum libræ ſunt alijs corporibus debitæ, & in illa deberent diſtribui, ſi in ſubſtantiam corporis Cyclopici converſæ non fuiſſent: nunc autem non poſſunt integræ reſtitui illis corporibus, quia corpus Cyclopis non poteſt deſtitui tanta materia corpori ſuo neceſſaria: nam debet ita reſurgere, ut quantum fieri poteſt, ſit idem quod cecidit, & quod reſurgit. Vnde neceſſe erit majorem partem iſtius materiæ ipſi reſtitui, minore portione in alia corpora, quæ comeſta ab eo fuêre, diſtributa.*

Victor. Relect. de Temperant.

Leſſ. lib. 13. c. 21. de Perfect. divin.

Sed profectò ſimilis corporum confuſio eveniet, etiamſi nemo Cyclops carnes humanas devoret. Innumerabilium enim

enim corporum humanorum materiæ per aërem, aquam, terram ſparſæ, in corpora noſtra, ſorbendo aërem, bibendo aquam, fruges terræ, aut animalia frugibus paſta comedendo, redeunt; quas divina ſapientia in Reſurrectione per corpora noſtra ita diſpenſabit, ut qui prior eſt tempore, potior ſit jure, ſi S. Auguſtino credimus. *Redditur enim*, inquit, *caro illa hominini, in quo eſſe caro humana primitus cœpit. Ab illo quippe altero tanquam mutuò ſumpta deputanda eſt, quæ ſicut æs alienum ei redhibenda, unde ſumpta eſt.* Si quis verò nil niſi alienum habeat, ceteri aliquid ei de ſuo remittere debebunt, ut aliquam ſaltem veteris corporis particulam retineat. Quod facillimè intelligitur, ſi corpora noſtra ex infinitis particulis conſuta ſint, non ex finitis Epicuri atomis. S. Aug. lib.22.c.20 Civit.

Nec tamen contemnendum Victoriæ & Leſſij argumentum. Nam qui carnes humanas vorat, directè quodammodò & per ſe corporum reſurgentium materias conturbat; qui verò fruges, aut pecudes ex materia humana paſtas comedit, indirectè & per accidens ſuam cum alterius hominis materiam miſcet: imò naturam ſequitur ducem, quæ corpora humana putrefacta, in fruges aut pecudes prius deijcit, ac rurſus, quaſi circulo quodam, per cibos humanos, in homines revocat.

Sed lupi, inquies, humanas carnes devorant, vilis accipiter luſciniam, & multa bruta nobiliorum carnes aucupantur, aut venantur in cibum; quomodo ergo lex naturæ vetat, ne nobiliora in ignobiliorum eſcas abſumantur?

Verùm brutis lex iſta non eſt poſita. Appetitus enim eorum ſine rationis freno in quidlibet delectabile fertur: unde etiam cum alterius ſpeciei animalibus, aſinus cum equa, pardus cum leæna coëunt, quæ homini ſunt nefanda; quia rationem habet, quâ cupiditates ſuas regere, & intra recti ac honeſti limites coërcere debet, ſequique æternam legem, quæ eſt *Dei voluntas, ordinem naturalem conſervari iubens, pertubari vetans.* S. Aug. lib. 22. c. 27. contra Fauſt.

Hunc verò ordinem aſſumendi in cibū, res infra hominem, tam imperturbabilem Victoria, Valentia, Azorius, alijque eſſe exiſtimant, ut ne quidem in extrema neceſſitate carnes huma-

humanas comedendi fas eſſe putent. Si enim ad ſanitatem aliàs certò morituri hominis, non licet viro cælibi cum feminâ non ſuâ concumbere, nec licebit, inquiunt, ob ſimile vitæ periculum, naturæ ordinem à Deo fixum perturbare, & carnes hominis ab hoſtibus aut judice occiſi comedere. Scio quid Caietanus & Leſſius reſpondere conati ſint; ſed mentem meam non implent, & magis faveo S. Thomæ, qui *comeſtionem carnium humanarum, & coitum cum beſtijs, aut maſculis,* non veretur quodammodò æquiparare.

S.Tho.2.2. q. 142. a.4. ad 3.

Cùm verò *reſpondent aliqui, fornicationem eſſe intrinſecè malam, non autem eſum carnium humanarum, petunt principium,* ait Victoria: Nam *per ſe multò gravius eſt*, inquit, *comedere carnes humanas, quàm fornicari.* Nec ſanè ſatis conſtans mihi videtur Cajetanus: qui cum dixiſſet, ſolas res infra hominem eſſe naturaliter idoneum hominis alimentum, ſicut ſola femina humana eſt idonea ad viri concubitum (ſignificans ordinem illum utrumque à Deo naturæ conditore, eſſe immobiliter conſtitutum) mox tamen alterum ita relaxat, ut in vitæ periculo licere aſſerat, humanas carnes comedere.

ARTICVLVS V.

An carnes crudæ in cibo utiliores coctis.

DIogenem nunquam igne ad molliendos cibos uſum narrat Plutarchus; & eum nonagenarium crudo pede bovis devorato interemptum, addit Laërtius. Et Medici quidam affirmant crudas utiliores eſſe; quia ſuccum maxime alibilem, & quintam eſſentiam carnium, coquendo ignis vaporat & exugit. Egregiè Fernelius: *Multa tum in animantium, tum in ſtirpiũ genere, morte extincta vires etiamnũ retinent, ſed quas multo efficaciores habebant dum viverent. Et partes & excrementa tum ſtirpium, tum animantium è vivis illis tacitas vires habent multo efficaciores, quàm quæ è mortuis eximuntur: & quæcumque è mortuis ſumuntur, efficaciora ſunt cruda, quàm cocta.* Et cauſam eſſe dicit quia *ſicut viventium interitu, extincto ſpiritu, magna ſimul cæleſti,*

Fernel. lib. 2. c. 18. de abdit.

quæ eo tenebatur, vis perit; ita coctione igniſque fervore multa diſſipantur, quæ derelicta fuerant. Igitur naturæ reparandæ cibi crudi, quàm cocti, ſunt aptiores. Nam ſpiritu quodam vitali, carni viventium animalium permixto, ſpiritus noſter vitalis, humidum radicale, & tota temperies humana maximè recreatur. Hinc animalia rapacia, *quæ venatu vivunt, ut aquila, milvus, accipiter, leo, lupus, urſus, vulpes, conger, delphinus, thunnus, mullus, omnia vivâ prædâ oblectantur, nec niſi neceſſitate, abiecta cadavera attingunt*, inquit Fernelius Quia nempe ſalubribus vivæ carnis ſpiritibus natura eorum avidiſſimè gaudet, & reficitur. Sic maximè ſalutare infantibus alimentum eſt, lac cum ſpiritibus ſuis é mamilla ſuctum. Vnde *ſi idipſum lac*, ait idem Auctor, *proprio calore diſſipato frigeſcat, nunquam, quantumvis denuò igne recaleſcat, poteſt bonitatem vimque priſtinam recuperare; & infans qui eo ſolo alitur, brevi totus extabeſcit.* Ac tandem concludens: *His ergo rationibus ſtatuo*, inquit, *utile nobis è vivis animalibus alimentum fore, ſi illorum materiam vincere & atterere valeremus: & recèns caſas carnes, quæ teneræ ſint, præ maceratis ac ſemiputribus utiliores, quòd à vivis minùs abſint.* Ibid. c. 17.

Cardanus verò, etiam poſſe à ventriculo noſtro carnes crudas vinci & atteri non deſperat. *Si carnes, & ova cruda comedere conſuetum eſſet, ad vitæ diuturnitatem non parum conduceret*, ait. *Sed homines maluerunt lautè parumque vivere, quàm diu ferarum aut ruſticorum ritu.* Mirum ergo, cur Deus crudum agnum non juſſerit edi ab Iſraëlitis, ſic ex Ægypto feſtinantibus; nam idcirco aſſum, non elixum comedi voluit, quia aſſatio eſt velocior, ait S. Thomas. Ariſtoteles quoque ferinos appellat, qui carnibus crudis veſcuntur, & Theologi noſtri peccari & Numen offendi tali cibo putant. *Quis enim*, inquit eruditus Azorius, *liberum à vitio & culpa putet illum hominem, qui abſque ulla neceſſitatis cauſa, crudas & adhuc ſanguine imbutas animantium carnes, canum, luporum, aut corvorum more devorat?* Oſtrea tamen & limaces excipere oportet, quos non tantùm crudos, ſed etiam vivos vorari apud quoſdam eſt ſolemne. Comedat ergo cruda cum lupis & Polyphemo Cardanus, ego potiùs Democrito aſſentiar, qui negat cibos ſponte naſcentes viris con-

Cardan. lib. 2. Subtil.

Exod. 12.

S. Tho. 1. 2. q. 102 a. 5. ad 2.

Azor. Tom. 1. lib. 7. c. 22.

Athenæ. lib. 3.

templationi deditis convenire. Ventriculi enim calor & vires ſtudijs & meditationibus debilitantur, & igne, quem optimum cibi condimentum vocat Plutarchus, oportet eas adjuvare. *Omnia enim quæ cruda bona ſunt,* inquit Sennertus, *coctâ bonitatem vix amittunt, ſed potiùs meliora redduntur.* Nec enim ignis univerſum ſuccum alibilem ex carnibus, aut alijs coctis exugit, ſed largiter adhuc relinquit, & eum qui in poris eſt reliquus, cruditate digeſtâ mitigat, ut faciliùs à ventriculo domari poſſit. Non enim calor ignis diverſæ rationis eſt à calore naturali ventriculi, quidquid aliter Fernelius & quidam Medici. Vnde ignis inchoare opus & concoctionem poteſt, cui calor naturalis poſſit ſuccedere. Nam calore balnei, ventriculi calorem adjuvari fatetur Ariſtoteles: calore fornacum Ægypti ex ovis excluduntur pulli, calore naturali ſeminis galli excitato & adjuto ab elementari. In Belgij quoque frigidiſſima Arduenna, ubi præter Iunium, Iulium, Auguſtum, totus pæuè annus hiemat, melones igne ſuppoſito perfectiſſimè, & tanquam Italico cælo, maturantur. Et Tho. Eraſtus duas ſe vites in Germania vidiſſe narrat, quæ toto anno ferrent fructus; quia ad parietes per quos ſerpebant, intrinſecus ſtruebatur ignis. Igitur ignis quo molliuntur cibi, amicus eſt caloris naturalis.

Ariſt. lib 4. Meteor.

ARTICVLVS V.

Vtrum aſſis, an elixis carnibus veſci utilius.

NOn conſentiunt Medici. Si aſſæ humidiores ſunt elixis, ut Ariſtoteli placet, præferendæ videntur, quia plus utilis ad nutrimentum ſucci habent, quàm elixæ. Certè in Scripturis ſanctis frequentior aſſorum, quàm elixorum mentio. Igitur in re iſta, omnium hominum maximè ſapiunt fortaſſis Angli, apud quos quotidie circuit veru, & in eodem prandio ac cæna, variorum aſſorum inferuntur ſucceduntque miſſus.

Exod. 12. 2. Reg. 6. Tob. 6. Luc 24. &c.

Galenus tamen carnes elixas negat ſicciores aſſis, & cum Ariſto-

Galen. lib. 11. de ſimplic. facul.

Ariſtotele pugnare videtur; quod ſæpe & libenter facit. Placet tamen Hieronymi Magij concordia, qui Galenum, tanquam Medicum, pinguiuſculè de carne elixa, in juſculo ſuo natante, Ariſtotelem verò de carne ſola, præcisè & philoſophicè locutum exiſtimat. Nam certè ratio Ariſtotelis optima. *Excernitur*, inquit, *ex elixis humidum à calore, qui eſt in humido extrinſeco. Quapropter elixa ſicciora ſunt aſſis.* Aqua enim in olla fervens poros & meatus carnium uſquequaque pervadit, & rorem, gluten, & cambium, id eſt omnem ſuccum alibilem eluit, relicto pænè ſolo ſtamine & ſubtemine, quibus caro contexta fuit. Vnde juſcula quod in carne elixa eſt utiliſſimum ferè continent; quandoque tam densè, ut refrigerata, glutine ſuo concreſcant; quod in elixa vitulina eſt evidentius. Aſſatio verò rorem fermè ſolum, non gluten & cambium, quod in carne eſt maximè alimentoſum, extrahit. Vehementer ergo fallitur Athenæus, dum credit, *aſſaturam diſſipare quod in carne melius eſt, & aſſa ſicciora crudioraq́; eſſe elixis.* Ariſt lib. 4. c. 3. Meteor. Athenæus lib. 14.

Deinde aſſatio velociùs perficitur elixatione, ut paulò antè audivimus à S. Thoma, ideoque à fugientibus ex Ægypto Iudęis pręcepit Deus agnum Paſchalem aſſari potiùs, quàm elixari. Velociùs igitur penetrant ſicci ſpiritus aſſantis ignis in intima carnis, aſſantque quantum ſufficit ad eſum, antequam rorem, gluten, & cambium rarefacere & evaporare valeant. Ob has fortaſſe carnis aſſæ dotes, Heroës olim ſine elixo, ſolis aſſis prandia ſua celebrabant, ſi Servio Virgilij Commentatori, & Eubulo Poëtæ credere volumus. Quod etiam ex quotidiana diæta pueri Herculis poteris conjectare: cui Exod. 12. Athenæ. lib. 1.

Prandium, carnes aſſatæ, & grandis è caniſtro panis
Doricus, qui facilè foſſorem ſatiare poſſet.
Sed finito die, exiguam ſine igne ſumebat cænam.

In cæna quoque Menelai apud Homerum, νῶτα βοὸς πίονα ὀπτὰ, *terga bovis pinguia aſſa* video, elixi nihil.

Carnes tamen elixæ, propter aquæ & juris permixtionem, magis lubricant aluum, & ideo commodiores ſtudioſis, quibus ſæpe ex otio & alijs cauſis moroſa eſt alvus. Hinc quibus ſoluta & præceps eſt, præcipit Celſus, abſtinere à carnibus Cor. Celſus lib. 4. c. 6

 jurulen-

juruſentis, veſci aſſis. Nec ſanè etiam perpetuum fuit, ut à menſis ſuis elixa rejecerint Heroës. Nam ollarum & ahenorum in convivijs eorum etiam mentio.

Virgil.

Pars in fruſta ſecant, verubuſque trementia figunt,
Littore ahena locant alij, flammaſque miniſtrant.

ARTICVLVS VI.

An edere carnes expediat Muſarum cultoribus.

HVc enim à via pauliſper divertere, tanquam ad amœnum hoſpitium, libuit; & etiam quia nobis litterarum cultoribus ſcientia hæc ad valetudinem & vitam prorogandam utilis. Cur enim Plutarchum, qui Libellum de ſanitate *pro viris doctis & Politicis* ſcripſit, cur veteres Philoſophos imitari pudebit, qui ut ſibi Medici eſſent, poſtquam *corporum ſuorum robora, inquieta cogitatione, nocturnaque vigiliâ minuerunt*, inquit Celſus, Medicinam primi colere, & ſapientiæ partem facere cœperunt? Et certè S. Baſilium, propter frequentes ſuos morbos, Medicinam didiciſſe, ſcribit Nazianzenus. Sapientibus enim & ſtudioſis curam ſanitatis habere oportet, ait Epiſtola ad Hippocratem Democritus, quia ἀύξεται νόος παρεούσης ὑγιείης, *mens creſcit, ubi adeſt ſanitas.* Morbi quippe hebetant animum, & cogitationem à ſerijs ad corporis dolores avertunt. Vt neſciam, quid Platoni venerit in mentem, dum *ut poſſet vacare Philoſophiæ, elegit villam Academicam, ab urbe procul, non ſolùm deſertam, ſed & peſtilentem; ut cura & aſſiduitate morborum, libidinis impetus frangeretur, diſcipuliq; ſui nullam aliam ſentirent voluptatem, niſi earum rerum quas diſcerent.* Sed tamen profectò rariſſimi tam firmi ſunt, quibus animus non ægreſcat cum corpore, ſtudiorumque voluptatem morbi dolor non obtundat, aut interpellet. Imò iſte idem Plato alibi ſapientior, ait animum & corpus eſſe velut equos duos jugales, quorum unum ſine altero paſcere & recreare non oportet; ne ille qui improbo labore atteritur, languidus & elumbis ſodalem adjuvare non valeat.

Cor. Celſus lib. 1.

Naz. Orat. 20.

S. Hierony. lib. 2. c. 7 contra Iovin.

Carnes porrò ſapientibus & litteratis tam aſſas quàm elixas, ſine diſcrimine extorquet è manibus Plutarchus. Putat enim

Plut. lib. de eſu carn.

Athletarum ſolùm cibos eſſe, ad corporis robur, & adverſarios ſternendos in Arena, non litteratorum: nec ingenium inde valeſcere, ſed debilitari. Incraſſant enim, inquit, carnes ingenij ſubtilitatem & retundunt acumen. Hinc earum uſu abſtinuerunt multi Philoſophi, corpore ſatis, ingenio maximè valentes. Zeno Stoicorum parens *anno nonageſimo octavo vitâ exceſſit, incolumis & integer, ac ſine morbo*, inquit Laërtius. *Erat autem*, addit, *ſimpliciſſimi victûs, crudiſq; tantùm cibis utebatur*. Aut, ut narrabat antè, *edebat modicè panem & mel, & paululum ſuavis vini bibebat*. Democritus ſolo etiam odore mellis, multorum, aut halitu recentis panis, trium dierum inediam quandoque toleravit. Plotinus illuſtris ille Platonicus, abſtinentiâ carnis, & ſæpe etiam panis, ad ſexageſimum ſextum annum duravit; perpetuis noctu diuque ſtudijs, & inſomniâ magis, quàm morbo extinctus. Chryſantius, ſub Iuliano Apoſtatâ Philoſophus, carne vix aut parciſſimè veſcebatur, octogenario major, à Medicis nimis effusè ſanguinem mittentibus interfectus. Iam veteres Ægypti & alibi Anachoretas cenſere quid attinet?

Laërt. in Zenon.

Conſentit quoque noſter Hieronymus. *Qui ægrotat*, inquit, *non aliter recipit ſanitatem, niſi tenui cibo & caſtigato victu, quæ* λεπτὴ δίαιτα *tenuis diæta, dicitur. Quibus ergo cibis recipitur ſanitas, his & ſervari poteſt*. Et in hanc ſententiam Epicurum ipſum & Galenum citat, qui ait, *Athletas nec vivere poſſe diu, nec ſanos eſſe: animas eorum nimio ſanguine & adipibus, quaſi luto involutas, nihil tenue, nihil cæleſte cogitare*. Ad ingenium quippe, & ſublimium contemplationem, tenuitate ſanguinis & ſpirituum opus eſt, quam animalium carnes fortè non præſtant. Vnde apud Galenum, lactis & mellis frequens commendatio. Niſi quod mel non omni, ſed ſenili naturæ maximè dicat convenire. *Lactis verò commoda ſunt*, inquit alibi, *ventris moderata deiectio, ſucci bonitas, & nutritio; paſcuis quoque ipſis animalium, quorum lacte ſumus uſuri, non parum ad hæc conferentibus*. Hinc à natura datum lac infantibus, deinde ſenibus, qui bis pueri. Eſt enim humor maximè alibilis, pueritiæ incrementa accelerat, & ſenectutis detrimenta ſupplet. Hinc *gentes quæ Nomadicam & paſtoritiam vitam colunt, formoſioribus hodieque corporibus viſuntur*,

S. Hieron. lib. 2. c. 3. contra Iovin.

Galen. lib. 2. de Natur. facult.

 ait,

Adr. Turneb. lib. de Vino.

ait Gallorum doctiſſimus Turnebus, *& quæ nationes plurimum lacte, butyro, caſeo utuntur corpora gignunt pulchriora, illiq; homines tam ſalubribus & vegetis utuntur corporibus, ut Medicis propè nihil egeant.*

Bonitatem quippe ſucci ejus, ex temperie coquentium mamillarum, & præparatione in venarum amfractibus, antequam ſanguis eò perveniat, colligere poteris. *Mamillarum glandulosa ſubſtantia*, ait Veſalius, *eſt ad iuſtitiam temperiei, ut in venis adductum ſanguinem, in lac familiare hominis alimentum convertere concoquereque poſſit. Venæ etiam non minore induſtria, ex remotis longiſq; partibus, multis amfractibus, ut ſanguis melius mamillis præparetur, ſunt porrectæ.* Meritò igitur Empedoclem Ariſtoteles carpit, quòd lac πύον λευκὸν *pus album* vocaverit. *Lac enim*, inquit, *eſt res concocta prorſus; putredo autem contraria concoctioni.* Habet enim ſe lac ad ſanguinem, ex quo in mamillis percoquitur, ſicut vinum ad omphacium, quod uva paulatim in vini dulcedinem maturat.

Veſal. lib. 5. c. 18.

Hinc fortaſſe propter iſtas lactis & mellis dotes, tanquam blandiſſimum humani corporis alimentum, in laudibus Terræ promiſſionis, toties Scriptura abundantiam lactis & mellis commemorat, & rivos ac flumina ſalutaribus iſtis liquoribus, velut ibi manantia deprædicat.

Noſtri etiam Theologi quidam, in illud Iſa. 7. *Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum*, cenſent, lac butyrumque (quod lactis velut eſt oleum) & mel ingenio & acumini conducere. Lac enim *ex ſanguine exactè cocto gignitur*, ait Galenus, ideoque boni & laudabilis ſucci. Vnde in ſanguinem bonum & temperatum facilè rurſum redit. Inde ſpiritus vitales animaleſque probi, mobiles, & ad omne imaginationis & ingenij famulitium expediti. Subſtantia quoque ipſa cerebri lacteo fortè hoc alimento gaudet, & rectè ac temperatè ad mentis operationes ſe habet. Vt in hoc fortaſſe alimentum non temerè quis magnum illud ingenium Plotini Philoſophi referat, qui, ut narrat in vita ejus Porphyrius, ad annum ætatis octavum, nutricis ubera ſuxit. *Lac enim probatiſſimi ſucci habetur; ſed præ cæteris lac muliebre*, ait Galenus, *tanquam*

Galen. lib. 16. de Vſu part.

Galen. lib. de Euchym.

quam natura ejuſdem, nobilq; familiariſſimū. Certè Zoroaſtres, Magiæ ille parens, lacte ſolo in cibo potuque omni vita eſt uſus.

Mel quoque eſt quaſi lac apum, roridæ & levis ſuſtantiæ, *ſenibus & frigidis naturis commodum. Illis enim in optimum vertitur ſanguinem*, ait Sennertus poſt Galenum. Et iſte alicubi, *Mel deſpumatum*, inquit, *per ſe optimum nutrimentum frigido ventriculo*, id eſt, qualis ferè veris cultoribus litterarum, quibus ſtudia ſpiritum & calorem ventriculi exhauriunt. Talibus enim cenſet Galenus, *uberiùs cum lacte, etiam mel dandum eſſe*. Galen. lib. 7. Method.

Hinc mulſum, quod ex melle conficitur, in ſenum, aut frigeſcentis ventriculi potu à veteribus laudatum. *Multi ſenectam longam*, ait Plinius, *mulſi tantùm nutritu toleravere, neque alio ullo cibo; celebri Pollionis Romuli exemplo. Centeſimum annum excedentem eum Divus Auguſtus hoſpes interrogavit, Quanam maximè ratione vigorem illum animi corporiſque cuſtodiſſet? At ille reſpondit, intus mulſo, foris oleo*. Plin. lib. 22 c. 24.

Cibus quoque Brachmannum, ſeu Gymnoſophiſtarum, *lac, mel, ficus, paſſa*, ait Scaliger; & in virorum apud Galenū & Laërtium illuſtrium diæta, raro carnes. *Caro namque craſſa eſt*, inquit, *& craſſe alit. Herbæ tametſi craſſiores, tamen ex earum ſubtiliſſimis partibus conſit alimentum. Itaque Septentrionales barbaros, Scythas, Sarmatas, Iſlandos, Lituanos multa veſcentes carne, craſſo obſitos ingenio, ſtupidos, bardos videmus: Ægytios, Syros, Aſſyrios, Chaldæos longè omnium ſapientiſſimos*. Athenæus ex Ariſtoxeno ſcribit, *Pythagoricorum nutrimentum fuiſſe, panem cum melle*; additque *morbum nullum ſenſuros, qui pranſuri eo cibo quotidie veſcantur: & ideo Corſos eſſe tam longævos, quod melle apud eos abundantiſſimo nunquam non utantur*. Certè Democritus melle totâ vitâ uſus & delectatus, ad annos novem & centum eam produxit. Et cuidam percontanti, *qua ratione vitam ſanus degeret*, inquit Athenæus, *reſpondit, Si corporis interiora melle irrigaret, exteriora oleo*. Marſil. Ficinus, Medici filius, & ipſe Medicus, Philoſophia verò ſummus Platonicus, ſuadet ſenibus, *ad loca apibus amica confugiant, mellaque hieme deguſtent. Mel enim cibus*, inquit, *eſt ſenibus in primis amicus, niſi ubi bilis timetur incendium. Amicus caſeus recentiſſimus &c.* Scalig. Exerc. 252. Athenæ. lib. 2. Ficin. lib. 2. c. 12. de Vita produc.

Hæc

Hæc fortè inculcatiùs à me dicta, propter quoſdam delicatulos, qui dedecus exiſtimant, lac & delicias illas agreſtes menſis ſuis inferri.

Quia tamen lac obſtructiones hepatis, & calculos renum gignit, non eo quotidie, aut ſæpe utendum. Quia deinde carnes à Deo datæ hominibus in eſcam poſt diluvium, cùm terra jam & ſtirpes, aquis tam diu ſubmerſæ, multum de priſtino ad alendos fructus vigore amiſiſſent, & homines ipſi vitijs tam corporis quàm animi, primævâ & optimâ temperie decidiſſent; quid ſalubritati corporis expediat, divinitus edocti, utamur hoc Dei beneficio, & carnibus ad valetudinem & ingenium ſobriè veſcamur. Quò tandem etiam condeſcendit Plutarchus: modò carnes, inquit, paucæ, & tanquam fundus ſint, cui res aliæ leviores, & ſine ſanguine, ſuperſtruantur. Et de Plinij hac in re opinione Inſulanus: Inſul. c. 26. de Rat. vict. ſalubr. *Plinius tum ſalubritati conſulit, tum ſtudijs gratificatur noſtris. Nam abſtinentiam carnis imperat non perpetuam quidem, ſed quæ quibuſdam temporum intervallis adhibeatur. Vt intelligamus Plinio facilè conſtitiſſe, & à carnis frequenti quotidianoq; uſu offerri naturæ laborem digerendi, & recreari ſtomachum varietate, & carnis alimentum noſtris eſſe corporibus utile.* Carnes enim ſuccos homini maximè Sot. lib. 5. q. 1. a. 1. de Iuſt. ſalutares continent: ut ideo Dom. Sotus ſibi perſuadere nequeat (quod tamen multi exiſtimant) nullũ earũ uſum fuiſſe ante diluvium. Incredibile enim, inquit, eſt, poſteros illos Adę, ingenij ſagacitate præſtantes, intra mille ſexcentos ampliùs annos, *ſpeculando, aut experiendo non agnoviſſe naturam carnium ad cibum eſſe accommodatiſſimam.* Nam ſuccus triplex, ros, cambium, gluten, quibus carnes animalium turgent, optimi ſanguinis humani & ſubtiliſſimorum ſpirituum materia ſunt. Aves tamen, & inter eas maxime montanas, ut in genere piſcium ſaxatiles, omnibus præfert Galenus: quia boni nutrimenti ſunt, & minimum excrementi habent. Turdis primam gloriam dat Martialis, alij perdicibus, Sennertus caponibus. Hinc ad valetudinem, & ingenij præſertim acumen, Baldus Ic. ſolas aves, ut aliquando audiſſe memini, in cibo quotidiano habuit. Quo factum, ut ad annum vitæ 76. pervenerit; cùm tamen

men puer præcocis ingenij fuiſſet, quales non ſolent eſſe vitales.

Avium tamen, *& ſubtilium alimentorum uſus, ſtomacho ſolum convenit craſſiora minimè toleranti. Qui verò validior eſt, fugacem ex ijs fumum reportat, vel humorem*, ait Ficinus. Sed cultores ſerij Muſarum ferè *ſtomacho minùs valent. Nec ex ſtudijs tantùm hoc illis accidit, ſed felicioribus ingenijs hoc innatum. Hæc enim ſpiritûs ſubtilitate gaudent, quæ cum corporis robore rarò conjungitur*, inquit Thriverus. Et Sapiens noſter: *Faciendi plures libros nullus eſt finis, frequenſque meditatio, carnis afflictio eſt.* Celſus quoque, ut antè dicebam, Pythagoram, Empedoclem, Democritum Medicinam cœpiſſe Philoſophiæ ſuæ adjungere ait, ubi *corporum ſuorum robora, inquietâ cogitatione, nocturnaque vigilia minuerant.* Et nonne Philetæ Sophiſtæ ſepulchro inſculptum Græcum Epitaphium:

Marſ. Ficin. lib. 2. c. 6 de Vita produc.

Thriver. in lib. 1. c. 2. Cor. Celſ.

Eccleſ. 12.

> *Hoſpes, ſum Philetas: ratiocinatio mendax & captioſa*
> *Me perdidit, & noctium veſpertinæ ſtudiorum curæ?*

Vnde Scaliger neſcit, quid Cardano venerit in mentem, dum dixit lucubrationes & ſtudia eruditorum, ad valetudinem & longævitatem conferre. Sed hoc tamen etiam propiùs & acutiùs meretur inſpici.

Scal. Exerc. 109.

ARTICVLVS VII.

An Scaliger meritò reprehendat Cardanum, Quòd, dixerit ſtudia ad vitæ longitudinem conferre.

Cardanum videntur refellere tot hodie & olim Muſarum Martyres, qui aquâ intercute, deſtillationibus, tabe, calculo, alijſque ſedentariorum morbis, ſe litteris immolaverunt. Etenim, κάμνειν τῷ σώματι, φιλόσοφον, *infirmari, Philoſophicum eſt*, ait S. Gregor. Nazianzenus. Hinc pallidi & ſepulchrales vultus. Vt meritò, Zenoni Stoicorum Principi, juveni adhuc, & quo modo vitam optime inſtitueret quærenti, Oraculum Apollinis reſponderit, *Si mortuis concolor eſſet.* Quo ſtatim ad Philoſophiam & ſtudia ſe vocari intellexit.

Ac licet quiſpiam exiſtimare poſſet, à ſtudijs, ciborum orexim, & digerendi celeritatem incitari, quia ſtudioſi multi, non edunt ſed vorant, longiori ſtudio fatigati: attamen id fortaſſe non robur ſtomachi, ſed imbecillitas eſt.

Non enim plerumque naturalis, ſed canina fames eſſe videtur, ex melancholiæ, aut pituitæ acris morſicatione. Melancholici enim voraces ſunt, inquit Ariſtoteles. Aut certè ventriculus ſpiritu vitali, vi imaginationis ſurſum attrahentis, pænè exhauſtus, remedia inanitatis quærit, & cibum, ad ſpirituum inſtaurationem, ſollicitat. Simili errore, coquus quidam ſciolus apud Athenæum, jactat ſe ſcire pro cujuſque ventriculo parare cibum, ideoque ſolitum, *pernas & pedes* coquere pro Philoſophis: Ἀδδηφάγον γὰρ τὸ ζῶον εἰς ὑπερβολὴν *vorax enim eſt*, inquit, *hoc animal ſupra modum*. Et de quodam inter contemplativos ſuos Thaulerus: *Cùm vice quadam*, ait, *diſcipulus admirans ſuo dixiſſet Magiſtro, manducare ſe & bibere, & tamen in nullo fieri corpulentiorem; Reſpondit ille, Non hoc admirandum eſſe, cùm quidquid alimenti ſuo corpori adminiſtraret, internis exercitationibus abſumeretur.* Imaginativa namque in ſtudio aut meditatione vehementi, conſumptis ferè cerebri ſpiritibus, alios ex corde, ventriculo, & undique arripit; evidenti ſaltem in me experimento. Vnde ſi quid ſtatim à cibo intentiùs ſpeculamur, ventriculi meditullium infra ſternum, ſpiritibus inaniri, & manifeſtè refrigeſcere compungique ſentimus, cum gravi concoctionis & valetudinis noxa.

Athenæ. lib. 9.

Io. Thauler. ſer. 1. de Paſcha.

Nec refert, plurimos Philoſophos & litteratores, vitam in ultimam ferè ſenectutem extraxiſſe: ut Heraclitum, & Empedoclem in ſexageſimũ, Ariſtotelem in ſeptuageſimum; quo etiam Socrates veneno infectus eſt. Hippocratē, octogeſimo Platonem octogeſimo quarto, Theophraſtum octogeſimo quinto, Xenocratem Platonis in Academia ſucceſſorem, octogeſimo ſecundo, offenſo ad æneam ſartaginem pede, & læſa fronte interijſſe. Deinde Pythagoram, Diogenem, Carneadem nonageſimo, Democritum centeſimonono, Epicurum ſeptuageſimo ſecundo, Chryſippum ſeptuageſimo tertio ætatis anno defeciſſe; immenſæ tamen lectionis & ſcri-

ſcriptionis virum, qui ſeptingenta & quinque volumina ſcripſit; & inter etiam epulas, ſtudij tam intemperans, ut evolante ad alia ingenio, manus ceſſaret, & hianti ori ancilla Meliſſa cibum ingerere deberet. M. Varro ætatis octogeſimo Libros de Re ruſtica ſe ſcribere dicit. Porphyrius ad extremam ſenectutem pervenit. Origines ad annum ſeptuageſimum, homo ſtudiorum & diligentiæ infinitus, & ſex millium librorum ſcriptor, ut teſtis Epiphanius.

Et ut ad noſtros veniam. S. Auguſtinus ad ſeptuageſimum ſextum, S. Hieronymus, ut quibuſdam placet, ad nonageſimũ octavum: ac denique propiùs noſtra tempora, Albertus Magnus ad octogeſimum ſecundum, Beſſarion & Iovin. Pontanus ad ſeptuageſimum ſeptimum, Marſil. Ficinus ad octogeſimum (homunculus tamen vix tripedalis, quales Ariſtoteles longæuos eſſe negat,) Baldus Ic. ad ſeptuageſimum ſextum pervenit. Pomponatius ſexageſimo tertio, ſtranguriâ, non ſenio finitus eſt; homullus aliàs trium pedum inſtar Ficini, & in ſtudijs ſuis Peripateticis tam anxius; ut cùm Ariſtotelis quædam pronunciata non poſſet cum arbitrij humani libertate in concordiã reducere, exclamet: *Iſta ſunt quæ me premunt, quæ me anguſtiant, quæ me inſomnem & inſanum reddunt.* Aitque ſe inſtar Promethei ad Caucaſum religati, *perpetuis curis & cogitationibus rodi, non ſitire, non fameſcere, non dormire, non comedere, non expuere, ab omnibus irrideri.* Vnde meritò mirum eſt tam vitalem fuiſſe. Eraſmus ad ſeptuageſimum, Martinus Navarrus ad nonageſimum quartum annum duravit. Pomponius Lætus ſeptuagenarius, gelidi vini hauſtu extincto ventriculi calore exanimatus. Auguſtinus Niphus pari ævo, inſano amore puellæ citra libidinem appetitu conſumptus eſt. Eodem demum ſeptuageſimo Io. Argyropylus; quamvis vini & cibi intemperantior, & abdomine multo ventricoſus, deinde febri ex immodico melonum eſu correptus, interijt. Non, inquam, iſta referunt. Nam quantum ſtudia de vigore & valetudine detrectabant, tantum ſobrietas, caſtitas, modica cura corporis; ad hæc vitatio perturbationum, tranquillitaſque & gaudium mentis reſtituebant. Quod Galeni Medicorum, poſt Hippocratem,

Pomponat. lib. 3. c. 7. de fato.

Principis exemplo egregiè firmari poteſt. Qui tenerâ valetudine, & corpore à natura infirmo, nec curarum vacuo, ſaniſſimus tamen vixit, & quidem ad annos (res mira, & ferè incredibilis) centum quadraginta, ſi Cæl. Rhodigino credimus; adeo ut ab anno ætatis 28. *ne minimo laboraverit morbo*, ut ipſus fatetur, *niſi fortè diaria febri, ob laſſitudinem*. Hanc autem valetudinis conſtantiam ſobrietati, & diætæ ad regulas Medicorum caſtigatiſſimæ, ac magnâ parte, refrenationi iræ & omnium animi perturbationum imputare ſe dicebat. Præceptum enim iſtud Cor. Celſi ipſe ceterique illi ſapientes probè tenebant: *Imbecillis ſtomacho (quo in numero*, inquit, *magna pars urbanorum, omneſq́; panè cupidi litterarum ſunt) obſervatio maior neceſſaria eſt: ut quod vel corporis, vel loci, vel ſtudij ratio detrahit, cura reſtituat*. De ſobrietate & caſtitate quoque Pythagoræ nonagenarij Laërtius: *Solo melle, ſive favo ac pane contentum vixiſſe quidam autumant, vinumq́; interdiu non guſtare ſolitum. Nunquam verò deprehenſus eſt ſaturari, vel Venereis rebus, aut ebrietati operam dare*. Calvus etiam Orator, *laminis plumbeis lumborum renumque parti adligatis, frigidiore naturâ impetus Veneris cohibuiſſe traditur, vireſque corporis ſtudiorum labori cuſtodiſſe*, inquit, Plinius. Tantum illi credebant voluptatum æſtu, & geniturae fluxu minui vires corporis.

Galen. lib. 5. de ſanit. tuenda.

Cor. Celſ. lib. 1. c. 2.

Laërt. in Pythagor.

Plin lib. 34. c. 18.

Denique, etſi multi litterati ſtomacho & toto corpore invalidi, vitam tamen in longum etiam ſic trahere poſſunt. Præclarè enim Ariſtoteles: *Eſt quædam*, inquit, *ſeparata à robore & ſanitate facultas diu vivendi: multi enim ſine corporis viribus diu vivunt*. Nam parva & languida flamma diu lucet, ſi ei oleum diu guttatim inſtilletur. Valetudo ergo litteratorum, ſimilis eſt valetudini ſenum; quæ ſanitas quidem eſt, ſed *non ſine querimonia*, inquit Galenus.

Ariſt. lib. 1. c. 5. Rhet.

Hanc tamen languidam eruditorum ſanitatem nulla cauſa potentiùs ſuſtinet, quàm gaudium ortum ex præcedentium ſtudiorum fructu, & pulcherrimarum rerum contemplatione, ut Iul. Scaligero reſpondit non ineptè Cardanus. *Nam ſi animi triſtitia vitam decurtat, quia ſpiritus triſtis exſiccat oſſa, par eſt*, inquit, *ſecuram lætitiam producere vitam, & bonam valetudinem adiuvare*.

Cardan: Act. in Calumniat.

adiuvare. At contemplatio exhilarat animum, ideoq́ vitæ auxiliatur. Verùm multum intereſt, addit, *inter contemplationem, quæ eſt meditatio eorum quæ ſciuntur, tum inventionem rerum novarum, quæ admodum delectant; & inter moleſtiam animi, quæ acquiritur diſcendo, interpretando cum difficultate; ut mihi nunc calumniatoris intemperies & abſurdas gerras, quas cùm intellexeris, nihilo evadas ſapientior; & diſceptationes contentioſas ac ſcribendi laborem. Hæc namque fateor de vita & bona valetudine ſubducere. Ob id ſtudioſiſſimi vel prima juventa interiere, ut Io. Mirandula, & Longolius. At cùm eò pervenerint, ut quaſi abſque labore, contemplatione frui poſſint, valde parum ſeneſcunt.* Quod & exemplo ſuo probat. Denique ſpecialis Dei providentia eruditis, ad ſtudiorum maturitatem, producit vitam, experturnque quod alicubi pronunciat S. Thomas, *Raro utilis Doctor invenitur in Eccleſia, quin ſit longævus.* S. Tho. in Epiſt. ad Philem.

Igitur, ut redeam unde à proximo Articulo digreſſus ſum. Edant carnes, ad humidi primigenij, & ſubtilium ſpirituum inſtaurationem, litterarum ſtudioſi; parcè tamen, ne cùm valetudini & ingenio ſtudent, virtutem amittant. *Non enim neceſſe eſt*, ait S. Hieronymus, *viro ſapienti & Philoſopho Chriſti, tantam habere fortitudinem, quæ Athletis & militibus neceſſaria eſt, quàm cùm habuerit, ad vitia provocetur. Illi arbitrantur carnes ſanitati congruas, qui volunt abuti libidine, & in cœnum demerſi voluptatum, ad coitum ſemper exæſtuant. Chriſtiano ſanitas abſque viribus nimijs neceſſaria eſt.* S. Hieron. lib. 2. c. 8 contra Iovin.

Nec omnes etiam carnes litterarum amatoribus præſcribimus. Sunt enim quædam carnes robuſtiſſimi, ſunt quædam medij alimenti. Illas Athletis & valentiſſimis relinquimus, iſtas noſtris litteratis aſſignamus. Nam plerique eorum adhuc mediocriter firmi ſunt: *mediocriter autem firmos media materia optimè ſuſtinet*, inquit Celſus. In media verò materia collocat *omnes aves à minimis uſque ad phœnicopterum*. Inter quadrupes verò, *ſolum leporem*. Ad quam leporis fortaſſe dotem reſpexerit Martialis, cum cecinit, *Inter quadrupedes gloria prima lepus.* Celſ. lib. 2. c. 18.

At alij quidam melancholicum cibum eſſe dicunt. Sed alij doctiores melancholiam ſanare docent. Galenus ait carnem

leporis meliorem ſanguinem gignere, quàm caro ovilla poſſit; deinde ſanguinem leporis ſuavitate, columbarum & gallinarum ſuperare. *Si ſanguis laudabilior, ergo, & caro, quæ eius ideam refert, quæque nihil eſt aliud, quàm ſanguis muſculis, vel eorum fibris annexus & coagulatus, & in carneam ſubſtantiam concretus*, ait noſter Heerus.

Henric. Heerus de Spad. font. c. 14.

Ova quoque commoda litteratis, *præſertim quæ tremula dicuntur, id eſt medicè cocta, omnium ad nutriendum præſtantiſſima*, inquit Galenus. Ova enim ſunt *carnes liquidæ*, ut vocat Hieronymus, ex ſanguine, ut lac, formata, & ſemen proximaque materia ad novam pulli ſtructuram. Vnde mediæ naturæ (quemadmodum etiam lac) inter carnes & vegetabilia ſunt, meritoque ideo ab Eccleſia, in ſtrictiori illa Quadrageſimali abſtinentia, cum lacticinijs prohibentur.

Galen.

S. Hieron. contra Iovin.

ARTICVLVS VIII.

An vini potus ſit hominibus ſalutaris.

ADr. Turnebus, *qui omnia ſcivit*, ſi Michaeli Montano credere volumus, Libellum de vino, imò contra vinum, elegantem ſcripſit, in quo omnibus eloquentiæ & argumentorum viribus, vinum à menſis & potu quotidiano proſcribit, & intra pharmacopœorum officinas compellit. Medicamentum enim potiùs, quàm familiare poculum eſſe contendit; *cuius*, inquit, *vel cyathum unum aut alterum ſano & valenti quotidie guſtaſſe, propè nimium ſit*. Et ne quis hæc, tanquam litteratoris, & Philoſphi minimè Medici opinionem elevaret, *nominare poſſim*, inquit, *ſi neceſſe ſit, ex nobiliſſimo Medicorum Collegio primarios homines & claros, huius diſputationis meæ approbatores*. Ac ex ijs Fernelium, vnum fuiſſe exiſtimo. Argumentorum ſumma ferè eſt. *Vini calorem à natura noſtra eſſe alieniſſimum. Etenim animantium calor lenis eſt, mitis, blandus; vini calor ex putredine quadam natus, ſentitur aſperior, acrior, ferventior, & humori inuſtus, ut calci ſuus ardor*. Adde jam adulteria (ut nunc ipſum bibimus) noſtrorum cauponum. *Alius enim*

Adr. Turneb.

gypſo,

gypſo, alius calce, alius ſulphure, alius marmore, alius aqua marina, alius iumentorum ſtercore ſaporem vini non tam excitat, quàm vitiat: alius reſina corrumpit ad capitis dolorem & vertigines efficaci, ut ex eo nomen crapulæ ipſa meruerit. Ardore autem illo vini humidum primigenium non tam inſtaurari, quàm depaſci videtur. Nam ut doctiſſimus Fernelius: *Velut calx ad arboris radicem conſperſa fructum accelerat, arborem verò perimit; ita calidius alimentum, maximeq́ vinum, ſuſcitato calore ſpiritus facultateſque erigit, mortem verò maturat. Dum enim corporis calorem auget, ſubſtantiam minuit; dumq́ innati calidi ſpiritum & calorem halitu fovet, eius ſubſtantiam, quæ humidum eſt primigenium, diſſipat exorbetq́; omnem vitam alacriorē ac vegetiorem, ſed tamen breviorem facit.* Vinum quoque adoleſcentibus datum, oſſa & nervos deſiccat ac indurat, nec ad juſtam corporis humani menſuram laxari & creſcere ſinit. Hinc contractas Gallorum ſuorum hodie ſtaturas & vires enervatas conqueritur Turnebus. Olim enim, quando aqua & lac potus erat, ſtaturâ proceri, cute candidi, crine rutili; *nunc plerique omnes*, inquit, *breves ſunt, multoque plures nigri, quàm vel candidi vel rutili; ut immutato victu, non ſolùm corpora, verùm etiam color degeneraverit.* Afri contrà, olim à vini potu breves, hodie prolixiores, poſtquam Mahometis legem & vini abſtinentiam cœperunt colere. Eadem enim de cauſa Turcæ plerumque alti ſunt & enormi corpore. Huic rei argumento etiam eſſe poſſunt ſimiæ & catelli, qui parui & pumili manent, ſi vinum aſſueſcant bibere. Hinc cum corpore vita quoque corripitur; quandoquidem in omni genere animalium procera vivaciora ſint brevibus. Sic bellatorem equum, quàm parvulum mannum, grandem moloſſum, quàm catellum Meliteum ævi longiorem videmus.

Fernel. lib. 1 c 14 de mobor. cauſ.

Deinde pubertatem & maturitatem in adoleſcentibus accelerat vini potus, adeoque citiùs vitam finit. Vita enim noſtra duobus quaſi motibus, projectorum ſimillimis, componitur; quorum unus ſurſum it, alter deorſum redit. Quo autem brevior eſt linea per quam gravia ſurſum projiciuntur, eo citiùs reflectuntur, & in terram recidunt. Sic qui celeriùs ad ſummum vitæ ſuæ culmen perveniunt, citiùs quoque

deficiunt

deficiunt & moriuntur. Hæc fortè, & alia contra vinum, & omnem vitæ luxum, cùm Præceptorem ſuum Attalum Stoi-
Sen. Epiſt. 108. cum, declamantem olim audiſſet Seneca adhuc juvenis, vino in perpetuum abſtinuiſſe ſe dicit. *Inde oſtreis*, inquit, *boletiſque in omnem vitam renunciatum eſt: inde in omnem vitam unguento abſtinemus, inde vino caret ſtomachus: inde in omnem vitam balneum fugimus.*

Potum ergo aquæ in zythum ſaltem, ſeu cerevisiam decoctæ, vino in ſanitate longè præfert Turnebus, & illius ſalutarem potum cauſam eſſe credit, cur hodie in Britannia nonulli ad annos 120. extendere vitam ferantur; aut ſi vinum bibant, inquit, multo ſaccharo acrimoniam ejus mitigant, & inimicos naturæ ſpiritus obtundunt. Gens enim illa dulcibus potionibus valde delectatur. Vnde & cerevisiæ, cibiſque ferè, ut audivi, omnibus ſaccharum admiſcent: voluptatem
Ariſtot. ſecuti, an naturam? Nam πάντα τρέφεται τῷ γλυκεῖ *omnia nutriuntur dulci*, inquit Ariſtoteles.

Sed ut Turnebo demus, plurima eſſe vera, quæ adverſus
1. Tim. 5. vini malitiam dicit, de frequente tamen & largiore ejus potu, intelligere oportet. Nam aliàs *modici vini uſum, propter ſtoma-*
Tit. 2. *chum & frequentes infirmitates*, Timotheo ſuo adhuc juveni ſuadet Apoſtolus; nec anus ab omni vino, ſed *multo vino ſervire*, prohibuit. Chriſtus etiam *vinarius, & potator vini non diceretur* à Phariſæis, *niſi vinum biberet*, ait Auguſtinus.

Eccli. 31. Et filius Sirachi: *Exultatio animæ & cordis, vinum moderatè potatum. Sanitas eſt animæ & corpori, ſobrius potus.*

Animæ quidem ſanitas, quia eam exhilarat, cor ſpiritibus dilatando, quod melancholiæ frigiditas, aut curæ aliqua anxietas conſtrinxerat. Vnde vetus & amœnus Poëta Apollini, ſive Soli omnia luminanti & hilaranti, Liberum, id eſt Bacchum ſive vinum comparat.

Sic Apollo, deinde Liber ſic videtur ignifer.
Ambo flammis creati, proſatiq; ex ignibus.
Ambo de comis calorem, radio dio conferunt.
Noctis hic rumpit tenebras, hic tenebras pectoris.

Nam Bacchus ideo *Liber dictus*, ait Seneca, *non ob licentiam linguæ, ſed*

gua, ſed quia liberat ſervitio curarum animum. Et M. Varro:

Hoc hilaritatis dulce ſeminarium,
Hoc ægritudinem ad medendam invenerunt.

Nam corporis quoque, vinum eſt ſanitas. *Morbis enim melancholicis (& nos experti ſumus,* ait, Lipſius noſter) *aut frigidis medetur.* Nam ventriculi calorem adjuvat, arterioſo ſanguini ſpiritum & materiam confertam ſubminiſtrat, qua craſſior in venis ſanguis percoquitur, omnia membra animalis incaleſcunt, & vis nutritiva per omnes corporis partes diſperſa robur & vigorem accipit. In partem quoque viventis materia vini abit: neque facilè Hieronymo Mercuriali crediderim, qui vinum non alere, ſed alimenti tantum eſſe vehiculum contendit. Placet magis quod docet, puto, experientia & Galenus; qui vinum facillimo negotio in ſubſtantiam viventis faceſſere credit. *Avium caro non magno negotio*, inquit, *vinum omnium minimo aſſimilari poteſt.* Vnde & falli videntur qui ipſum ad pharmacopœas relegant, & inter medicamenta ponunt. Nam eſſe alimentarem potum, inde intelligitur, quia medicamenta ſolent eſſe ingrati ſaporis, ut rarò & parcè ab hominibus ſumantur; vini autem ſapor gratiam & illecebram maximam habet. Vt Ariſtoteles dicere auſus ſit: *Omnes homines opſonijs, vinis, Venereis, neminem dolore oblectari.*

Lipſ. ad Senec. de tranquil. c. ult.

Galen. lib. 3. de temper.

Ariſt. lib. 7. c. 14. Ethic.

Vnde nec placet doctiſſimi Valleſij paradoxum, qui vulgare iſtud, *Vinum eſt lac ſenum*, verum eſſe negat. *Vinum eſſe lac ſenum, non valde probo*, inquit. *Cenſeo potiùs ſenibus ſenſim eſſe dandum dilutius, uſquedum in extremo ſenio conſtitutus, toto vino detracto, detur pro eo mulſa, aut decocta aqua.* Rationem iſtam habet. Quia ſi vinum meracum corpori ſenili & frigido infundatur, periculum eſt, ne calore ſuo calorem naturalem extinguat, calefaciendo & evaporando tenue quod reſtat humidi primigenij, quo calor naturalis alebatur; veluti flammula lampadis emoritur, ſi quis carbonem ardentem inijciendo, oleum exſiccet; qua etiam comparatione alicubi uſus eſt Ariſtoteles.

Valleſ. c. 29. Phil. ſacræ.

Ariſt. ſect. 5 Problem.

Sed cur non potiùs hìc audimus Galenum? *Vinum*, inquit, *ut pueris adverſiſſimum, ita ſenibus quàm aptiſſimum eſt.* Idem quoque Coi, & Latini Hippocratis, ac paſſim Medicorum ſenſus.

Galen lib. 5 de ſanit.

Et nonne natura etiam, ſine alio Medico præceptore, ſenes hoc docet? Naturaliter enim meracum avidiùs quàm dilutum bibunt, ut ſenilem & ſegnem ventriculum excitent; ſicut annoſi Muſici etiam neſcientes, altiùs & vocaliùs intonant, ut vincant duritiem ſui auditûs, inquit Plutarchus.

Hinc Homerus, qui mira arte & ingenio unicuique perſonæ, quod maximè decet & convenit, accommodat, Neſtorem triſeclisſenem & Heroum vetuſtiſſimum, vini appetentiſſimum facit, ideoque poculum ejus tam curiosè, quàm Achillis clypeum deſcribit. Bibant ergo vinum ſenes, & quicumque ſenili & imbecillo ſtomacho, quales plerumque litterati, ſed moderatum. Hoc enim eas vires non habet (quod metuebat Valleſius) ut humidum primigenium ventriculi exhalet, ſed ſpiritu ſuo ſeipſum potiùs digerit, inquit Ariſtoteles, & calorem ventriculi excitat ac juvat. Vnde fractis jam in ventriculo, ejus viribus, ad hepar tranſmittitur, ut ex eo non crudo, ſed ſatis excocto optimus gignatur ſanguis, reparando in ſingulis partibus humido primigenio maximè idoneus. Nec modicum illud vini, quod temperantes litterati ſorbillant, facilè deſpumat in libidinem, cùm ſpumas & ſpiritus ejus, ſtudijs & ingenij igne in caſtas cogitationes facilè decoquant. Largiores verò hauſtus & invitationes, mentis & corporis oculos obnubilant. Poëtæ tamen pluſculum hîc ſibi indulgent, & *vinum*, *equum* ſuum eſſe jactant:

Οἶνος τοι χαρίεντι πέλει μέγας ἵππος ἀοιδῷ. Quod quidam ſic Latinè vertit:

Vinum equus eſt lepido magnus veloxque Poëtæ.

Niſi enim Poëticus furor vapore vini incendatur, languidus eſt & ambulat pedeſtris.

Poſſum nil ego ſobrius, bibenti
Martial. *Succurrunt mihi quindecim Poëtæ.*

Spiritus enim animales, ſpiritu vini raro & agili incitati, mobiliores & celeriùs diſcurrunt per cerebri amfractus & carnales, unaque promptiùs verborum fragmina & hemiſtichiorum, è ſellis memoriæ revehunt ante imaginationis conſpectum. Quod melancholia paululum calefacta etiam facit. Vnde Maracus,

racus, Poëta Syracuſanus, *nunquam præſtantior, quàm cùm mente alienaretur*, inquit Ariſtoteles. Æſchylus in popinis carmina ſua fundebat. Ariſt. ſect. 29. Probl.

Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus. Horat.

Et ipſe Epicuri de grege porcus: Iuvenal.

——— *ſatur eſt, cum dicit Horatius, Ohe.* Quippe, Horat.

Nulla placere diu, neque vivere carmina poſſunt,

Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.

Ita boni iſti Caſtalios ſuos fontes in vini amphoras convertebant. Hâc etiam licentiâ Poëticâ turba illa Italorum Poëtarum nuper abuſi: inter quos Princeps & *Archipoëta*, lauro, braſſicâ, pampino à ſocijs creatus coronatuſque, Camillus Quernus Apulus; quòd non minus facilis & extemporalis in effundendis verſibus, quàm infundendis cyathis eſſet. Hic eſt, qui Leoni x. cænanti adſtans, & à Pontifice, qui fabulis & familiaritate eruditorum delectabatur, juſſus diſtichum extemporale de ſe expuere, ſubitò hexametrum iſtud fudit,

Archipoëta facit verſus pro mille Poëtis.

At cum aliquantiſper in pentametro hæſitaret, ſuggeſſit ei feſtivè ex tempore Pontifex:

Et pro mille alijs Archipoëta bibit.

Sed tales à viris honeſtis & eruditis minimè imitandi. Sapientem potiùs audient. *Quàm ſufficiens eſt homini erudito vinum exiguum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non ſenties dolorem.* Vbi largiùs autem fortè ad extinguendam ſitim & ventriculi æſtum, hauriendum eſt, ferocia ejus lymphis caſtranda, ſi cui natura fervidior, & à pruritu Veneris eſt metus.

ARTICVLVS IX.

An varietas cibi ac potus utilior, quàm ſimplicitas.

SAnus homo, qui & bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet, ac nec Medico, nec iatralipta egere, inquit Celſus. Ac deinde: *Nullum cibi genus fugere, quo populus utatur: interdum in convivio eſſe, interdum ab eo ſe retrahere: modò plus juſto, modò non amplius aſſumere: bis die potiùs, quàm ſemel cibum capere:* Cor. Celſ. lib. 1. c. 1.

capere: & ſemper quàm plurimum, dummodò hunc concoquat.

Favorabilia prorſus, & ad genium præcepta, ſed pro ſanis inquit; nam *imbecillis ſtomacho (quo in numero magna pars urbanorum, omneſq; penè cupidi litterarum ſunt) obſervatio maior neceſſaria eſt.* Nihilominus etiam iſtis utile non eſt, uni generi diætæ pertinaciter inhærere, ſed alternare, ut unus cibus ſit medicina alterius, & poſterior naturam relevet, ſi quid noxæ, aut faſtidij prior attulerit.

Sed hîc quærimus, an in eodem prandio, aut cæna, varietate ferculorum uti, pro ſanitate ſit, ſive quis robuſto, ſive imbecillo ſtomacho fuerit.

Plut. lib. 4. q. 1. Sympoſ. Plin. lib. 23. c. 1. Marcion apud Plutarchum, ſalubriorem varietatem exiſtimat. Variæ enim ſunt partes humani corporis, quarum una iſto, alia alio ciborum genere meliùs nutritur & gaudet. *Lactis potus oſſa alit, frugum nervos, aqua carnes*, ait alicubi Plinius.

Argent. Comment. 3. in Artē Galen. Conſentit ingenioſus & ſubtilis Medicus Io. Argenterius: *Natura unicum & uniforme nutrimenti genus averſatur*, inquit, *quare nec appetit, & proinde nec retinere, nec concoquere probè poteſt.*

Ariſt ſect. 1 Problem. 14. Ariſtoteles tamen varietatem illam apertè damnat. Ταραχώδης γάρ, καὶ οὐ μία πέψις, *Turbulenta enim, nec uniformis ea concoctio eſt*, inquit. Et Hippocrates *panem & mazam, atque his finitima, quibus homines copiosè & ſemper uti ſolent*, in cibo maximè laudat; quia *nihil habent intemperati neque vehementis, ſed omnia unum fiunt, & ſimplex, & validum.*

Non ſic in turba, & diverſiſſima temperie ciborum. Vbi etiam qui concoctu erit facilior, citiùs ventriculo elabi feſtinabit, turbabitque ceterorum nondum perfectam concoctionem, crudoſque ſecum in inteſtina abripiet; aut ſi ijs implicitus, expedire ſe è ventriculo non poſſit, torrebitur ultrà quàm maturitas chyli exigit. Deinde alimenta difformis temperamenti ſe mutuò corrumpunt, & obturbant, ait Ariſtoteles, ne facilè coaleſcere poſſint cum partibus viventis. Denique, ſi eligatur unicus & laudabilis ſucci cibus, jecur inde plurimum ſanguinis, minimum bilis, melancholiæ, & pituitæ conficiet: ubi in varia ciborum farragine, affatim materiæ in-

venitur

venitur pro omnibus iſtis excrementitijs humoribus, quibus inquinatur puritas ſanguinis. Nam licet, Hippocrate & Galeno fatentibus, bilis, melancholia, pituita non contineantur in materiâ ipſa cibi & potûs, ſed ex cibo & potu à facultate jecoris fabricentur, perinde ac ſanguis; varietas tamen illa humorum oritur ex materiæ diverſa complexione, ob quam una pars in bilem, alia in melancholiam &c. aptior eſt transmutari. Vbi verò cibi multi & differentis temperiei in una ventriculi olla coquuntur, fieri non poteſt, quin plures partes humoribus excrementitijs generandis idoneæ reperiantur.

Verùm *experientia quotidiana hanc opinionem refellit*, ait Argenterius. *Nullus enim eſt, qui in quacumque cibatione non utatur pane, carne, oleribus, caſeo, & vino abſque aliqua concoctionis perturbatione.*

Sed ei Ariſtoteles fortè reſpondebit: In cibo & potu magnam eſſe vim conſuetudinis, ut Medici omnes fatentur: proinde ab aſſuetis non fieri paſſionem. Et licet quotidiano victu aliquid de optima valetudine decerpatur, non tamen ſentitur, niſi cùm detrimentum inſigne paulatim factum fuerit.

Ne tamen nimis ſeveri ſimus, & ut menſarum noſtrarum conſuetudini aliquid demus, varietas aliqua permittenda, ob duas cauſas.

Primò, ad vitandum faſtidium, quod unitas ferculi facilè parit; ſicque natura minus ſumat, quàm ad omnium partium corporis nutrimentum neceſſe ſit. Deinde varietas iſta ad ſolutionem alui conducit, quam litterarum amatores duram ſæpe & pertinacem experiri ſolent, ex vita ſedentaria, & quia ſtudium vapores attrahendo in caput, excrementa indurat, & aluum ſuſpendit. Vnde inter fluxæ alui remedia, *Non uti cibus varijs*, ponit Hippocrates Latinus. Cor. Celſus lib. 1. c. 6.

Ariſtoteles quoque alio fine bellaria & ſecundas menſas primis adijci non abnuit, ἕνεκα τοῦ πιεῖν ἱκανὸν, *ut ſufficienter bibamus*. Vult enim non tantùm inter prima fercula, ſitis cauſâ, hauſtus aliquot interponi, ſed in fine quoque menſæ cibum pluſculum irrigari, & rorem iſtum bellarijs temperari. Ariſt. ſect. 22. Probl.

In iſta tamen ciborum varietate, proclivis eſt in crapulam & nimiam repletionem lapſus. Difficile enim eſt inter tot

fercula & gulæ irritamenta, ſibi temperare. Vnde lucta inter ſpiritum & carnem, etiam in viris ſpiritualibus, quam Auguſtinus etiam, tantus vitæ ſpiritualis Magiſter, adhuc in ſe confitebatur.

S. Aug. lib. 10. c. 31. Confeſſ. *His tentationibus* gulæ, *quotidie conor*, inquit, *reſiſtere & invoco dexteram tuam ad ſalutem meam, & ad te refero æſtus meos, quia conſilium mihi de hac re nondum ſtat. Audio vocem iubentis Dei mei, Non graventur corda veſtra crapulâ & ebrietate. Ebrietas longè eſt à me, miſereberis, ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnunquam ſubrepit ſervo tuo, miſereberis, ut longè fiat à me.* Frigida ergo manu, & ſuſpenſa in Deum mente, viro religioſo ſumendus eſt cibus, cavendumque ne cùm putamus valetudinis, negotium agamus voluptatis. Vnde licet condimenta ciborum vetita non ſint, *cùm ſponſa in Canticis optet ſponſo ſuo dare poculum conditum*, inquit Victoria; periculum tamen ſemper eſt, ne blandimenta iſta, quæ ad faciliorem cibi potuſque deſcenſum inventa ſunt, ad plenitudinem nimiam & crapulam nos abducant; faciamuſque, ut ait quidam, quod avari nautæ, qui plenâ etiam vecturâ, tamen onera nunquam reijciunt, & ita ſubinde onerant navem, ut pondere demergatur.

Cant. 8. Victor. Relect. de Temper.

Optimum igitur ad virtutem & corporis ſalubritatem fuerit Galeni conſilium audire. *Non decet*, inquit, *propter ſitim ſorbentium inſtar, totum calicem exhaurire, nec propter famem in conſpectu omnium inſatiabiliter ventrem explere. Sed danda opera eſt, ut omnibus unà cœnantibus minus opſonij aſſumamus, & à cibis gulam nimium irritantibus abſtineamus; moderatè interim veſcentes ijs, quæ ſalubria habentur.* Et in iſtis etiam ipſis adducto animo oportet eſſe, nec nimis effundi; imitarique C. Lælium, illum à M. Tullio ſic ubique laudatum, *qui veniebat ad cœnam, ut animo tranquillo deſideria naturæ ſatiaret*: non verò tumentibus buccis non tam edere, quàm tuburcinari, quod in Bœotis Menander ridet & carpit; indeque proverbium, *Porcus Bœotus.* Tales Ariſtoteles γαστριμάργυς *ventri furentes* appellat: *quales maximè*, inquit, *eſſe ſolent, qui valde ſervili ſunt ingenio.* Quâ verecundiâ merito omnes ab hianti iſta ingluvie deberemus reprimi.

Galen. lib. de Curand affect. Cic. lib. 2. de Finib. Ariſt. lib. 3. c. 13. Ethic.

Deligenda igitur ſtatim in principio menſæ ſalubriora ali-

quot

quot fercula, ad quæ manum extendas, obfirmato adverſus cetera animo, & arridenti ac geſtienti verſus omnes patinas gulæ injectis maturè frenis. Sed & honeſtis fabulis avertere animum à patinis, utile, & uſitatum olim Philoſophis. *Sicut Lydij tempore famis, non comedunt niſi alternis diebus*, inquit Plutarchus, *reliquum verò temporis implent aleâ & luſibus, ut fallant interpellationem vacui ventris; ita viri litterati inter epulas propoſitionem aliquam Geometricam, aut Libellum verſare, aut lyram ſubinde tangere debeant, ut minus comedant.* Plut. lib. de Sanit.

De Geometrica tamen propoſitione, non omnino placet. Geometria enim, & figurarum omnis apparatus nimis multum habet imaginationis, & conſumit ſpiritus; velut etiam quidquid ingenio recenter fabricari, vel ex abdita memoria evocari debet. Res ergo faciles tantùm & in promptu poſitæ ſuper menſam tractari debent. Quales inter ſecundas præcipuè menſas, jucundæ diſputationes, *bellaria eruditorum* appellari ſolent. Quanquam hoc tamen etiam à me expertum: Ventriculi functiones minùs lædi gravibus diſputationibus & acri intentione mentis, dum adhuc cibus potuſque ingeruntur, & omnia adhuc in turba ſunt, ſidentibus gravioribus, & quæ leviora ſunt ſcandentibus; quàm mox à prandio aut cæna, quando omnia ſecundum æquilibrij leges diſpoſita quieſcunt, & ventriculus calore naturali ſpirituque collecto, primæ concoctioni incumbit. Tunc enim ſeriæ cogitationes ſpiritus ventriculi miniſtros confertim in cerebrum rapiunt & neceſſario calore ollam deſtituunt, maximè ſenſibili noxâ. Cæſar Macrinus conſilium illud Plutarchi ſecutus, cùm cibi vinique avidiſſimus eſſet, *convivio litteratos adhibebat*, ait Capitolinus, *ut loquens de ſtudijs liberalibus, neceſſariò abſtineret.* Iul. Capitol.

Religioſi verò, & Eccleſiaſtici quicunque magis pij, aut elegantes, Anagnoſten adhibent, qui è Libris ſacris, aut Hiſtorijs recitet aliquid ſuper menſam, ut pars animalis ad paſtum incurvata ſurſum revocetur, & mens unà cum corpore paſcatur. Hoc Auguſtinus, hoc Ambroſius, & SS. Patres factitabant, paulò quàm nos hîc ſcrupuloſiores & conſcientiæ tenerioris. Nam in delectatione creaturæ, ſine relatione

ad

ad Deum, hærere, peccatum à Deo vindicandum exiſtimabant. Ideo pugnam & æſtum animi ſui explicans Auguſtinus. *Sæpe incertum eſt*, inquit, *utrum adhuc neceſſaria corporis cura ſubſidium petat, an voluptuaria cupiditatis fallacia miniſterium ſuppetat. Ad hoc incertum hilareſcit infelix anima, & in eo præparat excuſationis patrocinium, gaudens non apparere, quid ſatis ſit moderationi valetudinis, ut obtentu ſalutis obumbret negotium voluptatis. His tentationibus quotidie conor reſiſtere.* Vnde alibi monitum ejus. *Diſcernere ac noſſe debemus, quid neceſſitas refectionis, quid libido edacitatis expoſcat, quorum negotium eſt, contra concupiſcentem carnem ſpiritu concupiſcere, & delectari legi Dei ſecundum interiorem hominem, ejuſq; delectationis ſerenitatem nullis libidinoſis delectationibus nubilare.* Et ut doctrinæ & vitæ ejus ſanctitatem videas: *Quis mente ſobrius*, inquit, *non mallet, ſi fieri poſſet, ſine ulla mordaci voluptate carnali, vel arida ſumere alimenta, vel humida, ſicut ſumimus hæc aërea, quæ de circumfuſis auris reſpirando & ſpirando ſorbemus & fundimus?* Tam, inquam, averſus erat ab omni terrena voluptate, ut optaret, fauces non majori pruritu cibos in ſtomachum, quàm aërem in pulmones traijcere. Quod etiam inter Ethnicos cenſebant qui erectioris & ſupra vulgum animi. Nam Socrates voluptatem in cibo ac potu non deſiderabat, ait Plutarchus. Et de Lælio ſuo, cùm lapathum & olera hortenſia eſitaret, M. Tullius: *Non lapathi*, inquit, *ſuavitatem, acipenſeri Gallonij Lælius anteponebat, ſed ſuavitatem ipſam negligebat.* Vnde talium, & quotquot pluſculum auræ cæleſtis habent, menſæ breves ſunt, & dimidiatâ horâ, aut integrâ horulâ abſolvuntur. Quod etiam Medici ſuadent ad ſalubritatem, ut omnia ſimul concoquantur, & ne ſupervenientium cruditas præcedentium perturbet cocturam.

Aug. lib. 10. 31. Confeſſ.

Lib. 4. c. 14 contra Iul.

Cic. lib. 2. de Finib.

ARTICVLVS X.

Quo ordine ſumi debent à nobis alimenta.

POtum ſtatim initio menſæ propinare nemo probat, præter paucos, qui dicunt liquida citiſſimè digeri, ideoque præmittenda eſſe. Sic faciunt coci noſtri, dum aquam ollæ primùm infundunt, deinde elixandas carnes inijciunt.

Verum

Verùm aſotorum ſunt iſtæ leges, qui mente ſtatim capi, aut curarum obliviſci volunt. Vnde Homerica Helena, ut triſtitiæ nubem Telemacho & hoſpitibus ſuis diſpelleret, vinum ſtatim in principio convivij, & quidem medicatum appoſuit. Vinum enim, aut cereviſia vacuo & æſtuanti ventriculo infuſa, in vapores mox reſolvitur, qui in caput ſcandunt, & mentem alienant. Deſtillationes quoque generant, quibus nihil pernicioſius ijs qui Libris vacant. Vnde Plinius: *Vinum ieiunos bibere, novitio invento, inutiliſſimum eſt.* Inventum verò iſtud novitium, à Principatu Tiberij Cæſaris, de quo alibi Auctor idem: *Tib. Claudio Principe ante hos annos* XL. *inſtitutum, ut ieiuni biberent, potuſq; vini antecederet cibos; externis & hoc artibus, ac Medicorum placitis, novitate aliquâ ſeſe commendantium.* Sic Medici illi de corio & vitâ noſtra ludunt, & gloriæ ac vanitati ſuæ nos immolant.

Odyſſ. 4.

Plin. lib. 23 c. 1.

Lib. 14. c. 22.

Vt igitur in ventriculo bene temperato fames naturaliter ſitim præcedit; ita cibus ante potum præmitti debet. Nam ſi potus antecedat, nullo ciborum retinaculo frenatus, levi mutatione, è ventriculo in inteſtina elabitur, fruſtraturque fine ſuo; qui erat, macerare ac temperare cibum, ut uterque in unam maſſam fermentatus, verterentur ſimul in liquidum chyli cremorem, alendo animali idoneum. Vnde amicos invitando, naturâ duce, cibum præponimus potui: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.*

Cant. 5.

Liquidus tamen cibus, ut juſcula & ſorbilia non malè vacuo ſtomacho committentur; quomodo illud Scholæ Salernitanæ ſcitum,

—— *à potibus incipe cœnam*, Villanovanus interpretatur.

Cibi enim liquidi non tam præcipiti curſu ſtomachum, quàm potus, deſerunt; quia craſſamentum aliquod habent, retinenturque pertinaciùs à ventriculo, quia materiam in quam calorem ſuum & vires diutius exerceat, continent. Hoc etiam commodi liquida iſta præſumpta præſtant, quòd inteſtina lubricent, & adſtrictæ alui dejectiones adjuvent.

Inter ſolidiores cibos Medici quidam, craſſos & concoctu difficiles præmittendos cenſent, quia ventriculus in fundo

carnoſior & calidior eſt, ideoque validior ad conficiendum. Dicunt etiam ſe ordinem elementorum Mundi imitari, in quibus terra & craſſiora tenuioribus ſubſidunt. Videtur etiam Cor. Celſus lib. 1. c. 2. Celſus approbare: *Cibus*, inquit, *à ſalſamentis, oleribus, ſimilibuſque rebus meliùs incipit*. Niſi *ſalſamenta* iſta, non carnes ſalſas, ſed colymbades & juſcula ſalſa ac pinguia Threvirus interpretaretur. *Primam enim*, inquit, *partem menſæ ſibi vindicant quæ ventrem movent; qualia ſunt juſcula ſalſa & pinguia*. Quapropter carnes ſalſas cum cerevisia Threvirus in finem vellet potiùs Galen. lib. 1 de ſanit. tuend. differri. Conſentit Galenus, qui *humida, pinguia, dulcia* præmitti vult, ad lubricandam aluum. Hippocrates quoque, Galenus, ac Medici veteres leviorem & coctūræ facilioris cibum præmitti jubent, ut ſtatim atque percoctus fuerit, Pylorus, ſive Ianitor (quod eſt inferius ventriculi orificium) tranſitum ei aperiat, ut in inteſtina elabi poſſit, nec durioris cibi concoctionem expectare cogatur, & interea torreri ultrà quàm naturalis maturitas & perfectio chyli poſtulat; quod fieret, ſi durior cibus præmitteretur, & ventriculi fundum occuparet. Hac fortaſſe cauſa Romani ſub Cæſaribus, cænam à lactucis inchoare inſtituerunt, cùm majores eorum in finem rejeciſſent. Vnde quidam:

Martial. *Claudere quæ cænas lactuca ſolebat avorum,*
Dic mihi, cur noſtras inchoet illa dapes?

Quia, inquam, lactuca, quamvis cruda, comperta eſt facilis digeſtionis, & minimo ſtatim calore emarceſcere. Ad hæc, lentitiam pituitæ in vacuo ventriculo reliquæ digerit, aluum ciet, & appetentiam cibi acuit, teſte Plinio. Ingentem apud Romanos gratiam adepta, poſtquàm ab Antonio Muſâ Auguſti Medico tempeſtivè adhibita, Principi reddidit ſanitatem. Vtilis quoque caſtitatis & Muſarum cultoribus, præcipuè lactuca rotunda, minimâ radice, latis folijs, quæ Eunu-Plin. lib. 19 c. 8. chion vocatur, *quia hac maximè Veneri refragetur*, ait Plinius.

In hac dilectum Adonin à Venere ſepultum Poëtæ ideo fabulantur, vocantque *νεκύων βρῶμα mortuorum edulium*: etſi Athenæ. lib. 2. omnium lactucarum eſu ſit jucundiſſima, ait Athenæus.

Attamen non ſola lactuca, ſed integræ *menſa, quæ vocabantur frigida*,

frigidæ, ut oſtrea, echini, crudæ omnia olera, tanquam levis armaturæ pedites, ab ultimo agmine ad frontem traducta, locum nunc obtinent primum, ait Plutarchus, qui cum Martiali vixit. Nec tamen ſanitas corporis inde quæſita, *ſed commendatio ex novitate & ſoliti ordinis commutatione*, ſi Senecæ credimus. Plut. lib. 8. q. 9. Sympoſ.

Paria tamen etiam Medici juniores, de ſubſternendis cibis levioribus, cenſent; contra morem noſtrum, qui primas menſas porcina & bubula fere oneramus, ſuccedentibus ovinâ, vitulinâ, & volatilibus. Sed in reddenda ratione, videntur cum Medicis veteribus, ſupponere, inferius ventriculi orificium in fundo ipſo eſſe, non in latere dextro; & ſitu quidem altiſſimo, ubi Veſalius & vera Anatomia eum ponit. Sed juvat verba ejus hic adſcribere. Senec. Epiſt. 114.

Alterum ventriculi orificium, inquit, *cibos in cremorem emutatos ad inteſtina tranſmittens (unde etiam πύλωρος Græcis, nobis autem Janitor, & inferius os appellatur) in dextra eius ſede conſiſtit; non quidem, ut totus Anatomicorum chorus arbitratur, in dextra ſedis inferiori regione, ſed in elatiſſima, dextroque ventriculi lateri proxima.* Et cauſam, cur ingenioſa natura eum ibi poſuerit, ſubnectens. *Non enim ſat erat*, ait, *mutuò è directoque hæc orificia invicem non opponi, ne cibus adhuc immutatus, ocyus è ventriculo laberetur; verùm inferius à ſuperiori remotiùs abduci oportuit, & ex elatiori quoque ventriculi ſede explantari, quo minùs cibus ſua gravitate ventriculum ſubterfugeret; ſed tunc primùm confectus & in cremorem exquiſitè mutatus, ventriculi potiùs excernendi robore, quàm ſuo pondere, in inteſtina propelleretur.* Verùm etiam oculis res iſta ſpectari meretur. Turpe enim eſt, neſcire quid, aut qualis ſtomachus noſter, de quo nobis tam ſæpe ſermo: à cujus valetudine, totius corporis vigor & ſalus ſuſpenditur, cùm omnibus membris præcoquat alimentum. Unde non tantùm communis coquus, ſed etiam *Rex corporis* à quibuſdam, inquit Veſalius, appellatur. Veſal. lib. 5. c. 3.

Vide igitur Lector, apud iſtum Anatomicorum Principem Lib. v. Figuram xv. Spondeo, non te vidiſſe, & cum cura inſpexiſſe pœnitebit. Ibi autem cernes ventriculum inſtar ſacci oblongi jacentis, & protenſi à latere hominis ſiniſtro

ad dextrum; ſic tamen, ut ſiniſtra ejus pars, quæ obtuſior & capacior, aliquanto depreſſior ſit, quàm dextra, quæ molliter ſurſum in acumen aſſurgit. Superius ejus orificium qui propriè dicitur ſtomachus, per quem cibus è ſumma gula illabitur in ventriculum, non perforat ventriculum in medio ſed declinando pauliſper in ſiniſtrum latus. Nec Ianitor ſive orificium inferius reſpondet è regione orificio ſuperiori, ſed eſt in ſummo gibbo ſeu acumine lateris dextri; nec aliâ ratione vocatur orificium inferius, quàm quia reflectitur in inteſtina inferiora, & per ipſum in iſta delabitur chylus. Aliàs enim altiorem ſitum obtinet, quàm orificium ſuperius, mirâ naturæ & Dei providentiâ. Si enim introitus cibi in ventriculum eſſet elatior, quàm exitus, è pleno ventriculo cibus indigeſtus, per Ianitorem vi exiliret; ſicut in aquæductibus artificialibus, aqua è tubis fontium in altum compreſſa ſalit, ſi ſcaturigo, unde aqua deducitur, altior ſit quàm orificium fontis.

Ex tali autem ventriculi conformatione, etiam patet, non neceſſariò priùs exire è ventriculo quod priùs ingeſtum fuit. Nam cibus qui per ſuperiùs orificium primus in ventriculum decidit, gravitate ſuâ imam illam & ſiniſtram ventriculi capacitatem petit; id eſt, locum à Ianitore & ab exitu remotiſſimum. Cibus verò qui poſteriùs ſuperijcitur, neceſſariò in dextrum latus verſus Ianitorem magis declinat, & januæ quâ exeundem eſt, magis appropinquat.

Porrò poſt aliquantum cibi, infundendus eſt potus, ſed Græcantium more, parvis hauſtibus, ut cibus potiùs irrigetur quàm inundetur: juxta Salernitanam legem, *Inter prandendum ſit ſæpe parumq́, bibendum.* Sic enim cibus potuſque in unum φύραμα *Maſſam*, ad chyloſin perquàm idoneum, commiſcentur. Aliàs, ubi magnis hauſtibus certatur, & voluptatis, non ſanitatis cauſa agitur, nihil ferè refert, cibus, an potus præcedat, & inter cibos, graveſne an leves; cùm omnia in ventriculo natent, & juxta naturales æquilibrij leges, quod gravius eſt, in fundum deſidat. Et inde eſt, ut quia ficus graves ſunt, in liquido ventriculo mergantur, & *noviſſimè eſitatæ, ultimæ*

tamen

tamen evomantur, ait Ariſtoteles. Sed tam humidæ menſæ nec Theologicæ, nec Philoſophicæ ſunt, niſi fortaſſe Epicureorum.

Arist. ſect. 22. Probl.

Statim poſt primum cibum, cereviſiam præmittere vino, ut Belgæ ſolemus, magis probat Villanovanus: quia vinum penetrabilius, & periculum eſt, ne avehat ſecum in inteſtina ſuperfluitates (quibus vacuus ventriculus abundare ſolet) & unà illud modicum cibi adhuc crudum, quod initio præſumptum fuit. Celſus & quidam alij ſuadent hauſtu aquæ frigidæ, aut certè tenuis & frigidulæ noſtræ cereviſiæ claudere refectionem, ad conſtringendum supernè ventriculum. Hoc enim concoctionem roborat, exhalationes, ne in cerebrum evolent, comprimit, & alui dejectionem magis ſtrenuam facit. Unde huic etiam fini, *aliquid aſtringens poſt cibum ſumere*, Galenus monet. Similiter & *ſtomachum roborantia, ut mala, pira, & Punica*. Quod Hollandis noſtris malophagis non diſplicebit, nec nos abhorremus.

Galen. lib. 6 de ſanit.

Non miretur quiſquam Philoſophum ad iſta raptim deſcendere. Eruditorum enim valetudo & longa vita Reip. neceſſaria eſt, quam multi & ſtudiorum intemperantiâ, & diætæ neglectu corripere ſolent, crudique in ſepulchrum decidunt, antequam ſtudiorum ipſorum fructus, Reſp. potuerit decerpere. Unde nec pigebit, à ſummo Philoſopho Platonico etiam iſta addere. *Cibus eſto duplus ad potum, panis duplus & ſeſquialter ad ova, triplus ad carnes, quadruplus ad piſces herbas, fructus humidiores. Ne incipiat à potu menſa, neque potus ſit ſemel uberior. Semper ſtypticum aliquid* (quod etiam ex Galeno paulò antè dicebamus) *abſque potu, vel modico, ſequatur menſam.*

Marſil. Ficin. lib. 2. c. 6. de Vita produc.

Panis autem, inquit Galenus, *is ſaluberrimus eſt homini neque juveni, neque exercitationibus dedito, qui tum ſalis, tum fermenti habet plurimum, maximeq́; fuerit, antequam aſſetur, ſubactus*. Salem autem pani addendum eſſe ſignificare volebant veteres, dum in eodem templo ſemper apud Cererem, Neptunum collocabant, ait Plutarchus. Sit etiam triticeus, nec omni furfure excribratus, ſed miſcellaneus. Furfur enim alvum obſtinatam relaxat, quia *aliquid facultatis deterſoriæ habet*, ait Galenus.

Galen. lib. 1 de Aliment.

 Unde

Vnde inteſtinis exaſperatis, celeris eorum fit deiectio. Quia verò panis ceteris omnibus cibis permiſcetur, Scriptura panem pro omni cibo uſurpat. Deinde regem ciborum appellare jure poſſumus, quia *mediocritatem omnino & tenuium & craſſorum tenet*, inquit Valleſius, *facultatum medicamentoſarum maximè expers, & merè alimentum.* Eſt enim *moderatum quiddam*, addit, *neque calidum, neque frigidum, neque humidum, neque ſiccum, neque facultate medicamentoſi expurgandi, aut ſiſtendi, aut laxandi, aut aliud eiuſmodi faciendi. Sed ſi tantillum; inclinat in calidum, quo natura gaudet & fruitur.* Firmitatem quoque ceteris alimentis fluxis & imbecillis præcipuè præſtat, ut corpori noſtro affigantur, & hæreant pertinaciùs. Vnde meritò Ezechiel *baculum panis*, quo membra invalida ſuſtentantur, David *firmamentum panis*, appellat. Et antè, inter laudes Creatoris ponit, quòd *pane cor hominis confirmet.* Chriſtus etiam *panem quotidianum* petere nos docuit; quia cibus iſte unus ſine alijs ſufficit, non alij ſine ipſo. *Qui enim pane parciùs utuntur, copiosè autem carnibus aut piſcibus*, ait Lemnius, *corpore efficiuntur laxo, carne fluida, halitu graveolenti ac vitioſo;* qualis in Poëta Euripide olim notatus.

Valleſ.c.27 Pſal. ſacr.

Ezech. 4.

Pſal. 104.

Luc. 11.

ARTICVLVS XI.

Plurimi Medici ſuadent cænam largiorem prandio.

MVlti olim Philoſophi, ut diem totum ſtudijs vacuum haberent, menſas in veſperũ differebant, aut in prandio *non niſi mel ex pane lingebant, quod non multam concoctionem deſideraret*, inquit Thriverus. Chriſtiani quoque veteres jejunia ſua non ante veſperam ſolvebant: & hodie etiam tam longum jejunium tolerabile eſſet, niſi gulę intemperantia mutaſſet conſuetudinem. Quòd enim nunc ſæpius in die venter nos interpellet, eſt, quia conſuetudo nos fecit ejus debitores. Sanè Cor. Celſus ſuadet, ſaltem hieme, *ſemel die cibum capere, niſi ſi venter nimis adſtrictus eſt.*

rolem. Thriver. in Celſ.

Celſ. lib. 1 c. 3.

Sed fruſtrà hodie gentemus homines ad victum tam caſtigatum reducere: & re verâ pleriſque utilius eſt, bis modicè, quàm

quàm ſemel pleniſſimè corpus reficere. Calor enim naturalis ſub iſta plenitudine obruitur, aut vix reſpirat; & ignis luculentior eſt, ſi paucis per intervalla lignis eum nutrias, quàm ſi magna ſimul ſtrue eum opprimas. Longa deinde inedia ventriculum cruditatibus paſcit, & bilem auget. Hinc gallinæ ab incubitu, & longâ fame furunt, ſues & canes à partu famelicæ, iracundæ & impatientiſſimæ ſunt. *Vetus adagium eſt*, ait Soſia Plautinus, *fames & mora bilem in naſum conciunt*. Nam tempore famis, cibus antea ſumptus immodicè coquitur, & in bilem vertitur. Plaut. Amphi.

Prandeamus igitur & cænemus, quamdiu ſani ſumus. Sed ſi Hippocratem, Galenum, Philoſophos pænè omnes audiamus, inquit Villanovanus, cæna largior erit, quàm prandium. Imò, *ſi prandet aliquis, utilius eſt, exiguum aliquid, & ipſum ſiccum ſine carne, ſine potione ſumere*, ait Celſus. Prandium enim tanquam leve quoddam & perfunctorium jentaculum ſoli ſumebant, cænam verò, tanquam plenam & legitimam refectionem, in multorum cœtu: unde cæna quaſi *κοινὴ* dicta, id eſt, *communio*, ſeu multorum convivium. Hinc de prandio ſuo Horatius: *Pranſus non avidè, quantum interpellet* (hoc eſt, impediat) *inani Ventre diem durare*. Nam bolos tantùm aliquot latranti ſtomacho objiciebant, ut impatientiam ejus ſolarentur magis, quàm ut implerent ejus appetitum. Hinc de avunculo ſuo Plinio ſeniore Plinius junior: *Cibum interdiu levem, veterum more ſumebat*. Idem quoque Cæſarem Auguſtum factitaſſe notat Beroaldus. Quia verò prandium illud olim circa meridiem, ut nos, ſumebant, Suetonius *cibum meridianum*, antiqui *merendam* appellabant. *Merendam antiqui dicebant pro prandio*, inquit Feſtus, *quòd ſcilicet medio die caperetur*. Cor. Celſ. lib. 1. c. 3. Horat. lib. 1. ſatyr. 6. Plin. Epiſt. ad Macrum Suet. Aug. 78.

Siccum autem prandium ideo jubet eſſe Celſus, quia nihil aut minimum inde exhalat in caput. Vnde libera ſtudioſis mens uſque ad cænam; nec augentur ſic, ſed ſiccantur potiùs deſtillationes. Experientiâ quippe cognitum eſt, modico & ſicco ientaculo conſumi catarrhos, & tamen unà aſtrictæ alui dejectiones incitari; quod multi experiuntur. Potentiùs

autem

autem & certiùs id ſiet, ſi mora, & id genus lubricantia alvum & celeriter tranſeuntia, æſtate primo cibo aſſumantur. Horat. lib. 2. ſatyr. 4. Vnde monitum Horatij jam intelligitur —— *ille ſalubres*

Æſtates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravem quæ legerit arbore ſolem.

Vult enim, opinor, prandium, ſeu primum diei & leve illud ientaculum, finiri, hoc eſt abſolvi ſolo mororum rorulentorum eſu, quæ manè ante ardorem ſolis colliguntur. Renuit verò (ſi Medicus eſt) prandia ſua æſtiva finire, ſive claudere moris, quæ priori cibo ſuperijciantur. Nam *mora celerrimè pertranſeunt*, Galen. lib. 2. de alim. ait Galenus, *cibiſq́; alijs præſtant, ſi in ventriculum purum inciderint, & ſumpta in primis epulis fuerint. Quòd ſi poſt alios cibos ſumantur, aut pravum ſuccum in ventriculo offenderint, celerrimè computreſcunt cum alijs cibis,*

Quia autem veteribus illis moleſtum erat ſemi-inani ventre durare ad ſolis occaſum, cæna in horam diei decimam, deinde in nonam, id eſt tertiam pomeridianam retracta eſt:

Martial. *Imperat extructos frangere Nona thoros.*

Hinc Belgæ Gallizantes adhuc hodie prandij tempus, *Nonam* vocant, nomine à Romanis olim in Belgio dominantibus retento. Dividebant autem Romani diem artificialem ſemper in duodecim horas; quæ æſtate longiores, hieme neceſſariò breviores erant.

Cur verò Medici magis probent cænam largiorem prandio, duplex eſt cauſa. Primùm, quia duplo longius eſt tempus inter cænam præcedentis diei & prandium ſequentis, quàm inter prandium & cænam ejuſdem diei: igitur largior cæna faciliùs & perfectiùs longiori illo tempore concoquetur. Concoctio enim ſpatio indiget. Deinde nox & ſomnus cænam excipit; ſomnus autem ventriculum roborat, & concoctionem adjuvat. Calorem enim & ſpiritus ab organis ſenſuum & ſuperficie corporis, ad centrum & partes vitales revocat. Adde jam, mentem & omnes ſenſus nocturno ſomno ſopitos non diſtrahere animam, quo minùs totâ virium mole in concoctionem & operationes vegetativas incumbat; cùm à prandio, ſtudia & cogitationes pomeridianæ digeſtionem

nem interpellent. Hinc Cardanus Medicus filium Medicum inſtituens, *Prandebis*, inquit, *pane & modica carne, vel piſce aſſo, bibes parciſſimè: cæna ſit ad ſatietatem.*

ARTICVLVS XII.

Litterarum tamen ſtudioſis cæna prandio parcior & ſiccior convenit.

LArgior enim cæna hanc noxam habet; quòd multi & conferti vapores ex eá tanquam ollâ bulliente, tempore ſomni exhalent in caput; unde catarrhi & vertigines, maximè ubi cænæ noſtræ pluſculum madidæ ſunt, aut fumantes. Hinc Laurentius ait, nihil pernicioſius eſſe catarrhoſis (quales plerique veré & ex profeſſo ſtudioſi) quàm bibere proximè antequam quis cubitum concedat. Cui malo veteres illi Græculi, Græcantes & bibaculi, remedium ab hedera, myrto, roſis petebant, quibus ſe inter pocula coronabant. Quos imitari invicem ſe hortantur aſoti illi apud Sapientem: *Vino pretioſo & unguentis nos impleamus. Coronemus nos roſis antequam marceſcant.* Hederam enim, myrtum, & roſas frigerare & aſtringere ſpiritum vini, lenireque æſtum capitis cenſebant. Sed hederam præcipuè, ideoque eâ Bacchum ſuum coronabant. Nam *hedera natura eſt*, inquit Tertullianus, *cerebrum ab heluco* (id eſt, crapulâ, & gravedine capitis) *defenſare.*

Andr. Laurent lib. de Catar c. 5.

Sap. 2. Athenæ lib. 15.

Tertull. c. 7. de Coron. milit.

Sed præſtat vitare cauſas, quàm quærere remedia malorum. Vnde Muſarum cultoribus ſuadeo univerſim, cænâ leviore, quàm prandio defungi, imitarique Platonem, cujus cæna, ut olim inter Philoſophos ferebatur, efficiebat, *ut homines manè bene valerent.* Cerebrum quippe litteratoribus plerumque friget, conſumptis per meditationes ſpiritibus, qui ipſum calefactabant: unde halitus ex cæna copioſiore in caput ſcandentes, facilè refrigerantur, & repluunt in deſtillationes. Tempus enim inter cænam & ſomnum nimis breve eſt ad halitus illos digerendos, aut diſſipandos, ne tempore ſomni in nubem coëant. Prandium verò capiti minus nocet, quia tempore no-

meridiano homines vigilant, ore aperto loquuntur, excreant, liberiùs reſpirant, pori corporis motu & calore hiant, ut faciliùs undique cibi potuſque exhalationes in auras exſpirent, & deſtillationum vertiginumque materiam conſumant. Quid alijs neſcio, certè ſic mihi uſu venit. Inde fortaſſe illud quod ex Avicenna doctiſſimus Victoria refert: *Veteres non niſi in prandio uſos carnibus, in cæna verò ſolo pane.*

Victor. relect. de temper.

Aut ſi paulò largior cæna placet, piſces minori onere ſtomachus nocturnus feret & digeret, quàm carnes. Imitaberiſque Luſitanos quoſdam, qui Antuerpiæ & alibi, ut audivi, piſces toto anno veſperi obſonant. Egregiè defenſi à Clariſſimo Medico, & eorum conſanguineo, Lud. Nonnio, qui docet præcipuas veterum cænarum lautitias piſcibus conſtitiſſe; ſaluberrimos & commodiſſimos eſſe, non quidem Athletis & agricolis, qui multo & craſſo ſanguine ac viribus indigent, ſed *ijs qui forenſem vitam, qui otia, ac ſtudiorum amœna ſectantur.* Piſces enim, ſaltem ſaxatiles & marini, *ſanguinem,* inquit, *laudabilem, inter craſſum & ſeroſum, medium ſuppeditant.*

Lud. Nonnius c. 8. Ichtyophag.

Deinde hac de cauſa litterarum ſtudioſis cæna levior eſſe debet, quia qui verè & inſigniter docti eſſe volunt, lucubratores antelucani, & lectis ſuis leviter affixi eſſe debent: quod difficulter à pigritia ſua impetrabunt, ſi cænâ pleniore ſint onuſti. Audient itaque præceptum Salernitanum:

Vt ſis nocte levis, ſit tibi cæna brevis.

Suet. c. 21 Idem Ariſtotelis in Problematis fuit conſilium; & Domitianum Cæſarem ei potiùs acquieviſſe, qui *prandebat ad ſatietatem, ut non temerè ſuper cænam, præter Matianum malum, & modicam in ampulla potiunculam ſumeret,* narrat Suetonius. *Cum tamen ex more veterum, levis cibus & facilis interdiu ſumeretur,* addit Beroaldus.

Andr. Laurent. lib. de Catar. c. 5.

Imò ne quidē in prandio ad ſaturitatē replebuntur litterati, ſi non mali Medici audiant conſilium. *Catarrhis obnoxij,* inquit Laurent. *nunquam ad ſatietatē repleantur, ſed reliquijs deſiderij adhuc in anima prurientibus à menſa conſurgant.* Et de cæna deinde addit: *Neque dubium eſt, quin ſi omni ſeptimana ſemel à cæna abſtinerent, plurimum*

plurimum commodi perciperent. Et univerſim oraculum Hippocratis eſt, ἄσκησις ὑγίης, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων *ſtudium ſanitatis eſt inſatietas cibi, & impigritia laboris.*

Præcepto igitur Platonici Philoſophi acquieſcimus: *Menſa tibi ſint in novem diei horis duæ, & utrobique parca; parcior verò cæna.* Hæc quippe eſt illa laudata olim cæna Platonis, ex qua quiſpiam etiam poſtero die bene haberet, ut ait Plutarchus. Hæ ſanctorum Monachorum cænæ, *quæ animos non demergunt profundo ſomno, nec inquietant portentoſis imaginibus, ſed levi tantùm ac in ſuperficie fermè hærenti ſalubriter corpus reficiunt*, inquit Chryſoſtomus. Et ante eum Sirachides: *Vigilia, cholera, & tortura viro infrunito* (Græcè ἀπλήστῳ, inexplebili) *ſomnus ſanitatis in homine parco.* Græcus magis diſertè, ἐπὶ ἐντέρῳ μετρίῳ, *in inteſtino moderato*, quod nempe veſpertinâ cænâ non nimiû ſe replevit.

Marſil. Ficin. lib. 2. c. 6. de Vita pro-

Chryſ. homil. 14 in 1. Tim.

Eccli. 31.

Prandium verò, etſi pleniuſculum, horis tamen pomeridianis à ventriculo non invalido facilè concoquitur, & corporis firmitati ac valetudini concoctio iſta magis, quàm nocturna, facit. Dicat Plinius: *Somno concoquere, corpulentiæ, quàm firmitati utilius. Ideo Athletas malunt cibos ambulatione perficere.* Experimur quoque, tribus circiter à prandio elapſis horis, ubi prima chyli cruditas victa, nihil, aut minimùm ventriculi actionem interpellari à ſtudijs & operationibus mentis. Vnde juſta refectio meridie aſſumpta, non tanto obſtaculo eſt, quantum Medici quidam clamant, pomeridianis ſtudijs.

Plin. lib. 11. c. 53.

De prandijs tamen Philoſophorum & ſapientum loquimur, qui horulâ aut ſemihorâ expediuntur, non quæ in multas horas trahuntur, cum pernicie ſtudiorum & ſanitatis. Meliùs quippe omnia in ventriculo perficiuntur, ſi concoqui ſimul incipiant, nec dudum pòſt cruda ſupercijciantur ſemicoctis. Nec enim parùm valetudini nocet, inquit Hippocrates, ἐπὶ κοιλίην ἐπιζέουσαν καὶ ἐζυμωμένην *in ventrem bullientẽ & fermentatum* recentes cibos ingerere.

Hippocr. lib. de priſca Medic.

Senes autem non tantùm prandere & cænare, ſed etiam ientare vult Galenus. Parum enim & ſæpe refici debent, ut ſenſim alatur, non obruatur modicus qui ſupereſt in ipſis ignis. *Tutius imbecillo ſeni*, inquit, *exiguum dare ter die, ſicuti*

Galen. lib. 5. de Sanit. *Antiochus Medicus ſolitus eſt ſe cibare.* Iuvabit autem in exemplum Antiochi iſtius diætam ex ipſo narraſſe. *Circa tertiam, vel ad ſummum, quartam horam, Antiochus panem cum Attico melle ſumebat.* Pro melle autem, Belgis ſit butyrum, nullo aut modico ſale aſperſum. *Poſt ſextam autem* (hoc eſt noſtram duodecimam) *iam exercitatus & lotus prandebat mediocriter; primùm ijs ſumptis quæ alvum deijciunt. Poſt hæc maximè piſcibus, vel quos ſaxatiles vocant, vel qui in alto mari degunt. Rurſus in cœna à piſcium uſu abſtinuit: ſumpſit autem aut far cum mulſo, aut avem ex iure ſimplici. Qua quidem victûs ratione, ſenſibus & membris omnibus integris ad extremum duravit.* Quare autem *in iure ſimplici* aviculam illam veſpertinam Medico-Philoſophus iſte ſumebat? An quia Plinio fortaſſe credebat, *homini cibum utiliſſimum eſſe ſimplicem, & acervationem ſaporũ peſtiferam, & condimenta pernicioſiora?* Nam etiam

Plin lib. 11. c. 53. Galenus atteſtatur, inquit Thriverus, *aromata ægriùs concoqui, quàm ipſam carnem. Quoniam rudis ferè eſt horum ſubſtantia, quæ plus negotij ipsâ carne exhibet; ſicut & omnis alia herba, etiam calida: quanquam rudis aliquis, hæc ſimilia ad carnium concoctionem multum momenti habere putet.*

Celſ. lib. 1. c. 2. Vnde *condita omnia duabus de cauſis inutilia ſunt*, ait Hippocrates Latinus, *quoniam & plus propter dulcedinem aſſumitur, & quod modò par eſt, tamen ægriùs concoquitur.* Aromata deinde ardentibus ſpiritibus caput petunt, ideoque incommoda ſtudioſis. Ob has fortaſſe cauſas, in omnibus quæ deſcribit convivijs, Homerus ciborum copiam videtur condimentis & lautitijs prætuliſſe.

CAPVT III.

De chyloſi, ſeu prima concoctione quæ fit in ventriculo.

TRes alimenti principales concoctiones ſunt, χύλωσις *chyloſis*, χύμωσις *chymoſis* ſive αἱμάτωσις *ſanguificatio*, & ὁμοίωσις *aſſimilatio*, quæ fit ab unaquaq; parte viventis, cùm alimentum ſibi aſſimilat, ut faceſſat in ſubſtantiam ejus. Hæ porrò concoctiones, tanquam dominæ, ſuas admini-

adminiſtras habent, & unaquæque tres, vim attractricem, retentricem alimenti, ac expultricem ſuperflui.

ARTICVLVS I.
De vi alimenti attractrice.

ASclepiades alimentum à partibus viventis attrahi negavit, *impudenter* & contra ſenſum, inquit Galenus. Quomodo enim in ſumma cacumina arborum terræ ſuccus perveniat, niſi vis aliqua eò attrahat? Nam grave corpus nunquam ſponte ſuâ in altum ſubit. Palàm etiam eſt, ventriculum cibos ex ore attrahere; aliquando tam avidè, ut nobis retinere conantibus, vi eripiat. Orexis enim cibum *ἁρπάλεοι cupidum* facit, ut loquitur Homerus. Imò in magna & latranti fame ventriculus, tanquam canis ad ſuſpenſum in ſublimi bolum, ſe erigit, ait Galenus, ut cibum è faucibus deripiat. Iuvatur autem à circularibus villis extremis tunicę œſophagi qui contractione ſuâ detrudunt, quod ventriculus attrahit. Eſt præterea ad laryngem in primo introitu œſophagi, muſculus & velut ſpincter quidam, quem laxamus & conſtringimus, quando deglutire volumus. *Cùm enim homo ſit animal politicum*, ait Laurentius, *ad contemplationem & actionem, non oportebat, primum cibi ingreſſum, & poſtremum excrementorum exitum eſſe perpetuum, ut in plantis, ſed ex eius arbitrio pendentem.* Andr. Laurent. lib. 9. c. 26. Anat.

Erravit ergo Cicero, cùm *agitatione & motibus linguæ cibum depelli & quaſi detrudi* in ſtomachum, dixit. Iuvat hoc quidem aliquid, ſed præcipua cauſa eſt in illa vellicatione & attractione ſtomachi, quam per fibras ejus rectas fieri docet Galenus. Contrahunt enim ſe fibræ rectà ſurſum per œſophagum uſque ad gulam extentæ, ut è faucibus in ventriculum cibum detrahant. Cic. lib. 2. de Natur. deor.

Arbores verò ſine ulla radicum, aut fibrarum contractione, immobiles alimentum è terra ſugunt. Vnde iſta arborum attractio vocatur à Fracaſtorio *ſimplex*, altera in animalibus, *organica* Hæc enim motu locali alicujus organi perficitur: prior verò ſimilis eſt virtuti, qua ſimplici effuſione Fracaſt. c. 12. Sympath.

 qualitatis

qualitatis tractoriæ, magnes immobilis trahit ferrum. Vnde magnetica appellari poteſt. Tali etiam virtute pars unaquæque animalis, ſanguinem è venis ſugit, & ſibi apprimit,ut percoctum & condenſatum in ſubſtantiam ſuam tranſmutet.

Potus eâdem vi, ac per eundem œſophagi canalem,in ventriculum detrahitur, ut cibus non aſſetur, aut frigatur, ſed elixetur cum potu. Ridiculum enim eſt, inquit Ariſtoteles, quod cenſuit Plato: cibum in ventriculum, potum verò in pulmones per aſperam arteriam deſcendere. Si enim modicâ interdum è cerebro defluxione ſuffocentur pulmones, quomodo aliquot pocula vini ,aut cereviſiæ poſſint perferre? Sed tamen Platonem hîc adverſus diſcipuli Ariſtotelis ſolennes calumnias defenſat Galenus. Non enim cenſuit Plato, inquit, univerſum potum in pulmones per mediam aſperæ arteriæ laxitatem deferri, ſed pauculum humoris per parietes, tanquam delinimentum quoddam ſenſim defluere: *quod veriſſimum*, ait, *& rationi conſonum eſt. Nam ſi ſitibundo animali coloratam aquam propines, ac deinde jugulatum diſſeces, pulmones ejus eodem colore tinctos invenies.*

Arist. lib. 3. c. 3. de Part. animal.

Galen. lib. 8. de Placit. Hippocr. & Platon.

Vt autem homines & bruta lubentiùs cibum potumque ſumerent natura in gulâ (id eſt ſummo orificio œſophagi, ſive canalis à gutture ad ventriculum) delectationem conſtituit, quâ blandè pars ea titilletur, & ad traijciendum alimentum invitetur. Pulchrè, ut ſolet, S. Auguſtinus: *Alimentorum ſuſtentaculis indigemus. Si ſuavia non ſint quæ ore ſumuntur, nec ſumi poſſunt, & nauſeando ſæpe reſpuuntur, & pernicioſa ſunt cavenda faſtidia. Non ſolùm ergo cibo, ſed etiam cibi ſapore indiget infirmitas corporis noſtri; non propter exſaturandam libidinem, ſed propter tuendam ſalutem.* Aliàs, Chriſtianam & rationalem animam tam procul abeſſe debere, ut propter libidinem & voluptatem ſaturandam ſumat cibum,cenſet Auguſtinus,ut fidenter interroget: *Quis mente ſobrius non mallet, ſi fieri poſſet, ſine ulla mordaci voluptate carnali, vel arida ſumere alimenta, vel humida, ſicut ſumimus hæc aërea, quæ de circumfuſis auris reſpirando & ſpirando ſorbemus & fundimus?* Perpetua enim & conſtans ubique ejus Theologia eſt: *Multa à nobis licitè fieri per voluptatem, nulla propter*

S. Aug. lib 4. c. 14. contra Iul.

Ibid.

pter voluptatem. Si enim in voluptate hæretur, ſine relatione ad finẽ quò referri deberet, inclamabit mox dilectus Chriſto Apoſtolus: *Nolite diligere Mundum, neque ea quæ in Mundo ſunt.* Diligit verò ea quæ in Mundo ſunt, qui ea propter ſe amat. Ea autem delectatio quæ in ſummo gutture ſentitur, tactûs potiùs eſt, quàm guſtûs. Vnde piſces, qui defectu linguæ, vix ſenſum ullum guſtus habent, voluptate tamen cibi non carent, quia *omnium ferè eſculentorum, in devorando, gulæ tactione, ſuavitas & gratia exiſtit,* inquit Ariſtoteles. Vt non immeritò appetentia inordinata hujus ſuavitatis, *gula* etiam appelletur, & à Cicerone *vitium gutturis.* 1. Io. 2. Ariſt. lib. 4. c. 11. de part. animal. Cic. Pro M. Cælio.

Hinc etiam quo boli & hauſtus ſunt pleniores, eo delectatio major, quia arctiùs gulæ tactum ſtringunt, & titillant vehementiùs. Celeritas quoque ſuccedentium bolorum voluptatem auget, quia multi contactus vicini & densè ſuccedentes, inſtar unius plenioris ſunt.

Hanc gulæ voluptatem pertinere maximè ad ſenſum tactûs, inde quoque ſatis apertum; quòd res etiam inſipidæ, in tranſitu gutturis ſuam affricent voluptatem. Sic prunâ integra, aut ſolidi botuli lævore ſuo guttur perſtringentes, ſine ſapore tamen avidos gulones delectant. Vbi autem œſophagi & ventriculi orexis hebeſcere incipit, non ampliùs percipitur illa gulæ voluptas, ſed tota tunc cibi potuſque delectatio in lingua, palato & ore tantùm ſentitur ex ſapore, quem contrectat & percipit linguæ, aut palati guſtus.

Poſita autem eſt lingua in ore, tanquam in quodã atrio, ante fauces & œſophagi januam, ut guſtu ſuo ſapores exploret; ut ſi placeant, in ventriculum tranſmittat, ſi non, expuat. Quod enim linguæ & palato blanditur, ferè etiam ventriculum bene compoſitum, & hominem ſanum juuat.

In refrenanda autem illa vi attractrice, quando ſtomachus à præcedenti corporis exercitatione, aut jejunijs hiat & latrat, multum laborant pij. In meditatione ſua & ante ciborũ conſpectum, mira proponunt, & continentiſſimi futuri ſibi videntur; at ubi menſa ante oculos, & nidor afflavit nares, prurire primùm incipiunt, deinde ubi bolus unus aut alter irritauit orexim,

orexim, excuſſo freno pars animalis toto impetu ſæpe patinas involat, ut vix ulla vi à ratione poſſit retineri.

Talibus leges iſtas ponit Filius Sirachi: *Si in medio multorum ſediſti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poſcas bibere.* Ac in fine menſæ: *Ceſſa prior cauſa diſciplinæ, & noli nimius eſſe, ne fortè offendas.* Ne fortè etiam *oneretur corpus, & libertas animæ prægravetur*, ait S. Hieronymus. Liber enim homo ſupereſſe corpori ſuo debet, & licet non ſemper tam erectus, ut nubes ſuperet & ſidera vertice tangat, nunquam tamen luto ſuo immergi oportet. *Epulas igitur ante ora poſitas* (S. Auguſtini monitum eſt) *cum animi tranquillitate aſpiciet*, & cunctanter ac cum frigore quod neceſſe decerpet. Vel ſi Galenum non tantùm valetudini, ſed etiam honeſtati hic præcepta dantem, magis audire juvat; verba ejus antè recitavi Cap. 1. Art. VI. Sed δὶς καὶ τρὶς τὰ καλὰ *bis & ter quæ pulchra. Non propter ſitim*, inquit, *decet, ſorbentium inſtar, totum calicem exhaurire: nec propter famem, in conſpectu omnium, inſatiabiliter ventrem explere. Sed danda eſt opera, ut omnibus unà cœnantibus minus obſonij aſſumamus, & à cibis nimium gulam irritantibus abſtineamus; moderatè interim veſcentes ijs, quæ ſalubria habentur.*

Eccli. 31.

S. Hieron. lib. 2. c. 8. contra Iovin.

Galen. lib. de curand. affect.

Temperantia enim quantitatem, qualitatem, & modum ſumendi ciborum moderari debet, ne in iſtis quæſita voluptas valetudini noceat. De quantitate & qualitate res eſt clara; ſed modum etiam ſumendi aliquid ad ſalubritatem referre, facilè oſtenditur. Nam aviditas multum aëris unà cum cibo devorat; quem pleni boli, aut largi hauſtus, totum undique ſtringentes œſophagum, ſuo impulſu deprimunt in ventriculum. Vnde cibi & potus ab aëre intertexto prohibentur in ventriculi fundum deſidere; ubi tamen vis concoquendi maximè viget. Deinde qui avidè vorat, non bene & minutatim cibum dentibus conficit; & hinc altera cauſa cruditatis, aut pravæ concoctionis. Exemplo luporum & carnivororum animalium, quæ idcirco Ariſtotele teſte, longæva eſſe non ſolent. Qui tamen avidè comedunt, habentur in Belgio ſtrenui operarij: nam labor impiger ventriculum vacuat & appetentiam acuit. Sæpe tamen hoc etiam fallit: nec

nec credo tam in alio opere, quàm dentibus ſtrenuum fuiſſe, illum Senatorem Romanum, quem Imp. Caligula Prætorem extra ordinem deſignavit; quia in publico epulo, avido & acri dente vorantem, & tuburcinantem conſpexiſſet. Suet. c. 18 Calig.

Bœoti olim ab iſta intemperantia infames inter Græcos fuerunt, ideoque *Bœotica ſus* adagio invaluit; quòd inſtar famelicæ ſuis, inflatis buccis ſuper menſam omnia commanderent. Et hinc ſtupor & hebetudo mentis, quæ ex multa repletione ſolet oboriri. Vt non de nihilo exiſtimet Eraſmus, Flandricum *Bot*, hoc eſt, *ſtupidus*, contractum eſſe ex *Bœoto*. Nam *huic linguæ proprium eſt*, inquit, *voces multarum ſyllabarum in vnam ſyllabam contrahere.* Eraſ. in Adag. *Bœotica ſus*

Conſtat etiam, addit, *vel ob Romanum Imperium latiſſimè propagatum, vel ob commercia negotiatorum, voces Germanicæ, Gallicæ, Britannicæ linguæ fuiſſe mixtas.*

Chriſtianus vero paulò ſpiritualior, ſublimiori cogitatione mentem & ſpiritum docetur patinis eripere. *Quando neceſſaria percipis alimenta*, ait devotus Rusbrochius, *animo ad Dei conſpectum ſublevato, cum Chriſto & Angelis omnibus diſcumbe inter ſodales, donaq; & fercula ex Deo manantia ſuſcipe: ſic ſecundum hominem interiorem eſcâ reficieris æternâ.* Et Venerabilis Bloſius: *Quamvis aliquam delectationem terrenam inter edendum aut bibendum ſentias, non tamen intrò admittas, non ei inhæreas. Exquiſitas & ſuaves epulas vitioſè non requiras; imò tales tibi oblatas, pro Dei amore ſæpe intactas relinquas; cùm Dominus Ieſus felle & aceto potatus fuerit.* Alij tamen ſimplicius, & ne ſpiritum diſputationibus iſtis culinarijs & terrenis nimium implicent, jubent ſub uno ſimplici Dei obtutu & recordatione, ad appoſitos cibos indifferenter (modò non apertè valetudini noxios) extendere manum, & tanquam de Dei manu accipere. Et hac facillimâ praxi experiri ſe dicunt, citiùs ad cæleſtem quandam & firmam temperantiam, quàm violentis & fragilibus propoſitis, pervenire: *ſcientes, quoniam aliter non poſſunt eſſe continentes, niſi Deus det.* Quidquid ſit, *vitæ tamen auſteritatem*, addit Bloſius, *ne temerè amplexeris, licet pleroſque Sanctos vitam multùm rigidam duxiſſe cognoſcas. Nam illi à Spiritu ſancto pleniùs illuſtrati, ſciebant Deo* Rusbroc. c. 3. lib. de ſeptem cuſtod. Bloſ. c. 2. Inſt. ſpirit. Sap. 8.

Hh *placere,*

placere, ut ita viverent. Ac poſtea: *Cilicium, durities lecti, eſus panis, potus aquæ, flagellatio corporis, ac ſimilia pro Dei honore purè peracta, ipſi quidem Domino placent, & ad carnem edomandam iuvenibus robuſtis non parùm proſunt: veruntamen verus Dei amor hominem multo viciniùs Deo coniungit, & carnis petulantiam citiùs efficaciuſq; compeſcit ac ſuperat.* Imò ſine amore Dei fortiore, terrenarum & infimarum voluptatum iſti laquei abſolutè diffringi non poſſunt; ſine quo cilicia, flagella, jejunia fruſtrà ſunt. Vnde Propheta Sanctus, inter tentationum iſtarum laqueos ſe verſans & æſtuans, & à quo liberandus eſſet, intelligens: *Oculi mei*, inquit, *ſemper ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.* Et jam victor ac liberatus exclamat: *Gloria mea, & exaltans caput meum*: id eſt mentem, quæ eſt animæ caput, ait S. Auguſtinus; quam divinus amor elevat, & omnium terrenarum voluptatum deprimentibus ponderibus ſupereſſe & ſupervolare facit.

Pſal. 24. Pſal. 3.

ARTICVLVS II.

Qua ratione alimentum coquatur in ventriculo.

IN plantis prima & rudis concoctio in radice, altera ſequitur in trunco, aut ſcapo, & inde alimentum in ramos, folia, muſcaria, ad ultimam & perfectam cocturam diſpergitur. In animalibus os, aut aliud membrum ori analogum, primæ coctionis rudimentū inchoat. Quibus ſunt dentes, cibum etiam comminuunt, ut promptiùs à ventriculo conficiatur, calore per micas & particulas faciliùs penetrante. Quæ dentibus carent, & duro cibo veſcuntur, ut gallinæ, columbæ, & plerumque avium genus, ventriculos carnoſiores & fervidiores habent, ut integra etiam grana facilè poſſint mollire & conficere.

Cibus autem & potus in eadem ventriculi capacitate, tanquam ollâ, ad elixationem permiſcentur, & inde per chyloſin in unam veluti pultem excoquuntur, quem Medici & Philoſophi chylum appellant. Is in hominum ventriculis plerumque albidi coloris eſt, ut cremor hordeì. Etſi non ſemper, ut Clariſſ. Academiæ noſtræ Archiater D. Vop. Fort. Plempius notat: quia ijs, *qui ſe nigrioribus alimentis & vino rubro implerunt*

Vop. Fort. Plempius lib. 2. c 8. Fund. Medic.

implerunt, inquit, *nigricat chylus*,

Nec tamen imaginari oportet ventriculum ita fervere & bullire, ut ollam ſuppoſito valido igne. Nam tepet ſolummodo, nec ſolo calore, quemadmodum ignis, agit in chylum, ſed totâ ſuâ temperie; & fortaſſe occultis quibuſdam alijs qualitatibus, quas agnoſcunt Medicorum ſolertiſſimi. Ventriculus autem cibum potumque injectum, obliquarum fibrarum miniſterio, ut rem maximè amabilem complectitur, & ſtringit adeò arctè, & undique compreſsè, *ut ipſis adhæreſcere videatur, nec inane quidquam relinquat*, ait Fernelius. *Alioqui cibus in tanta capacitate huc illuc fluitans, neque lateribus ventriculi coarctatus, haudquaquam plenè concoqui poſſet*. Vnde etiam Pylorus ſeu Ianitor (quod inferius ventriculi orificium eſt) ita ſtringitur, ut ne quidem gutta liquoris, ante tempus excidere poſſit. Orificium quoque ſuperius, quà cibus inijcitur, & propriè ſtomachus appellatur, latiorque eſt quàm Ianitor, etiam ſumpto cibo contrahitur, occluditurque, aut conniveт, ne fumi nimis conferti é ventriculo exhalantes concoctionem deſtituant & refrigerent; veluti olla aperta ſegniùs coquit carnes, quàm operculata. Quibus deinde ſtomachus ob voracitatem, aut temperiem humidam nimis hiat nec conſtringi exquiſitè poteſt, vertigini, ſuffuſioni, hemicraniæ, & doloribus capitis obnoxij ſunt, & faciliùs ceteris inebriantur.

Fernel. lib. 6 c. 1. de funct.

Concoctionem ventriculi promovet atra bilis, quam idcirco natura ex ſplene in cavitatem ventriculi per meatus deſtinatos deducit & exonerat. Nam acrimoniâ ſuâ ventriculum *intendit contrahitq; in ſeipſum*, ait Galenus, *ut ad unguem cibos complectatur, retineatq; quouſque fuerint percocti*.

Galen. lib. 5. de uſu part.

Igitur ventriculus calore ſuo nativo, ac totâ temperie φύραμα illud, ſive univerſam cibi potuſque maſſam, in chylum, id eſt, candidam, & ſubſtantiæ ſuæ concolorem, ait Veſalius, maſſam percoquit. Etſi paulisper ab eo abeat Clar. noſter Plempius, ut antè monui.

Addit Fernelius, & occultam quandam ventriculi Facultatem, ſine cujus ope ſtruthiocamelus ferrum, coturnix veratrum, capra cicutam nunquam digerere poſſint; cum

 ardentiſſimus

ardentiſſimus leonis ventriculus cibum tam contumacem domare non valeat.

Riolanus tamen facultatem iſtam occultam Fernelij, *aſylum ignorantiæ*, ab alijs appellari dicit. Ego prudentiæ aſylum vocari malim; ubi manifeſtus effectus in notas vulgò qualitates referri non poteſt. Nam Galenus præceptorem ſuum Pelopem ſugillat, qui ad ſimplices elementorum qualitates omnes ejuſmodi effectus reducere conabatur; Scaliger verò ſummæ impudentiæ id eſſe affirmat. Laurentius tamen non occultæ qualitati, ſed formæ ſubſtantiali ventriculi confectionem chyli tribuit. Quod non omnino diſplicet, ſi præter animam, formas alias heterogeneas cum Medicis, in ventriculo, corde, jecore, & ceteris membris viventium ponere vellemus, quod Lib. 1. diſputatum fuit.

Porrò, ad concoctionem conducit *quies, calefactio modica, cibus* Galen. lib. de conſit. artis Medic. *parcus & boni ſucci, potus vini parùm calefacientis*, inquit Galenus. Calor etiam innatus, ait alibi, valde juvatur à calore ſimili extrinſecus applicito. *Vnde nonnulli*, inquit, *puellos, aut catellos per quietem ventri imponant*. Vt non de nihilo Valleſius laudet prudentiam ſervorum Davidis, adeò jam ſenis & defecti, ut *cùm* 3. Reg. 1. *operiretur veſtibus, non calefieret*; calore ſcilicet innato languente, nec effluvia calida ampliùs exhalante, quæ veſtibus retenta, ſatis eſſent ad eum calefactandum. Nam Abiſag adoleſcentulam ei quæſierunt, quæ ſenem calefaceret *dormiendo in ſinu* Valleſ. c. 29 Sacræ Philoſ. *ejus*. *Quod præcipuè in ea ætate effectum eſt*, ait Valleſius, *qua non potuerit virginem agnoſcere. Alioqui multo magis læſiſſet congreſſus, quàm contuliſſet admotio.*

Ariſtoteles autem utrem calentis olei plenum ſolebat ventriculo ſuo ſuperponere, ut Laërtius narrat. Alij vulpium, felium, cygnorum, agnorum vellera ſtomacho appreſſa geſtant.

Calorem quoque balnei crudo ventriculo opitulari Ariſtoteles ſcribit. Quies etiam coctionem promovet, quia ſpiritus introrſum continet, quos motus & agitatio verſus corporis ſuperficiem exſpergit. Deinde agitatio actionem ventriculi obturbat, ne fixè in eandem chyli partem incumbat; veluti caro ante ignem veru circumacta, minùs aduritur, quàm ſi

in eo-

in eodem veſtigio quieta actionem ignis exciperet. Modeſta tamen & brevis inambulatio ad ſubſidentiam cibi, ad aërem per ructus expellendum, & perfectam cibi potuſque in unum φύραμα contemperationem conducit, eamque huic fini Ariſtoteles laudat. Somnus quoque, & propter quietem, & quia ſpiritus coctores introrſus revocat, ventriculum adjuvat.

Dormire quoque contracto corpore, & adductis genibus, ſuadet Ariſtoteles; quia calor viſcerum ventriculo appreſſus, fovet ipſum & calefacit. Deinde cubandum potiùs, inquit, in dextrum latus: ſic enim hepar calidum viſcus, quod in latere dextro eſt, ſupponetur ventriculo, tanquam ollæ validus ignis. Citiùs etiam ſic veniet ſomnus; quia ventriculus calore hepatis incitatus, vapores ſoporiferos plures & magis confertos in cerebrum exhalabit.

Cibus modicus exactiùs concoquitur, quàm multus & confertus; quia à calore ventriculi ambiente faciliùs uſque ad chyli centrum penetratur. Plenitudo ventriculum etiam diſtendit, & vires caloris diductione & extenuatione ſubjecti diſcingit. Major quoque cibi quantitas calori ventriculi contumaciùs reſiſtit. Vnde crapula, & cruditas. Hinc oraculum Galeni: *cibus debet optimè concoqui; quod fiet, ſi modicus ſit.*

Bonitas quoque ſucci facit, ut ventriculo citò obediat, & in chylum ſalutarem faceſſat. *Aves autem piſceſq; ferè omnes, boni ſucci cenſentur*, inquit Galenus, *exceptis lacuſtribus, paluſtribus, & quæ in immundis fluminibus atque turbidis degunt.* Galen. lib. de Euchym.

Modici etiam vini calor, qui ventriculi innatum calorē non diſpergat, ſed eum ad cibi ſuiq; concoctionē molliter adjuvet, chyli perfectionem accelerat. Sed debet minutis hauſtibus cibo ſuperfundi, ut ei blandè miſceatur, & retineatur. Aliàs celerrimè in veſicam vſque tranſcolabitur, & ſine fructu exibit. Vinum enim, niſi cibo alio ſolidiori implicetur, citiſſimè in tantum alteratur, quantum ad apertionem Ianitoris, & expulſionem è ventriculo ſufficiat. Vnde etiam in ore pauxillo tempore retentum ſtatim rubedinem & calorem mutat, ut notavit Ferneliuſ. Aromata verò poſt Hippocratem, Galenum, Celſum in cibis damnat Thriverus; etſi coquorum vulgus plu- Thriver. in c. 1. Celſi.

 rimum

rimum momenti ad ventriculi digeſtionem habere exiſtimet. Nam *aromatum ſubſtantia ferè rudis eſt*, ait Thriverus, *& plus negotij ipſa carne exhibet: ſicut & omnis alia herba, etiam calida.* Eodem modo philoſophatur Plinius. *Homini cibus utiliſsimus, ſimplex*, ait. *Acervatio ſaporum peſtifera, & condimenta pernicioſiora.* Et ut univerſim dicat. *Difficulter autem perficiuntur omnia in cibis acria, nimia, & avidè hauſta, & æſtate, quàm hieme difficiliùs, & in ſenecta, quàm in iuventa.*

Super omnia autem, ſtomacho pleno, caveant ſerijs ſtudijs incumbere ſtudioſi. *Nam poſt ſatietatem, nihil agendum*, monet Celſus. *Cerebrum enim, in ſeria meditatione, ſpiritus maximè ad ſe rapit, atque exercet*, ait Thriverus, *quos melius erat, ad concoctionem concurrere.* Leves tamen & hilares quæſtiunculas, inter menſas ſecundas ventilare licet, quas *eruditorum bellaria* vocat Plutarchus. An autem chylo ſuo nutriatur ventriculus, Valleſius & Argenterius affirmant. Finis enim attrahendi cibum, inquiunt, eſt, ut ventriculus eo ſe nutriat; reliquum verò chyli, quo non indiget, alijs membris proijcit.

Celſ. lib. 1. c. 2.

Alij tamen Medici melius, meo calculo, negant. Nam chylus etiam percoctiſſimus nimis adhuc crudus eſt, ut ſic immediatè in ſubſtantiam ventriculi tranſmutari poſſit. Deinde venulæ quædam ab hepate ſunt, per quas ſanguine irrigantur tunicæ ventriculi, & communi illo ſanguineo alimento nutriantur, ut ceteræ corporis partes. Multa præterea alia organa humores trahunt, quibus non aluntur; ut cyſtis flavam bilem, renes & veſica urinam; propter naturæ quandam conſonantiam, ex qua voluptatem veluti quandam, ex talium corporum contactu percipiunt; ſicuti etiam magnes rapit ad ſe ferrum, etſi eo propriè non nutriatur. An autem cruditas, aut prava concoctio chyli valeat per duas ſequentes concoctiones emendari, diſſident Medici. Affirmant quidam, clyſterum nutrientium exemplo, quorum materia infernè injecta non coquitur in ſtomacho, ſed ex inteſtinis immediatè trahitur ad hepar. Deinde pulli in ovorum teſtis, crudo vitello nutriuntur, quem per umbilicum in hepar attrahunt, nullo per ſtomachum tranſitu.

Negant

Negant tamen Galenus, Andr. Laurentius, alijque cruditatem illam poſſe ab hepate emendari, ubi natura ſolet chylum ante chymum præmittere.

Veluti enim humanus ventriculus ex carnibus crudis, aut impræparatis chylum idoneum perficere non poteſt; ſic nec hepar ſanguinem temperatum ex pravo chylo. Nam ſicut culina noſtra habet ſe ad ventriculum; ita ventriculus ad hepar, cui materiam præcoquit, ut inde ſanguinem conficiat. Ex crudo igitur chylo non gignitur plerumque maturus ſanguis; niſi in caſu aliquo raro, de quo adverſus Galenum latè diſſerit Valleſius.

In arboribus tamen ſanè res aliter habet. Nam oleæ ſurculus in oleaſtrum inſertus, ſuccum in trunco amari oleaſtri, tanquam in ventriculo malè coctum, in dulcem olivam percoquit. Simile evenit, quoties ſurculus inſeritur arbori diverſi generis: Virgil.

Vt ſæpe alterius ramos impunè videmus
Vertere in alterius, mutataque inſita mala
Ferre pyrum, & prunis lapidoſa rubeſcere corna.

Nam radix & truncus pruni, ſuccum terræ pro ligno & fructu pruni ſibi naturali præparat, quod vitium tamen ſurculus corni corrigit, & in lapidoſâ ſua corna perfectè convertit. Quanquam tamen etiam in platano & quibuſdam alijs arboribus hoc fallat. Nam platanus, & robur ſapores fructuum qui inſeruntur, corrumpunt, ut teſtatur Plinius.

ARTICVLVS III.

Quanto tempore ventriculus indiget, ut chylum perficiat.

SIcut non omnium ventriculorum eſt idem robur, ita nec uno temporis ſpatio abſolvunt chyloſim. Iuventus enim, quàm ſenectus, hiems anni, quàm æſtas, quando calor viſcerũ major eſt, citiùs concoquunt & opus ſuum perficiunt.

Medici tamen vulgò ſex aut ſeptem horas *in corporibus optimè affectis*, iſti operi conſtituunt, idque experientia didicerunt,

inquit

Argent. in artem Galen. inquit Argenterius. Et hinc eſt, ut totidem horis ſomni tempus definiant:

Septem horis dormiſſe ſat eſt iuveniq́ue ſeniq́ue.

Somnum enim natura invenit ad cænæ concoctionem, & prandij cruditates perficiendas, ſi quæ fortaſſe ventriculo curis diurnis in opere ſuo, interpellato adhuc inhæſerint. Vnde Novavillanus: *Debet ſomnus*, inquit, *eſſe tantus, ut completa ſit prima digeſtio, & cibus ad hepar tranſeat. Et non eſt fortè malum*, addit, *tantum prolongare ſomnum, donec ſecunda digeſtio* (quæ fit in hepate) *ſit completa.* Sed fortaſſe non perinde à vigilia & operationibus ſenſuum impeditur ſecunda digeſtio, ac prima; quandoquidem major putetur inter cerebrum & ventriculum, quam inter cerebrum & hepar, intercedere ſympathia, & mutuarum actionum obturbatio. Vnde hepar ad perficiendam chymoſin fortè non eget ſomno, quemadmodum ventriculus indiget ad chyloſin. Nam nec eo indiget tertia concoctio, quæ die non minùs, quàm nocte fervet in ſingulis membris. Deinde ſeptem illæ ſomni horæ non tantùm chyloſi, ſed & chymoſi ſufficiunt. Apertè enim Sennertus: *Dormiendum conſque, donec cibus in ventriculo & hepate ſit concoctus, ſpiritusque abſumpti, inſtaurati.* Ad hoc autem, ait, *breviùs quàm ſex horarum temporis ſpatium vix ſufficit.* Vnde magis enucleatè Riolanus: *Concoctionem quatuor, diſtributionem verò tribus horis abſolvi Medici exiſtimant.* Vt ſic univerſa periodus, à cœpta concoctione ventriculi, ac deinde hepatis, uſque ad diſtributionem ſanguinis in venas & membrorum irrigationem, ſeptem horas colligat.

Sennert. lib. 4. p. 2 Inſtit.

Ariſt. lib. 8. c. 6. Phyſic. Licet Ariſtoteles paulò aliter, qui ſeptem horas ſomni ſoli concoctioni, diſtributionem donat vigiliæ. Nam τροφῆς πεπτομένης καθεύδουσι, διακρινομένης δὲ ἐγείρονται, *quando alimentum concoquitur*, inquit, *animalia dormiunt, quando verò diſtribuitur, expergiſcuntur.* Vnde licet iſta diſtributio à prima vigilia matutina fortè inchoetur, diffuſionem tamen per omnia & ultima S. Tho. 2. 2. q. 147. a 7. membra S. Thomas extendit uſque ad meridiem; & inde factum credit, ut prandere ſoleamus circa diem medium. *Eſt enim debita & communis*, inquit, *conſuetudo comedendi hominibus*

circa

circa horam ſextam (diei artificialis, qui eſt meridies;) *quia videtur iam eſſe completa digeſtio nocturno tempore, calore naturali intus revocato propter circumſtans noctis frigus, & diffuſio humoris per membra, cooperante ad hoc calore diei uſque ad ſummum Solis aſcenſum.*

Et chymoſin ſaltem comprehendi intra illud ſomni tempus inde patet, quòd poſt ſeptem horarum ſomnum, urina tincta flavo colore appareat; ergo chymoſis jam perfecta eſt, quia urina eſt ſerum ſanguinis in hepate percocti, & per rivos venarum diſtributi.

Hinc ſtatim cauſa ſe prodit, cur primus ſomnus, circa horam noctis undecimam, aut duodecimam ſit profundiſſimus, ideoque in militia ad nocturnas expeditiones eligi ſoleat. Nam iſto ſomno concoctio prima in ventriculo peragi debet, quæ, ut primam cibi potuſque cruditatem faciliùs vincat, à ſenſuum vigilia minimè interpellari oportet. Vnde ventriculus, ut ſenſus omnes perfectiùs tunc ſopiat, fumos, tanquam ex olla, craſſiores & magis confertos in cerebrum exhalat. Hoc eſt quod in Livio P. Decius apud milites ſuos diſſerit. *Si nox opportuna eſt eruptioni, ſicuti eſt, hæc profectò noctis aptiſſima hora eſt. Signo ſecundæ vigiliæ conveniſtis, quod tempus mortales ſomno altiſſimo premit.* T. Liv. Dec. 1. Noctem enim ab occaſu ſolis in quaternas ad auroram vigilias diſtinguebant, & unicuique tres horas tribuebant; ut tota nox duodecim univerſim horis, perinde atque dies, conſtaret. Vnde ſecunda illa vigilia in mediam noctem deſinebat, id eſt primi ſomni tempus complectebatur.

Gallus gallinaceus videbitur fortaſſe curioſis, tempus primæ concoctionis, à tempore ſecundæ, cantu ſuo interpolare & diſtinguere. Nam ideo fortè circa finem ſecundæ vigiliæ, id eſt circiter mediam noctem, abſolutâ chyloſi, cantu plaudentibus alis exultat: deinde ad chymoſin redormit leviore ſomno, uſque ad finem quartæ vigiliæ, ſeu auroram. Quem imitantur illi, qui in utramque aurem dormire dicuntur; primò in dextram profundiore ſomno, deinde in ſiniſtram leviore.

Et ſanè tamen hanc duplicis ſomni periodum non eſſe ne-

ceſſariam primę concoctioni, patet; quia in fine ſecundi ſomni, non tantùm chylus perfectus eſt, ſed genitura quoque reparata eſt gallinaceis, ex ſanguine ſecundæ concoctionis; & quidem tam abundè, ut unus ad Venerem toti gallinarum cohorti ſufficere poſſit. Hinc etiam homines extremâ humani ſomni periodo, magis pruriunt, & qui caſti eſſe volunt, corripiunt ſe mox è ſtratis, aut mentem ſanctis, vel ſerijs cogitationibus occupant, ne libidinoſis dent locum.

Memini etiam me alicubi apud Sotum legere: Patres Dominicanos ex Conſtitutionibus ſuis ſolitos ad diſſipanda noctium phantaſmata, inter ſe veſtiendum, Horas Virginis memoriter recitare. Improbat idem Sotus alibi relaxationem illam, qua mos vetus Eccleſiarum ſurgendi media nocte ad confitendum Domino, tranſlatus eſt in aliam horam; quia teſte S. Ambroſio, non inconſultò dixit Regius Pſaltes, *Media nocte ſurgebam* &c. *Tunc enim fervet carnis illecebra, coquitur cibus, potuſque digeritur. Qua occaſione tentator multis tentamentis & carnem illidit, & animam occupat.* Quod verum eſt, ſi quis primo occaſu ſolis, cum gallinaceis cubile peteret. Tunc enim (hieme ſaltem, quando noctes productiores) digeſtio & geniture reparatio circa mediam noctem perfecta eſſet: nunc verò, quando hora nona, aut decima veſpertina cubitum concedimus, horam medię noctis ſomno uno & continenti traijcimus, & quartâ aut quintâ matutinâ, ſtrato ad divinas laudes exurgendi tempus opportuniſſimum erit.

Sot. lib. 10. q. 5. a. 1. de Iuſt.

Pſal. 118.

Quod verò de ſeptem ſomni horis diximus, intelligi debet, à ſanis & valentibus non oportere produci ulteriùs: aliàs pleriſque ſex horæ ſufficiunt; experientiâ ferè omnium hominum adultorum, exemplo glirium, qui tres menſes continuos in anno dormiunt. Quod tempus ſi æqualiter per omnes dies anni naturales diſtribuatur, ſingulo cuique diei naturali ſex horæ obvenient.

Galenus quoque fatetur concoctionem etiam diurnam ac tempore vigiliæ, ſex horis poſſe perfici. Nam ait ſe ſolitum, quartâ horâ diei tantum panis in jentaculum aſſumere, quantum horâ decimâ, id eſt, poſt ſex horas, poſſit concoctum eſſe.

Galen. lib. 6 de ſanit.

ARTICV-

ARTICVLVS IV.

Quanto tempore indigent ſpecies Euchariſticæ, ut à ventriculo corrumpantur.

EX his quæ hactenus diſſeruimus, quiſpiam non rectè philoſophari Theologos fortaſſe exiſtimabit, qui dimidiæ tantùm horæ ſpatio, ſpecies ſacramentales panis & vini à ventriculo confici & corrumpi; adeoque corporis & ſanguinis Dominici præſentiam non diutiùs in viſceribus noſtris hærere, docent.

Sed qui hoc dicit, perpendere etiam debet, an ſpecies illæ à ventriculo vel alijs cauſis, in ſemicrudo adhuc chylo corrumpi non poſſint, ante perfectam illam concoctionem, & tantam chyli maturitatem, quantam exigit, ut è ventriculo in inteſtina à natura ſponte dimittatur. Nã in vino inprimis ſatis liquet, quòd niſi alio cibo ſolido, in ventriculo retineatur ſæpe etiam ante horæ quadrantem mutato colore, ſapore, & omnibus ferè vini accidentibus emeitur, nec unquam ad naturam vini revertitur. Imò, quia in ore inchoatur quoddam primæ concoctionis rudimentum, *vinum ſubrubrum pauco momento ore conceptum, tum ardorem, tum ruborem deponit*, ait Fernelius; *& odorem quoque*, ut addit Valleſius. Fernel. lib. c. 6. de funct.

Species verò panis pertinaciùs quidem quàm ſpecies vini, in ventriculo durant, ſed tamen tantilla particula à ventriculo, præſertim jejuno & appetente, dimidiatâ fortaſſe horâ, poteſt deſtrui. Quo enim minùs cibo oneratus fuerit ventriculus, eo citiùs temperiem & formam mutat rerum quæ ingeruntur. Multitudo enim & varietas tardat concoctionem. Vnde in ebrietate, aut crapulâ, poſt horam etiam unam aut alteram, cruda ſæpe omnia revomuntur; præſertim ubi potu nimio ſtomachus redundat & cibi natant. Quo enim plus aquæ eſt in olla, eo tardiùs carnes eodem igne coquuntur. Vnde in ventriculis pituitoſis, ſenilibus, aut à morbo languentibus, ſuadeam horam integram ut minimum, à ſacra communione,

 vomitum

vomitum ſuſtinere.

Tantundem etiam temporis, jentaculum, aut prandium differre debent, qui ex ſancta reverentia (etſi hic nullum ſit præceptum) profanos cibos præſentiæ Chriſti ſuperijcere nolunt.
Tolet. lib. 2 c. 29. Sum. Nimis enim breve tempus huic rei, meo judicio, aſſignat Toletus, qui credidit, *fortè dimidiâ quartâ horæ, ſpecies à calore naturali conſumi.* Calor enim iſte naturalis non eſt tam acer & vehemens, ut bullire faciat ventriculum, ſicut olla bullit ſuper ignem; ſed tepefacit tantùm, ut experiri licet, ſi chylus etiam perfectè coctus revomatur.

Olim autem ſex circiter horas expectare iubebantur, ut omnes ſpecies Euchariſticæ, perfectâ chyloſi, & fortaſſè chymoſi, diſſipatæ eſſent. Nam *ſi manè Dominica portio editur*, ait
De conſecrat. d. 2. can. 23. Papa Clemens, *uſque ad ſextam ieiunent Miniſtri qui eam conſumpſerunt : ſi tertia vel quarta hora* (diei articialis, diviſi in 12. horas) *acceperint, ieiunent uſque ad veſperam.* Quem Canonem S. Thomas dicit *per contrariam conſuetudinem eſſe abrogatum.*
S. Tho. 3. p. q. 80. a. 8. ad 6.

Eſt tamen *conſuetudo Vrbis, digna maxima Maximorum Pontificum prudentia, quam Orbis imitari deberet,* ait Navarrus, *ut damnato ad mortem denuncietur ſententia poſt mediam noctem, ut liceat ei confiteri & communicare quatuor horis ante mortem, ut iam corruptâ tanto temporis ſpatio, panis ſpecie moriatur.*
Navar. c. 25 n. 23. Manual.

Verùm Eccleſia ad cautelam, quatuor horas accipit, ubi una, aut dimidiata fortaſſè ſufficeret; niſi tamen morituri ventriculus, imaginatione & anxietate vicinæ mortis (quod credo) in concoquendo ſit ſegnior. Alias exiſtimo tantillum chyli quod conficitur ex pane Euchariſtico, poſt horam, aut dimidiam in ventriculo valenti, licet adhuc ſemicoctum, tantum differre à pane qui ingeſtus eſt, quantum fortè omphacium (quod vulgò agreſtam vocant) à ſucco terræ. Nam ſicut terræ ſuccus à vite attractus mutatur primò in omphacium & crudum quoddam vini rudimentum, ac deinde maturatur in vinum; ita panis, aut cibus, à ventriculo primùm corrumpitur in imperfectam quandam chyli cruditatem, odore tetro & ſapore (ut ex vomitibus patet) à priore cibo multum

multum differentem, & deinde in chylum maturum & perfectum, qui ad ſui perfectionem pluribus horis indiget, ut antè eſt diſputatum.

In ſputando autem poſt ſacram communionem, major eſt libertas. Sputa enim maxima ex parte, non ex ventriculo, ubi coquitur cibus, ſed ex pulmonibus aſcendunt, aut deſcendunt ex cerebro. Vnde ſi ſpecies panis deſcenderint in ventriculum, non poſſunt ferè redire ad os, niſi per vomitum, aut reſolutæ in exhalationem, quæ levitate ſua aſcendat ſurſum; in qua exhalatione jam ſpecies panis diſſipatę ſunt, & præſentia Chriſti evanuit. Non ſunt autem in ventriculo pulmones, qui per œſophagum cibos excutere in os valeant, ſicut phlegmata per aſperam arteriam excutiuntur.

De ſpeciebus vini quas in Miſſa ſumunt ſacerdotes, videtur majus periculum. Si enim ſtatim à Miſſa ſalivam expuant, apparet miſceri aliquid de ſpeciebus & humore vini, etiamſi totum deſcendiſſet in ventriculum. Nam vinum calore ventriculi faciſſimè & illicò reſolvitur in vapores vinaceos, qui momento ferè ſurſum redire poſſunt.

Attamen verſimile eſt, in vapore vini non remanere pręſentiam corporis Chriſti, uti nec vini eſſentiam. Nam apertè Ariſtoteles, interprete Gaza: *Si vapor vini exhalarit, non poſtmodum in vinum concreſcit, ſed in aquam.* Aut certè, ſi non in aquam elementarem, ſaltem in aquam vitæ, aut alium liquorem concreſcit, qui non videtur naturalis vini omnes proprietates & eſſentiam retinere. Ariſt. ſect. 13. Problem.

Si quid etiam ſpecierum vini in ore ſacerdotis communicantis remaneat, citò etiam evaporatur, aut in ſalivam tranſit. Nam vinum rubellum, ſi modico tempore in ore contineatur, colorem, odorem, vires amittit, ut ex Fernelio & Valleſio antè diximus, nec unquam, credo, ad vini perfectam naturam redibit. Quia tamen res hæc phyſica & dubia, ſacerdos poſt calicis ſumptionem, aliquanto tempore, in myſterij reverentiam, à ſputando abſtineat.

Cavendum quoque, ne fortè particula ſpecierum panis inter dentes, aut in aliquo oris ſinu adhæreat. Facilè enim

poſt horam unam, aut alteram incorrupta expueretur. Nam calor naturalis longè debilior eſt in ore, quàm in ventriculo, & tardiùs ſpecies corrumpere valet.

CAPVT IV.

De chymoſi.

SEcunda alimenti concoctio fit in hepate, vocaturque chymoſis ſeu chymi confectio, ex chylo quem ventriculus hepati præcoxit ac præparavit. Vbi enim ventriculus in perficiendo chylo ſatis officio functus fuit, Ianitor, ſive inferius ejus orificium, valvas ſuas aperit, & ventriculus vi expultrice chylum in inteſtina deturbat. Hic dum per multarum ſpirarum circuitus, & velut labyrinthorum flexus inteſtina perambulat, à venis meſenterij exugitur, ſuccuſque ad chymoſin & ſanguificationem in hepar traijcitur, partibus chyli craſſioribus & magis terreſtribus prolabentibus interea in alvum, tanquam infimam corporis ſentinam; unde poſtea ſuo tempore foràs per inteſtinum rectum deturbantur:

Matth. 15. Hinc patet, quomodo explicandum quod Dominus diſſerit apud Matthæum, *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur*. Non enim dixit, *Totum*, ſed *Omne*, id eſt, cujuſcunque generis cibi aliquid, ſive craſſiores & terreſtres partes, quæ ceterarum ſunt purgamenta, in ſeceſſum emittuntur. Vnde Marcus quaſi explanans Matthæum, *Omne extrinſecus introiens*, inquit, *in ſeceſſum exit, purgans omnes eſcas*: ſubtrahendo & ſecernendo ſe videlicet, per modum purgamenti, à parte ſucculenta & alibili, quæ in corpore remanet, & in ipſum convertitur. Hinc etiam ſapore & alijs qualitatibus pars iſta plurimum differt. *Omnibus enim alimento eſt, quod dulciſſimum & coctiſſimum*, inquit Ariſtoteles.

Marc. 7.

Ariſt. lib. 4. c. 8. de generat. animal.

ARTI-

ARTICVLVS I.

Qua ratione ſanguis generetur in hepate.

POſtquam hepar, ſive jecur utilem chyli ſuccum ad ſe per venas meſaraicas, aut lacteas, ut alijs placet, & venulis anguſtiſſimis exceptum, tanquam ſpongia combibit, calore ſuo naturali, & totâ ſuâ temperie ſanguificâ eum in ſanguinem excoquere incipit. Brevi autem tempore, chyli candorem in rubedinem ſanguineam, & totum temperamentum mutat, ſibique proximè quàm poteſt, aſſimilat. Eſt enim hepar viſcus rubeum, & inſtar ſanguinis in grumum concreti, & firmiter compacti.

Quia verò materia chyli unde conficiendus ſanguis, non eſt unius undique temperamenti, idcirco ſanguis ſuas etiam fæces & purgamenta habet. Nam præter ſanguinem, qui eſt opus quod natura principaliter intendit ad nutritionem animalis, hepar quatuor pręterea humores, melancholiā, bilem flavam, pituitam, & ſerū conficit. Nec enim quinque iſti humores inveniuntur in alimentis, ita ut concoctione tantùm ſeparentur, ſed in hepate fabricantur, ut rectè poſt Galenum ſuum docet Valleſius. Nam qui contrà ſentiunt, inquit, *cur ex melle in iuvenis ventriculo bilis, in ventriculo ſenis bonus ſuccus proveniat, nihil probabile afferre poſſunt.* Valleſ. lib. I. c. 13. contr.

Sic Chymicorū alembicus, inſtar hepatis, ex materia heterogenea res varias conficit; quas Chymici ſe ſeparare falsò imaginantur, cùm eas igne artifice in ollis ſuis potiùs generent.

Ceterum totum, φύραμα aggregatū ex quatuor alibilibus humoribus appellatur chymus. Bilis atra eſt graviſſima, inſtar elementi terræ, pituita eſt ſimilis aquæ, ſanguis aëri, flava bilis igni. Serum verò non eſt alibile. Secus pituita, quæ eſt ſanguis crudus.

Si ſanguis cum iſtis omnibus excrementitijs humoribus venas illaberetur, atro ictero ab atra bile, flavo ictero à flava bile, & varijs generibus morborum corpus laboraret. Si deinde atra

atra bilis cum ſanguine cor peteret, ſpiritus vitales tetri & melancholici fabricarentur, qui deinde cerebrum petentes, homines in maniam agerent, ut in morbis melancholicis videmus.

Igitur ad fæces iſtas ſanguini detrahendas, triplex quaſi ſentina in vicino poſita eſt. Lien ad bilem atrā, cyſtis ſive folliculus hepatis ad bilē flavam, renes ad ſerum attrahendum. Sanguis autem cum ſuâ pituitâ, & ſero in venas effunditur. Pituita, ut cruditate domitâ, in ſanguinem percoquatur. Serum, ut eo tanquam liquidiore vectore, ad ultima venarum expeditiùs ſanguis perveniat. Deinde ad renes revocatur per venas emulgentes, & a renibus traijcitur in veſicam per ureteres, & inde emeitur foràs. Hinc patet, quàm neceſſariò urina colore, & alijs qualitatibus referre debeat temperiem ſanguinis, cui ſic permixta fuit, & vi renum attractrice inde abſtracta.

Reliquiæ tamen ſeri, quas non tam exactè renes emulgere poſſunt, ſanguini permixtæ in venis manent, ut eum per extremos tandem & capillares anguſtiſſimos meatus, uſque ad ultimā hominis cutē pervehant. Quo officio poſtquàm humor ille perfunctus fuerit, in ſudorem per poros exprimitur.

Negare tamen videtur Ariſtoteles, ſanguinem uſque ad extremam omnino cutem pervenire. *Procedunt*, inquit, *venæ in minores ex amplioribus, quouſque arctiores reddantur, quàm ut ſanguinem tranſmittere poſſint. Quamobrem exitus ſanguini nullus patet: licet excremento vaporis humidi, quem ſudorem vocamus, ſatis pateat. Sed ne illi quidem, niſi corpore calefacto, & venularum clauſulis patefactis.* Veruntamen extrema etiam cutis ſanguine alitur, ſed eo tam tenui & ſudoribus diluto, ut non appareat rubor. *Nonnullis tamen accidit*, inquit Ariſtoteles, *ut cruentum quoddam excrementum ſudarent propter vitiatum corporis habitum, ſcilicet cùm corpus fluxum laxumq́; eſſet.* Sic in magna illa Chriſti agonia, cum toto corpore, reciproco motu æſtuaret & fluctuaret ſanguis, apertis & hiantibus poris excidit ſudor ſanguineus, *ſicut guttæ* (θρόμβοι grumi) *ſanguinis decurrentis in terram.*

Ariſt. lib. 3. c. 5. de partib.

Luc. 22.

Aliquando verò ſic pori corporis conſtringuntur, ut nihil ſeri & ſudoris exire valeat per cutem, ſed totum retrò in renes revertatur,

revertatur, & in veſicam tranſcoletur. Hac de cauſa in hieme conſtipatis gelu poris, effuſiùs lotium reddunt homines, quàm æſtate, licet parciùs bibant. Nec ſemper etiam verum, quod Medici quidam dictitant, urinæ copiam potui reſpondere. Nam ſi potus à cibo ſolidiori ſuſtenetur, ne mox præterfluat, ſanè in ſubſtantiam viventis, non minùs quàm cibus vertitur. Imò plus alimenti eſſe à potu quàm à cibo docet Ariſtoteles, quia *humidum alimentum*, inquit, *eſt valentius, quàm ſiccum, quoniam plurimum eſt, exq; & cibis ipſis, non niſi quod humidum eſt, vim nutriendi habet*. Nam ideo & ventriculus, & hepar, quantum valent, ſolidum & ſiccum cibum diſſolvunt ac in humorem liquant. Vnde etiam ex cibo, non ex ſolo potu, aliquid in urinam vadit: ut patet ex quibuſdam qui nihil aut vix bibunt, ut ille Laſyrtas Laſyonius apud Athenæum, & tamen ut ceteri mejunt. Quanquam non negem partem etiam urinæ nec à potu, nec a cibo eſſe, ſed ab humoribus ſuperfluis qui confluunt & urinam augent, ſicut torrentes aliorſum incurrentes, flumina inflant. Deinde adeps & carnes per colliquationem in materiam urinæ abire poſſunt. Hinc differentia urinarum apud Hippocratem, *aquearum*, *bilioſarum*, *purulentium*, *abradentium*, *ſtrangurioſarum*, *oleoſarum*. Sic colliquato adipe, *obæſum quendam & tumidulum vidi*, inquit Fernelius, *ex multa mictione, diebus circiter octo mirum in modum extenuari & concidere*.

Ariſt. ſect. 1. Problem.

Athenæ lib. 2.

Hippoc. lib. 1. ſec. 2 Epid.

Prȩter verò ſerum, quod indomitum eſt nec in ſanguinem excoqui poteſt, eſt quidā alius affinis humor in venis ſanguini quoq; permixtus, qui pituitæ nomen accepit. Eſt enim pituita *Humor primus ex cibo incoctus*. Qui nempe deinde percoqui & perfici poteſt. Hic autem humor eſt crudus quidam ſanguis, qui à venis excoqui, & alendo corpori utilis effici valet. Nam venȩ de virtute ſanguificâ hepatis participāt, & ad hoc inſigniter ab arterijs, quas ſingulæ ſingulas ſuppoſitas habere ſolent, adjuvantur. Sanguis enim arteriarū calidior & ſpiritalior eſt, quàm venarum. Plurimi Medici ſanguini ab omnibus ſuis fæcibus depurato, prȩter pituitam, addunt etiam ſpiritum naturalē, tanquam ſubtiliſſimam ejus partē. Pulchrè autem Ariſto-

Ariſt lib. 6. c 3. Topic.

 teles

Ariſt. lib. 3. c. 5. de partib.

teles venas & arterias rivis & canalibus comparat, quibus horti undique diſſecantur & irrigantur. Nam *ut in hortis rigandis*, inquit, *de una origine fonteq́, uno aqua rivis permultis diducitur, alijq́, ab alijs ductus ſubinde excipiunt, quouſque humor in omnes partes deveniat; ita venarum rivi in omnes corporis partes expanduntur*. Sanguis enim in hepate ſatis excoctus, & in ampliſſimam venam, quam vocant cavam, deſtillans, in minores deinde ac minores venas, tanquam venæ cavæ ramos excipitur, & ſic per totum corpus, ad illud potandum & alendum, diſpergitur.

Ad hæc omnium membrorum, ex uno ſanguinis fonte irrigationem & potationem eleganter alludit Apoſtolus: *Omnes in uno ſpiritu* (εἰς ἓν πνεῦμα, in unum ſpiritum) *potati ſumus*. Nam *optimus Philoſophus Paulus*, ait Cajetanus, *conformiter ad Philoſophos in naturalibus loquitur. Alimentum ſiquidem ſecundum Philoſophos conſiſtit in humido, & per modum ſuctûs alitur corpus. Conſtat autem ſuctum, ſpeciem eſſe potandi*. Sicut ergo omnia membra animalis, ex cibo & potu in ſanguinem percocto & liquefacto corporaliter potantur & aluntur; ita omnia membra viva corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, eodem cibo & potu Euchariſtico ſpiritualiter. Et ſicut cibus & potus corporalis in incrementum corporis humani, ita cibus & potus Euchariſticus in incrementum gratiæ ſpiritualis quodammodò vertitur.

1. Cor. 12.

Ceterùm particulam ſanguinis purioris cor ad ſe attrahit, & eam in ſpiritum vitalem extenuat. Quem in arterias deinde effundit, ad fovendum calorem naturalem, qui inſitus eſt omnibus partibus viventis, tanquam commune inſtrumentum, quo anima partium nutritionem perficit. Officina autem in qua cor ſpiritum vitalem fabricat, eſt ſiniſter ejus ſinus; à quo etiam ortum habent arteriæ, ut ſpiritum elaboratum in ipſas tanquam rivorum alveos, ſinus ille exoneret. Vnde concinnè Ariſtoteles cor vocat ἑστίαν *focum* animalis, propter officinam iſtam ſpirituum quibus calor naturalis per totum corpus diffunditur. Vi autem quadam σφυγμικῇ *pulſatili* dilatat ſe cor per diaſtolen, & contrahit per ſyſtolen, unaque omnes arterias, ſanguinis impulſu, aut aliâ vi movet, ad eventi-

Ariſt. lib. 3. de partib.

eventilandum ſuum, & omnium partium ad quas arteriæ pertingunt, calorem naturalem. Nam per dilatationem aërem externum per poros cutis arteriæ attrahunt, per contractionem fumidas & ſuperfluas exhalationes expellunt.

Ex œconomia & qualitate hujus pulsûs, Medici de affectu cordis & ſanguinis arterioſi, in febri, & alijs morbis judicant. Iſto etiam pulſu aliqua pars ſpiritûs vitalis ſurſum in plexus choroides, & deinde in cerebrum expuitur, ut inde formetur ſpiritus animalis, quo motus localis animalium, & operationes ſenſuum adminiſtrantur.

An autem perpetua circulatio ſanguinis per venas & arterias ita fiat, ut ſanguis arterioſus, per anaſtomoſes, quibus inter ſe conſeruntur venarum & arteriarum extremitates, perpetuò effluat ex arterijs in venas, & ex venis iterum redeat ad cor, à corde rurſum per arterias in venas (quòd Harvei, Medici Angli nuperum inventum eſt, & quibuſdam alijs ingenioſis placet) Medicorum filij adhuc cogitent. Licet enim experimentis & argumentis admodum veriſimilibus id probare videantur; metuo tamen, ne in iſta circulatione circulatoriæ aliquæ præſtigiæ, aut alius lateat error. Nam experimenta quæ adferunt (ut ſubitus venarum tumor infra brachij ligaturam, quâ Chirurgi in phlebotomia utuntur &c.) aut profectò nihil, aut circulationem illam valde rapidam & torrentem eſſe probant. Qui autem fieri poteſt, ut per anaſtomoſes, quæ ſunt *inviſibiles quædam atque anguſta planè viæ*, ut Galenus loquitur, ſanguis arterioſus cum ſuis craſſamentis & fibris (quas etiam in eo experientia & Medici jam, contra Eraſiſtratum agnoſcunt) tam rapidè & citò traijci poſſit? Deinde, ſi ita fiat; cur venæ non perinde atque arteriæ ſubſiliunt & micant? Præſertim ſi vera eſt altera eorundem opinio: Quòd arteriæ ab impetu ſanguinis arterioſi, quem cor in eas evomit, pulſum ſuum ſolennem habeant. Nam ſanguis arterioſus, tanquam torrens in ſanguinis venoſi fluvium incurret, ac eum inflabit, facietque ut venarum tunicæ, non ſecus ac arteriarum, ad ſingulos incurſus ſubſiliant.

Vt autem hoc argumentum evadant, non aliud reſpondere

poſſunt, quàm ſanguinem arterioſum non impetu, ſed tardâ quadam tranſſudatione, per anguſtas anaſtomoſes, vel etiam per ipſam carnis ſubſtantiam, tanquam per ſpongiam, in venas lentè pervenire. Hoc autem eſt, præcipuas experientias, quibus circulationem ſuam perſuadere volunt, penitus interimere. Si enim tam lentè tranſſudet, quomodo tempore aliquot pulſuum ſic implet venam brachij?

Cogitent igitur, an alterum illud argumentum, ſumptum ex copia ſanguinis, quem ſingulo quoque die cor per ſyſtolen in arterias vomit, non poſſit ſolvi, dicendo: Non totam illius ſanguinis materiam ex vena cava proximè hauriri, ſed partem ejus ex arteria aorta, per conniventes ejus valvulas, in diaſtole ad cor revocari, ut perfectiùs elaboretur. Tam celeri enim & unico per cor tranſitu, non videtur quomodo ſanguis venoſus in ſpiritum vitalem & ſanguinis arterioſi qualitatem valeat excoqui.

Ceterùm, ex puritate & bonitate ſanguinis, non tantùm totius corporis ſanitas pendet, ſed acies intelligendi; & ingenioſorum ſanguinem aliquando contemplati (& Medici dicunt) cum refrixiſſet, brevi & ſubtili ſtamine contextum, non longis & craſſis fibris, ut ſtupidorum, deprehendimus. Quo enim ſubtilior & tenuior ſanguis, eo ſpirituum vitalium, ac deinde animalium, quibus ingenium utitur, ſubtilitas eſt major.

Ciborum autem & potûs qualitas plurimum refert in ſanguinis bonitatem. Nam ſanguis & lac animalium ſapore & odore ſæpe produnt, quibus herbis paſta ſunt. Vnde Galenus, *Talium animalium*, inquit, *carnes perpetuò exhibere oportet, quale volumus corpus humanum reddere*. Non enim in ventriculo, hepate, venis, & poſtremò in ſingulis membris ita perdomatur alimentum, ut nihil de prioribus proprietatibus ſuis retineat. Hinc *lactuca frigidum, vinum calidum ſanguinem; ſuæq. naturæ conſentaneos profert humores*, inquit Fernelius: *Azymus panis & caſtanea craſſum atque lentum, vitellus & pullus gallinaceus tenuem &c.* Probabile quoque eſt, ait Philoſophus quidam Platonicus, *longæva quadam animalia, ut cervum, ad vitam conferre longævam; ſi tamen huiuſmodi carnes juvenes comedantur*. Quam doctrinam

Gal. lib. 11. de ſimpl. med.

Fernel. lib. 1. c. 14. de morb. cauſ.

Ficin. lib. 1. c. 6. de vita prod. c.

nam quidam, & inter eos Campanella, euſque extendunt, ut carnes vulpinas præſcribant ijs qui aſtutiam, caninas, qui ſagacitatem ſibi comparare volunt. Quibus ſi credendum eſt, vervecinis fortaſſe abſtinere oportebit, ne verveces & ſtolidi efficiamur.

ARTICVLVS II.

An ſicut ſanguis in hepate, ita vinum in uva generetur.

AD hanc quæſtionem libuit pauliſper in tranſitu divertere, quia Theologi quidam argumento ſanguinis, qui in ſolo hepate generatur, negant vinum extra uvam poſſe gigni, ideoque aquam in calice Euchariſtico, ajunt nunquam à vino in vinum verti. Favere videtur Scriptura, quæ vinum vocat *ſanguinem uvæ meraciſſimum.* Vua igitur eſt ut hepar, vinum ut ſanguis. Vnde ſicut hepar eſt unica cauſa à natura determinata ad ſanguinis, ita uva ad vini generationem. *Vitis agnoſco proprietatem*, inquit, Aquilonius, *quæ aquam ſuccumque terræ prolectum in uvam traducit, unde poſtea fit vinum: at vinum expreſſum non magis poteſt aquam in ſuam naturam commutare, quàm emortuus arboris ramus alimentum capeſſere ac nutriri. Nam vinum nec ſeminalem, nec plantalem vim habet.* Eandem quæſtionem omnium diligentiſſimè tractat & diffundit Rev.mus & Eruditiſſimus vir Paulus Areſius, Epiſcopus Derthonenſis, in Libr. Ariſt. de Generat. & poſtea, in peculiari Libello, *de aqua tranſmut. in ſacrif. Miſſæ.*

Deutr. 32.

Franc. Aquil. lib. 5. prop. 18. Optic.

P. Areſ. lib. 1. c. 10. q. 52. de generat.

Plurimis verò argumentis, & invictis, ut credit, negat vinum poſſe ullo eventu aquam in ſe convertere, non ſi unica gutta aquæ in mille amphoras vini infundatur: additque, Ariſtotelem, S. Thomam, Scotum, alioſque tam Philoſophos quàm Theologos veteres à ſe ſtare, quos tamen alij ad ſe conentur pertrahere,

Sed tamen profectò in limine iſto ſtatim offendit, & inſigniter labitur. Nam Ariſtoteles ſatis diſertè indicat modicum aquæ infuſum vino converti in vinum, ut lignum in ignem, ut cibus vertitur in carnem. Et ibidem in fine cap.

Ariſt. lib. 1 c. 5. de generat. comparat animal ſeneſcens cum vino, quod ab infuſa aqua paulatim debilitatur, nec poteſt in fine niſi vinum debile & & aquoſum ex aqua conficere.

S. Th. 3. p. q. 2. a. 1 & q 74. a. 8. ad 2. q. 77. a. 8. Nonne hoc etiam S. Thomas ſatis dilucidè? *Ex his quæ plurimum diſtant*, inquit, *non poteſt fieri mixtio. Solvitur enim ſpecies unius eorum; puta, ſi quis guttam aquæ amphoræ vini apponat.* Vnde alibi aperte aquam in calice, *in vinum converti:* & quidem per *corruptionẽ aquæ*, ut ex objectione patet. Ac deinde: *Gutta aquæ multo vino permixta, tranſit in ſpeciem vini, ut dicitur lib. 1. de generat.*

Scot 2. d. 19. q. 1. Et Subtilis Scotus: *Vinum*, inquit, *primò convertit aquam in ſe. Toties autem poteſt apponi aqua, quòd deficiet virtus vini in convertendo.* Ceteros Scholaſticos tam veteres, quàm novitios quid attinet huc turmatim citare? Sed Areſius alijque ad Oenopolas & Chymicos provocant. Iſti enim aquam, quę multis menſibus vino permixta fuit, docent arte à vino incolumem ſeparare. At ego Chymicis ipſorũ, hunc unum inter artis Principes And Libau. lib. 2. Epiſt Chymic. Chymicum oppono. Andreas Libavius eſt, in Epiſtola ad Phil. Scherbium. *Confundere aquam & vinum*, inquit, *Oenopolarũ eſt, ſegregare, ut vinum exeat, vel aqua, tentatum potiùs eſt, quàm præſtitum.* Nec modos illos, per vas hederaceum, per arundines, aut bibulas ſambuci medullas &c. magnopere æſtimat. Nec ego ſanè alias experientias & artificia Io. Bap.tæ à Porta, per pondera ſcilicet, & alias id genus valde ęſtimo. Nam phlegma vini, pondere ſenſibiliter non differt ab aqua elementari. Vnde licet aliquid extrahant ex vaſe, quod gravius ſit vino perfectè matu- Ariſt. lib. 1. c. 10. de generat. ro, non tamen ex pondere dicere poſſunt, an vinum crudum, an aqua ſit. Conſentit etiam Libavius iſti Philoſophi pronuntiato: *Quod exuberat, alterum in naturam ſuam vertit.* Et id in mixtura vini & aquæ etiam verum eſſe dicit. Sed *Oenopolæ*, inquit, *aucturi ſuum vinum, excedunt aquæ modum.* Plerumque enim ſitulatim potiùs, quàm guttatim vina ſua, ex avaritiâ diluunt.

Sandæ in Theol. Myſtic. Fallitur ergo Myſticus ille qui audacter aſſerit, *Ariſtotelem, Plinium, omneſque noſtri temporis Medicos & Chymicos negare, fieri converſionem ſubſtantialem aquæ in vinum transfuſæ.*

Sed nonne tamen aquam, ſaltem per deſtillationem, vino detrahunt Chymici?

Sanè

Sanè detrahere poſſunt, ſi tanta copia infuſa fuerit vino, ut non potuerit digeri Aliàs, non aquam extrahent, ſed vinum aquoſum, quod ſuam aquam adhuc reſipit, ut optimè S. Thomas. Imò non tantùm ex vino lymphato, ſed ex puriſſimo, quale uvâ expreſſum eſt, humorem aquaticum, quod phlegma vocant, educunt Chymici. Nam veluti ſanguis animalis ab atra, & flava bile, & ſero ſuo repurgatus, adhuc tamen eſt corpus heterogeneum, ex ſpiritu naturali, pituitâ, ſive ſanguine crudiori, & ſanguine percocto perfectoque conſtans; ita ſanguis uvæ, ſive vinum omnibus ſuis fæcibus eructatis & deterſis puriſſimum, tres adhuc partes in ſe continet, florem ſive ſpiritum vini, vinum mediocris conſiſtentiæ, & phlegma. Hoc verò phlegma, aqueum, & in toto vino ponderoſiſſimum eſt, ideoque fundum vaſis petit. Et iſta eſt aqua, quam Oenopolæ & Chymici ajunt ſe à vino generoſiori per artem ſeparare. Id eſt, re verâ aqua elementaris non eſt, ſed humor ei ſimilis, informatus à forma vini; ſed ita ſpoliatus generoſi vini qualitatibus, ut vini cadaver magis, quàm vinum eſſe appareat.

Vnde iterùm falluntur, cùm aquam eſſe, guſtu ſe dicunt diſcernere. Nam hac ratione, in carnibus etiam caponis judicabunt inſipidum terræ elementum formaliter contineri. Si enim ex capone elixo quintam eſſentiam, & totum ſuccum per linteum exprimas, ea quę remanent, *adeò omni carnis ſubſtantiâ, odore & qualitate orbata ſunt, ut canibus obiecta, nec olfacere dignentur*, ait Io. à Porta. Sapor enim carnium in ſucco, quo turgent carnis pori, non in ſtamine & ſubtemine, ſive in aridis illis filis, quibus prima carnis veluti tela contexitur, præcipuè conſiſtit. Sapor itidem vini non in phlegmate ejus, nec etiam in tenuiſſimo ſpiritu præcipuè viget; ſed in mediocris corpulentiæ vino, quod medium vaſis, inter ſpiritum & phlegma vini; ſicut in Mundo elementari aër inter ignem & aquam, locum tenet. Fęces verò & hypoſtaſis vini, quę in imo vaſis ſubſidunt, terreſtris elementi ſimilitudinem habent. Hinc vulgatum illud olim inter Philoſophos & Medicos: *Vinum in medio vaſis, oleum in ſummo, mel in imo præſtantiſſimum eſſe.*

Io. Porta libro Magiæ.

Hæc

Hæc ſcitè & exactè penſiculatis ſummus Philoſophus Innocentius III. Pont. Max. Phyſicorum, & Chymicorum experientiam, in ſeparatione aquæ à vino, non magni pendit. Nam *alij tenent*, inquit, *quòd aqua cum vino tranſſubſtantiatur in ſanguinem, cùm in vinum tranſeat mixta vino: licet Phyſici contrarium aſſeverent, qui aquam à vino per artificium poſſe aſſerunt ſeparari.* Vbi ait, ex ſententia quorundam, quam poſtea approbat, modicum illud aquæ calici infuſum, mediatè tranſſubſtantiari in ſanguinem, ubi tamen antè in ſubſtantiam vini tranſierit: quidquid Phyſici dicant, aquam in calice, aut in dolio, à vino non poſſe in vinum converti. Nam etiam ante Pontificatum adverſus iſtos Phyſicos dixerat: *Quis ambigat, aquam in vinum tranſire, cùm multo vino modicum infunditur aquæ?*

Cap. *Cum Martha de* cebrat. Miſſ.

Lib. 4. de ſacram. altar. c. 31.

Sed ſi aqua infuſa dolio mutetur in vinum, quid opus vinum novum emere? inquient. Certè enim, qui unicam etiam ſcintillam ignis habet, non emit ignem, ſed tantùm ligna, ut inde ignem accendat. Sic ergo, qui dolium vini habet, modò aquam, id eſt, materiam vini habeat, quam dolio paulatim & ſucceſſivè infundat, non eſt quòd aliud vinum emat. Nam ubi prior cyathus aquæ, in vinum converſus erit, ſecundum cyathum infundat, & ſic deinceps. Si enim non amplius vini depromat, quàm aquæ infundit, dolium nunquam deficiet.

Ariſt. lib. 1. c. 5. de generat.

Sed argumentum hoc ab Ariſtotele & Scoto paulò antè ſolutum audivimus. Quia nempe vinum infuſâ paulatim aquâ redditur ad convertendam alteram aquam debilius. Nam vinum, etſi fortius, repatitur ab aqua, nec à vino debili & aquatico quod ex aqua factum eſt, juvatur, ſicut à vino generoſo. Simili prorſus modo, quo animal convertendo alimentum in ſuam ſubſtantiam, fit quotidie ad convertendum imbecillius. Dilucidè Durandus: *Sicut virtus vini convertentis aquam, paulatim per admixtionem aquæ debilitatur, ut tandem fiat aquoſum; ſic virtus converſiva alimenti, primò quidem fortis exiſtens, poſtea debilitatur, deinde deficit, ita ut neque poſſit aliquid convertere.*

Sed vinum hoc aquaticum per naturalem reſultantiam reducere ſe ad naturam maturi & generoſi vini, inquiunt, quale

quale fuit illud quod Chriſtus ex aqua confecit in Cana Galilææ, valebit. Nam aqua calefacta, per talem reſultantiam reducit ſe ad frigus.

Et ſanè, ſi omnia corpora naturalia ſe reducerent ad qualitates ſuas naturales, argumentum nos acriter ſtringeret. Sed quis unquam vidit ſenem, per naturalem reſultantiam redire ad temperiem juventutis? Quis marmor carioſum, aut calceos veteres reſilire ad decorem priſtinæ novitatis? Cur deinde forma ſubſtantialis vini, quæ eſt in phlegmate & parte crudiore vini, non producit in ſe per reſultantiam, maturi vini temperiem? Cur pomum in arbore crudum, ſine ſole & autumno, non tranſilit ad maturitatem?

Reſultantia igitur illa videtur propria eſſe elementis: ne tam facile forſan interire poſſint ſimplicia iſta corpora, quorum qualitates tam neceſſariæ ſunt animantibus, & univerſis corporibus mixtis. Mixta verò aut nulla, aut pauciſſima, propter peculiarem quandam naturam, ſemotis agentibus contrarijs reſiliunt ad naturales ſuas temperies. Et ea quæ reſilire videntur, ad unicam ferè qualitatem elementi dominantis; quia ſic etiam univerſi neceſſitas exigit. Sic plumbum & metalla igne liquata revocare ſe videntur (etſi aëri circumfuſo aliqui id tribuant) ad naturale frigus, quo conſiſtentiam recuperent, ne inutilia remaneant plurimis humanis uſibus. Cum ergo tot alia mixta naturali reſultantiâ careant, de vino nemo mirari debet.

Verùm nullum corpus mixtum inanimatum, inquiunt, corpus aliud in ſe convertere poteſt. Nam ſi totum univerſum circumſpicimus, mixta animata quidem aliud in ſe tranſmutant per nutritionem; elementa etiam hoc poſſunt, ſe invicem, aut mixta devorando; quomodo ignis aërem, aut lignum conſumit. Sed mixtum inanimatum nec aliud mixtum, nec ſimplex elementum in ſe corrumpere valet. Aurum enim lapidem aut aquam in ſe, etiamſi proximè attingat, nunquam transformat; ergo nec vinum vertere aquam in ſe poterit.

Verùm nimis generaliter, & audacter aſſumunt, Nullum

mixtum inanimatum vertere in ſe aliud mixtum, vel elementum. Vbi enim tam latè unquam & diligenter ſcrutati ſunt rerum naturas? Nonne enim lapides & metalla quædam materias circumpoſitas ſibi agglutinant, & in ſe fortaſſe convertunt? Vnde cùm Cardanus dixiſſet lapides vivere, quia creſcunt; Scaliger reſpondit, non creſcere actione vitali, ut

Scal. Exer. 102. viventia, ſed *per additamenta tamen grandeſcere*. Quia nempe, infuſo in poros humore lapideſcente, pleniores, aut extrinſecus adhærente, majores fiunt. Nónne rerum ſubterranearum

Agricol. lib. 10. c. 20 &c. foſſil. ſcientiſſimus Georg. Agricolâ etiam docet, *terraneos ſuccos, qui lapidibus & metallis adhæſerint, mutare compoſitionem?* Nónne dicit lapides afflari quadam aurâ & naturâ metalli illius quod in venis attigerint, & hac ratione, lapides quoſdam aurarios, argentarios, plumbarios, ferrarios appellari? Quod autem metallum tales lapides perficere, & uſque ad metalli ſpeciem adducere non poſſit, non eſt indicium, quòd metallum nihil agat, ſed quòd adeò actuoſum non ſit, ut inchoatum opus ad exitum perducere valeat. In metallis enim & lapidibus qualitates primæ, & ſiquæ aliæ, in unam temperiem ſic redactæ & confractæ ſunt, ut ſegnes ſint ad producendas ſibi ſimiles.

Ioſ. Acoſta narrat in Indijs reperiri, & ſe vidiſſe ſmaragdos mediâ parte virides, alterâ adhuc candidos, ſerpente paulatim per candorem virore, ut pars viridis & ſmaragdina videatur candidam alterare, & pedetentim vertere in ſmaragdum. Sic quoque metalla per venas ſuas ſerpere videntur, ut quod perfectè concoctum eſt, juvet ad crudioris concoctionem. Quod tamen non ita apparet, aut fieri poteſt, in corporibus illis duris ſolidis, quæ intra mutuos poros non ſe inſinuant; aliàs enim multis in locis *ſuccus lapideſcens, vel ſolus, vel aquis permixtus*, inquit Agricola, *recipitur in ſtirpium meatus, aut*

Lib. 4. c. 11. de ortu ſubter. *animantium, & præterquam quòd eſt materia, cauſa efficientis rationem ſuſcipit, ac ſic ſe in ipſorum corpus induit, ut id totum ſecum convertat in lapidem.*

Viden' ergo, ut ſuccus lapideus in ſe ſtirpē totā transformet? Sic Albertus Magnus narrat ſe vidiſſe nidū aviculæ cum pullis totum lapideum, quia in lacum, aut limum talis ſucci

decide-

deciderat. Sunt etiam lapides prægnantes, qui alios intra ſe ex ſucco aliquo, aut vapore concipiunt, *ut ætites callimum*, inquit Agricola; imò adamas aliquando adamantem, ait Boetius. *Prodit enim Rueus*, inquit, *adamantem unum alium gignere, ac Dominam Heverenſem è Luxemburgorum Illuſtri genere, duos habere hereditarios adamantes, qui alios crebrò producant, ut eos, quicumque ſtatis temporibus intuetur, congenerem ſibi prolem eniti palàm iudicet*. Quid de lapide illo fiſſili in Aſſo oppido Troiadis, qui corpora defunctorum in ſe condita devorat, & in lapidem vertit, veri nominis ſarcophagus? *In Aſſo Troiadis*, inquit Plinius, *ſarcophagus lapis fiſſili venâ ſcinditur. Corpora defunctorum condita in eo abſumi conſtat intra* XL. *diem, exceptis dentibus. Mutianus ſpecula quoque & ſtrigiles & veſtes & calceamenta illata omnia lapidea fieri auctor eſt*. Hæc fortaſſe contemnentur, ut fabuloſa, quia nunquam vidimus: ſed ſimilitudine majorum naturæ miraculorum, quæ negare non poſſumus, facilè defenduntur.

Anſel. Boet lib. 2. c. 3. de lapid. & gem.

Plin. lib. 36. c. 17.

Si deinde ſulphurariæ egeſto ſulphure, terrâ repleantur, hæc iterum naturā ſulphuris induit; quod, credo, nō aliqua cælis influentia, ſed locus circumquaque ſulphureus facit. Ferrū etiam in Elba Inſula Florentinorum, *quaſi ſtirpibus circumciſis, renaſci, & fodinas illas nullis ſeculis exhauriri*, ſcribit Bodinus. Sic quoque bitumen recreſcit, & à bitumine ſimili fortè regeneratur in terræ viſceribus, ut alendis per centenos, & etiam millia annorum ignibus ſubterraneis, ſufficere poſſit, quibus thermæ & aquæ medicatæ caleſiunt; ut diximus olim in Meteorologicis.

Bodin. lib. 2 Theat.

Si igitur tot corpora mixta inanimata, verâ aut vero ſimili Philoſophiâ, alia ejuſdem ſpeciei ſibi adglutinent, aut generent, cur ita mirantur, ſi vinum ex aqua producat vinum? Sed ex unico ſaltem elemento fieri non poteſt corpus mixtum, iterum reſpondent.

Sed demus hoc ipſis. In aqua tamen noſtra, etiamſi puriſſima videatur, nunquam eſt unicum ſolum elementum, ſed atomi quædam terreſtres, aliaque per eam inſenſibiliter volitant. Illuſtri non ita pridem exemplo Gregorij XIV. Pont. Max. ex gente Sfondrata Mediolanenſi, quem calculus

multarum unciarum tam citò finivit. Is autem, Medicorum ſententiâ, ex aqua concretus fuerat, quam ad annum ætatis decimum octavum ſolam meramque biberat. Nam omnis aqua, inquiebant, etiam quæ limpidiſſima, qualem Italiæ fontes fundunt, & ſinceriſſima putatur, atomos tamen aliquas & hypoſtaſin habet, quæ de facili coit & duratur in lapidem.

Deinde ex unico elemento nil vetat generari mixtum, modò in materiam unici elementi qualitates & temperies corporis mixti imprimantur. Nam corpus mixtum non ex ſubſtantijs quatuor elementorum, *ſed meliùs fortaſſe dici poteſt*, inquit Ariſtoteles, *ex virtutibus confici elementorum. Humiditas enim & ſiccitas, caliditas & frigiditas materia corporum ſunt compoſitorum.* Quod in compoſitione liquidorum mixtorum faciliùs intelligi poteſt. Nam materia eorum aquea non ita indiget permiſceri elemento terræ, quemadmodum in compoſitione ſolidorum, quales ſunt lapides & metalla. Quia enim hæc corpora ſolida habent conſiſtentiam firmam, ideo liquiditas ipſorum aquea per terræ mixturam alligari & ſolidari debet. Liquida verò quale eſt vinum, non egent terrenâ iſtâ ſoliditate; imò eſt contra ipſorum naturam, ſed aquea liquiditas ipſis ſufficit.

Arist lib. 2. c. 1. de partib.

Hoc deinde pro magno obijciunt. Quòd antequam uva vinum excoquat, ſuccus antea in terra præparari, deinde in vitis ligno, ac poſtremò in ipſa uva; quæ denique etiam calore externo, aprico collium, & multis ſolibus indiget ad vini maturitatem & perfectionem. Hæ autem præparationes non præcedunt in materia aquæ infuſæ calici aut dolio, ut ex ea vinum generari poſſit.

Fateor, ad vini exactæ maturitatis generationem præparationes illas requiri; veluti ut maturus, & optimus ſanguis generetur in hepate, debet concoctio in ventriculo, & chyloſis chymoſin præceſſiſſe. Sed tamen, ſicut *vivere poſſumus ventriculo cibum non commutante; ſi ſuccis utamur; licet non rectè vivere, & bono frui ſanguine*, ut ait doctiſſimus Valleſius: ita vinum crudum & aquoſum generari poteſt ex aqua, quæ antea mutationem præparatoriam non perpeſſa fuerit in venis ligni, à radice uſque ad uvam. Si enim, inquam, Medici, ubi

Valleſ. lib. 4 c. 3. controu.

ventri-

ventriculus digerere non poteſt, per clyſteres in inteſtina ſuccos infernè inijciunt, qui per venas meſaraicas rapti ad hepar, mutantur in verum ſanguinem, licet minùs perfectum; cur etiam ex aqua cruda vinum crudum & phlegmaticum à vino generari nequibit?

Errant enim ſanè, qui integro anno, terræ ſuccum, ad conficiendum in vite vinum, præparari dictant. *Alteratur priùs in radice*, ait Areſius, *deinde ſtipite, tertiò in ramis, quartò in ipſo fructu, & ad hæc integer ſaltem annus requiritur; quomodo ergo ſpatio unius horæ poterit vinum immediatè in ſe convertere aquam?* Areſ. lib. 1. c. 10. de generat.

Sed iſta alteratio quæ tam diu in anteceſſum præcedit, non præparat proximè ad vini generationem; ſed primùm ad gemmas vitis, deinde ad pampinos, folia, flores, poſtremò ad uvas, quæ ſunt inſtrumenta & vaſa, in quibus poſtea materia vini tandem percoquitur. Quàm vero citò & repentè propria vini materia à radice in uvam traijciatur & vinum conficiatur, patet, quando pluvia poſt ſiccitatem, maturis uvis, in vineam cadens, mox avidè in uvas ſorbetur, & ſtatim etiam ad oculum, acini uvarum incipiunt vino, ex aqua illa pluviali celeriter confecto, etſi non excoctiſſimo, turgeſcere. Nec exiſtimandum eſt, vinum iſtud novum facultate vitali ſolius uvæ concoqui, ſed etiam à vino maturo quod præerat in uvis, adjuvari. Nam ſicuti ſanguis non ſolùm per facultatem ſanguificam hepatis, aut etiam venarum (poſtquam in venas eſt illapſus) concoquitur, ſed etiam ſanguinis pars coctior & maturior agit in pituitam crudiorem, juvatq; ad ejus perfectionem; ita vinum in uva maturum, adventantem crudum aquæ pluviæ ſuccum mitigat, & tranſitum in vinum accelerat. Hoc quoque argumentum magis moleſtum, quàm arduum eſt.

Non habet, inquiunt, vinum eas qualitates, quibus naturales aquæ diſpoſitiones expellere poſſit, ad vini generationem. Nam vinum eſt formaliter frigidum & humidum, ſicut aqua. Vnde licet *hauſtum accendat calore viſcera intus*, ait Plinius, *foris tamen infuſum refrigerat*. Igitur vinū aquæ frigus potiùs frigore Plin. lib. 14. c. 5.

ſuo formali intendet, conſervabitq́; quàm calore virtuali expellet. Nam calor virtualis non exerit vires ſuas in aquam, ſed in ventriculum animalis, ubi à calore ejus naturali excitatus fuerit. Vnde aquam frigidam permixtam vino, calefieri aut tepeſcere minimè experimur.

Verùm quæro viciſſim ab adverſarijs, quas qualitates uva imprimat aquæ pluviali, quando ex ea vinum coquit? An frigus tantùm & humiditatem? Non credo. Nam aqueus humor illas à ſeipſo habet; nec unquam ſic aquam in vinum deſtrueret. Itaque fateri debent, alias quaſdam diſpoſitiones introduci ab uva in materiam aquæ.

Ac in primis, calor aliquis non tantùm virtualis, ſed etiam formalis imprimitur. Nam uva, & omnis planta, calore aliquo naturali prædita eſt ad digerendum alimentum, etiamſi propter tenuitatem & majus frigus, non apertè ſentiatur. Deinde ſiccitatem quandam producit; quæ maximè in ſpiritibus vini apparet, in quibus igneæ qualitatis aliquid ineſſe videtur, cùm muſtum digerant & faciant efferveſcere.

Sic ergo omnes quatuor primæ qualitates inſunt vino; & calorem ac ſiccitatem quam accepit ab uva, poteſt in aquam dolio infuſam transfundere. Quippe ſiccitas & humiditas ſunt etiam qualitates activæ, ut contra Stoicos & Ariſtotelem (ſicut putat) docet Galenus: *Licet calidum & frigidum*, inquit, *in animalibus & ſtirpibus magis agant, ſiccum verò & humidum pati videantur; non tamen ſic res ſe habet in omnibus.*

Galen. lib. 1 de nat. facult.

Sed quomodo interim tantulo calore, tantulâ ſiccitate, aqua in vinum ab uva corrumpitur? Nónne enim aqua ab igne fervens, aut gelu in glaciem exſiccata, adhuc manet aqua? Eſt enim *tenaciſſimæ naturæ*, ait non-nemo; *adeò ut ſi illam in candentem ollam ferream conijcias, & vapores alembico excipias, totam omnino & integram recipies.* Igitur in uva ad aliquantulum caloris & ſiccitatis alterata, aquæ formam non perdet. Poſſumus hinc per aliquas ſemitas fortaſſe non difficulter evadere. Vt ſi negemus cum Galeno & Curtio, ullam aliam formam ſubſtantialem eſſe in aqua, præter qualitates primas, frigus & humiditatem. Deinde ſi demus quidem aquæ

Sandæ in Theol. Myſtic.

formam

formam ſubſtantialem, ſed cum pleriſque hodie Medicorum, dicamus eam manere formaliter in corpore mixto; ita ut ſine expulſione formæ ſubſtantialis aqueæ, vinum fiat ex aqua: ſicut Scaliger ait, *formam elementi miſceri cum ſuperveniente forma lapidis*, aut vini, *atque ab ea perfici, contineriq́; ab hac illam, ſicut quadratum in pentagono.* Scal. Exerc 101

Sed recedendum non eſt à viâ Ariſtotelis, S. Thomæ, Scoti, Theologorum ferè omnium & regiâ. Damus ergo, in aqua formam eſſe ſubſtantialem, & eam expelli è materia ſua per formam vini. Caliditas tamen & ſiccitas exigua, quas vinum producit in materia aquæ ſibi permixtæ non ſufficerent ad expellendam formam aquæ, niſi virtualis calor, & aliæ occultæ proprietates ac diſpoſitiones formæ vini, expellerent occultas formæ aquæ diſpoſitiones. Nam nullas alias diſpoſitiones ad formas corporum mixtorũ & elementorum agnoſcere, quàm quatuor qualitates primas, non ſolùm imprudentiam, ſed impudentiam eſſe, clamat Iul. Scaliger. Certè enim cùm venena quædam occidunt hominem, incolumi toto primarum qualitatum temperamento, debent aliquam diſpoſitionem occultam animæ rationalis interimere, cujus nomen & eſſentiam ignoramus. Temperies deinde humanæ carnis ſimillima eſt porcinæ, ut notat Galenus. Vt ergo anima rationalis potiùs in carnem illam inducatur, quàm anima porcina, aliæ occultæ humanæ diſpoſitiones ineſſe debent, quæ animam porcinam reſpuant. Si quis tamen ſimplicitati elementorum non ſatis congruere putet, ut forma aquæ habeat alias occultas diſpoſitiones præter frigus & humiditatem; dicat audacter, formam aquæ, non expelli à vino quia calor virtualis & aliæ diſpoſitiones occultæ formæ vini ita remittant frigus & humitatem aquæ, ut ampliùs non poſſet cum frigore & humiditate vini permanere forma ſubſtantialis aquæ; ſed quia non poteſt cum accidentalibus diſpoſitionibus occultis formæ vini. Nihil enim cauſæ eſt, cur forma ſubſtantialis non poſſit formæ accidentali proximè repugnare. Cùm enim elementa, ordine à natura ſtatuto deſtinentur ad generationem mixtorum, & quædam formæ mixtorum poſtulent qualitates primas ali-

cujus

cujus elementi in eo gradu, qui non repugnat formæ elementi; debent neceſſariò dari quædam aliæ diſpoſitiones formæ talis mixti, quæ expellant proximè formam elementi, ut ex elemento poſſit generari tale mixtum. Res in exemplo noſtro clariùs lucebit.

Forma vini, aut forma aquæ roſarum, quæ ſunt corpora mixta, poſtulant frigus & humiditatem, v. g. in gradu ſexto aut ſeptimo, ſub quibus permanere poteſt forma aquæ elementaris. Si igitur nullæ aliæ ſint naturales diſpoſitiones formæ aquæ, ut ſupponitur, quam frigus & humiditas; non poterit, ne quidem in vite, ex aqua generari vinum: quia à cauſa efficiente vinum non expellentur ex materia aquæ frigus & humiditas, quas etiam forma vini habere postulat. Igitur ut deſtruatur forma aquæ & locum faciat formæ vini, debent aliquæ aliæ diſpoſitiones occultæ ante formam vini præmitti, quæ repugnent proximè cum forma aquæ & eam ex materia depellant; etiamſi in materia remaneant frigus & humiditas, quæ aliàs ad ibi retinendam formam aquæ ſufficerent.

Hoc etiam forte demonſtrari poteſt à ſimili. Nam juxta Peripateticos & S. Thomam, in generatione hominis eſt quædam animarum ſucceſſio, ut Lib. 1. fusè diſſeruimus. Animam autem vegetativam quid ex embryone humano proximè expellit? Non aliud ſanè fortaſſe, quàm diſpoſitiones quędam perfectiores animę ſenſitivę, quæ poſt vegetativam in materia embryonis ſequitur, etiamſi in materia iſta maneant inferiores diſpoſitiones animę vegetativę, quas etiam anima ſenſitiva habere requirit. Sicut ergo diſpoſitiones animæ ſenſitivæ nobiliores expellunt animam vegetativam, & diſpoſitiones animę rationalis animam ſenſitivam embryonis; quia animæ iſtæ ſunt viales & tranſitorię: ita etiam fortaſſe diſpoſitiones formę vini expellunt formam aquę; quia formæ elementorum ſunt etiam quodammodo viales reſpectu formarum corporum mixtorum. Nam veluti per formas ſucceſſivas embryonis, materia ſtatuitur in via ad formam viventis perfectioris; ita materia elementi ſuo modo eſt in

via

via ad perfectiorem formam mixti.

Hoc quoque notandum, ut converſionem aquæ in vinum faciliùs imaginemur. Quòd ſpiritus vini perpetuò agat & digerat, quantum poteſt, ſuum phlegma, extenuando ipſum & excoquendo. Quomodo etiam aquam infuſam alterare & digerere poteſt.

Hinc patet, ſpiritoſa & inſigniter calorifica vina citiùs phlegma ſuum, aut aquam infuſam digerere; niſi ſint nimis craſſa & pinguia, quale eſt Hiſpanicum. Nam talia vina uſque ad minima naturalia vix poſſunt fortaſſe aquam interſecare, ut partes vini plures & majores particulam aquæ extrinſecus circumſtent, & intrinſecus diſſecent, ac brevi tempore undique oppugnando, in ſe convertant & abſorbeant. Sic etiam oleum nec facilè alios liquores interſecat, nec ab ijs interſecatur. Vnde argumentum nullum eſt, quo probant, vinum non convertere in ſe aquam, quia convertere non poteſt oleum. Quanquam longo tempore oleum fortè etiam expugnari poſſit à vino.

Ex his quoque intelligi poteſt, quòd vinum tenue poſſit in generoſius converti, ſi differant inter ſe ſpecie, ut aliqui cenſent. Negare tamen videntur hanc differentiam inter Theologos S. Thomas, Richardus, & plures. Nam vites tranſplantatę ab uno vino degenerant in aliud. Quod verò Galenus negat ullum vinum album eſſe calidum, non ideo magis neceſſariò vinum album à rubro ſpecie differt, quàm Belga ab Æthiope. Nec dictum Galeni *ſimpliciter*, inquit Valleſius, *ſed comparatione ad vina rufa & flava intelligo.* Calent ergo etiam vina alba, ſed leniùs quàm rufa. Florem enim quoque ſuum, & ſpiritum calorificum habent vina alba, quo per inſolationem exhauſto, exanimantur quaſi, & moriuntur in acetum.

S.Th. 3. p. q. 77. a. 8.

Valleſ. lib. 9. c. 6. Controu.

Hoc denique, quod ſuggerit S. Thomas non neglectim prætereundum, licet ferè negligi, aut refelli à recentioribus videam.

Cenſet enim S. Thomas, aquam in vinum poſſe corrumpi, ſine prævia alteratione, per ſolam partium, uſque ad minima naturalia, diviſionem. Et profectò videtur eſſe verum, ſi vera S.Th. 3. p q. 77. a. 8.

 eſt ſen-

eſt ſententia Ariſtotelis, & Commentatoris, ac S. Thomæ, Ariſt. lib. 1. c. 4 Phiſic. Soti, & Thomiſtarum, Durandi, Ariminenſis, Conimbricenſium, quam Toletus dicit eſſe *multo probabiliorem*. Videlicet, minimum naturale, non tantum in viventibus, ſed etiam in inanimatis homogeneis dari; quia omnis formæ ſubſtantialis ea naturalis eſt conditio, ut determinatam materiæ extenſionem requirat, tanquam naturalem ſuam diſpoſitionem, in qua actiones ſuas explicare & excercere valeat; ut ſub extenſione minori ſeparatim exiſtere & agere non poſſit. Si enim anima, ut omnes fatentur, certæ magnitudinis organa ad operationes vitales requirat, ut v. g. determinatam extenſionem carnis (quæ organum homogeneum eſt) ut tactu calorem percipiat; non videtur ratio ſolida, cur etiam forma aquæ in corpore ſuo homogeneo non poſtulet certam extenſionem, ut frigefacere, aut ſibi ſimilem aquam generare poſſit; ac per conſequens, ut in tali materia ſubſiſtere valeat. Nam eſſe eſt propter operari, ut ait Philoſophus.

Si autem opinio iſta Ariſtotelis, & veterum paſſim Interpretum, falſa non eſt, jam aſſignare erit partem minimam aquæ, quæ ſeorſim ab alijs naturaliter exiſtere poſſit. Vnde ſi hæc à vino, quod eſt corpus diverſæ ſpeciei, interſecetur, peribit forma aquæ in utraque parte, quia jam utraque per diviſionem facta eſt minor minimâ. Nec poterunt duæ iſtæ particulæ formæ aquæ ſe ſuſtinere arripiendo unionem integralem cum forma vini interpoſita, quia nulla poteſt eſſe unio integralis inter formas tam diverſæ ſpeciei. Reſtat ergo, ut utraque particula materiæ aqueæ ſuſcipiat formam proximi vini, cum unione integrali ad reliquam vini formam, ut iſtâ unione ſubſtententur in rerum ratione. Nam, ut rectè Durandus, Durand. 1. d. 18. q. 1. in integraliter conjunctis non datur minimum, quia continuum eſt diviſibile in infinitum, adeoque pars in eo minima non eſt.

Generatur ergo ex illis particulis aquæ vinum, cum diſpoſitionibus vini imperfectis (ſicut interdum generatur aqua calida) quas vel vinum introducit, vel cauſa prima ſupplens defectum ſecundæ, ſicut in multis alijs occaſionibus facere eam

oportet

oportet. Nec Deus hunc defectum ſupplet, vinum maturum producendo, quale fuit illud *bonum* & excellens in hydrijs Canæ Galilęę, ſed crudum, & in infimâ diſpoſitione neceſſariâ ad formam vini, quale eſt primum & imperfectiſſimum, quod à vino circumfuſo produci poſſet, ſi ei ſufficiens daretur tempus. Io. 2.

Cùm autem magna quantitas vini modicum aquæ infuſæ, fluiditate ſuâ undique interſecet, facilè accidere poteſt, ut tota omnino aqua in particulas minimis naturalibus minores diſſecetur, & ſic omnes univerſim guttulæ in crudi ſaltem vini ſubſtantiam deſtruantur.

Nec hoc experientiâ Areſij ſolidè refellitur: qui ait, ſe hiberno & gelante cælo vidiſſe glaciei fruſtula natantia in vino, quæ ipſe guttulas aquæ concretæ & nondum in vinum converſæ, fuiſſe exiſtimat. Nam non tantùm aqua, ſed vinum aquaticum, imò vini meri phlegma, aut totum ipſum etiam funditus vinum, cui nihil unquam aquæ infuſum fuit, magno frigore in glaciem concreſcit. Vnde Anno 1468. cùm Leodiũ à Carolo Audace Duce Burgundiæ, & Ludovico XI. Rege Galliæ captum eſt, vinum Leodij in vaſis glaciatum, fruſtatim militibus diſtribuebatur, ut ſcribit Phil. Cominæus, Carolo Duci tunc à cubiculis. Res non indigna narratu. *Vinum*, inquit, *viris circa Ducem honoratis ad ſecurim diſtribuebatur. Nam intra amphoras & cados ſic congelatum erat, ut neceſſe eſſet fruſtatim concidere, fruſtaque pileis, corbibus, & alijs id genus, non poculis excipiebantur.* Cominæ. c.42. Lud. XI

ARTICVLVS III.

An ſanguis ſit animatus.

PArs Thomiſtarum affirmat, altera negat; quia S. Thomas tam ambiguè loquitur, quàm Ariſtoteles quem ſequitur.

Bañes hanc litem diligenter diſputavit, & cum Cajetano, Medina, alijſque fortiter ſanguinis animationem defendit; additque, *hanc opinionem ad eas quæſtiones, quæ ad Theologiam & res fidei pertinent explicandas, eſſe ſine dubio accommodatiorem.* Nam ſi ſan- Ban. lib. 1. de generat.

ſi ſanguis humanus anima rationali ſit animatus, faciliùs ſuſtinetur, v.g. quomodo ſanguis Chriſti fuerit divinitati hypoſtaticè unitus; quod à Clemente VI. & Pio II. definitum Silveſter narrat. Deinde ratio in promptu erit, cur Chriſtus poſt reſurrectionem venas corporis ſui reſumpto ſanguine repleverit, potiùs quàm aëre, æthere, aut alio fluido corpore. Sicut enim alias ſui corporis partes reſumpſit, ita etiam ſanguinem: quia ſi anima rationali informatur, inter partes ingrales hominis cenſeri debet.

Silveſt. in Roſa aurea

Nihilominus Capreolus, Sotus, Victoria, cum Scoto, Durando, ac Medicis negant ſanguinem, etiam in venis, eſſe animatum, ſed corpus eſſe exanime, quo per venas tanquam per tubulos & canales diſtributo, omnia corporis membra irrigantur & aluntur. Sanguis enim τελευταία τροφὴ τοῖς ζώοις τοῖς ἐναίμοις ἐστὶ, *ultimum alimentum animalibus ſanguineis eſt*, inquit Ariſtoteles. Alimentum autem animâ viventis tandiu adhuc caret, donec partibus viventis agglutinatum fuerit, & ultimas diſpoſitiones ad animationem neceſſarias acceperit. Non ergo animatus eſt ſanguis, antequam tranſeundo per rorem, cambium, & gluten, in partem viventis tandem ſit transformatus.

Cajet. 3. p. q. 5. 2. & q. 54 a. 3.

Eludit tamen hoc argumentum Cajetanus: quia ſicut elementa ſunt partes univerſi, & ſimul ſunt materia tranſiens corporum mixtorum; ita ſanguis poteſt eſſe pars animata corporis humani, & tamen etiam partium ſolidarum alimentum.

Sed comparatio iſta in ipſum retorqueri poteſt. Nam elementa differunt formis ſubſtantialibus à corporibus mixtis in quæ tranſmutantur; ergo & ſanguis alia forma ſubſtantiali præditus eſt, quàm os, aut caro in quam per nutritionem vertitur.

Deinde ſi ſanguis animâ carnis animatus eſt; ergo nutritio carnis ex ſanguine non eſt actio ſubſtantialis, ſed accidentalis, qua ſanguis eſſentialiter & in ſpecie ſua idem manens, craſſeſcit & inſpiſſatur in carnem. Hoc verò contra Philoſophum eſt, & S. Thomam: falſumque erit, quod iſte alicubi ait,

humidum

humidum nutrimentale eſſe, quod nondum pervenit ad ſuſcipiendam perfectè naturam ſpeciei, ſed eſt in via ad hoc, ſicut eſt ſanguis, & alia huiuſmodi. Profectò enim, ſi in ſanguine humano eſt anima rationalis, ſuſcepit perfectè naturam ſpeciei. Nec refert, quòd liquiditate & alijs imperfectis qualitatibus à ceteris partibus differat; nam etiam unum membrum temperie accidentali eſt altero ignobilius. S.Th.1.p.q. ult.a.1.ad 3

Fruſtrà quoque Cajetanus & Bañes provocant ad alia S. Thomæ loca, & præcipuè in 4. d. 44. Nam hîc quoque contra ipſos eſt, ſi attentè legatur.

Negat enim ibi rorem, cambiũ, gluten (qui ſunt tres humores per quos intermedios ſanguis in partem viventis tranſit) fore in corporibus reſurgentium, quia *ſunt in ipſo actu tranſeundi de forma in formam.* Vnde apertè ſupponit, tres illos humores non vivere vitâ humanâ, ſed per alias ſuas formas tranſire ad formam hominis. Si autem ros, cambium, & gluten non vivunt; igitur nec ſanguis, ex quo proximè ros conficitur. *Ros enim eſt humiditas*, inquit ibi S. Thomas, *in foraminibus parvarum venarum*; ſanguine videlicet è majoribus venis in illa foramina delapſo, & ibi decocto in rorem.

Sanguis tamen, etſi crudior, & à forma viventis remotior, quàm ros, cambium, gluten, reſumetur in venas corporum reſurgentium, quia *habet formam determinatam, ſecundum quam continetur inter partes corporis*, ait S. Thomas. Continetur enim venis, nec ſolùm tanquam materia nutritionis, ſed ut formâ ſuâ determinatâ, ſicut loquitur S. Thomas, & naturalibus ſuis qualitatibus membra omnia foveat, & in temperie ſua naturali conſervet. Non ſic ros, cambium, & gluten, quorum formæ tranſitoriæ & viales ſunt; ad hoc ſolùm à natura factæ, ut materia ſanguinis per eas ad formam viventis perveniat; ſicuti ferè materia ſeminis, per formam embryonis ad formam perfecti animalis tranſit. Hinc patet, quo pacto Ariſtoteles & S. Thomas ſanguinem interdum partibus animalis accenſeant: fermè ſcilicet eodem ſenſu, quo Cajus IC. dixit, *fructus pendentes partem fundi videri*; licet ſpecie à fundo differant, fixa in fundum radice, ſolâ contiguitate, non conti- l.44. D. de rei vindic.

nuitate ei cohæreant. Ita circitèr, ſanguis tubulis venarum tantùm contiguus, per omnia membra ſic diſcurrit, & ijs inſeritur, ut quaſi pars totius eſſe videatur; maximè cùm neceſſarius ſit ad fovendam naturalem propriarum partium temperiem. Vnde & ad corporis integritatem pertinere dicitur, non minùs, aut etiam magis, quàm crines & ungues, qui ex ſuperfluo alimenti ad ſolum ornatum à natura conformantur.

Quod verò Bañes ait, ſanguinem per fibras continuari cum ſuis venis, falſum apparet; quia univerſus ſanguis cum fibris & pituitâ ceteriſque humoribus quos vehit, labitur per venas, ut aqua turbida per canales. Teſtatur id apertè Ariſtoteles: *Non enim* ait, ἅμα συνεχὲς ἢ συμπεφυκὸς *ſanguis continuus aut concretus eſt carni, ſed in corde ac venis, quaſi in vaſis continetur.* Vnde Medina etiam refellitur, qui non quidem venis, ſed cordi & partibus principalibus ſanguinem continuari contendit. Non enim aliter iſtis continuatur, quàm venis.

Ariſt. lib. 2. c. 3. de partib. Medina 3. p. q. 5. a. 2.

Quanquam hôc diſcontinuitatis argumento res iſta non firmiter nitatur. Nam quid ſit, continuum, aut diſcontinuum eſſe, ſatis obſcurum eſt; & fortaſſe continuitate quadam fragili & fluxâ (velut aqua continuatur aquę) ſanguis aliqua ſui parte, hepati, cordi, aut etiam venis non tantùm contiguus, ſed etiam continuus eſt. Videtur enim continuitatis ratio maximè à natura & conditione extremorum quæ ſibi proximè applicantur, petenda eſſe. Fortaſſe autem hepar (quod ferè non eſt aliud, quàm ſanguis quidam concretus) cor, venæ, arteriæ cum ſanguine naturaliter ſatis conſentiunt, ut proximo contactu coaleſcant in continuum, & *extrema ſint unum*; velut Ariſtoteles nobis continuum definit. Neque refert, quòd ſanguis per venas fluat; quia aqua per aquam mota, ut fluvius magno impetu in mare ſe evomens, & eodem aquarum filo inter aquas maris aliquamdiu fluens, non eſt, ut ego exiſtimo, cum marinis aquis diſcontinuus, ſed abruptâ priori continuitate, alteram mox cum parte aquæ marinæ ſequenti arripit; ita ut continuitas continuitati perpetuò ſuccedat, quemadmodum localis præſentia, præſentiæ. Quis ergo ſcit, an tanta fortè ſanguinis cum hepate, corde, venis, arterijs ſit naturæ

con-

congruitas, ut in momentaneo etiam eorum contactu, non ſolâ contiguitate, ſed etiam verâ continuitate ipſis ſe alliget?

Adde jam multos Philoſophos exiſtimare, non requiri inter partes mathematicam continuitatem, ſed phyſica vincula & ligaturas, quæ ſolâ contiguitate continentur, ſufficere. Vaſq. 3. p. 45. a.2. Nam *carnes & oſſa*, ait Vaſquez, *non eadem ſuperficie mathematicè uniuntur, ut conſtat* (quanquam neſciam, unde ei tam clarè conſtet) *nihilominus eâdem formâ & animâ vivunt.* Ex qua Philoſophia dixit Medina: Medin. 3. p. q. 54. a. 3. *In explicando quòd ſanguis unitur reliquis partibus corporis permanentibus, non eſt maius negotium, quàm explicare, quomodo cum oſſibus partes carnis continuentur.*

Hoc tamen contra animationem ſanguinis alterum eſt & validum argumentum. Nam ſemen & lac animata non ſunt, & tamen ex ſanguine fiunt, & perfectiùs cocta & elaborata ſunt, quàm ſanguis ipſe. Igitur nec ipſe animatus eſt. Si enim ſanguis qui crudior & inelaboratior eſt, habeat animam, mirum eſſet, cur natura ſanguinem in ſemen & lac decoquens & perficiens, animam ex materia ſanguinis expelleret, ut formam aliquam inanimem & imperfectiorem induceret.

Qui autem lac, animatum eſſe dixerit, neminem me legiſſe memini. Semen verò animat Bañes cum Bartholino, Sennerto, & Philoſophis Mediciſque non paucis, qui animam ineſſe ſemini dicunt ad architectandum ſibi corpus. Quod Libro 1. rejecimus. Et ſanè S. Thomas non aliud dicit, quàm S.Th. 1. p. q. ult. a. 2. q. 118. a. 1. *ſemen habere virtutem ex forma generantis, & eſſe in potentia ad ſubſtantiam ipſius.* Et alibi: *Virtus activa quæ eſt in ſemine ex anima generantis derivata, nec eſt anima, aut pars animæ, niſi in virtute.* Et S. Th. lib. 2. c. 89. contra Gent. apertiſſimè Lib. 2. contra Gentes, ſemen animâ etiam vegetativâ exanimat. Et quidni faceret? Nam præceptor ejus Ariſto- Ariſt. lib. 2. c. 3. de gen. animal. teles huc ei expreſsè præiuerat. *Animam enim vegetativam*, inquit, *in ſeminibus haberi potentiâ, ſtatuendum eſt, non actu.* Itaque verius eſt, quod Fernelius, Fienus, & doctiſſimi Medicorum Fernel. lib. 1. c. 7. de Abdit. Fien. docent, ſemen inanime eſſe: ac proinde, inanimem etiam eſſe ſanguinem, qui in ſemen excoquitur.

Diſtinctio verò ſanguinis in purum, & impurum ſeu nutrimentalem (quaſi prior animâ rationali informatus ſit, non Silveſt. in Roſa aurea

poſte-

Medin. 1. 2. q. poſterior) conficta à Silveſtro, & *abſurda eſt, nec apud probatos Auctores reperitur*, ait Medina; licet Silveſtrum imprudenter ſecuti ſint Cajetanus & Bañes. Nam nec Philoſophi, nec Medici alium ſanguinem agnoſcunt quàm venoſum, qui in venis, & arterioſum, qui arterijs continetur. Vterque autem eſt nutrimentalis, nec ratio eſt, cur unus potiùs, quàm alter animetur. Si verò ſanguis caret animâ, multò magis alij humores ei permixti: ut pituta, quæ crudus eſt ſanguis, bilis flava & atra, quæ ſanguinis ſunt quædam recrementa. Serum verò, ſive urina longiùs adhuc ab animatione abeſſe videtur.

Trid. ſeſſ. 13. c. 3. Vocatur tamen ſanguis interdum pars hominis (quomodo etiam Conc. Trid. poſt S. Thomam & Ariſtotelem loquitur) ſed dilatando pauliſper ſignificationem *partus*; ut pars nominetur, quidquid ad integritatem totius aliquo modo ſpectat, ſicut ungues etiam & crines dicuntur animalis partes. Sed ſanguis potiori ratione, quia eſt ſalutaris quidam humor per omnes, non tantùm venas & arterias, ſed omnium ferè partium meatus & poros diffuſus, ut dilabentem earum ſubſtantiam, humidumque radicale ſarciat, & calorem temperiemque naturalem foveat.

Ariſt. lib. 2. c. 10. de partib. Tam latè uſurpat *partem* Ariſtoteles, ubi ait, *partes humidas eſſe nutrimento ſiccis*; ac inter humidas partes *ſanguinem* recenſet: cùm tamen non multo pòſt apertè neget, eſſe partem propriam animalis. *Sanguis enim*, inquit, *ſenſu præditus non eſt, quippe qui nulla pars ſit animalium*. Et quid mirum, ſi nomen *partis* aliquando uſque ad comprehendendum ſanguinem ampliet, cum etiam urinam, & ſedimentum alvi interdum partes animalis appellet? *Partes animalium*, inquit, *molles ac humida, ut ſanguis, ſanies, adeps, ſevum, medulla, ſemen genitale, fel, lac, pituita, ſedimenta alvi atque veſicæ*. Nemo tamen eò abſurditatis veniet, ſpero, ut alvi & veſicæ excrementis animam inculcare velit.

Lib. 1. c. 1. Hiſtor. anim.

Lib. 3. c. 19 Hiſtor. anim.

Nec verum eſt, quod Bañes Ariſtoteli imponit: eum *expreſsè aſſerere, ſanguinem eſſe animatum*. Solùm enim aſſerit, ſanguinem unum inter humores, fervere in venis & arterijs (non

autem vitâ propriâ vivere) quamdiu animal vivit. Deceptus autem eſt Banes ambiguâ interpretatione Theod. Gazæ, qui vertit, *Quamdiu vita ſervatur, ſanguis unus animatur & fervet.* Non propriam animationem intelligens, ſed motum quendam qui videtur eſſe ab intrinſeco, & ſimilis motui animatorum. Quomodo etiam argentum vivum vivere dicimus. Ariſtot. lib 3. c. 19. Hiſtor.

Cùm verò ait Scriptura, *animam carnis in ſanguine eſſe*, non eſt ſenſus, quòd anima carnem informans, etiam ſanguinem informet; ſed quòd anima in carne per ſanguinem foventem conſervetur. Vnde alibi ſanguis, anima ipſa vocatur. *Sanguis animalium pro anima eſt* (Hebr. *ſanguis ipſe anima eſt*) *& idcirco non debes animam comedere cum carnibus.* Quod ſenſu metonymico verum eſt; quomodo vocamus vitam noſtram, id quod nobis eam conſervat, aut jucundam facit. Vnde ut ſenſum hunc S. Hieronymus indicaret, vertit, *ſanguis pro anima eſt*, hoc eſt, inſtar animæ; quia ad animæ in carne conſervationem tam neceſſarius, ut ſanguine omni effuſo, anima illicò carnem & corpus ſuum deſerat. Hinc apud Poëtam, *Purpuream vomit ille animam.* Et apud alium, ſucci, quibus tanquam ſanguine, plantæ aluntur & foventur, *Plantarum virides animæ* vocantur. Levit. 17. Deuter. 12. Manil.

Propter hanc verò dependentiam vitæ noſtræ, & temperamenti corporis à ſanguine, ingenium quoque, & mores animæ noſtræ, ſanguinem ſequuntur. Hinc ſtupidorum hominum ſanguis craſſus & fibroſus eſt, ingenioſorum tenuis & ſubtili ſtamine contextus; quod etiam ad oculum, ubi in pelvi refrixit & concrevit, animadvertere licet.

Animalia enim ingenioſiora ſunt, ait Ariſtoteles, *quæ ſanguinem habent frigidiorem & tenuiorem.* Attamen quia frigus vitæ & robori inimicum eſt, *optimè compoſita ſunt*, inquit, *quæ ſanguinem calidum, tenuem & ſincerum habent: quippe quæ unà & viribus corporis, & animæ ingenio plurimum valeant.* Non ergo de nihilo, ſtuporis infamatur aſinus, cujus ſanguinem (inter ea quæ animal generant) craſſiſſimum, ut hominis tenuiſſimum eſſe Ariſtoteles dicit. Ariſt. lib. 2. c. 2. de partib.

S. Auguſtinus alio, probabili etiam ſenſu illas Scripturas explicat. *Anima omnis*, inquit, *ſanguis eſt, quomodo dictum eſt,* S. Aug. lib. 1 c. 6. contra Adverſ.

Petra erat Chriſtus. Non quia hoc erat, ſed quia hinc ſignificabatur: Additq; animam inviſibilem toto corpore diffuſam, aptiſſimè per ſanguinem ſignificari, *quia ſanguis per venas omnes ab ipſo corde diffuſus, in noſtro corpore plus ceteris humoribus principatur; ita ut ubicumque fuerit vulnus inflictum, non humor alius, quàm ipſe procedat.*

Nec tamen, quia ſanguis inanimatus eſt, idcirco non eſt in Chriſti corpore à verbo hypoſtaticè aſſumptus. Verbum enim non tantùm animatas anima rationali partes (quod Medinam fefellit) ſed etiam quæcumque ad humani corporis integritatem ſpectant, etſi anima careant, ut ſanguinem, crines, ungues &c. in divinum ſuum ſuppoſitum arripuit, ut Thomiſtæ quidam alij, & ex recentioribus Suarez, plurimique docent.

Medin. 3. p. q. 5. a. 2.

ARTICVLVS IV.

De triplici ſpiritu, qui ex ſanguine gignitur.

TRiplicem ſpiritum è ſanguine gigni tradunt peritiſſimi Medicorum: naturalem, vitalem, animalem. Primus in hepate, alter in corde, tertius in cerebro generatur. Hos vocant *influentes*, ut diſtinguant à ſpiritu *inſito*, qui unicuique parti viventis inſitus inſertuſque eſt, tanquam ſubtiliſſima pars humidi radicalis, ipſum depaſcens & paulatim deſiccans, velut flamma oleum.

Spiritus naturalis fit in hepate & venis, eſtque tenuior pars & velut exhalatio quædam ſanguinis, νεφελώδης tamen & *nebuloſa*, inquit Galenus; craſſior quippe piguiorque, quàm vitalis & animalis ſpiritus. Hôc ſpiritu naturali tanquam vehiculo adjuvatur ſanguis, ut promptiùs per venarum canales meet & diſcurrat. Deinde ipſe in humidi radicalis partium viventis, & in ſpiritûs inſiti alimentum cedit; veluti craſſioribus partibus ſanguinis aluntur craſſiores partes corporis.

Spiritus vitalis formatur in ſiniſtro cordis ſinu, ex ſpiritu naturali & puriore parte ſanguinis, quam hepar in dextrum cordis ſinum effundit; ut ibi antè præparatus, in ſiniſtrum ſinum

num tranſſudet, tanquam in fornacem totius corporis ferventiſſimam, ubi ſpiritus vitales & ſanguis arterioſus perficiuntur. Deinde uterque in magnam arteriam, quæ aorta vocatur, ſimul effunduntur, ac inde per varios anguſtiorum arteriarum tubos, in univerſum corpus derivantur. Vnaquæque verò arteria ſuam ferè comitatur venam, & ei ſe ſupponit, ut ſpiritûs ſui vitalis calore ſanguinem qui eſt in venis percoquat; quia hic crudior eſt, & multum pituitæ permixtum habet. Denique ad ſingula corporis membra appellunt arteriæ ſic conjugatæ venis, ut alimenti commeatum invehant, & humidum radicale ac ſpiritum inſitum, perpetuò exhalantem recreent. Quòd præcipuè facit ſpiritus vitalis arteriarum, quia fervidior & âctuoſior eſt, quàm ſpiritus naturalis, qui eòdem per venarum canales appellit. Vnde meritò cor rex viſcerum, ſol microcoſmi, & focus animalis appellatur.

Spiritus naturalis pulſum nullum in venis habet; pulſat verò in arterijs ſpiritus vitalis, per cordis diaſtolen & ſyſtolen (id eſt dilatationem, & compreſſionem) & hocce reciprocationis motu calorem partium, exſufflatis fuliginibus, eventilat, ac aërem recentem in arterias, per tenuiſſimos cutis meatus attrahit. In tantum ab hoc arteriarum pulſu humani corporis temperiem pendêre S. Thomas exiſtimat, ut ne quidem in corporibus Beatorum ceſſaturum credat. S.Th.q.5. a. 10. de potent.

Pars autem ſpiritus vitalis à corde per arterias carotides, ſive ſoporales, ad officinam cerebri ſcandit, ubi in ſpiritum animalem, *longè clariſſimum tenuiſſimumq́*, ait noſter Veſalius, *ad divinas principis animæ operationes* elaboratur. Nec tamen ſolus ſpiritus vitalis eſt materia ſpiritûs animalis, ſed etiam (omnium ferè Medicorum ſententiâ) aër qui per nares primoribus cerebri ventriculis inſpiratur, ſpiritui vitali mixtus & contemperatus, in ſpiritum animalem transformatur. Vocatur autem animalis, non quaſi animæ pars ſit, inquit Galenus (contra veterem & rudem Philoſophiam, quam renovare nuper infeliciter Campanella eſt conatus) ſed quia primum animæ ad operationes animales eſt inſtrumentum. Idem Veſal.lib.7. cap. 1. de Fabr.

autem ſpiritus animalis omnibus ſenſibus famulatur; ut idem malleus, inquit Ariſtoteles, ad varias operationes fabriles ſervit.

Antequam verò ſpiritus vitalis ad cellulas cerebri, ubi ſpiritûs animalis officina eſt, perveniat, in quibuſdam labyrinthæis plexibus, ſive arteriolarum inter ſe complexarum retibus, quæ choroides vocantur, præparatur; eo modo, quo venæ meſaraicæ, ſive lacteæ præparant ſanguis materiam, antequam hepati infundatur; & ſicut dexter cordis ſinus ſanguinem ad ſpiritum vitalem ſiniſtri ſinûs præcoquit. Sic quoque materia lactis, & ſeminis ad deſtinata à natura vaſa non pervenit, niſi cruditatis aliquam partem in plexibus quibuſdam, quæ in principalium officinarum viciniâ & quaſi ſuburbijs ſunt, exuerint. Solet enim natura non ſubitò, & veluti per ſaltum opera ſua perficere, ſed molliter & pedetentim, per medias præparationes ad perfectionis finem perducere.

Cellulæ autem, ſeu ventriculi, cerebri ſunt propriæ officinæ (quæ ideo ἐργαστήρια vocantur). in quibus ſpiritus animales ultimam formam accipiunt. Differt enim ſpecie hic ſpiritus à ſpiritu vitali, ſicut chymus à chylo, ut rectè contra Argenterium Laurentius; quod ex utriuſque longè diverſis accidentibus & operationibus etiam colligi poteſt. Spiritus enim animalis eſt tenuis, ſubtilis, lucidus, purus, & mobilis, inquit idem, magiſque temperatus quàm ſpiritus vitalis; qui fervidior ex ardenti cordis officina prodit.

Andr. Laurent. lib 10. q.7. Anat.

In cerebri autem ſubſtantia eſt temperamentum elementorum ad juſtitiam, ut credit Veſalius, ideoque maximè idonea ibi officina ad ſpiritum vitalem temperandum, & transformandum in animalem; quidquid reſiſtat Io. Argenterius, Medicus nimis ſubtilis, & Galeni nimis ex profeſſo hoſtis.

Veſal. lib 7 c. 1. de fabric.

Porrò ventriculi cerebri quatuor ſunt, licet S. Auguſtinus tres ſolùm recenſeat, ſecutus Medicos ſui ævi, qui binos priores pro unico habebant. Hi enim duo priores, qui ab alijs ſuperiores vocantur, ad dextram & ſiniſtram collateraliter, ut gemelli locati ſunt. Figura verò eorum non rotunda, ſed inſtar humanæ auris, aut lunæ falcatæ, ſemicircularis,

S. Auguſt. lib. 7. c. 16. de geneſ.

Duo

Duo iſti in tertium, ſeu medium ſinum confluunt, tantum ferè ab occipite, quantum ab oſſe frontis diſtantem. Tertius ulteriùs in quartum deſinit, qui cerebello & ſpinali medullæ communis eſt, ideoque ad occiput, & omnium poſtremus eſt.

Primi duo ſunt omnium capaciſſimi, ultimus omnium anguſtiſſimus: etſi Fernelius hunc ampliorem ſinu medio eſſe dicat.

Spiritus animales utcumque in plexibus labyrinthæis præparati, in priores ſinus effunduntur; & poſtquam hîc laborati, in tertio ſinu magis perficiuntur, ac denique in quarto perfectè elaborantur; ut inde in nervos, & in totum cerebri corpus diffundantur. *Stabulatur enim ſpiritus animalis*, ait Laurentius, *non modò in ventriculis, ſed etiam in poris & tota ſubſtantia cerebri medullari; ut ſecundam poros pertineat ad principem facultatem* (imaginatricem, intellectui ancillantem) *ſecundum ventres, ad ſenſum & motum.* Duo quippe ſunt, juxta Medicos, præcipua officia animalis ſpiritus, qui ventriculis cerebri continetur. Primum, ut vim ſentiendi ad organa ſenſuum deferat, & ſenſibilium ſpecies, à ſenſibus externis perceptas in cerebrum tanquam judicem & cenſorem referat, ibique imagines illas conſervet. Nam ſpecies ſenſibiles inhærere ſpiritui animali, ſatis convincitur ex vertigine, qua pueri per luſum ſe circumagunt, ut quidquid vident in orbem volvi appareat. Cujus ratio nulla, niſi quia ſpecies viſibiles objectorum incurrunt in ſpiritus animales in orbem raptos, à quibus portantur pariter & rotantur. Alterum officium eſt, per nervos motorios deferre vim motricem ad partes, quæ inſitam eam non habent, ut Lib. III. explicatiùs dicendum eſt. Laurent. lib. 10. q. 6. Anat.

Ceterùm Veſalius negat ventriculos cerebri ullâ membranâ ſuccingi, refellitque Galenum, qui tres priores ventriculos tenui meninge obduci & lacunari exiſtimat, ut hac membrana partes cerebri ſuſtententur, ne in ſe concidant; cùm cerebri ſubſtantia videatur eſſe nimis mollis & fluxa, ut ſeipsâ poſſit, ne in ventriculos illos confluat, ſuſtentari. Veſal. lib. 7. c. 6. de fabric.

Quin etiam, addit Veſalius, *præter id quod ventriculi membranis neutiquam ſuccinguntur, illa obſtaculo eſſent, quo minus cerebri*

 ſubſtantia

ſubſtantia materiam ſuis ventriculis oblatam, in animales ſpiritus, interſtitio quodam præpedita, emutaret. Quæ tamen ratio mihi non placet; quia actio cerebri per tenuiſſimam & ferè ſuperficialem membranam, ut lumen per vitrum, facillimè traijci poteſt. Deinde, quid ſi illa membrana interpoſita eandem cum cerebro virtutem ad tranſmutationem ſpirituum animalium obtineat? Et ſanè interiorem ventriculorum ſuperficiem tenui membranâ ſuccinctam negare, contra ſenſum eſſe, clamat Thomas Eraſtus; quam ſibi manifeſtè oſtenſam in capite bovino, & humano, à nobili Chirurgo, & Doct. Anatomico Ant. Franc. Pigafettâ Vincentino ait. Cui & Clariſſimi Plempij noſtri autopſia conſentit.

Non dubitant verò Medici, primarium horum ventriculorum uſum, eſſe ſpirituum animalium fabricationem; alioqui fruſtra eſſent conditi quatuor, ait Laurentius. Conſtatque inter omnes, inquit, *partes illas eſſe cerebri nobiliſſimas, cum ex eorum compreſſione & vulnere præcipitem mortem inferri quotidie obſervemus*: ita ut divino propemodum miraculo tribuat Galenus ſanitatem juvenis cujuſdam Smirnæi, qui altero ex binis anterioribus ventriculis ſauciato, ſuperſtes fuit: *qui nec temporis quidem momento*, inquit, *vivere potuiſſet, ſi utrumque ſimul vulnus violaſſet.* In ijs enim quæ à natura geminantur, minori periculo alterum offenditur, quàm utrumque ſimul. Ambo enim ſimul, ait Galenus, perinde ſe habent, atque ſi unicum à natura factum eſſet.

Hoc verò admiratione & meditatione dignum mihi videtur. Quòd Medici recentiores per Anatomiam cerebri exactiorem deprehenderint (ſecus, quàm exiſtimavit Galenus) omnes nervos, non ſolùm motorios, ſed etiam ſenſorios, ab ea ſpinalis medullæ parte, quæ intra cranium conditur, propaginem ducere. *Quod qui non videt*, ait confidenter Plempius noſter, *Tireſiâ eſt cæcior.* Ingenti ſanè argumento, quòd quartus & poſtremus cerebri ventriculus (quo ſpinalis medullæ illa pars excavatur) ſit ultima & abſolutiſſima ſpirituum animalium officina; ex qua illi extremam limam & perfectionem adepti, per ſenſorios nervos ibi paratos, in organa ſenſuum effundantur.

Vop. Fort. Plemp. lib. 2. c. 6. Fund. Medic

ARTI.

ARTICVLVS V.

De lacte & ſemine.

PArs quoque ſanguinis aliquam in lac feminæ, & altera in maris feminæque ſemen excoquitur. Sicut enim natura fœtum in utero puriſſimo matris ſanguine per umbilicum nutrit; ita tertio, aut quarto à conceptu menſe ſanguinem ad mammas ducere incipit, ut lacteus & dulciſſimus cibus exituro in lucem fœtui præparetur. Vnde non ineptè Ægypti ſacerdotes *lac*, *ſanguinem mutato colore* appellabant, ideoque ab eo, ut à ſanguine abſtinebant; uti & ab ovis, quia *carnes liquidas* eſſe dicebant. S. Hieron. lib. 2. c. 9. adverſ. Iovin.

Vt autem mammæ lac in dulcedinem excoquere, & perfectè dealbare valeant, per varios venarum & arteriarum labyrinthos ſanguis circumducitur & in ijs præparatur, antequam mãmas intret; à quarum ſubſtantia glanduloſa & fungoſa abſorbetur, & ibi in lac percoquitur. Subſtantia enim mãmarum ex myriadibus venularum & arteriolarum contexta eſt, quæ ſanguinem & ſpiritus vitales ſorbent, velut ſpongia aquam, alterantque, ut hepatis venulæ chylum. Vnde quemadmodum hepar ſanguine ſuo, ita mãmillæ lacte, uti & vaſa ſpermatica ſemine aluntur. Argumento ſatis evidenti, quòd ſicut hepar imaginem & temperiem ſanguinis duriuſculè concreti obtinet; ita mãmarum glandulæ coagulati lactis, & vaſa ſpermatica concreti ſeminis quandam ſpeciem habent.

Nec ex alia materia, quàm ſanguinis oportet lac Virgineum quo Chriſtus parvulus nutritus eſt, quaſi cælitus creatum imaginari; licet Eccleſia in Vigilia Epiphaniæ de eo canat, *Ipſum Regem Angelorum ſola Virgo lactabat ubere de cælo pleno*. Cælum enim non aliter ubera Virginea implevit, quàm quia, ut Eccleſia ibidem accinit, *neſciens mater Virgo virum, peperit*. Nam ad prius miraculum, quo ſine ſemine virili filium concepit, connaturaliter ubera ejus impleta ſunt, ut ceteris prægnantibus; ſanguine nempe ex uteri venis ſurſum naturaliter

regurgi-

regurgitante, & regionem mãmillarum petente, ut poſt Hippocratem Medici docent.

Ceterùm, veluti ad ingenium & totam pueri indolem, plurimum refert, quo ſemine & ſanguine primùm coaguletur, & quali deinde ſanguine in utero matris alatur; ita quali lacte extra uterum nutricetur. *Non enim fruſtrà creditum eſt*, ut egregiè Favorinus Philoſophus diſſerit apud Agellium, *ſicut valet ad fingendas animi atque corporis ſimilitudines vis & natura ſeminis; non ſecus ad eandem rem, lactis quoque ingenia & proprietates valere.* Vnde totis eloquentiæ viribus perſuadere conatur, ut nobilis & Senatorij ordinis puerpera filiolum ſuum proprio nutriat lacte. *Quod eſt enim hoc contra naturam*, inquit, *imperfectum atque dimidiatum matris genus; peperiſſe, & ſtatim ab ſeſe abjeciſſe? Quæ, malùm, ratio eſt, nobilitatem iſtam nati modò hominis, corpus & animum ingenitis benignè primordijs inchoatum, inſitivo degenerique alimento lactis alieni corrumpere? Id herclè ipſum eſt*, inquit, *quod ſæpenumero miramur, quoſdam pudicarum mulierum liberos, parentum ſuorum neque corporibus neque animis ſimiles extitere.* Hunc quoque nobilium feminarum nutricandi liberos alieno lacte morem SS. Patres, & præſertím Chryſoſtomus, vehementer inceſſunt.

Agell. lib. 12. c. 1

Semen quoque non ex omnibus partibus corporis decîdi, ut olim rudi adhuc Anatomiâ, exiſtimavit Hippocrates, ſed materiam ejus per venas & arterias ſpermaticas ſanguinem è vena cava, ſpiritum vitalem ex arteria magna (quam Ariſtoteles, fortè quia Macedones *vaginam* ἀορτὴν vocant, ait Veſalius, aortam vocat) deorſum ad vaſa ſpermatica attrahi, & ibi tanquam in propriâ & geminâ officinâ, in ſemen perfectè excoqui, communis & certa jam Medicorum ſententia eſt. Vnde materia ſeminis duplex eſt, ſanguis, & ſpiritus vitalis. Qui licet ex diverſis fontibus hauriantur, in fine tamen fermè viæ, in unum canalem confluunt; ut permixti, & in *paraſtatis varicoſis*, id eſt, labyrintho quodam mirabili varicum inſtar variè ſinuato & implicito, præparati, in officinam teſtium deſcendant, ubi in ſemen percoquuntur.

Hinc quia ſemen fit ex ſanguine, qui eodem ſemine nati, conſan-

conſanguinei vocantur, ut nobilis Medicus, Soranus olim dicere ſolitus eſt.

Vaſa autem ſpermatica (teſtes enim ſuo nomine appellare, tanquam peccato originali dehoneſtatos, veremur Theologi, ideoque vaſa cum Plauto vocare malumus: etſi origo vocabuli *teſtium* non inhoneſta, quia *μάρτυρες τῆς ἀῤῥενότητος teſtes ſunt virilitatis*) ſanguinem per venas, & ſpiritum vitalem per arterias trahunt; primariò ut nutriantur, deinde ut quod ſuperfluit nutritioni, temperie quadam illarum partium illi impreſsâ, in ſemen & ſpeciei propagationem cedat: eo modo, quo hepar chylum ad ſe rapit, ut ſanguinem quo nutriatur inde conficiat; & quia plus conficit, quàm indigeat, ſuperfluum in venam cavam, ut inde totum corpus irrigetur & alatur, erivat. Hôc tantùm diſcrimine, quòd vaſa ſpermatica reliquum illud ſeminis, quod eorum nutritioni ſuperabundat, non conferant in reliquarum partium individui alimentum, ſed in ſpeciei propagationem. Vocatur ergo ſemen ſuperfluum alimenti, non quomodo excrementa alvi, quæ alendo corpori prorſus ſunt inidonea; ſed *tanquam exceſſus quantitatis alimenti, ſive tanquam pars alimenti non neceſſaria ad alendum*, ut optimè Ariſtotelem & S. Thomam explicat Cajetanus. Sed breviùs adhuc Gerſon: *Semen*, ait, *eſt ſuperfluum ultimæ digeſtionis, ſuperfluum non qualitate, ſed quantitate.* Caiet. 1. p. q. ult. a. ult. Gerſon. Tract. de pollut.

Nec enim ſolius alimenti vaſorum ſpermaticorum ſemen eſt ſuperfluitas, ſed quodammodo etiam alimenti totius corporis. Non quòd ſingulæ corporis partes ſanguinem à ſe alteratum, & ideâ quadam ſui ei impreſsâ inſignitum, ad vaſa ſpermatica mittant, ut quidam exiſtimant; ſed quia ſanguis primariò alendis membris ſui corporis dicatus eſt, conficiendo autem, ad propagandam ſpeciem, ſemini tantùm ſecundariò; adeò ut ſanguis in ſemen eam ſui partem conferre cenſeatur, quàm membra reſpuunt, aut ex vena cava, tanquam ſibi ſuperfluam non trahunt. Hinc in pueris ſemen nullum, inquit Ariſtoteles, quia toto ſuo ſanguine ad incrementum corporis indigent. Similis ratio, cur pingues, qui totum pænè ſanguinis fontem in arvinam, adipem, & molem corporis Ariſt lib. 1. c. 18. de gen. anim.

 abſumunt

abſumunt, minus ſeminis & fecunditatis habeant. Qui autem Veneri nimium indulgent, attracto nimis ſæpe & avidè in vaſa ſpermatica ſanguine ceteris partibus alendis neceſſario, macreſcunt, & corporis totius valetudinem graviſſimè lædunt. Nam *ex ſpirituum & puri ſanguinis conſumptione*, inquit poſt Galenum Argenterius, *vires debilitari oportet, corpus minui, & veluti tabeſcere, cruditatibus abundare, ſenſus omnes, rationem, & alia omnia animi officia perperàm exerceri.* Sed *cerebrum, artus, ſtomachum, nervos, & ceteras partes frigidas Venere præcipuè*, ait, *offendi; quia ſpiritoſa ſubſtantia cum calido innato diſſolvitur, quam diſſolutionem difficiliùs ferunt partes frigidæ.*

Argent. Com. 3. in Artem Gal.

Hoc quoque noxam aggravat, quòd vaſa ſpermatica, maximè pinguem, oleoſam, & aëream ſanguinis portionem ad ſe adtrectent, & utiliſſimo ad humidi radicalis reparationem alimento ceteras partes deſtituant. Vt non de nihilo dixerit Avicenna, *Quadrageſies plus diſſolvere ſeminis, quàm ſanguinis vacuationem.* Quid jam de lue Venerea, & tot morborum generibus, quæ ex Venere naſcuntur, quid de ira numinis, bellis & flagellis, quibus Deus Principes aliquando ſuis regnis & fortunis exuit; quæ tamen omnia mala, præter æterna quæ poſtea manent, humanæ libidinis inſaniam refrenare non poſſunt. Tanta eſt concupiſcentiæ iſtius & tam præceps effrenitas, poſtquam juſtitiâ originali exutus homo, habenas quibus continebatur amiſit.

Andr. Laurent. lib. 8. q. 4. Anat.

Quod autem Laurentius addit, ſpiritum qui ſanguini permixtus ſeminis materiam abſolvit, *ab omni corpore ad teſtes influere, & ſingularum partium ideam, ac vim earum formatricem deferre*, ſatis non poſſum capere. Nam nonne ipſe cum Veſalio & alijs Medicis fatetur arteriam ſpermaticam, quæ ſpiritum ad vaſa illa ſpermatica defert, inſeri aortæ, & ſpiritum, quem generando ſemini confert, inde ſugere? An igitur ſpiritus illi *aërei, tenuiſſimi, & per univerſum corpus oberrantes*, ut ait, ad aortam ex omnibus partibus redeunt, ut inde ab arteria ſpermatica poſſint exſugi? Certè nec ego, nec alij mecum, opinor, credent. Quibus enim vijs ſpiritus iſti ad aortam redeunt?

Ceterùm admirabilem vaſis ſpermaticis, ad univerſum

corpus

corpus alterandum, vim ineſſe conſtat. Nam virile illud & maſculum temperamentum ab eorum ἐπιῤῥοῇ *influxu* & irradiatione, ut Medici loquuntur, pendet. Quippe *calorem & robur ex propria facultate obtinent*, inquit Fernelius, *haſq; vires in omne corpus effundunt; quemadmodum cerebrum nervis tum ſentiendi tum movendi vim, cor arterijs pulſandi facultatem impertit.* Vnde non pauci ad cerebrum, cor, hepar (tres principales corporis partes) quartam hæc vaſa ſpermatica adijciunt. *Illis enim præſentibus*, ait Argenterius, *corpus calidius & ſiccius evadit: illis verò exectis, degenerant mares à ſua natura, & temperiem atque mollitiem mulierum induunt.* Imò Galenus auſus eſt vaſa illa cordi quodammodo in principatu præferre: quia *cor*, inquit, *tantùm vivendi, teſtes verò bene vivendi principium ſunt. Quanto autem melius eſt, bene vivere, quàm ſimpliciter & ſolùm vivere; tanto in animalibus teſtes corde ſunt præſtantiores.* Fernel. lib. 7. c 3. de homin. procreat. Galen. lib. 1. de ſemine.

Hinc ſpadones olim, militiâ, ut effeminati arcebantur: dubitatumque eſt, an qui altero tantùm careret, jure militaret. Sed tales non reijci Traiani reſcripto affirmatum eſt, inquit Arrius: *Nam & duces Sylla & Cotta memorantur eo habitu fuiſſe natura.* l. Qui cum D. de re milit.

Sed etiam eunuchis utroque orbis minimè quandoque animi emaſculantur, ut Narſeti illi Gothorum terrori & victori ſub Imp. Iuſtiniano. Verùm Perſa erat, apud quos olim ſpadones tam maſculo animo, ut mererentur etiam regnare.

Quantum tamen temperies eorum à virili demutet, ex diſcrimine carnium inter gallos & capones, inter arietes & verveces, inter hircos & capros, inter verres & maiales, inter tauros & boves caſtratos æſtimare licet. Nam *caſtratorum animalium carnes quadam dulcedine guſtum movent*, inquit Fernelius; *quæ verò à non caſtratis accepta, odore & ſapore teſticulos referunt, evomuntque grave quoddam virus acerbitatis ſuæ.*

CAPVT V.

De nutritione.

POſtquam per chyloſin & chymoſin cibus & potus in ſanguinem mutati, & per venarum traduces canaleſque in omnia membra corporis diſperſi ſunt, ſingulæ partes vi quadam attractiva, ex majoribus venis per minores aliquid ſibi maximè utile & familiare rapiunt; poros ſuos inde implent, & calore naturali, ac tota temperie ſua, tertiam concoctionem, quæ ultima eſt, inchoant. Ac primùm materiam ſanguineam, mutatâ temperie & colore, in humorem decoquunt, quem Medici, ex ſimilitudine rorem vocant. Deinde rorem in gluten, tenacitate quadam jam parti viventis adhærens; & gluten in cambium denſant; & è cambio tandem partem vivam, inductâ in materiam cambij animâ, conficiunt. Ante tamen animationem, tempore, aut naturâ continuitas, ſeu unio integralis cum parte viventis præcedere debet; quia anima partis diſcontinuum alimentum animare non poteſt, ut Cardanum monet Scaliger. Quidam tamen Medici cambium ante gluten ponunt, & gluten in partem viventis immediatè faceſſere dicunt.

Scal. Exerc. 101. §. 16.

Ad hanc diſtributionem & naturæ œconomiam alludit eleganter Apoſtolus, ubi ait, omnes Chriſtianos, qui *in uno ſpiritu* (per unum ſpiritum) *in unum corpus*, Chriſti myſticum, *baptizati ſunt*, & gratiâ Spiritus ſancti, quaſi communi animâ, in primâ hac per baptiſmũ generatione, quaſi membra ejuſdem corporis, inter ſe coagulati ſunt; eodem deinde divino Euchariſtiæ cibo ali ac *in uno ſpiritu* (Græcus *in unum ſpiritum*) *potari*, ut ſpiritualiter nutriantur ac creſcant. Nam veluti omnia membra liquidum alimentum è venis ſugunt & potant; ita omnes fideles, membra ejuſdem Eccleſiæ quæ eſt corpus myſticum Chriſti, idem alimentum Euchariſticum, quaſi è Chriſti venis hauriunt: hôc ſolùm diſcrimine, quòd membra corporis naturalis alimentum ſuum in corpus, membra verò corporis Chriſti in ſpiritum, ſeu ſpirituale gratiæ incrementum convertant. Non ſolùm autem ſanguis qui in venis eſt,

1. Cor. 12.

ſed ſan-

ſed ſanguis quoque cum ſpiritu ſuo vitali cedit in corporis alimentum. Nam humidum radicale ſingularum partium, ſanguine maximè arterioſo ali, & ſpiritus inſiti, qui calore ſuo humidum radicale, ut flamma oleum, depaſcunt, ſpiritu vitali maximè reparari debent.

ARTICVLVS I.

Quid nutritio. Quid accretio.

NVtritio eſt omnium conçoctionũ quas natura in ventriculo, hepate, corde & unaquaq; parte viventis molitur, finis. Definitur enim mutatio alimenti in ſubſtantiã viventis facta ab anima vegetativa, virtute caloris naturalis, ut fiat reparatio partium quæ abſumi cœperant. Tranſit enim hac mutatione materia alimenti à privatione formæ viventis, & etiam à forma cambij, ſive ultimi alimenti, ad animã viventis; ſive ea anima ſolùm ſit vegetativa, ut in plantis, ſive ſenſitiva ſimul, ut in brutis, ſive vegetativa, ſenſitiva, & rationalis ſimul, ut in hominibus. Cauſa ejus principalis eſt anima vegetativa partis, quæ alimentũ in ſe convertit. Falli autem videntur, qui animam in nutritione & concoctionibus prodromis otiari putant, & totum coquendi & mutandi negotium relinqui calori naturali & temperamento partium viventis. Nam ſi anima otiatur, concoctio & nutritio non erunt actus vitales, cùm phyſicè non egrediantur à vita prima. Deinde temperies quę manet in oſſe, aut carne mortuâ, nunquam ſimilem temperiem ſanguini ſibi appoſito imprimet; velut ſecuris ſine manu artificis nunquam ſcamnum fabricabit. Nam licet calor naturalis, ſi in cadavere maneret, alterare materiam ad ſimilem calorem poſſet, ſicut calor in aqua alium producit; tamen ſiccitas v. g. oſſis, quæ qualitas eſt vix activa, ab anima elevari & adjuvari debet, ut ſanguinem in partem oſſis exſiccet. Quod evidentius eſt, quando oſſa, ſeu oſſium prima & mollia lineamenta, in fœtu adhuc tenero, aluntur in ventre matris. Nam ſiccitas eorum minima & ferè nulla, vix ullius activitatis inter tot humectantia, eſſe poteſt, niſi anima eam ad ſic-

candum alimentum adjuvet. Denique ſicut in attrahendo, retinendo, circumponendo, & figurando alimento ſecundum figuram & compoſitionem partis alendæ, neceſſaria eſt actio animæ, quæ omnia iſta principaliter efficiat; ita etiam nulla ratio eſt, cur in ipſa coctura & alteratione alimenti, animæ operatio non interveniat. Cujus rei indicium etiam eſt, quòd, ut multis placet, inter quaſdam operationes vegetativas, & ſenſitivas ſit talis ſympathia, ut una alteram ſiſtat, aut retardet. Hoc enim ideo exiſtimatur accidere, quia ab eadem anima phyſicè dependent, quæ pluribus ſimul intenta, non poteſt integras vires præbere ſingulis.

Vnde non omnino allubeſcit, quod alicubi Suarez ait, alterationes illas alimenti non pendere ab anima, ſed *à ſolis qualitatibus*. Magis quod quidam Medicus: *Calor elementaris*, inquit, *dum formæ elementari ſubſervit, calefacit tantùm, attenuat, rarefacit, homogenea cogit; ſed dum nobiliori formæ, animæ ſcilicet mancipatur, nobiliores effectus promit: illius enim miniſterio arbuſta gemmas trudunt &c.*

Suar. lib. 2. c: 18. de Orat. n. 7. And. Laur. lib. 1. c 9. de ſtrum.

Certius tamen eſt, animam ad ultimam mutationem, quæ eſt nutritio, concurrere, quàm ad prævias illas alimenti alterationes: quia illa eſt actio ſubſtantialis, quæ à ſubſtantia animæ, non ab accidentali temperie membri viventis principaliter produci poteſt.

Cauſa tamen inſtrumentalis quâ anima utitur in converſione alimenti eſt calor naturalis. Vnde à Græcis ζῆν *vivere*, inquit Plutarchus, formatum eſt à ζεῖν *fervêre*. Non quòd ſolo calore utatur anima in vitę vegetativę operationibus, ſed quia inter qualitates primas calor maximè actuoſus, & primarium inſtrumentum eſt; quo anima alimentum calefacit, rarefacit, ea quæ ſunt ejuſdem generis, ab ijs quæ ſunt diverſi ſeparat, ut carni, oſſibus, nervis, & unicuique parti corporis conveniens alimentum præparetur; ut frigus, ſiccitas, & humiditas cujuſque partis faciliùs ſuas qualitates alimento ſibi cognato imprimat, & illud aſſimilet. Nam aliàs calor naturalis non eſt unicum animæ vegetativæ inſtrumentum, ſed ipſa in aſſimilando alimento, toto temperamento ſuo uti debet. Nec

bet. Nec enim calor naturalis poteſt ſervire animæ ad efficiendum frigus, & ceteras qualitates primas à calore diverſas, quæ requiruntur ad temperiem qua alimentum, aſſimilari debet parti viventis antequam in ſubſtantiam ejus mutetur. Vnde Ariſtoteles carnem animalis non calore, ſed frigore potiùs concreſcere docet; hôc argumento, quòd vi ignis reſolvi & liqueſcere poteſt.

Itaque non ſolum calorem illum actuoſum, ſed frigus, humiditatem, ſiccitatem, pigras & in vnam temperiem fractas & alligatas qualitates anima arripit, elevatque ut coëfficiant (quod per ſe ſolæ nunquam potuiſſent) ſimilem temperiem in materia alimenti. Hoc enim admirabile naturæ opus alia probabiliori ratione vix puto poſſe explicari.

Nec verum exiſtimo, quod Medici quidam fingunt, calorem naturalem animantium, naturæ cæleſtis, non elementaris eſſe, ideoque animam mirabiliora per eum ſolum, ſine alio inſtrumento, opera poſſe operari. Magis enim aſſentior S. Thomæ, qui calorem iſtum igneum & elementarem appellat, aitque *generationem carnis & determinationem augmenti, & alia huiuſmodi eſſe ab anima vegetativa, quæ utitur calore igneo, ſicut inſtrumento*. Vnde difficile eſt intellectu quod alicubi Scotus: *In mixto animato*, inquit, *eſt calor alius quàm in igne, licet ſint in aliquo ſimiles. Calor enim ignis alterat ad ignem, & ille alius alterat ad carnem, non ad ignem. Vnde qualitas mixti eſt perfectior, quàm qualitas elementi:* Non enim exiſtimo illum eſſe perfectioris, aut alius ſpeciei, ſed in mixto animato ſubordinari perfectiori agenti principali, quæ eſt anima; ideoque ad perfectiores effectus elevari, quàm calorem ejuſdem ſpeciei & perfectionis in igne elementari. S. Th. lib. 3 c. 147. contra Gent. Scot. 2. d. 15. q. unic.

Nimis autē ſimplices fuerunt illi Theologi, qui nihil alimenti in ſubſtantiā viventis converti exiſtimaverunt, decepti falsâ interpretatiunculâ verborum Chriſti, *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit; & in ſeceſſum emittitur.* Quaſi nihil ingeſti per os alimenti, corpori in tranſitu adhæreſcat, ſed universū per patentes meatus foras tranſcoletur. Cum potiùs verus ſenſus ſit, *quòd de quolibet cibo aliquid impurum per ſeceſſum emittatur*, inquit Matt. 15.

S. Thomas,

S. Th. 1. p q. ult. a. 1

S. Thomas. Nam aliàs alimenta in corpore noſtro *corrupta, id eſt, amittentia formam ſuam*, ait eleganter S. Auguſtinus, *in membrorum iſtorum fabricam migrant, & corrupta reficiunt, in aliam formam per convenientiam tranſeuntia.*

S. Aug. c 40. de vera relig.

Nec tantùm ſubtiliſſimi quidam alimenti ſpiritus, qui nullum cetero alimento pondus addunt, vertuntur in ſubſtantiam viventis, ut contendunt Chymici; ſed ſucci etiam craſſiores & ponderoſi. Nec magis ipſis credo aſſerentibus pondus excrementorum alvi æquale eſſe ponderi totius alimenti in ventriculum injecti; quàm cineres æquiponderare lignis ex quibus fuerunt reſoluti. Non enim de nullâ materiâ membra animalium ſic grandeſcunt & dilantantur, nec de nihilo tot crines, cornua, ungulæ, ungues, verſus ſuperficiem corporis extruduntur. Nec unus ille ſpiritus Chymicus ſufficit, aut ſatis idoneus eſt, ut in tot partes ſolidas craſſeſcat & condenſetur. Videtur tamen interdum excrementorum pondus æquare ingeſtum alimentum; quia collectitiæ quædam & vetuſtiores corporis cloacæ, cum heſterno cibo fortè egeruntur; ſicut non raro, plus reddi per lotium apparet, quàm liquidi hauſtum eſt; quia veteris aquæ lacunæ, aut partium humentium colliquationes ſe miſcent, ac urinæ torrentem inflant & augent.

Cauſa verò finalis nutritionis, eſt reparatio ruinarum corporis, quod per contrariorum intus & foris ipſum oppugnantium actiones continuò reſolvitur & diffluit. Nunquam enim corpus noſtrum in eodem ſtatu permanet, ſed inſtar aquæ dilabimur, ἀεὶ ῥέοντές τε καὶ μεταπίπτοντες *ſemper fluentes & decidentes*, ait Nazianzenus. Veriſſimè enim, etſi cum aliorum riſu, dixit olim Heraclitus: Equum qui ad aquandum egreditur, non eundem ad ſtabulum reverti. Per cutem enim corporis, innumeris poris inſtar cribri perforatam, cum ſudore & alijs excrementis, partes quoque viventis antea animatæ reſolvuntur, & in auras perpetuò diu noctuque expirant. Ne igitur animal brevi tempore totum erogetur & diffluat, in locum decedentium partium aliæ per nutritionem continuò reponuntur. Nec id ut caſus tulit, ſine arte & ingenio, ſed tanto

Naz. Orat. 37.

tanto naturæ artificio, ut nec veterum partium deceſſu, nec acceſſu novarum, figura & proportio membrorum ullatenus violetur. Loquor de ijs quæ fiunt ut plurimum & ſecundum naturam, non de tophis & fungis, alijſque ebullientibus præter naturam, à quibus figuræ & proportiones membrorum interdum denormantur.

Quia verò inter partes animalis, nullæ fugaciores quàm ſpiritus inſiti, qui calore, & levitate ſua facillimè dilabuntur, & partes ſolidas calore deſtituunt; ideo ſpiritus naturalis ſanguini venoſo, & præcipuè ſpiritus vitalis ſanguini arterioſo additi ſunt, ut novo ſemper commeatu, per venarum & arteriarum canales, ſpiritus inſitos & humidum radicale (quod iſti depaſcunt velut flamma oleum) ſuppleant & recreent.

Ceterùm, ſi plures partes alimenti accedant & à vivente animentur, quàm interea partes animatæ exanimentur & recedant, vivens dicitur accreſcere: ſi contrà, plures à vivente recedant, dicitur decreſcere: ſi pari numero accedant & decedant, manet quaſi in æquilibrio, ſine profectu aut defectu.

Hinc patet, verum eſſe quod ait Ariſtoteles, *διαφέρει τροφὴ καὶ ἄυξησις τῷ λόγῳ nutritionem & accretionem differre ratione*, videlicet ſolâ. Nam eâdem mutatione, quâ proximè itur à privatione animæ viventis ad ipſam animam in materia alimenti, itur remotè à minori quantitate viventis ad majorem, ſi interea viventi aut nihil materiæ ſuæ & quantitatis defluat, aut minus, quàm per nutritionem accedat. In accretione enim quantitas nova nō producitur, ſed vetus alimenti quantitas cum ſuo ſubjecto, ab anima viventis occupatur. Hac quippe ſolâ mutatione fit, ut tota quantitas quæ viventi in termino mutationis ad-quem ineſt, ſit major quàm quantitas prior, quæ eidem viventi inerat ſub termino a-quo mutationis, & quæ ſimul in vivente manet cum quantitate alimenti quæ per nutritionem acceſſit, ut optimè hanc rem explicat Valleſius.

Ariſt. lib. 1. c. 5. de generat.

Franc. Valleſ. lib. 2. c. 20. controv.

Hinc ſequitur, animam ijſdem inſtrumentis uti in accretione perficienda, quibus in nutritione utitur.

Vnde accretio definiri ſolet, mutatio facta ab anima vegetativa, virtute caloris naturalis, qua corpus animatum ſecundum omnes ſuas partes ſanas & illæſas, ſervatâ proportione, majorem quantitatẽ acquirit. Quæ definitio eſt nutritionis univerſalis omnium membrorum viventis. Propotio autem iſta hoc exigit, ut majora membra tanto majorem partem alimenti ad ſe rapiant & convertant, quanto eorum moles molem aliorum ſuperare debet. Finis enim accretionis eſt commoda & debita uniuſcujuſque membri magnitudo, quam anima ad naturalem ſuam in unoquoque functionem adminiſtrandam exigit. Vnde hoc eodem fine exquiſitiſſimam alimenti portionem ad partes nobiliores, magis rudem & inelaboratam ad ignobiliores tranſmittit: *optimum patrem familias imitata*, ut egregiè Ariſtoteles, *qui optimum cibum liberis, viliſſimum ſervis diſtribuit.*

ARTICVLVS II.

Qua proportione partes corporis humani accreſcant.

EX hac quoque membrorum proportione reſultat harmonica quædam totius corporis ſymmetria, quæ vocatur pulchritudo. Proportionem verò membrorum, ſi errore aliquo naturæ vitiata non eſt, hanc nobis deſcribit Vitruvius.

Vitru. lib. 3. c. 1. Hominis mediocris proceritas ſex pedes habet; & ei circitèr æqualis eſt extenſio, quæ inter ſummos manuum digitos expanſis brachijs patet. Caput à mento ad radices imas capillorum; item manus ab articulo ad extremum medium digitum, eſt decima pars longitudinis totius corporis. Caput verò à mento ad ſummum verticem eſt octava. A ſummo pectore ad imas radices capillorum, ſexta: ad ſummum verticem, quarta. Tota facies ab infimo mento ad ſummam frontem in tres partes æquales dividitur. Prima ab imo mento ad narium foramina protenditur; altera ab imis naribus ad ſinum medium inter duo ſupercilia; tertia hinc ad ſummam frontem, ſive

tem,ſive imas radices capillorum. Pes totius altitudinis corporis, pars ſexta eſt, cubitus quarta. Reliquas proportiones, qui harum rerum curioſus eſt, à Medicis Anatomicis petere poterit. Hoc tamen non neglectim Theologo tranſeundum: quòd Deus in fabrica Arcæ, qua ſemen generis humani ab aquis diluvij ſervatum, proportionem humani corporis aſpexerit. Nam ideo *facta eſt trecentorum in longitudine cubitorum, quinquaginta in latitudine, triginta in altitudine*, inquit S. Auguſtinus, *quia ſi iacentem hominem metiaris ſupinum, vel pronum, ſexies tam longus eſt, à capite ad pedes, quàm latus à dextra in ſiniſtram, vel à ſiniſtra in dextram; decies tam longus, quàm altus à terra, ſive à dorſo ad ventrem.* Medium hominis erecti, & centrum circuli qui per verticem, pedes, & extremos brachiorum expanſo-digitos deſcriberetur, Galenus umbilicum malè ſtatuit; Veſalius eum corrigens, paulo infrà, in concurſu oſſium pubis reſtituit. S. Aug. lib. 15. c. 26 Civit.

Ad hoc proportionale omnium partium incrementum eleganter alludit Apoſtolus, cùm univerſa membra corporis myſtici Chriſti, ſive Eccleſiæ electorum, ſimili proportione in charitate creſcere dicit, ſub capite Chriſto: qui non tantùm cerebri, ſed & cordis, ac jecoris in corpore illo myſtico officium adminiſtrat. *Ex quo*, Chriſto, inquit, tanquam capite omnibus membris ſuperpoſito, & ea inter ſe ſpiritu ſuo colligante, *totum corpus* Eccleſiæ *compactum* (Græcè, *συναρμολογούμενον harmonicè compoſitum)* cum certâ proportione & harmonicâ ſymmetriâ membrorum, *& connexum per omnem iuncturam*, cum capite ſuo, *ſubminiſtrationis*, quâ juncturâ tanquam ponte, ſubminiſtratur & traijcitur influxus capitis in membra, *ſecundum operationem* (Græcè *ἐνέργειαν*, *efficaciam*, per intimam operationem & efficaciam, qua unumquodque membrum alimentum alterat & in ſe convertit, ut creſcat, *in menſuram*, uſque ad magnitudinem proportionatam *uniuſcuiuſque membri*. Membra enim majora magis creſcunt & augentur in charitate & vita ſpirituali. *Augmentum corporis facit*, per virtutem à Chriſto capite per ſingula membra diffuſam. Vnde caput iſtud myſticum non tantùm cerebrum, ut antè dicebam, ſed Epheſ. 4.

bam, ſed etiam cor & jecur continet, à quo ſpiritus vitales & ſanguis myſticus fluunt in omnes partes. Nec solùm *per fidem compaginatur, & per charitatis ſubminiſtrationem connectentem*
S. Tho. Epheſ. 5. Lect. 5. *augetur hoc corpus*, ait S. Thomas, *ſed etiam per actualem motionem ad operationem, quam Deus facit in nobis, qui operatur omnia in omnibus*, 1. *Cor.* 12.

Breviter, Chriſtus iecur electorum ſuorum membrorum eſt, quatenus charitate habituali ea alit, & veluti humidum radicale quotidie inſtaurat: cerebrum eſt, quatenus ſpiritu ſuo ad opera bona eos prævenit & excitat; quemadmodum cerebrum ſpiritu animali per nervos effuſo, loco-motivam & ſenſus, veluti dormientes, ad operationes ſuas ſuſcitat.

Cajet. Epheſ. 4. Hoc quoque *admirabile*, ut loquitur hîc & expendit Cajetanus. Quòd Apoſtolus non tantùm dicat, myſticum Chriſti corpus *augeri ſecundum omnes partes proportionaliter*, ſed videatur etiam aſſerere hanc negativam: *Non augeri partem aliquam ſine augmento omnium*; ſicuti in corpore naturali non creſcit unum membrum, niſi omnium proportionale incrementum concomitetur, ne diſproportio & enormitas aliqua in corpore exiſtat, quam natura quantum poteſt averſatur.

Et ſanè proportionale illud electorum Eccleſiæ militantis in gratia & charitate augmentum non tantopere mirabitur, qui cum Apoſtolo & SS. Auguſtino & Thoma reputabit, Deum ita omnia operari in omnibus, ut creemur in Chriſto
Epheſ. 2. Philip. 2. Ieſu in operibus bonis, & operetur in nobis velle & perficere pro bona ſua voluntate. Si enim præveniendo inchoare, & adjuvando proſequi debet omnia bona opera, quibus electi in charitate creſcunt; quid mirum, ſi ſapientia ejus, quæ ſingulos actus eorum bonos præfinire debet, talem in ijs ordinem & proportionem ſeruet, qualem ſolet in opere ſuo naturali, quo viventibus proportionale, ſecundum uniuſcujuſque membri magnitudinem & modum, incrementum præſtat? Si enim Eccleſiam in cælis triumphantem proportione quadam admirabili, ſecundum ideam divino ſuo ingenio dignam, ex hominibus meritorum claritate diſſimillimis (*ſtella enim à ſtella differt*

differt claritate, ſic & reſurrectio mortuorum) ordinat & componit; cur etiam in diſtributione meritorum Eccleſiæ militantis, quibus electos ad diverſos illos gloriæ gradus ſubvehit, proportionem nullam cuſtodiat? Nonne etiam Eccleſia in terris militans eſt *caſtrorum acies ordinata*? Nonne ipſe *omnia in menſura & numero & pondere diſponit?* Sap. 11.

Veruntamen nonne, inquies, dum unus electorum in gratia & charitate creſcit, alius ſæpe decreſcit, aut per culpam lethalem, omnem charitatem & vitam animæ amittit?

Ita, ſine dubio, eſt. Sed peccata etiam talibus cooperantur in bonum, & ipſi quodammodo creſcunt, ubi decreſcere, imò emori videntur. *Et recole*, addit Cajetanus, *quòd ſicut in corpore non qualibet nutritione fit augmentum, ſed multis nutritionibus diſponitur corpus, & poſt certum tempus augetur; ita in corpore Chriſti myſtico.* Vel, ut magis diſertè S. Thomas: ſicut *natura per aliquod tempus operatur diſponens ad augmentum, & nihil augens actu, & poſtmodum producit in effectum id ad quod diſpoſuerat, augendo ipſum animal vel plantam*; ita in corpore Chriſti myſtico, aliqua membra non perpetuò creſcunt, ſed ad incrementum poſtea recipiendum, lapſibus etiam humiliantibus diſponuntur. Nec circa unius membri incrementum Dei providentia, quæ ad omnia vigilat, quidquam operatur, quin ſtabili & ordinatiſſima lege, circa alia ſimul negotietur, quæ conducunt ad numerum, pondus, & menſuram meritorum, quæ totum corpus etiam in hac vita obtinere debet: ut ſic *per nexus & coniunctiones ſubminiſtratum & conſtructum* (ut alibi Apoſtolus, hac ſimilitudine corporis naturalis delectatus, repetit) *creſcat*, quadam membrorum proportione, *in augmentum Dei*, quod ipſe per charitatem in cordibus eorum operatur.

S. Tho. 2. 2. q. 24. a. 6.

Coloſſ. 2.

Dubitant tamen Philoſophi, an nutritio & accretio non ſint mutationes continuæ ſicut motus localis, qui tantum ſpatij tanto tempore conficit, & in qualibet parte illius temporis proportionaliter aliquid minus.

ARTICVLVS III.

An nutritio & accretio ſint mutationes continuæ.

BReviter, Ariſtoteli & S. Thomæ aſſentimur. Nutritionem nempe, & accretionem multis intervallis interrumpi ſolere, dum poſt peractam unam alimenti converſionem, aliud ſuccedit, quod in rorem aut gluten, aut cambium excoqui per aliquem temporis lapſum debet, antequam altera nutritio in eadem parte membri, ſuccedere poſſit. Vnde optimè & graphicè Ariſtoteles hanc rem cum gutta excavante lapidem, aut ſtirpe quæ è rupe naſcendo, ſaxum diffindit, comparat. Nec enim prima, ſecunda, tertia, & ſingulæ guttæ aliquam particulam detrahunt lapidi, ſed guttæ certo numero præeuntes materiam diſponunt, ut gutta quæ agmen illud præcedentium ſequitur, minutiſſimum quid demordeat. Sic virgultum è rupe germinans, & ſaxum infernè impellens, non ſtatim rimulam aperit: ſed paulatim alendo ita ſe inflat & vires intendit, ut rupem ſe inſinuando tandem diffindat.

Ariſt lib. 8. c. 3. Phyſic.

Non nego tamen, quin materia cambij intra rotundum porum carnis concluſa, & undique in orbem à temperie carnis oppugnata, poſſit ſucceſſivè & continuè ultimam diſpoſitionem ad animam recipere; adeò ut animæ informatio à circumferentia materiæ cambij verſus centrum ſucceſſivè ſerpat, ſicuti forma ignis per materiam ſtupæ, quæ ſucceſſivè & continuò ſine interruptione inflammatur.

Quod enim objectant quidam: In viventibus aſſignari partem materiæ minimam, in quam totam ſimul, animam introduci oporteat, ita ut non antè poſſit in dimidium, quàm in totum; facilè refellitur. Nam intelligi hoc debet de integro vivente, quando primùm generatur. Quando enim in nutritione pars aggeneratur, minor & minor ſine fine aggenerari poteſt; quia materia alimenti in ipſa aggeneratione integraliter materiæ viventis unitur, aut etiam tempore quandoque

priùs

priùs, quando ex rore gluten, aut cambium efficitur. Poſſunt enim materiæ quæ diverſis formis ſubſtant, unione integrali cohærere, ut patet in membro, aut ramo arido, qui integraliter unitus eſt viventi. Vnde cambium, aut gluten poſſunt continuari cum materia carnis, etiamſi nondum formam viventis ſuſceperint. In continuis autem non datur minima pars, ac proinde non poteſt tam parva pars alimenti continui aggenerari, quin poſſit ſine fine minor. Vnde particula quæ eſſet minimum naturale, ut vocant, licet diviſa à toto, non poſſet niſi in inſtanti tota ſimul generari; quando tamen toti continuatur, poteſt ſucceſſivè aggenerari, atque ita nutritio & accretio continuè per eam ſerpere, ſic ut anima priùs in dimidium, quàm in totum introducatur.

ARTICVLVS IV.

De tertiæ concoctionis excrementis.

SIcut chyloſis, & chymoſis, ita tertia alimenti concoctio ſua excrementa habet. Hæc autem ſunt, quæ ſenſibiliter, vel inſenſibiliter per poros extremæ cutis, à virtute expultrice foràs excernuntur. Ad hunc quippe finem tota cutis cribro crebriùs undique perforata eſt. Senſibiliter excernuntur ſudores, & materiæ quædam aridores, quibus cutis frequenter obducitur & loricatur, niſi homo abluat. Sed inſenſibiliter multo plura omni momento exſpirant, quibus nocte lecti, interdiu veſtes hominum calefiunt. Vnde, ſi oculos tam ſubtiles haberemus, homines aſpiceremus tanquam totidem magna thuribula, innumerabilibus foraminibus fumos undique exhalantia. Medici enim ejus rei curioſi majorem excrementorum molem, per occultam iſtam cutis tranſpirationem, quàm per evidentes alvi & veſicæ dejectiones, expelli exiſtimant.

Viri plura expirant quàm feminæ, quia calidiores ſunt, & poros magis apertos habent. Vnde quoties lavant manus, aquę limpiditatem inquinant, ut in pelvi licet deprehendere; non ſic femi-

ſic feminæ. Corpora autem quò εὐπνούστερα καὶ ἀραιότερα *ſpirabiliora & laxiora*, eo ſalubriora ſunt: pinguis enim habitus robori, laxus ſanitati magis conducit, inquit Ariſtoteles. Maximè autem cute ij expirant, qui alvo difficili ac moroſâ ſani tamen ſunt. Natura enim alicunde à ſuperfluis ſe exonerare debet, & ubi ordinariâ non poteſt, alias vias molitur.

Ariſtot. ſect. 8, Problem.

Fortaſſe etiam pij quidam & contemplativi (quales novimus) qui pulmonibus vix reſpirant, per poros cutis laxiùs dehiſcentes, fuligines cordis expellunt, & indidem aërem frigiſque abundantius per arterias extremæ cuti applicitas, ad mitigandum cordis æſtum, ſorbent. In tanta enim reſpirationis & refrigerandi cordis neceſſitate, mirum profectò, & prope divinum miraculum eſt, quomodo tot horas abſtinere poſſint à pulmonum motu, & frigidi aëris inſpiratione. Et tamen rem ita habere, ab ipſis ſæpe audivimus, qui minimè mendaces, & diuturna cum ijs converſatione, facilè verum deprehendebamus. Porrò diverſa corporum temperies, aliâ etiam qualitate, tertiæ concoctionis excrementa imbuit. Hinc ruforum hominum ſudores & ſpiritus graviùs, quàm ceterorum olent. Hinc canes ſolo odore ſpirituum, heros ſuos ab alijs diſtinguunt. Feras quoque veſtigant per odorem effluviorum, quæ illæ ſeminant, quacunque vadunt. Quorundam etiam animalium halitus, tam qui per cutem, quàm qui pulmonibus expirantur, peſtilentes ſunt. Hinc quibuſdam tantis felium horror; quia ſpiritu earum ſe malè affici, ſæpe etiam uſque ad animi deliquium, ſentiunt. *Minimè enim fabuſum eſt,* inquit Paræus, *quod vulgus dictitat,* Feles infantibus exitiales eſſe. *Ipſarum enim ori toto corpore incumbentes, fuliginis exitum & thoracis motum intercipiunt, ac peſtiferâ quam de ſe emittunt aurâ, tenellorum infantium ſpiritus inficiunt & præfocant.* Quod monere volui, ut parentes intelligant, unde morbi, & mortes aliquando immaturæ ſuorum parvulorum. Nihil enim in Belgio vulgarius eſt, quàm feles tractari manibus & oſculis infantium.

Paræ lib. 20. c. 34.

Ex effluvijs quoque cutis generantur crines. Nam *cum tranſpiratione inſenſibili, etiam craſſioris excrementi nonnihil excernitur,* ait Galenus,

ait Galenus, *à quo pili & cutis ſordes gignuntur*. Materia quippe eorum eſt exhalatio lenta, quæ tamen multum terreni habet, ut facilè poſſit exſiccari. Plurimam ijs materiam præbet cerebrum humanum, ampliſſimum & humidiſſimum; unde luxuriant in capite maximè pili, ſicut arbores juxta lacus & fluenta aquarum lætiſſimè proveniunt. Qui plus caloris, cutem quoque capitis laxiorem habent, ideoque pilos craſſiores; quod longævitatis eſt indicium. Denſitas quoque eorum idem ſignificat; quia temperamento calido & humido ſilva denſior enaſci ſolet: vita autem calore & humore continetur. Piloſi præterea ac hirti tam in hominibus, quàm avibus, inquit Ariſtoteles, ob eandem cauſam ſalaciores ſunt. Quod enim in hominibus crines, hoc in avibus plumæ ſunt: ex ſimili quippe materia & cauſa geniti. Lepores quoque, cui animalium uni, ut ait Ariſtoteles, in ore, & ſub pedibus crines, ſalaciſſimi ſunt. Galen. lib. 1. de ſanit. tuend.

Color crinium temperiem etiam hominis ferè indicat, & quis in eo abundet humor. Sic nullos plures atrâ bile & inſaniâ tentari videmus, quàm quibus pilus eſt ater. Vt tamen nigredo in pupilla placet, ita *nigri capilli*, ait S. Bernardus, *candidis vultibus etiam decorem augent & gratiam*. Ideò formam ſuam commendans ſponſa Canticorum: *Nigra ſum, ſed formoſa*, inquit, *filiæ Ieruſalem*. Feminæ tamen hodie & olim ad pulchritudinis gratiam videntur fuluam cæſariem prætuliſſe, aut qualem in uxore ſua Poppæa, *ſuccineam* appellabat, & carmine deprædicavit Nero Cæſar. Laudat quoque in Davide adoleſcente Scriptura: *Erat enim*, ait, *adoleſcens rufus, & pulcher aſpectu*. Etſi à flavâ bile tingi videatur color iſte. Vnde hominum ruforum, & quibus lentigine aſperſa facies, morſus virulenti ſunt, perinde ac iratorum, inquit Paræus. Canitiem ex defectu caloris, qui ſinit crinium materiam putreſcere, oriri exiſtimant Ariſtoteles & Medici; calvitiem autem ex humidi defectu. Vnde & à vertice capitis calvities incipit, ubi minimum carnis eſt, ſed nuda ferè & ſicca cute cranium tegitur; canities à temporibus, quæ carnoſiora ſunt, & plus humidi habent. S. Ber. ſer. 25. in Cant. 1. Reg 17.

Canities autem non tantùm ſenectute, ſed ſubito terrore, aut curá aliquá coquente citiſſimè aſpergitur. Sic ſollicitudine unius noctis, imò momento pænè uno, ex pavore mortis multi incanuerunt. Illuſtre exemplum in affini illo Franc. Gonzagæ Mantuæ Principis, qui, ut refert Scaliger, ſuſpectus conjurationis in carcerem conjectus, manè repentè canus aparuit. Illuſtrius in Didaco Oſorio nobili Hiſpano, qui ſub Ferdinando Catholico, auditâ mortis ſententiâ, ita exhorruit, ut pallor vultus ſtatim etiam crinem rapuerit. Simile in Monacho quodam Forojulienſi narrat Campanella. Horæ enim ſpatio, & minori expertum eſt, ex tali animi conſternatione canitiem feſtinari.

Scal. Exerc. 313.

Cauſa una eſt, quòd pavor & anxietas ſpiritum, ſanguinem, & calorem in præcordia revocent. *Palluit, & ſubitò ſine ſanguine frigida ſedit.* Inde enim frigus in capite & extremis membris, quo materia pilorum veluti gelatur; nec tantùm ea quæ ſub cute latet, ſed etiam quæ extrà in capillis eſt; ut pruinæ capillamenta è ramis arborum dependula ſubito frigore caneſcunt in hieme. Vnde Ariſtoteles, à Comœdis ſenium convitiantibus, canitiem πάχνην, *pruinam* appellari dicit. Sicut verò aër, aut exhalatio aërea pruinæ illigata, illum præcipuè candorem facit, ſicut etiam in aquarum bullis & ſpumis videmus; ita fortè retracto è crinibus calore & tepenti humido, quod opacitatem nigredinemque, aut colorem medium concinnabat, aëre in tenuiſſimos capillorum meatus ſe inſinuante, canities repentè ſuccedit. Sed tamen etiam materiam quæ circa radices eſt, putrefactam fuiſſe, patet; quia capilli poſtea ad naturalem colorem non redeunt, ſed in poſterum nutriuntur & creſcunt ex materiâ albente, &, ut ſic dicam, canâ.

Ovid.

Ariſt. lib. 5. c. 4. de gener. animal.

Ex frigore quoque cutis eodem, horrent & arriguntur in magno pavore capitis pili.

Obſtupui, ſteteruntq́ue comæ, & vox faucibus hæſit.

Vigil.

Ac denique ex ſimili frigorifica cauſa, ſtudioſi litterarum ante ſenium caneſcunt, operationibus mentis ſpiritus & calorem abſumentibus, unde cerebrum & materia crinium refrigeſcit.

Calvitie;

Calvitiei verò altiorem cauſam ſuggerit nobis Valleſius, cerebri ſcilicet in ſenectute contractionem, qua à cranio ſe revellit, ut humore ſuo non amplius ita paſcere valeat ſuperpoſitam crinium ſilvam. Et in hunc ſenſum ducit difficilem & obſcuram illa Eccleſiaſtæ ſententiam: *Antequam recurrat vitta aurea*, id eſt, ante ſenectutem, quando tenuis meninx, quæ cerebrum inſtar vittæ operit, recurrit & revellitur à fornice cranij, propter cerebri contractionem. Naturalis etiam cerebri, & totius complexionis ſiccitas calvitium feſtinare ſolet. Hinc quia ſicci plerumque aſtuti & machinatores, natus eſt vulgaris verſus: Valleſ. c. 66. Philoſ. ſacræ. Eccle. 12.

Si non vis falli, fugias commercia calvi.

Inde Cæſar Iulius, ad introſpicienda ingenia & affectus hominum ſubtiliſſimus, negabat ſe metuere ab Antonio & Dolabella, craſſulis & ſanguineis, ſed à Bruto & Caſſio, ſiccis & melancholicis.

Porrò ſi crines Lunâ deficiente reſecentur, compertum eſt, ſicciùs & tardiùs recreſcere, ideoque tempus hoc quidam obſervant, ſive avaritiâ, ſive quia moleſtum tam ſæpe ſub forficem tonſoris redire. Vnde *Cæſar Tiberius in capillo tondendo ſervabat interlunia, & M. Varro adverſus defluvia, præcepit obſervandum id à pleniluniјs*, ait Plinius. Vanum tamen eſt, certos ſeptimanæ dies, ad ungues, barbam, aut capillitium demetendum reſpicere. *Vngues Mercurio, barbam Iove, Cypride crines.* Plin. lib. 16 c. 39.

Luna enim decreſcens, & materiam unguium criniumque deſiccans; nõ verò Mercurij, Iovis, Veneriſve dies aliquid conferre poteſt, ut reſecta maligniùs tardiuſque renaſcantur. Ceterùm ungues, ungulæ, & cornua animalium ex vapore quoque fuliginoſo, perinde ut crines, oriuntur & creſcunt. Vnde *colores cornuum, unguium, ungularum*, inquit Ariſtoteles, *cutis ac pilorum colori reſpondent*. Alibi tamen hominem excipit, in quo cutis *propter tenuitatem*, ait, pro pilorum varietate non variat. Videmus enim cute candidiſſimos, interdum crine fuſcos eſſe. Cornua quoque è pilorum materia concreſcere, probari poteſt illuſtri exemplo hominis illius cornuti, quem ſeculo nuper elapſo, ad Galliæ Regem adductum narrat Ariſt. lib. 3. c. 9 Hiſtor. animal.

Caſaubonus. Nam cornu illud arietinum è tempore ejus enatum, fulvum & crinibus concolor erat.

ARTICVLVS V.

An ſalutaris pileolorum uſus, quibus iam paſſim caput tegimus.

AD evacuanda capillorum & cerebri excrementa, præter alia remedia, excogitati ſunt pileoli, calottę, aut cucufæ, quos Philoſophi noſtri ridiculè appellant *pileos ſecundæ intentionis.* Hi cerebri & capitis effluvia retinendo, caput calefactant, poros ad exhalandum aperiunt, & ſimul ab externo frigore & injurijs defendunt. Hôc tamen more & mollicie nimiſquàm procul à veteribus Græcis ac Romanis abivimus, quorum ſtatuæ & imagines teſtantur, nudo capite domi foriſque egiſſe, niſi militia, æſtus, imbres, morbus caput pileo, petaſo, aut cauſiâ tegi ſuaderent. Id multis & firmis exemplis Polydorus, Brodæus, ſed præcipuè Lipſius noſter oſtendunt. Vnde apud Homerum nulla pilei mentio: & Iul. Cæſar, qui *calvitij deformitatem iniquiſſimè ferebat, & ſæpe obtrectatorum iocis obnoxiam expertus erat*; non tamen pileo contra receptum morem, eam tegebat, ſed *deficientem capillum,* ait Suetonius, *revocare à vertice aſſueverat, & ex omnibus decretis ſibi à Senatu populoque honoribus, non aliud aut recepit, aut uſurpavit libentiùs, quàm ius laureæ* (ad celandum calvitium) *perpetuò geſtandæ.* Non tamen tam pertinax antiqui moris fuit ſucceſſor ejus Auguſtus, qui æſtûs intolerantiſſimus, *ne ſolis quidem hiberni patiens, domi quoque* (quod alijs inſolens erat) *non niſi petaſatus ſub divo ſpatiabatur.* Petaſus autem, galerus eſt marginatus: nam qui propriè pileus dicebatur, ſine margine erat. De Othone quoque Galbæ interfectore, & poſt eum Imperatore, tanquam nimis effeminato Suetonius: *Fuiſſe traditur,* inquit, *munditiarum penè muliebrium: vulſo corpore, galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato & annexo, ut nemo dignoſceret.* Et hoc enarrans Beroaldus: *Galericulus,* inquit, *eſt*

Lipſ. c. 1. de Amphit.

Suet. c. 45. Iuli.

Suet. c. 82. Aug.

adulterina coma, quando ex alienis capillis inſtar galeri, coma compingitur, & capiti ita graphicè ac diligenter annectitur aptaturq́, ut à vera coma internoſci non queat. Hanc comam adſcititiam Petronius in feminis *corymbium* (quia, opinor, inſtar corymbi hederarum, flocculi crinium in orbem dependent) in viris *capillamentum* appellat.

Germanos & Suevos veteres cirris nodiſque crinium, non alio tegmine, caput munivisse, ex Tacito quoque affirmat Lipſius. *Et comatos noſtros Gallos* inquit, *quidni credam eâ parte intectos?* Mos etiam iſte Româ Conſtantinopolin cum Imperio migravit; adeò ut Andronico Imperatore, poſt An. Chriſti 1300. demum exoleverit: ut *paſſim omnes*, inquit Gregoras, *& ſeniores & juniores pileis uterentur, non minùs in palatio, quàm in agris.*

Et ſanè neſcio, an tot hodie pileis & pileolis onuſti, ſalubriori capite quàm veteres illi, vivamus. Certè nuper patres noſtri in Belgio, comâ breviori, quàm nos, erant; nec tamen extra ſenes, aut valetudinarios vulgatus fuit ſecundi pileoli uſus. Morem autem comam tondendi, cùm ſeculis præcedentibus eam, ut nos jam geſtaſſent, à Carolo V. Cæſare cœptum exiſtimat Fam. Strada. Cùm enim, inquit, Carolus An. 1519. ad capeſſendam Imperij coronam, veniſſet in Italiam, & *minuendo capitis dolori, cæſariem depoſuiſſet*; exemplum certatim rapuerunt omnes Aulæ primores, *more qui per ea retroq́ ſecula tantopere vigebat, alendæ comæ; imitatione unius, apud omnes abolito.* Cor. Celſus, quem Hippocratem Latinum Medici appellant, Philoſophis & litteratis, quibus à ſtudio imbecille caput, ſcribens, ut Thriverus fatetur, etſi nolit eos *ad cutem tonderi*, vetat tamen *caput veſte velare*, pileum damnat, & nuditatem capitis commendat. Imò aquâ frigidâ quotidie perfundi jubet, & nudum ſupponi canali, unde aqua pluvialis, aut alia decidit. *Nihil enim capiti æquè prodeſt*, inquit, *atque aqua frigida. Atque is, cui hoc infirmum eſt, per æſtatem id bene largo canali quotidie debet aliquamdiu ſubjicere.* Nam aquæ frigus denſat capitis cutem, & adverſus externas cæli injurias impenetrabilius facit. Hoc opinor etiam argumento Charmis,

Strad. lib. 10. de bell. Belg.

Cor. Celſ. lib. 1. c. 4.

Romæ ſub Principatu Neronis, nobilis Medicus, damnatis balneis, frigidâ hibernis algoribus, adſtipulante Senecâ, non capite tantùm, ſed toto corpore, lavari perſuaſit. Tunc *videbamus ſenes Conſulares*, inquit Plinius, *uſque ad oſtentationem rigentes*.

Plin. lib. 29. c. 1.

Quantulum enim tegi caput debeat, natura docuiſſe videtur; nempe quanta eſt crinium denſitas, qua illud circumſepſit. Si objcias, oportere pileolis calefactando, aperire poros capitis, ut cerebrum ſuperfluis humoribus illàc ſe exoneret; illico reponetur: Ideo naturam cranij ſuturas, velut caminos, ad illam ſuperfluorum exhalationem, aperuiſſe. Deinde fuligines cerebri à crinibus ipſis, qui ijs aluntur, naturaliter exſugi.

Quibus tamen calvities naturale crinſum hoc munimentum ademit, te [illegible] pileolo vicem ejus ſupplere poſſunt. Et ſic calvi Hippocratis vetuſtas imagines pileatas videmus. *Sed quid de ijs dices*, inquit Thriverius, *qui bene denſam cæſariem non ſimplici pileo onerant?* Nempe iſti ante tempus caneſcunt, ſi Ariſtotelem audiant, & *perpetuò caput molle & effeminatum, circumferunt*. Tale enim profectò caput illorum adoleſcentium hodie eſſe oportet, qu[illegible] cucufis & pileolis in ætate tam adhuc fervidâ aſſueſcunt. [illegible]nde, quod peſſimum eſt, remedijs ſenectutis in juvent[illegible]nſumptis, quid ſenes facient?

Ierem. Thriver. in Celſ.

Hoc tamen, ut [illegible] diſſimulem, Ariſtoteles mihi ſuggerit, in favorem adol[illegible]ntum iſtorum cucufigerorum. *Quibus os capitis denſum*, [illegible]it, *cerebrum eſt imbecille, quia expiratio impeditur. Nam citò p[illegible]ſcit, cùm naturâ ſuâ ſit humidum. Quo fit, ut homo ſit capite maxi[illegible] piloſo, & mas quàm femina diutiùs vivunt, ſuturarum ſui capi[illegible] beneficio.*

Ariſt. ſect. 10. Problem.

Igitur cùm intecto c[illegible]pite ambulare, & omne frigus denſet capitis cranium, vitandæ ſunt cauſæ iſtæ putrefacientes cerebrum, & cucufarum fomentis a[illegible]riendi pori & ſuturæ capitis, ut pluribus ac patentioribus [illegible]aculis cerebri vapor ſe exhalet. Veruntamen natura, ut [illegible]ixi, in neceſſarijs non defuit. Ideo enim pori capitis la[illegible], quàm in ulla alia parte corporis, hiant, ideò ſuturis [illegible]m cranium, ideo implan-

implantati crines, qui humorem ſugerent. Vnde juvenibus aut nullus, aut ſimplex, ſine cucufa, galerus tegendo capiti ſufficit. Vbi verò ſenium, aut calvities venerit, cucufâ, ſive pileolo uti licebit. Calvis enim exuviæ alieni capitis, ſeu corymbi ex adſcititijs crinibus hodie permittuntur ad neceſſitatem, & ornatum; qualem tamen etiam in feminis mordaci ſtylo confixit olim Tertullianus. *Affigitis*, inquit, *neſcio quas enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervicem retrò ſuggeſtum. Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti; ne exuvias alieni capitis forſitan immundi, forſan nocentis & gehennæ deſtinati, ſancto & Chriſtiano capiti ſupparare.* Tertull. c. 7. de cultu femin.

Feminis tamen, crinibus & vittis operire ac calafacere caput, magis quàm viris, permittitur & ſuadetur; quia frigidiore & humidiore cerebro, totaque corporis temperie ſunt; ideoque cerebrum earum non tam exactè alimentum ſuum concoquit, pluraque recrementa habet, quæ apertioribus poris debent expirari. Vnde fallitur, & meritò à Veſalio noſtro refellitur Ariſtoteles, qui paucioribus ſuturis femineum cranium, quàm virile, dehiſcere cenſuit. Quidam tamen viri ac feminæ ſine ſuturis capitis inveniuntur; quales non paucos ſe vidiſſe narrat Laurentius. Iſti verò ob impeditam cerebri expirationem, magnis capitis doloribus cruciari ſolent. Hippocratis quippe oraculum eſt, ὑγιεινότεροι εἰσὶ τὴν κεφαλὴν, οἱ τὰς πλέονας ῥαφὰς ἔχοντες *eos capite ſaniores eſſe, qui plures cranij ſuturas habent*. Vnde inter mala ſenectutis hoc etiam unum eſt, quòd ætatis frigore, ſuturæ iſtæ comprimantur; imò ſic interdum conniveant & concreſcant (id enim in ſenibus quibuſdam decrepitis advertit Veſalius) ut *ſuturarum ſitum obſcurè dumtaxat referant, nulla ſuturæ imagine conſpicuâ.* Andr. Laurent c. 6. de catarrh. Hippocrat. lib. de loc. in hom. Veſal lib. 1. c. 6.

Hac igitur de cauſa, pileoli in ſenectute tolerabiles; ut, inquam, fotu ſuo calvariæ ſuturas, & cutis poros ſubapertos teneant. Maximè cùm ſenile cerebrum, id eſt frigidum & humidum, malè & cum multis excrementis ſuperfluis, ſanguinem concoquat; ac deinde ex omnibus infernè corporis lacunis vapores ad ipſum ſcandant, & tanquam ſpongiam imbuant,

imbuant; multis & apertis ſuturarum ac pororum caminis opus habet, ut ab humoribus per expirationem liberetur. *Caput enim tectum quoddam domûs calida refert*, ait Veſalius, *fumida vaporeſque ſubiectarum partium recrementa excipiens.* Et ab hinc fons & origo omnium morborum: dum vapores illi in cerebro, tanquam mediâ aëris regione, refrigerati, in partes corporis ſubjectas, per apoplexiam, paralyſin, phthiſin, dyſenteriam, arthritidem &c. depluunt. Defluxiones enim ex cerebro *perinde evenire, ὥσπερ τὴν τῶν ὑετῶν γένεσιν atque imbrium generationem, ſi parva magnis componere licet*, docet Ariſtoteles. Meritò igitur S. Hieronymus gratias S. Paulino agit, quòd ab eo *pileolum texturâ breve, charitate latiſſimum, ſenili capiti confovendo accepiſſet.*

Ariſt. lib. 2. c. 7. de part. anim.

S. Hierony. Epiſt. 154.

Quidam tamen denique, in pileolorum & cucufarum iſtarum uſu & permutatione nimis moroſi & ſuperſtitioſi ſunt; ut Marſilius Ficinus, de quo Iovius: *Adeò moroſè*, inquit, *ſibi ad ſpem vitæ blandiebatur, ut ſæpe eadem die, cùm aër incaleſceret, aut aliquo ſpiritu moveretur, capitis tegumenta permutaret.*

Quid verò de ſacerdotibus cenſendum, qui Miſſæ ſacrificium capite pileolato peragunt, diſputavit alicubi ſatis diffusè Navarrus. Summa eſt, non peccare, ſi aliter celebrare per valetudinem non poſſint, & ſcandalum abſit. Sed res hodie, præſertim apud Gallos, in majorem licentiam abijt. Certè tamen juvenes & validos eâ uti non oportet. Reverentia enim & tremor tam tremendi myſterij aliud flagitat. Saltem ſub conſecratione, pileoli omnes abjiciendi, nec ante peractam communionem reſumendi ſunt.

Navar. lib. 3. conſil. 7. de celeb. Miſſar.

ARTICVLVS VI.

An crines vivant.

HOc quoque raptim hic diſputare, à re Theologica non omnino alienum erit.

Sotus, Medina, Bañes, Henriquez, ac alij plurimi docent, crines animalium informari animâ totius, ac proinde in crinibus hominis, perinde ac in carnibus, animam rationa-

rationalem ineſſe. Hinc inferunt. Verbum divinum in Chriſto crines etiam aſſumpſiſſe: & ſi aqua ſolos parvuli crines attingat, baptiſmum tamen probabiliter valere; quia capilli & ungues ſunt partes hominis animatæ, licet minùs principales, & ad accidentarios quoſdam uſus, aut ad ſolum ornatum factæ.

In hanc ſententiam S. Thomam Bañes trahit; quia alicubi dixit, quòd ſicut principale inſtrumentum militis eſt gladius, ad cujus tamen cuſtodiam, vaginam quoque gerit; ita *in partibus corporis animati quædam ordinantur ad operationes animæ exequendas, ſicut cor, hepar, manus, pedes; quædam autem ad conſervationem aliarum, ſicut folia ad operimentum fructuum: ita etiam capilli & ungues in homine ad cuſtodiam aliarum partium. Vnde ſunt de ſecunda perfectione corporis humani.* Sed profectò, hoc non eſt, capillos animatos eſſe animâ rationali. Negant enim alij, neceſſarium eſſe, ut pars ſecundaria animetur eâdem & tam perfectâ animâ, quàm pars principalis. Et ſatis apertè alibi S. Thomas negat, capillis animam rationalem ineſſe; ubi ait, non gigni ab homine crines tanquam filios, quia non ſunt ſimilis naturæ.

S. Tho. 4. d. 44. q. 1. a. 2.

S. Tho. 1 p. q. 27. a. 2.

Henriquez quoque Ariſtotelem ad ſe trahit; quia *dicit*, inquit, *capillos vivere vitâ vegetativâ*. Sed dicat iſtud, non tamen dicit, vivere animâ rationali. Deinde etiam vitam vegetativam ijs adimere videtur, ubi ait, *οὐκ αὐξάνεται θρὶξ ἀποτμηθεῖσα, ἀλλὰ κάτωθεν ἀναφυομένη γίνεται μείζων, non accreſcere crinem reſectum, ſed quia infernè repullulat, fieri maiorem.* Quod videtur recidere in opinionem Medicorum, qui fortiter aſſerunt, *Vngues & capillos excrementa eſſe, augeriq; minùs propriè, atque nullo pacto vivere; eoque inter partes corporis nullibi à Galeno, aut ab Ariſtotele recenſeri.* Falluntur tamen de Ariſtotele: nam capillos, cornua, ungulas, ungues aliquoties partibus animalium accenſet. Pulchrè autem Galenus generationem crinium explicat per quandam fuliginum concatenationem, qua fuligo prior, in poro cutis deprehenſa, nec regredi, aut exire valida, à ſubſequente infernè propellitur, & hæc iterùm ab alia; donec longâ ſequentium & ſe trudentium fuliginum con-

Ariſt. lib. 3. c. 11. Hiſtor. animal.

Valleſ. lib. 2. c. 5. Controu.

Galen. lib. 2. de temper.

concatenatâ ſerie, totus crinis extrudatur. Et hæc eſt nobilis illa capillorum & comarum materies; viliſſima, inquam, fuligo & cerebri recrementum, in quo hodie ad fatuitatem uſque ſe jactant juvenes, & muſtachas ſuos ventilant juvenculæ.

Argent. Com. 2. In artem Galen.

Argenterius verò aliquid amplius concedit. *Ego puto*, inquit, *pilos & ungues mediam naturam habere intèr viventia & non viventia; cuius generis eſt corallus, fungus, ſpongia marina.* Sed profectò ſpongiæ, & iſta alia vivunt; unde etiam juxta iſtum Medicum, oporteat pilos & ungues vitam aliquam habere. Hoc autem, quidquid me retrahant Medicorum filij, cum S. Auguſtino, Theologis Thomiſtis, imò cum Ariſtotele, ſentio. Loquitur enim de capillorum incremento, perinde atque ceterarum partium corporis Auguſtinus. *In nobis*, inquit, *ſine ſenſu noſtro fiunt corporis incrementa, & capilli nec cum præciduntur ſentiunt, & tamen creſcunt.* An tamen in crinibus & unguibus humanis ſit anima rationalis, in pilis & ungulis brutorum, anima ſenſitiva, meritò dubites. Propior ſum neganti. Nam aliàs præter alia argumenta, non creſcerent in mortuis; quod tamen affirmat Ariſtoteles.

S. Aug c. 8. contra Priſcil.

Itaque vitam dumtaxat vegetativam, non ſenſitivam, aut rationalem, in omnium animalium pilis, ungulis, calcaribus, pennis, plumis, velleribus, & id genus omnibus conſtituo. Creſcunt enim iſta, non ſicut inanimata, ex fortuitâ materiæ congeſtione, ſed vitali motu, & fuliginoſi vaporis attractione. Nam *pili qui in capite, cilijs, & ſupercilijs habentur, etiam nobis pueris innaſcuntur*, ait Galenus; *quia generatio ijs eſt, non qualis herbis, ſed qualis ſtirpibus primâ ratione à natura conditis.* Si autem cilia & ſupercilia oculorum, ac primi crines capitis, in prima fœtûs conformatione ſint pars totius organizationis corporis, videntur conformari, ut ceteræ partes, tanquam animæ cujuſdam domicilium. Ceteros verò deinde crines qui poſtea, ut herbæ ex radicibus & ſtirpibus ſuis, ſubvaſcuntur, etiam animatos eſſe oportet; quia ſunt cum primis illis ejuſdem ſpeciei.

Galen. lib. 2 de temper.

Dentes deinde & ungues ſine anima eſſe Valleſius & Me-

dici

dici dicere non audent; igitur & crines animam habent, quia ſimillimo modo creſcunt. Tertiò, cornua animalium è fuliginibus, ſicut pili concreſcunt; quis verò neget cornua cervorum, in tot ramos ſparſa, & tam affabrè elaborata, ab animâ aliquâ organicâ inhabitari? Simile judicium de buccinis, turbinibus, conchis, & toto genere teſtàceorum, in quorũ teſtis & cochleis miro ingenio & varietate figurandis tantopere natura ludit. Tantâ jam admiratione, & inde pretio, ut novum earum rerum inter Hollandos nuper mercimonium extiterit, mercatoribus ex Oceano Indico & undique advehentibus, prout figuræ, coloris, aut molis inſolentia, & raritas ijs pretium fecerit.

Anima tamen teſtarum non eſt ſenſitiva, nec tam nobilis, quàm animal quod eam incòlit. Indicare id videtur Ariſtoteles. *Natura teſtaceorum gignitur*, inquit, *parte terrenâ in orbem dureſcente, & per modum oſſium & cornuum concretâ, corpus verò quod vitam habet* (utique ſenſitivam) *eſt intus.* Ariſt. lib. 3. c. ult. de generat. animal.

Quartò, pennæ volucrum, ingenioſiſſimum quoque naturæ opus, inanimatæ non ſunt, ſed in omnem dimenſionem accreſcunt, more plantarum; igitur & capilli animam ſuam habent. Quid enim in hominum & quadrupedum genere aliud ſunt crines, quàm in avibus plumæ, aut in piſcibus ſquamæ? Quid verò in avibus plumæ, niſi quod in arboribus frondes? Frondes autem animatas nemo negat. Meritò igitur laudati ab Ariſtotele Empedoclis iſti verſus:

Ταὐτὰ τρίχες, καὶ φύλλα, καὶ οἰωνῶν πτερὰ πυκνά, Ariſt lib. 4.
Καὶ λεπίδες γίγνονται ἐπὶ στιβαροῖσι μέλεσσιν. c. 9. Meteor.

Quæ Latinè ſic verſificat Vicomercatus:

Sunt eadem frondeſque, pili, denſaque volucrum
Pennæ, tum ſquamæ, queis fortia membra teguntur.

Sed *contemplare capillorum ſubſtantiam, tam ſiccam & exſuccam,* ait Valleſius; *videbis nutriendæ illius nullam rationem commodam inveniri poſſe, præter congeſtionem fuliginis, ut in fornacum caminis copioſæ fuligines colliguntur.* Valleſ. lib. 2. c. 5. Controu.

Sed profectò, eodem argumento ſiccis quibuſdam herbarum muſcarijs & capillamentis adimet animam. Et quomodo

ergo, quæſo, arborum ligna, animalium oſſa, ſicciora crinibus, nutriuntur? Quomodo dentes, & ungues, quos Valleſius non dubitat nutriri & vivere?

Verùm ad radices dentium propagantur venulæ & arteriolæ, inquit, advehentes dentibus alimentum, nullæ autem ad radices crinium.

Sed ſignum tantùm hoc eſt, crines viliori alimento contentos eſſe. Natura enim (ut prudens materfamilias, quæ putamina, cortices, & quiſquilias culinæ, in utilitatem familiæ vertit) ex fuliginibus etiam, & tertiæ concoctionis recrementis aliquid utile corpori fabricat; crines, inquam, pennas, cornua, ungulas, ad tutelam, aut decorem animalis: velut etiam ſimili fine, arbores ſua folia extrudunt & flores.

Nec refert, quòd crines non videantur in omnem dimenſionem ſe dilatare, ut folia arborum, aut avium pennæ.

Nam quis certò affirmare poteſt, pilos ſola longitudine augeri, ne hilum autem craſſeſcere? Nonne enim ſetæ porcorum, & ſpinæ erynaceorum craſſitudinem ſuam paulatim & cum ætate implent? Deinde non omnibus plantis & animalibus eſt eadem menſura & modus adoleſcendi. Quædam in longum ferè tantùm, alia in latum, plurima in omnes dimenſiones manifeſtè dilatantur.

Nec verum etiam eſt, crines à parte tantùm inferiori ſuccreſcere, & ſurſum ita à ſuccedente fuligine protrudi, ut nihil alimenti per tenuiſſimos meatus ad cuſpides uſque crinium attrahatur.

Attrahitur enim aliquid minutiſſimum: quo fit ut obtuſa illa à reſectione extremitas crinis acuatur paulatim & figuram mutet. Accretio tamen à parte inferiori magis feſtinat, & partes ſuperiores protrudit; quia à radice tantùm, non undique materiam incrementi accipit, ideoque ſtrenuior & evidentior eſt accretio ab ea parte, ubi materia magis affluit. Idem cernere eſt in unguibus, & dentibus. Nam maculas unguium trudi ſurſum videmus; licet animatos eſſe, & vitaliter excreſcere etiam Valleſius affirmet. Qui tamen addit, *extremos ungues multùm à radice recedentes, non ampliùs vivere, neque propriè nutriri,*

ſed

ſed ſolo impulſu. Quod licet quidam Theologi noſtri credant, ego non credo. Si enim pars unguis, cum infima eſſet, habuit animam, per meram ſurſum extruſionem, nulla temperamenti variatione, eam non potuit amittere.

Sed in mortuis fatente etiam Ariſtotele, creſcunt capilli, inquiunt. Nam cùm in ſepulchris ſubterraneis, ad attentiùs & meditatiùs philoſophandum, ſe abdidiſſet Democritus, *crementa unguium & comarum, in ſepulturis aliquanti temporis denotavit*, ait Tertullianus. Igitur accretio comarum vitalis non eſt.

Imò verò, vel ideo vitalem poſſumus aſtruere. Nam cum in carne hominis mortui non ſit anima, quæ fuligines in materiam crinium foras expellat, animula vegetativa, quæ ſupereſt in crine, materiam radice ſua attrahere debet, ut crines accreſcant. Remanent quippe poſt mortem hominis fuligines quædam circa extremam cutem acervatæ, quibus paſci & incrementa rapere aliquamdiu crines poſſunt. Hoc tamen argumento rectè probatur, animam quæ accretionem in crinibus humanis tunc operatur, non eſſe rationalem; quia vitaliter accreſcere non poſſent in mortuis, à quibus anima rationalis univerſim abſceſſit. Nulla verò ratio eſt, cur pilus animâ ſuâ vegetativâ animatus, in cute mortua defixus, nequeat aliquamdiu perdurare; quemadmodum planta vivit in terra arenti, ex qua non poteſt diu alimentum conveniens trahere. Dicit ſatis apertè Tertullianus: *Comæ alimenta ſunt de cerebro*, inquit, *quod aliquamdiu* in mortuis *durare præſtat ſecreta munitio*; cranij videlicet, quod cerebro eſt pro galea. Et ecce ab Ariſtotele etiam elegans hujus rei argumentum. Nam narrat ſuo tempore, *cervum captum eſſe, qui hederam viridem ſuis enatam cornibus gereret, quæ cornu adhuc tenello fortè inſita fuerat.* Si igitur cornibus, aut capiti cervi inſeri, & vivere in eo hedera potuit; quidni capillus vivere animâ vegativâ (quę ſimilis eſt animæ hederaceæ) implantatus cuti animalis tam vivi, quàm mortui poſſit? Nam eodem modo calcaria deciſa domeſticis gallinaceis, recreſcunt, ſi vertici infigantur, ubi caponibus criſta abſciſſa fuit.

Tertull. c. 15. de anima.

Ariſt. lib 9. c. 5. Hiſtor. animal.

Augentur autem pili non tantùm æquè, ſed *magis*, *quando*

Ariſt lib 2. c. 6. de generat. animal. *corpora decreſcunt, ſeneſcunt, aut ægrotant*, inquit Ariſtoteles, *quia plus excrementitiæ materiæ remanet, cùm minùs in partes præcipuas abſumitur, propter ſenium, aut morbum.* Similiter incarceratis & melancholicis eádem de causâ feſtinant accreſcere; quia plus fuliginum ad incrementa ijs ex mœrore ſuggeritur.

Romani, aliàs attonſi, in luctu promittebant barbam & capillum, Græci & Hebræi contrà, in calamitatibus radebantur. Sic Iob *tonſo capite corruit in terram.* Et Iſaias: *in cunctis capitibus calvitium, & omnis barba radetur.* Et Ieremias: *Tonde capillum tuum, & projice.* Capillum enim & barbam inter ornamenta habebant; ornari verò luctuoſos non decet. *Et apud veteres quidem hæc erat omnium conſuetudo lugentium, tondere cæſariem*, ait S. Hieronymus; *at nunc è contrario, comam demittere.* Vt nempe capilli ac barbæ promiſſa longitudo, & ſquallor horrorem quendam, & unà miſerationem aſpicientibus commoveat.

Job. 1. Iſa. 15. Ierem. 8.

Diſt. 24. c. 22. 1. Cor. 11. Cùm verò Clerici prohibentur comam nutrire, & Apoſtolus univerſim dicit, *ſi vir comam nutriat, illi ignominiam eſſe*; de comâ calamiſtris, pulvere, unguentis, aut aliter effeminatâ accipiendum; quales hodie nimis multas in juventute noſtra cum indignatione aſpicimus. In quos meritò jaciatur iſte S. Ambroſij ſarcaſmus: *Ergo pariant, ergo parturiant, qui nutriunt, qui criſpant comam, ſicut femina.* Tales erant comatuli illi inclinatis cum Rep. moribus Romanis, apud Senecam: *quibus apud tonſorem multæ quotidie horæ tranſmittebantur, dum decerpebatur quod proxima nocte ſuccreviſſet, dum de ſingulis capillis*, inquit, *in conſilium itur, dum aut diſiecta coma reſtituitur, aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur. Quomodo iraſcuntur, ſi tonſor paulò negligentior fuit? Tanquam virum tonderet. Quomodo excandeſcunt, ſi quid ex iuba ſua deciſum eſt, ſi quid extra ordinem iacuit, niſi omnia in annulos ſuos reciderunt? Quis eſt iſtorum, qui non malit Remp. turbari, quàm comam ſuam?* Nonne videtur troſſulos hodie quoſdam deſcribere, qui comæ & jubarum effeminatione apud meretriculas fortaſſe bellatuli, apud viros prudentes turpitudine & mollitie ſunt infames? Sed minutiarum

Senec. c. 12 de brevit. vitæ.

istarum

iſtarum & τριχολογῶν deſino: ſi hoc etiam pro Philoſophis dixero. Animam crinis vegetativam produci ab anima hominis, aut bruti; veluti etiam unguium, ungularum, cornuum, plumarum, ſquamarum producuntur animæ. Sic etiam in arboribus, foliorum, florum, fructuum animulæ non ab alia cauſa probabiliùs fabricantur, quàm ab anima principali, quæ eſt in ligno. An autem materia crinium, cornuum, pennarum, foliorum &c. continuetur cum materia corporis, cui illa infiguntur, an verò ſolùm ſit contigua, ut radices arboris cum terra cui implantatur, indifferenter ſuſtineri poteſt. Videntur autem glutino ac ligamine quodam tantùm affigi, quo exſiccato crines, cornua, pennæ, folia, fructus excidunt. Partes autem propriè continuæ talia defluvia pati non ſolent. Certè fructus arboreos ſolo ligamine ſuſpendi ſignificat S. Thomas. *Humor arboris*, inquit, *primò ab arbore egrediens fit flos, & tandem fructus ab arboris cortice diſcretus, ſed ei colligatus.* S. Tho. lib. 4. c. 11. contra Gent.

ARTICVLVS VII.

An vivens maneat idem ante & poſt accretionem.

ARiſtoteles quaſi ἔριδος μῆλον, *diſcordiæ pomum*, inter Philoſophos hanc ſententiam projecit, *Pars viventis augeri poteſt* κατὰ τὸ εἶδος *ſecundum formam, non verò* κατὰ τὴν ὕλην *ſecundum materiam.* Et hinc docet, vivens manere idem ſecundum formam ante & poſt accretionem; ſecundum materiam verò, nequaquam. Vnde plurimis & diſcordibus interpretationibus verba iſta & ſeipſos fatigaverunt. Ariſtoteles verò mox ſubdit, id quod dixit intelligi poſſe, exemplo vaſis, quo aquam ſitulatim metimur. Idem quippe vas manet, alia verò & alia eſt aqua, quæ infunditur & effunditur. Cogitemus ergo vas quod idem ſemper manet, eſſe inſtar formæ, ſeu partis formalis, aquam verò quæ fluit & refluit, eſſe inſtar materiæ. Ariſt. lib. 1. c. 5. de generat.

Omiſſis infinitis Interpretum rixis: *Forma* Ariſtoteli nihil eſt aliud, quàm anima & temperies ejus, quarum una eſt cauſa efficiens

efficiens principalis, altera inſtrumentalis converſionis alimenti. Pars ergo, quæ tali duplici forma inſtructa poteſt alimentum in ſe tranſmutare, dicitur pars formalis, ſolaque denominatur nutriri & accreſcere; quia per formam ſuam poteſt ſubſtantiam & magnitudinem ſuam augere. Partes verò minutiſſimæ, in quibus non eſt ea activitas, ut per ſe conſideratæ dici poſſint alimentum in ſe convertere, vocantur partes materiales, & inſtar puræ materiæ, cujus acceſſu partes formales augeri dicuntur, receſſu minui. Hinc addit Ariſtoteles, *totum maius evadere accedente aliquo, & in eandem formam tranſeunte, ut ſi humidum ſicco* (ſanguis v. g. oſſi) *accedat, ſiccumq; fiat.* Vbi *forma* iſta *eadem* aliud non eſt, quàm anima & temperies viventis; quâ duplici formâ induitur materia alimenti, quando in vivens tranſit: & à quâ duplici formâ pars aliqua dicetur formalis, ſi tam ampla ſit, ut ſeorſim ab alijs ſit ſenſibilis, & activitas in ea ſic ſe manifeſtet, ut ipſa alimentum tranſmutare & incremento ſe dilatare appareat. Quod explicat Ariſtoteles per *quodvis ſignum ſenſibile* (quale eſt cicatrix) *quod maius minuſve fit* cum humano corpore.

Paul. Areſ. lib. 1. d. 4. q. 33. ſect. 3. de generat.

Fallitur ergo, ni fallor ego, Areſius, qui ſolam figuram partis putat ab Ariſtotele hìc *formam* vocari. Nam potiùs figuram diſtinguit à forma, cum ait in accretione, *figuræ & formæ cuilibet parti* aliquid accedere.

Vaſq. 3 p. q. 5. a. 2.

Fallitur quoque Vaſquez, dum credit Ariſtotelem *per formam intelligere ſtructuram animalis, quæ oſſibus, cartilaginibus, & nervis conſtat; per materiam autem carnem, qua replentur vacua hujus formæ & figuræ: & ideo cum homo ægritudine aliqua confectus flacceſcit & carnes perdit, non dicitur minui, & cùm poſt integram ſanitatem convaleſcit & carnes recuperat, non dicitur creſcere.*

Sed profectò etiam ἐπὶ σαρκὸς, καὶ τῶν ὁμοιομερῶν, *in carne & ijs quæ partibus ſimilaribus conſtant*, formam agnoſcit Ariſtoteles. *Quare partim augetur*, inquit, *carnis qualibet particula, partim non augetur. Nam ſecundum formam quidem cuilibet parti aliquid adjungitur, ſecundum materiam verò non.* Igitur non tantum ſecundum oſſa, cartilagines, nervos, ſolidamque illam corporis ſtructuram, ſed etiam ſecundum genas & malas faciei,

ſecundum

ſecundum ſuras tibiarum, & carnoſas partes homo augeſcit. Ac proinde, poſtquam vir perfectæ ætatis morbo emaciatus carnes recuperat, re verâ recreſcit. Non tamen ſecundum omnes partes proportionaliter, quia oſſa & ſolidæ partes ad incrementi ſui culmen pervenerant; ſed ſecundum carnem & partes fluxas, quæ morbo proportionem cum ceteris amiſerant, ideoque ſolæ recreſcere & veterem proportionem recuperare debent.

Docet ergo Ariſtoteles, *permanente eo quod augetur, & accedente ad ipſum aliquo, fieri accretionem, abeunte autem aliquo decretionem:* & in hoc accretionem quodammodo ſimilem eſſe alterationi, quâ ſubjectum idem manens ab una qualitate ad aliam tranſit; diſſimilem verò eſſe generationi, quâ totum aliquod deſtruitur & tranſmutatur in aliud.

Solùm ergo contendit, quòd in unaquaque particulari accretione, id quod alimentum in ſe mutat & agglutinat, idem maneat; non autem quaſi vivens toto tempore vitæ eaſdem partes formales, ſecundum quas accreſcit, retineat. Nam fieri poſſe videtur, ut in digito, exempli causâ, hominis ſenis nulla ſuperſit particula materiæ illius digituli, qui primùm formatus in utero matris, craſſitudinem aciculæ, aut pili non exceſſit.

Cùm enim omnes partes integrales hominis, tam quæ primùm in utero fabricatæ, quàm quæ per nutritiones acceſſerunt, corruptibiles ſint, potuerunt tot annorum ſpatio, & per caloris naturalis actionem, & mutuo contrariorum temperamentorum conflictu, aut à contrarijs extrinſecus oppugnantibus labefactatæ, corrumpi & ſenſim defluxiſſe. Nam, ut optimè S. Thomas, *cùm id quod ex alimento generatur, adiungatur corpori per modum mixtionis, non poteſt alia eſſe natura ejus quod advenit, & cui advenit, cùm iam ſit factum unum per veram mixtionem. Vnde nulla eſt ratio, cur unum conſumatur per calorem naturalem, & alterum maneat.* S. Th. 1. p. q. ult. a. 1. ad 2.

Quid ergo? Nonne verè dixit Seneca: *Alia eſt ætas infantis, pueri, adoleſcentis ſenis; ego tamen idem ſum, qui & infans fui, & puer, & adoleſcens?* Fortaſſe, mi Seneca. Quantum enim ad animam Senec. Epiſt. 121.

tuam, quæ immortalis eſt, & eadem ſe per omnes materiæ particulas replicat; fateor te eundem; ſi verò de materia corporis tui agitur, vehementer ambigo. Imò non ambigo, quin multas alias partes infantia, alias pueritia, alias adoleſcentia corpori tuo aſſuerit, ut per omnia homo idem, ac per omnes ætatum gradus idem tranſiſſe dici non poſſit.

An tamen etiam aliquæ partes eædem à prima infantia ad ultimam ſenectutem perdurent, meritò ambigitur. Fortaſſe enim, ſicut eadem dicitur civitas hodie, quæ fuit centum retrò annis, etiamſi ne unus quidem civis illius ævi ſuperſit; ita homo ſenex idem dicitur qui olim infans fuit, licet nulla, præter animam, infantiæ particula reliqua ſit. Aut ſicut vetuſta illa Theſei apud Athenienſes navis, Theſei ſemper dicebatur; licet ne unam quidem tabulam ex prima illa navi retineret. Quam identitatem quidam, ait S. Barſilius, ἀλλοιουμένην *commutatoriam* appellant, quia ſit partium perpetua commutatio. Vt, unâ tabulâ v. g. Theſei navis putreſcente, nova altera in locum ejus compingitur; & id toties ſit, donec ſeculorum lapſu, ne una quidem tabula ſuperſtes ſit ex ijs quibus prima navis compacta fuit.

S. Baſil. c. 6. Iſa.

Sic Albertus, ſic Marſilius philoſophantur, ſic quoque videtur S. Thomas. *In corpore hominis*, inquit, *quamdiu vivit non ſemper ſunt eadem partes ſecundum materiam, ſed ſolùm ſecundum ſpeciem: ſecundum verò materiam partes fluunt & refluunt*. Sed quomodo igitur eſt idem homo, infans & ſenex? *Nec propter hoc*, ait, *impeditur, quin homo ſit unus numero, à principio vitæ uſque ad finem. Cuius exemplum accipi poteſt ex igne, qui cum continuè ardet, unus numero dicitur, quia ſpecies eius manet, licet ligna conſumantur, & de novo apponantur. Sic etiam eſt in corpore humano. Nam forma & ſpecies ſingularium partium continuè manet per totam vitam, ſed materia partium & reſolvitur per actionem caloris naturalis, & de novo aggeneratur per alimentum.*

S.Th. lib. 4. c. 81. contra Gent.

Quo exemplo intelligitur, mentem S. Thomæ eſſe, non manere hominem quoad corpus eundem numero, niſi morali & laxâ quadam æſtimatione; ſicut ignis, aut flamma candelæ non eſt ſtrictè numero eadem, quæ ardet per totam horam,

horam, ſed alia ac alia flamma, ex alio ligni aut ceræ alimento, perpetuò accenditur. *Ignis enim ſemper fiens & fluens, ſicut flavius,* inquit Ariſtoteles; *ſed hoc latet, propter velocitatem,* quâ poſterior flamma in locum avolantis ſe ſuggerit. Ariſt. c. 5. de Iuvent.

Diſplicet tamen Toleto hæc ſententia. *Quia iam profectò,* inquit, *nullo modo eſſet idem numero brutum, ſed ſpecie.* Loquitur autem potiùs de brutis, quia in illis non ſolùm materia, ſed particulę animę mortalis cum materia defluunt. Sed in homine eadem eſt ratio, ſi ſecundum corpus, non ſecundum animam eum ſpectemus. Diffluunt enim corpora hominum, perinde atque brutorum. *Quare dico,* inquit Toletus, *quòd partes ſpermaticæ ſemper manent toto vitæ tempore; quamvis decrementum paſſæ ſint, & ſic forma* (tam anima bruti, quàm hominis) *etiam in illis manet eadem.* Tolet. lib. 1 q. 9. de generat.

Partes ſpermaticas ipſe & Medici vocant, quæ ex ſpermate, ſive ſemine utriuſque parentis conformantur in prima animalis fabricatione. Tales oſſa, nervi, cartilagines, & quæ ſiccitate & albedine, ſeminis indolem referunt: diſtinguntque eas Medici à partibus carnoſis, quæ ex ſanguine concreſcunt & figurantur.

Sed profectò, ſeminales partes non minùs ex elementis compactæ, & diſſolubiles ſunt, quàm aliæ. Et valde mirer, ſi ex materia oſſiculi cruris fœtûs, vel potiùs ex tenui imagine & molli filo oſſis (oſſicula enim cum primùm in utero figurantur, mollia ſunt inſtar muci) vel hilum anno ætatis centeſimo ſuperſit. Fieri tamen (dum etiam attentè cogito) hoc interdum poteſt. Nam prima illa & mollia oſſium lineamenta indurantur paulatim, & dum accreſcunt, intertexuntur adventitijs alijs ab alimento partibus, quibus à contrariorum injurijs ſatis firmiter defenduntur. Oſſibus enim & duris corporis partibus difficulter aliquid abraditur. Vnde oſſa ſenum non minora ſunt (quod notari poſſit) quàm juvenum, nec decreſcunt eâdem celeritate, aut proportione, quâ ſenilis caro defluit.

Vnde verùm eſſe poteſt, quod affirmant noſtri Theologi, materiam illam in cruce pependiſſe; quam Chriſtus olim è

 Virgine

Virgine matre ſumpſerat· Nam in oſſibus, nervis, cartilaginibus, membranis, carnium fibris, & id genus alijs partibus, aliquid à ſanguine matris tractum, & à lacte ſuctum, manere ad annum ætatis trigeſimum quartum potuit, quo circitèr Chriſtum finiſſe vitam credimus.

Hinc quoque apparet animalia perfectiùs eadem numero, toto tempore vitæ permanere, quàm flammam ignis, quàm flumina, quàm civitates, in quibus poſt centeſimum annum ne quidem unus reliquus invenitur centenarius civis.

Homines etiam magis ijdem, quàm bruta, perſeverant; quia nihil animæ perdunt cum defluentibus materiæ partibus. Perdunt verò bruta, quorum animæ mortales ſunt, & ita corpori ſuo incumbunt, ut ſingulæ particulæ animæ à ſingulis materiæ particulis ſuſtententur; ac proinde cum ipſis decerptæ abeant & corrumpantur. Veluti etiam in nutritione bruti, pars nova animæ in materia alimenti gignitur (quidquid reclamet Scaliger;) eſtque hoc ſolùm animæ rationali & immortali proprium, ut indiviſibiliter eadem in materiam alimenti corporis ſui ſe replicet, & veluti diſpergat.

Scal. Exer. 101. 1. 51.

ARTICVLVS VIII.

Quibus gradibus aſcendant incrementa humani corporis.

VNiverſa vitæ humanæ periodus in ſex partes dividitur, infantiam, pueritiam adoleſcentiam, juventutem virilem ætatem, & ſenectutem; quæ ætates appellantur. Earum diſcrimen temperamenta diverſa faciunt, per quę homo à principio vitæ uſque ad finem gradatim tranſit; non per cauſas externas (quæ ſæpe temperiem corporis humani ante tempus mutant) ſed per internam pugnam qualitatum elementarium, quibus corpus contemperatum eſt. Vnde ætatem definiunt Medici: Vitæ curriculum, quo corporis temperies per ſe evidenter mutatur. S. Baſilius ſtudio Medicinę excellenter eruditus, ut Naziazenus teſtatur, per hebdomadas annorum hanc mutationem, in tribus primis ætatibus fieri ait.

S. Baſil. Pſal. 114.

ait: Infantia, inquit, *ἐν τῇ τῶν ὀδόντων ἀποβολῇ in dentium abiectione* primam hebdomadam, ſive annorum ſeptennium explet. Primo enim ſeptennio molles & lactei dentes abijciuntur, ut firmiores renaſcantur. Pueritia à primo ſeptennio ad alterum ſeptennium, id eſt ad annum ætatis decimum quartum extenditur; qui in maſculis primæ pubertatis, & ætatis conjugalis initium eſt. In feminis verò pubertas biennio hanc anticipat ætatem. Vnde anno ætatis duodecimo, tam Civili quàm Canonico jure, viris poſſunt conjugari. Tertium ſeptennium adoleſcentiæ datur, id eſt à quarto decimo anno ad vigeſimum primum. Quo tempore lege Eccleſiaſticâ ad ſolennia jejunia obligari adoleſcentes incipiunt; quia finitâ adoleſcentiâ, & ſtante jam corporis incremento, aut ſaltem lentiùs procedente, non adeò multo alimento indigent, ſicuti prioribus ætatibus, feſtinante incremento, indigebant. Vnde tunc legibus jejuniorum nondum aſtringebantur. Cum enim accretio *ex reſiduo alimenti fiat*, ut Theologi noſtri & Medici dicunt (id eſt, ex ea parte quæ neceſſaria non eſt ad reparandum quod de corpore noſtro defluit & abſumitur) debet adoleſcens duplex alimentum ſumere; ut uno fluentes corporis ſui ruinas impleat, altero (quod huic fini ſuperfluit) incrementa ædificet. Et quidem initiò ita accretio feſtinat, ut primo quinquennio, ſi Ariſtoteli credimus, puellus *dimidium ferè longitudinis rapiat totius magnitudinis, quæ reliquo toto tempore comparatur*. Licet etiam ad triennium hoc revocet Plinius. Nam *in trimatu ſuo*, inquit, *cuique dimidiam eſſe menſuram ſtaturæ, certum eſt*.

S. Th. 2. 2. q. 147. a. 4. ad 2.

Ariſt. lib. 1. c. 18. de generat. animal.

Plin. lib. 7. c. 16.

Circa annum verò vigeſimum & adoleſcentiæ finem, prima barbitij lanugo, cute calore ætatis laxatâ, maribus erumpere ſolet.

Creverat hic vultus bis denis fortior annis,
Gaudebatque ſuas pingere barba genas.

Martial.

Vnde de Romanis tyronibus, qui anno ætatis decimo ſeptimo incipiebant nomen militiæ dare, Silius:

Pubeſcit miles caſtris, galeaque teruntur
Nondum ſignatæ flavâ lanugine malæ.

Sil. Ital.

I. Lipſ. lib. 1. dial. 2. Milit. Rom.

De pube enim genarum & menti id accipiendum eſt: quod Lipſium noſtrum fefelliſſe videtur, dum Silium accuſat, quaſi ante quarti decimi anni pubertatem milites adſcriptos militiæ cenſuerit. Certè gemellâ phraſi Poëta alter, *Impubeſq́, genas* dixit. Et alius,

Ovid.

Parce, pubeſco, iuveneſq́, mollis
Contegit lanugo genas.

Ab anno vigeſimo primo ad trigeſimum juventus extenditur. Ad quem tamen uſque homines adhuc proficiunt, inquit Ariſtoteles, τῷ πλήθει, ἢ τῇ παχύτητι, *copiâ, aut craſſitudine.* Vnde licet cum finibus adoleſcentię corpus adoleſcere ſecundum longitudinem ceſſet (& ita verum ſit, quod ait Scaliger, *omnibus perſuaſum eſſe, poſt triceſimum annum augmentum ceſſare*) ſecundum tamen alias dimenſiones non rarò ſibi aliquid adijcere pergit. Nec loquimur de abdomine & pinguedine illa præter naturam, in qua multos etiam poſt trigeſimum annum videmus proficere; oſſibus tamen ſiccitate & duritiâ ſuâ ultra priſtinam magnitudinem minimè ſequacibus.

Idem ſect. 19. Problem.

Ab anno trigeſimo matura & virilis ætas incipit, & durat ad quinquageſimum. Vnde in Epiſcopo, & Abbate, ubi maturitas ad regimen magis neceſſaria eſt, Eccleſia trigeſimum, ut minimum, ætatis annum olim exegit; quando ultimi illi dentes erumpere ſolent, quos Hippocrates σωφρονιστῆρας, *dentes ſapientiæ* appellat. Nec etiam Hebræis fas erat munus Doctoris, aut Prophetæ ſumere ante illum annum. Quod Io. Baptiſta, & Chriſtus obſervavit, qui diſcipulos colligere & cæleſtem doctrinam ſpargere incœpit, cum eſſet *quaſi annorum triginta.* In Academia quoque noſtra nemo, niſi per diſpenſationem, ad lauream Magiſtralem in ſacra Theologia promoveri poteſt ante illum annum.

Luc. 3.

Ariſtoteles quoque corpus maximè ἀκμάζειν, *vigere* dicit, ab anno trigeſimo ad trigeſimum quintum; animum verò, uſque ad quinquageſimum & primæ ſenectutis limen. Tunc enim vigor animi cum corpore refrigeſcere incipit; ideoque, ut paulò pòſt dicam, militia Romana militi quinquagenario ſolebat dare miſſionem.

Arist. lib. 2. c. 14. Rhet.

Quia

Quia vero corporis plenus vigor à trigeſimo & paulùm ultra tenditur, & Chriſtus ea ætate reſurrexit; idcirco *iuxta Eccleſiarum traditiones & Apoſtolum Paulum, in virum perfectum & in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti reſurrecturi ſumus. In qua ætate & Adam Iudæi conditum autumant*, ait S. Hieronymus. Ephe. 4. S. Hieron Epiſt. 37.

Ad primum ſacrum Ordinem, qui eſt Subdiaconatus, Eccleſia ſolùm expectat adoleſcentiæ finem, id eſt annum vigeſimum primum expletum: ad Presbyteratum verò tres alios adijcit, ad digerendam adhuc paulisper ætatis cruditatem, propter Ordinis excellentiam. Iure quoque civili, qui infra vigeſimum quintum eſt, Minor appellatur, & inidoneus rerum ſuarum arbiter exiſtimatur; *cum inter omnes conſtet*, inquit Vlpianus, *fragile eſſe & infirmum huiuſmodi ætatum conſilium*; ideoque talibus dantur Curatores. Ius tamen Longobardicum plenâ pubertate, id eſt anno decimo octavo res ſuas Minoribus permittit. Trid. 23. c. 1. l. 1. D. de Minorib.

Senectus prima, & cani incipiunt circiter annum quinquageſimum. Inde nullo certo annorum numero vita finitur. Multi tamen anno ſexageſimo tertio cadunt, aut periclitantur; & ejus rei *innumera in Belgio exempla ſe obſervaſſe* narrat Lemnius. Vt non de nihilo Cæſar Auguſtus Epiſtola quadam ad Cajum nepotem, ſibi congratuletur, κλιμακτῆρα *communem ſeniorum omnium; tertium & ſexageſimum annum evaſiſſe*. Medici tamen quidam rident, & nuper nobilis Academiæ noſtræ Archiater Thomas Fienus, in Diſputationibus publicis ſæpe, nobis audientibus, climacteris iſtius pericula exſibilare ſolitus; iſto ipſo tamē vitę ſuę anno extinctus eſt. Cum tamē eum non ſemel differentem audiviſſemus, Medicum eruditum & expertum non poſſe decorè & ſine infamia artis, ante annum ſeptuageſimum vitâ decedere. Is enim, inquiebat, vitæ humanæ ferè communis à natura poſitus finis eſt; quem à Medico non tranſgredi, nullum artis dedecus eſt; ſicut nec à natura, tanquam potentiore, vinci. Lemn. lib. 2. 32. de occult. nat.

Cauſa verò, cur is annus tot ſenum mortibus ſit infamis; quia lege annorum climactericâ, & per ſeptenos, aut novenos annos ſcanſili cumulantur humores & materia morborum in

humano

humano corpore; qui niſi tempeſtivè vacuentur, in morbos putreſcunt, & ſæpe generant mortes. Sic per climacteres, ſive per ſcalas ſeptenûm annorum ſcandendo, ſeptimus, decimus quartus, vigeſimus primus &c. ſunt, climacterici. Quia verò noveni quoque anni periculoſi ſunt, hinc ſi numerus novenarius cum ſeptenario concurrat, augent & cumulant periculum. Annus verò ſexageſimus tertius, ex novies ſeptenis, aut ſepties novenis conſurgit.

Ceterùm movere neminem debet, quòd ætatis humanæ fines & articulos aliqui paulò aliter definiant. Nam res iſta latitudinem aliquam habet, ac in varijs hominum temperamentis, ætatum ſingularum ſpatia longiora, aut breviora ſunt. Deinde in eodem homine unaquæque ætas cruditatem & maturitatem ſuam habet. Hinc Fernelius *Infantiam* tertio, aut quarto anno finit; abinde *pueritiam* decimo; hinc uſque ad decimum octavum *pubertatem* interponit. Decimus enim octavus cenſetur plenæ & maturæ pubertatis annus. A decimo octavo ad vigeſimum quintum *adoleſcentiam*; ad trigeſimum quintum, aut quadrageſimum *iuventutem*; ad quinquageſimum virilem & conſtantem ætatem; inde ad ſexageſimum quintum *primam ſenectutem* extendit.

Fernel. lib. 3. c. 10. de temper.

Sequitur *ſenectus decrepita*, uſquè ad mortem; cui natura terminum certum nullum poſuit.

Poſſumus igitur diſſidentes ſententias ad aliquam concordiam revocare, dividendo (quod etiam Auctores quidam faciunt) unamquamque ætatem in primam & ſecundam; aut ſi mavis, in crudam & maturam.

Prima ergo & cruda infantia quarto circitèr anno; ſecunda & matura ſeptimo (quando accedere uſus rationis incipit) finiatur. Hinc prima pueritia ad annum decimum; ſecunda ad decimum quartum extendatur. Deinde neglectâ *pubertate* Fernelij (quam adoleſcentia intra ſe ſatis complectitur) prima adoleſcentia à decimo quarto ad vigeſimum primum; ſecunda uſque vigeſimum quintum porrigatur. Inde prima juventus ad trigeſimum; ſecunda ad trigeſimum quintum. Vnde vetuſta illa & ſobria Roma, uſque ad iſtum annum, vinum

num non bibebat, inquit Turnebus; quaſi omnis infra 35. annos ætas, nimis juvenilis & fervida, viniq́ue intolerans eſſet. Prima autem virilis ætas, á trigeſimo quinto ad quadrageſimũ quintum, ſecunda ad quinquageſimũ finitur. Senectus prima abhinc ad ſexageſimum, aut (ut hoc Fernelio demus) ad ſexageſimum quintum exit. Inde decrepitum & capulare ſenium lento gradu, & incerto fine, uſque ad capulum & ſepulchrum prorepit.

Ex his intelligitur, cur Saulus, qui Act. 9. *ἀνὴρ vir* appellatur, paulò antè Act. 7. *νεανίας adoleſcens*, ſive *juvenis* nuncupetur. Exceſſerat enim tunc, veriori annorum ejus calculo, ætatis trigeſimum, & circiter trigeſimum quintum, id eſt in finibus ſecundæ juventutis agebat; ideoq́ue juvenis adhuc erat, & unà tamen tam adultus, ut vir haberi poſſet. Qui enim circa duarum ætatum confinia ſunt, nunc ſuperiori, nunc inferiori accenſeri ſolent. Imò Seneca *adoleſcentiam* tam latè accipit, ut quidquid ætatis infra ſenectutem eſt, ei imputet. *Quemadmodum ſenectus adoleſcentiam ſequitur*, inquit, *ita mors ſenectutem.* Senec.

Aliam diviſionem ætatis, ad diſtribuenda Reip. munia, Ser. Tullius Rex Rom. olim inſtituit. Nam *pueros exiſtimavit*, inquit Tubero apud Agellium, *qui minores eſſent annis ſeptemdecim. Atque inde ab anno decimo ſeptimo, quos idoneos iam eſſe Reip. arbitraretur, milites ſcripſit: eoſq́; ad annum quadrageſimum ſextum* (Varro & Caſſiodorus pro *ſexto*, *quintum* ponunt) *IVNIORES, ſupraq́; eum SENIORES appellavit.* Poſt quintum enim & quadrageſimum annum vires & animus frigeſcere pleriſque incipiunt, & cogitationis de deſerenda militia admonent. Si tamen in ætate inferiori non omnia ſua ſtipendia impleſſent, ad annum quinquageſimum, ut Lipſius noſter docet, militiæ tempus extendebant. Quem morem alludens Seneca, *Lex à quinquageſimo anno*, inquit, *militem non cogit*. Plato támen in ſua Rep. à vigeſimo ad ſexageſimum annum, militiæ idoneum tempus definivit. Aliter longè quàm ſui Athenienſes, qui militiâ anno quadrageſimo exibant, inibant verò tyrocinium decimo octavo, id eſt plenâ & maturâ pubertate. Porrò ſingulæ ætates ſicut annis, ita temperamentis diſtinguuntur.

Agell. lib. 10. c. 28.

Senec. c. 10 de brevit. vitæ.

Infantia omnium calidiſſima & humidiſſima eſt, & omnis ſuperior ætas, quo infantiæ propinquior, eo amplius de iſtis qualitatibus participat. Vnde ſenectus, quia longiſſimè ab infantia recedit, frigidiſſima & ſiccissima omnium eſt. Calor verò infantiæ copiam humoris, in quo laborat, paulatim digerit & exhalat, ſiccandoque emendat temperiem. Hinc infantes & pueri plurimum per cutem expirant, inquit Galenus, quia ſubſtantia eorum humida; parum verò exhalant ætates ſiccæ. Quod verum eſt, quantum eſt ex parte materiæ, & caloris reſolventis. Nam aliàs pori ſucco nimis oppleti in parvulis impedire poſſunt liberam tranſpirationem.

Galen. lib. 2. de temper.

Abſolutiſſima ergo hominis temperies ea ætate contingit, *qua punctum vitæ medium modico intervallo antecedit*, ait Fernelius, *& ab hoc in aliquanto maius poſt ſpatium porrigitur.* Vnde ſi dimidium & culmen vitæ ſit annus trigeſimus quintus (ut in ijs quorum omnes *dies* futuri *ſeptuaginta anni)* temperatiſſima vitæ pars erit, juxta Fernelium, triennij à trigeſimo quarto circitèr ad trigeſimum ſeptimum annum. Qui vero *in potentatibus*, & robore tanto ſunt, ut octoginta annos victuri ſint, dimidium erit quadrageſimus annus, & exactiſſima temperies erit annorum trigeſimi noni, quadrageſimi, quadrageſimi primi. Vnde Rex Ezechias annorum triginta novem, mœrens ſe ex iſto medio flore, & velut faſtigio ætatis repentè præcipitari: *Ego dixi*, inquit, *in dimidio* (Interpretes 70. ἐν τῷ ὕψει, *in ipſo excelſo) dierum meorum vadam ad portas Inferi.* Cum verò Deus per Prophetam ei dixiſſet, *Morieris tu, & non vives*, annos inſuper illi quindecim, lacrymis exoratus, adjecit. Vnde S. Auguſtinus duplicem vitæ terminum eſſe colligit: unum *ſecundum cauſas inferiores*, id eſt ſecundum humores & temperiem corporis, ſecundum quas moriturus jam jam erat Ezechias: alterum, *ſecundum voluntatem & præſcientiam Dei*, qui omnibus cauſis inferioribus ſuperior eas impellere, ſufflaminare, & milleſimis alijs modis flectere & moderari poteſt. *Vita enim hominis*, ait Auguſtinus, *breviùs productiuſque non tenditur, quàm Deus diſpoſitor temporum novit univerſitatis moderamini conſonare.*

Pſal. 89.

Iſa. 38.

S. Aug. lib. 6. c. 17. de Geneſ.

S. Aug. Epiſt. 28. ad S. Hierony.

Et

Et hæc Dei univerſitatis moderatrix voluntas termino vitæ, quem cauſæ inferiores facturæ erant, quindecim illos annos Ezechiæ addidit. Priorem etiam illum vitæ terminum ultrà, aut citrà movere medicamentis ſuis poſſunt Medici, non poſſunt poſteriorem; quia voluntas efficax Dei impediri non poteſt, incidetque certiſſima mors in illum præcisè terminum, quem conſtituit. Inde enim illud Iobi: *Conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Hæc eadem voluntas eſt, quæ multos rapit ante diem illum, quouſque, cauſæ inferiores vitam producturæ erant, ne malitia intellectum mutet, aut ne diuturnitas vitæ ſcelera & æternas ærumnas nimis accumulet. Veruntamen ſuperior illa Fernelij doctrina non uſquequaque placet, quâ medium longitudinis vitæ maximè vigêre credit. Nam longitudo ſenectutis interdum ceterarum omnium ætatum ſimul tempora adæquat: unde in talibus ante medium vitæ deficere, & ruere in pejus optima temperies incipit, ut Art. proximo dicemus.

Iob. 14.

Sap. 4.

ARTICVLVS IX.

Decrementum, & ſenectus hominis.

CORpus humanum non ab ijſdem cauſis reſolvitur & decreſcit, à quibus incrementa ſumpſit. Anima enim auget actione vitali ſuum corpus, ut commodum ſibi domicilium fabricet; *reſolutio autem & conſumptio eſt à calore ignis*, ait S. Thomas; quæ actio vitalis non eſt, vitâ primâ in eam nihil influente. Anima quippe, quantum poteſt, ſubſtantiam corporis ſui conſervat, & diffluentes particulas potiùs alligat & continet, quàm earum fluxum incitet. Vnde licet in generanda carne utatur calore naturali, ut inſtrumento, in reſolvendâ tamen, ſolum illum agere ſinit, ſicut nec frigus & ceteras cauſas adjuvat quæ temperiem corporis ſui labefactant.

S. Th. lib. 3 c. 147. contra Gent.

Hinc falli eos intelligis, qui corpus noſtrum ſervatâ proportione perinde decreſcere, atque accreſcere dicunt. Nã accretionem anima, quæ proportionem inter membra ſui do-

micilij molitur, efficit, non decretionem. Patet quoque ad oculum, oſſa, quæ cuſtoditâ exactiſſimâ ad alias partes proportione, ſecundum longitudinem & craſſitiem adoleſcunt, in ſenectute nihil, quod ſentiri poſſit, diminui; imò poſtea in Cœmeterijs, ut notat Argenterius, multos annos pari longitudine & craſſitie durare. Siccitas enim & durities oſſium defendit, ne facilè aliquid decerpi poſſit.

Molles igitur partes, & præcipuè carnes ſenectute defluunt: & inde contractio & corrugatio illa cutis, quam videmus in ſenibus, poſtquam ſuccus & carnoſitas effluxit, quæ antea implebat & intendebat cutem. Vnde Ariſtoteles corpora ſenum pulchrè *ὥσπερ τὰ παλαιὰ οἰκοδομήματα vetuſtis ædificijs ſimilia* eſſe dicit; rimoſa nempe & *εὔπνοα facilè tranſpirabilia.* Poros
Ariſtot. enim ſucco inanes ac hiantes habent; ideoque etiam frigus, & alias ventorum ac aëris injurias penetrabiliùs ſentiunt ſenes.

Succo autem carnium & partium aliarum abeunte, humidum quoque radicale evaporatur, fugitque cum eo calor naturalis, nutritionis & vigoris opifex. Succedit frigus & ſiccitas, id eſt ſenectus, quæ pedetentim corpus ad ſepulchrum ducit. Senes enim omnes non tantùm frigidi, ſed etiam ſicci ſunt; licet muco, tuſſi, & deſtillationibus cernamus eos abundare. Sed humores iſti excrementitij ſunt, continenturque in receptaculis ſenilis corporis, ut aqua in ſicco vaſe. Vnde S. Auguſtinus ſenum ebrietatem inceſſens, & ad ſiccitatem
S. Aug. Ser. 246. de temp. iſtam alludens: *Tantus eſt*, inquit, *in malis ſenibus plerumque gurges aviditatis, & inſatiabilis vorago ventris & gutturis, ut quantâ boni ſenes prudentiâ ſerenantur, tantâ iſti vinolentiâ ſepeliantur: quaſi ad hoc in ijs arida viſcera & ſucco exhauſta curventur, ut ad vigorem priſtinum reparandum, ebrietatis inundatione riganda ſint.*

Itaque, ut ſenes utilem ſuccum, & humidum radicale diutiſſimè retineant, uti debent cibis ſucculentis, & cocturæ facilis. Modicus enim ventriculi & viſcerum calor cibos duros & pertinaces evincere non poteſt. Iactent valetudinem & vires ſuas ſenes quidam pernæ, laridi, aut crudæ halecis eſu; noli imitari: ſi non enim jam, poſtea ſentient. Naturam enim ſine dubio labefactant, & *mortis corripiunt gradum.*

Veteres in ſenio melle plurimo utebantur, exemplo apum, quæ dulci illo humido abundant, ideoque *μακροβιώτεραι ἑτέρων μειζόνων ζώων, longioris vitæ, quàm alia maiora animalia ſunt.* Modico etiam vino ſenum cibos irrigari juverit. Alit enim vinum, quidquid Mercurialis dicat, imò facillimè alituræ eſt, licet fluxæ nec diu pertinacis. Galenum potiùs audiamus: *Si modò quidquid alit, cibus eſt*, inquit, *vinum etiam in genere ciborum eſt collocandum. Ceterùm, vinorum omnium rubra ſimul & craſſa generando ſanguini ſunt accomodatiſsima; utpote quæ minima mutatione indigeant, ut ſanguis fiant.* Hinc naturæ non minùs quàm carminis conſultus Homerus, Machaonem Medicum ſeni Neſtori quantumvis ſaucio (quod tamen mirum, cùm vinum vulnera inflammet) vinum Pramnium, *παχὺν καὶ πολύτροφον craſſum & alibile* porrigentem inducit; *non ad ſedandam ſitim, ſed ad alimenti plenitudinem,* ait Athenæus.

Ariſtot. Galen. lib. 3. de aliment. Athenæ. lib. 1.

Quando autem corpora decreſcere & in ſenium vergere incipiant, incertum, nec in omnibus idem temporis articulus eſt. Quidam ſtatim à trigeſimo, alijs trigeſimo quinto anno, aut ſeriùs, à meridie ætatis verſus occaſum inclinant; ſed inſenſibiliter ferè, donec ad quinquageſimum, id eſt, primæ ſenectutis limen pervenerint. Hoc autem in pleriſque ex oculorũ caligine & primo perſpicillorum uſu intelligitur. Ab hoc verò tempore, laxis habenis corpora defluere, & ſingulis annis velociùs, per mediam & ultimam ſenectutem, ad finem feſtinare incipiunt. Vltima enim ætas noſtra ſimilis eſt lapſui gravium deorſum, quæ quo magis ad centrum & terminum appropinquant, eò magis caſum accelerant. Adeò ut non de nihilo dixerit alicubi Cajetanus, *ſeptuagenarium plus uno menſe, quàm quinquagenarium uno anno, deficere.*

Cajet. 2. Cor. 4.

Hinc ſeptuagenarij ſenes legibus jejunij ſolvuntur. *Si enim maior 70. annis à maneribus perſonalibus excuſetur, multo magis à ieiunio, quod eſt maximum onus*, ait Silveſter. Imò plerique jam ab anno 60. eo onere eos levant, quia ſexagenarius perfectè ſenex eſt, & pluries ac modicè refici debet, ne unicâ & plenâ cibi ingeſtione calor naturalis, modicus & refrigeſcens, nimis obruatur.

l. 2. D. De Decur.

Navarrus tamen poſt Cajetanum, ſeniles vires ſpectandas cenſet, ſine certi temporis deſignatione. Nam *gratias Deo,* inquit, *octogeſimum annum agens, perinde poſſum ieiunare, ac cum agerem ſexageſimum, imò & quinquageſimum.* Attamen, ut optimè Cajetanus, *cum dies annorum noſtrorum ſint 70. anni, ſexagenarius communiter prope naturalem interitum eſt. Vnde niſi evidenter conſtet, quòd ſexagenarij poſſint alimentum pro ieiunio opportunum digerere & tolerare, non debent conari ad ieiunium.* Imò, ut omni eos ſcrupulo liberent recentiores, ſexagenarium, etiam ſatis validum, excuſant; quia deficit ampliùs quàm ipſe intelligat, & maturè fulcra ſubijcienda ruinæ, quæ ſine ſufflamine & remedio, poſt annum ſeptuageſimum properare ſolet in mortem.

Navarr. c. 21 n. 16. Manual.

Cajet. 2. 2. q. 147. a. 4.

Nihilominus tamen tempus hoc defluendi & decreſcendi longius ſæpenumerò eſt, quàm accreſcendi. Natura enim perficere ſe properat; deficit autem paulatim & quàm poteſt diutiſſimè. Similis æſtui maris, qui multis in locis, quinque horis aſcendendo impletur, ſeptem deſidendo relabitur.

S. Hieron. lib. 2. c. 8. adverſ. Iovin.

Si enim verum eſt, quod ex Hippocrate S. Hieronymus, *non manere in uno ſtatu naturam corporum, ſed aut creſcere ſemper, aut decreſcere,* etiamſi id ſemper ſenſu notari non poſſit; profectò poſt annum trigeſimum (quando accretio, ut plurimùm, ſtare ſolet) corpus in Mathematico æquilibrio inter accrementa & decrementa nullo ferè momento, aut non diu hærebit; ſed ſicut ſol à Meridiano culmine diei mox in occaſum; ita illud verſus interitum devergere molliter & inſenſibiliter incipiet. Cum autem non ſolùm per triginta alteros annos, id eſt uſque ad vitæ ſexageſimum, ſed etiam ad octogeſimum, & ultra deficere poſſit, patet quanto longiùs decretionis, quàm accretionis tempus ſit. Imò verò propriæ ſenectutis tempus (cujus initium ab anno vitæ quinquageſimo incipit) omnes ætates inferiores ſimul æquare, aut ſuperare poteſt. Nonnulli enim etiam hodie ad annum centeſimum perveniunt, hoc eſt tam diu ſenes, quàm infantes, pueri, adoleſcentes, juvenes, & virilis ętatis ſunt. Nullus enim ſenectuti, ut ceteris ætatibus, terminus certus præfixus eſt, ſed divina

divina providentia, quæ vitas noſtras, ad fines ſibi placitos, corripit, aut producit, ſenes non ſolummodò centenarios, ſed non paulò etiam longæviores quandoque facit. Quod non tantùm olim in infantia, aut adoleſcentia Mundi, ante & poſt diluviũ; ſed etiam in ſenectute Mundi & novâ lege; maximè circa initium Eccleſiæ feciſſe in pluribus, ut Dionyſio Areopagitâ, Simeone Fratre Domini, Ignatio, Polycarpo, Quadrato, Hermâ Cęſ. Baronius notat. Vt nempe iſti qui Dominum, aut Apoſtolos in carne viderant, veteris doctrinæ teſtimonijs hæreticam novitatem confutarent. Et tamen ne miraculum eſſe videretur, naturæ rem ſic Deus diſpoſuerat, ut etiam inter infideles eo tempore non pauci, ultra annum centeſimum ſenectutem extraxerint. Nam, ut ex Plinio tunc ſuperſtite narrat Baronius, in Cenſu Veſpaſiani & Titi, ex ſolo uno Italiæ inter Apenninum & Padum tractu, *Annos* CXX. *Parmæ tres edidere. Brixelli unus* CXXV. *Parmæ duo* CXXX. *Placentiæ unus* CXXXI. *Faventiæ una mulier* CXXXII. *Bononiæ unus, & Arimini alter* CL. *Tertulla* CXXXVII. *Circa Placentiam ſex annos* CX. *detulere, quatuor* CXX. *unus* CXL. *Ac ne pluribus moremur in re confeſſa, in regione Italiæ octava* C. *annorum cenſi ſunt homines quinquaginta quatuor, annorum* CX. *homines quinquaginta ſeptem, annorum* CXXV. *homines duo, annorum* CXXX. *homines quatuor, annorum* CXXXV. *aut* CXXXVII. *homines totidem, annorum* CXL. *homines tres.*

Baron. ad Ani. 76.

Plin. lib. 7. c. 49.

Et priore Claudij Cæſaris Cenſu, narrat Auctor idem, T. Fullonium Bononienſem CL. annorum cenſum fuiſſe, *idq́ collatis*, inquit, *cenſibus quos ante detulerat, vitaq́ argumentis (etenim id cura Principi erat) verum apparuiſſe.* Omitto Neſtorem illum triſeclíſenem, qui apud Poëtam de ſe narrat, aut fabulatur, *vixi*

Idem lib. 7. c. 48.

Ovid. 12. Met.

Annos bis centum, nunc tertia vivitur ætas.

Certè Ioannem de Stampis, cognomento *De temporibus, plus* CCCLX. *annis vixiſſe faciunt*, inquit Æmilius, *ſub Carolo Magno meruiſſe, & Ludovico Craſſi filio deceſſiſſe.* Corripit tamen ipſe Æmilius tam effuſum annorum numerum, & ſolùm CLX. *circiter annorum vitam ei contigiſſe*, ait; *id quod tamen etiam conſe-*

P. Æmil. lib. [illegible] de geſt. Franc.

neſcente

neſcente Mundo, inquit, *magnum & memorabile ſit.*

Nec iſta cum Scriptura ſacra pugnant, quæ definit *dies annorum noſtrorũ ſeptuaginta annos*; tanquam ſcilicet terminum, ad quem pertingere plurimi homines poſſint, ſi intra temperantiæ & rationis leges viverent. Addit enim, *ſi antẽ in potentatibus*, id eſt, in potenti & robuſta aliqua complexione, *octoginta anni*. Nec etiam ibi ſiſtit, ſed *& ampliùs eorum*, inquit, *labor & dolor*. Poteſt enim quiſpiam octogeſimum ſupergredi, & ultra etiam centeſimum languidam & laborioſam vitam extrahere. Ideo enim ſapientes olim ſpatium 100. annorum, tanquam longiſſimam hominis vitam, pro ſeculo determinaverunt. Poteſt tamen etiam ultrà exiri. Quò autem uſque dici non poteſt, quia limes nullus poſitus eſt. Hebræi tamen, & ex Latinis Toſtatus & Rupertus, 120. annos remotiſſimum humanæ vitæ terminum conſtituunt, qui quaternas Orbis Saturni revolutiones complectitur. Creduntque indicatum Gen. VI. *Eruntque dies illius* (hominis) *centum viginti annorum.* Et hoc interpretamentum, quamvis ab Auguſtino & Hieronymo rejectum, fortiter defendit Valleſius. Nam etſi, inquit, poſt hoc Dei decretum, à diluvio uſque ad Abraham plerique omnes 400. annis (quod Auguſtinum movit, ut ad tempus delendi per diluvium generis humani potiùs verba illa referret) lex tamen de 120. annis à Deo generaliter lata, non idcirco cadit; quia diſpenſatio legem quidem mutilat, ſed non univerſim interimit. Statim autem à diluvio, in tanta hominum adhuc paucitate, diſpenſatione, & vita longiore opus fuit, ad accelerandam humani generis multiplicationem. Diſpenſavit quoque aliàs Deus in iſta lege ob alios fines, quos plerumque ignoramus; ut in tot infidelibus, quos ex tabulis Censùs Veſpaſiani paulò antè enumerabat Plinius.

Pſal. 89. Gen. 6. Franc. Valleſ. c. 7. Philoſ. ſacræ. Gen. 11.

Deinde lex non ſic intelligenda, quaſi pleroſque, aut multos ſenes velit Deus ad 120. annos pervenire; ſed quia cauſas naturales tunc ita diſpoſuit, ut omnes paſſim ſenio citra illum terminum finiantur, rariſſimi ultra.

Addit quoque Valleſius, id accipiendum eſſe, de termino vitæ, non ultra quem nemo vivere poſſit; ſed non poſſit, defectu

defectu caloris & virium, ſolemnia vitæ munia obire. Quod intelligens Moyſes, cum annum vitæ 120. attigiſſet (quo etiam extinctus eſt) non dixit, ſe non poſſe ultrà vivere, ſed *centum viginti annorum ſum hodie, non poſſum ultrà egredi, & ingredi*: hoc eſt, præ ſenio & defectu virium, non poſſum ampliùs Dux eſſe populi. Deuter. 31.

Cùm verò deinde labente paulatim in pejus hominum temperamento, plerique ſenes, ut adhuc hodie, citra octogeſimum deficerent, lex & terminus ille 120. annorum ad 80. revocatus eſt, dicente Davide, *Si in potentatibus, octoginta anni, & ampliùs eorum, labor & dolor*. Poſt enim octogeſimum, quò pauciſſimi pertingunt, non tam vivunt, quàm diu moriuntur, inſtar vietorum pomorum, ſine colore, odore, vigore. Pſal. 89.

Iamq; avo laxata cutis, ſulciſq; genarum
Corruerat paſſâ facies rugoſior uvâ; & vix ulla *veteris veſtigia formæ*.

Nec tantùm *gelidus tardante ſenectâ*
Sanguis hebet, frigent effœtæ in corpore vires; ſed etiam
Debilitat vires animi, mutatque vigorem. Et quidem in multis adeò feſtinè, ut lex Romana ab anno ſexageſimo miſſionem daret Senatori, ne negotijs Reip. intereſſe oporteret; quaſi ætas iſta conſilio & animo etiam delinquere inciperet. Dicit hoc Seneca. *Lex à quinquageſimo anno militem non cogit, à ſexageſimo Senatorem non citat*. Auget tamen numerum Lipſius ex Seneca patre, & *à ſexageſimo quinto*, reſcribit: quia *mihi nimis maturè*, inquit, *mitti Senator videtur, in avo, quod prudentiæ maximè factum*. Senec. c. ult. de brev. vit. vitæ.

Et ſanè tam præſens & vegetus quibuſdam etiam poſt octogeſimum eſt animus, ut Theophraſtus, Ariſtotelis ille in Schola ſucceſſor, 85. annorum moriens, queſtus fuerit, *ſe mori, cum inciperet vivere*. Licet enim *ſenum etiam ſanitas querimonijs non vacet*, ut ait Galenus; tamen ubi animus adhuc utcumque viget, & ſecundum virtutem vivere eum delectat, gratiſſima eſt illa ætas, quæ juvenili fervore domito, pacatiùs tranquilliuſque Deo & menti vacare poteſt. *Sic gratiſſima enim ſunt poma, cum fugiunt*, inquit Seneca. Et *quàm dulce eſt*, ait Laërt. Senec. Epiſt. 12.

Vu *fatigaſſe*

fatigaſſe ac reliquiſſe cupiditates.

Talem ſenem Matt. Navarrum nuper fuiſſe accepimus, qui anno ætatis 80. inclytum etiam illud ſuum Manuale Confeſſariorum ſcribebat, ut paulò antè narrantem audiebamus. Sanctus verò Hieronymus, ubi univerſa ſenectutis mala eleganti & ſuo ſtylo depinxiſſet: *Cum hæc*, inquit, *ita ſe habeant, in malorum comparatione tolerabilius ſuſtinebo morbos, dummodò una & graviſſima domina libidine caream.* Additque: *Patitur quidem & ſenectus nonnunquam incentiva vitiorum ſed aliud eſt titillari, aliud obrui voluptatibus. Hîc rarò inter emortuos crineres ſcintilla ſublucens reviviſcere nititur; ſed tamen incendia nonpoteſt ſuſcitare.*

S. Hierony. Præf. lib. 2. in Amos.

Ita caſtiſſima illa anima omnia mala ſenectutis bono lubentique ſtomacho digerere parata erat, modò unus Angelus Satanæ carnem ejus colaphizans, manum & aculeos remitteret.

Hoc quoque ſine mentione abire non debet. Theologos noſtros, ætatem Mundi ad ſimilitudinem hominis, in ſex partes, per inſignes temporum articulos diſtinctas dividere. Infantia Mundi ab Adamo ad Noe, pueritia inde ad Abrahamum, adoleſcentia uſque ad Davidem, juventus ad captivitatem Babylonicam, ab hinc virilis ætas uſque ad Chriſtum, ſenectus à Chriſto ad finem ſeculorum. Vnde *ſicut in aliјs hominis ætatibus*, inquit S. Thomas, *eſt numerus annorum determinatus, non autem in ſenio: quia ſenium* (plenum) *incipit ab anno ſexageſimo, & aliqui vivunt per* CXX. *annos; ita non eſt determinatum, quantum ſenectus Mundi debeat durare.* Fortaſſe igitur, quia ſenectus hominis univerſas ſimul ætates priores aliquando æquat, & nonnunquam ſuperat; ſenectus Mundi à Chriſto nato per quatuor millia annorum, aut ultra decurret: totidem enim circiter anni à Mundo condito ad Chriſti natalem effluxerant. Quod ſi verum eſt, bono animo ſimus, non videbimus Antichriſtum.

S. Th. Heb. 9. Lect. 5.

ARTICV-

ARTICVLVS X.

Imago ſenectutis parabolicè depicta ab Eccleſiaſte.

SEd mirabili figura & imagine dicendi, ſenectutis incommoda deſcribit alicubi Spiritus ſanctus, quam juvat raptim hìc repræſentare:

Memento, inquit, *Creatoris tui, in diebus iuventutis tuæ antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni* (ſenectutis) *de quibus dicas, Non mihi placent. Antequam tenebreſcat* (obtenebreſcere videatur oculo caliganti) *ſol & lumen, & luna, & ſtellæ.* Sic Harpaſtæ vxoris Senecæ fatua, *neſciebat eſſe ſe cæcam. Subinde pædagogum ſuum rogabat ut migraret, aiens, domum tenebroſam eſſe.* Sic ſenes ſemifatuelli quandoque conqueruntur, cæli factam mutationem, ſolem & dies non perinde illuceſcere, ſicuti meminerunt in ſua juventute. Eccle. 12. Senec. Epiſt. 50.

Pergit Eccleſiaſtes. *Et revertantur nubes* (materia nova catarrhorum) *poſt pluviam*, priori catarrho deciduo : ita ut in ſenibus catarrhus catarrhum ſequatur, ſicut pluvia (ſole pauliſper interlucente, & vaporem novum in nubes elevante) poſt pluviam ſolet. Caput enim humanum eſt inſtar mediæ regionis aëris, in qua nubes condenſantur, & deorſum repluunt : aut inſtar capitis alembici, in quo Chymicorum fumi conſtipantur, & in ſubjecta vaſcula reſtillant. Cerebrum enim omnium partium animalis frigidiſſimum eſt, ad vapores conſtringendos, qui abundè ex corporibus ſenum aſcendunt; cùm eorum ferè inteſtina ſuperfluis humoribus natent.

Hinc frequentes illæ ſenum ſputationes, humiditas & infantia naſi, repudiumque illud ſeniculæ uxoris:

Iam gravis es nobis, & ſæpè emungeris, exi
Ocyùs, & propera: ſicco venit altera naſo. Iuven.

Nubes tamen *poſt pluviam*, craſſos vapores qui ante oculos ſenum oboriuntur poſt frequentes lacrymas, interpretatur Andr Laurentius, Chriſtianiſſimi Regis nuper Archiater celeberrimus.

Addit deinde Eccleſiaſtes. *Quando commovebuntur cuſtodes domûs:* ſenſus omnes tam interni, quàm externi, qui ad cuſtodiam corporis (quod eſt domus animę) excubant in capite. Commoventur autem & contremiſcunt ſimul omnes ſenſus, in tremulo & ſenili capite. *Et nutabunt* (Hebr. *pervertentur*, ſeu *curvabuntur*) *viri fortiſſimi*: geminæ tibiæ, quibus tanquam duobus fortiſſimis bajulis moles corporis ſuſtentatur. Capita iſtorum virorum ſunt genua, ventres ſunt ſuræ, inſtar ventrium tumidæ; ideoque Græcis γαστροκνήμιαι *ventres tibiarum* dictæ. Curvantur autem & nutant varo & titubanti inceſſu tibicines illi, & viri olim in juventute ſua fortiſſimi.

Et otioſæ erunt molentes. Dentes ceſſabunt molere cibum, quia ſenes paucis dentibus qui ijs ſuperſunt, vix uti audent; cùm alueolis mandibularum nimis laxè & infirmiter hęreant. Nec neceſſe eſt, *molentes* interpretari ſolos dentes, qui propriè *molares* vocantur, obtuſi, & in profundo oris collocati. Nam etiam inciſorij, & omnes omnino, cibos molunt. Deinde paulò pòſt redibit iterum mentio dentis *molentis*, qui non tam molaris, quàm inciſorius & anterior debet intelligi.

In minuto numero. Etiam numero pauci, quia ſiccitate & defectu alimenti ſenibus excidunt; ut prodigij inſtar, meruerit à Spiritu ſancto narrari, quòd Moyſi, centum viginti anno-
Deuter. 34 rum ſeni, *non caligaverit oculus, nec dentes fuerint moti.*

Otioſæ molentes autem, ſeu *molitrices* genere feminino dixit, quia dentes velut feminas in piſtrino molentes conſideravit.

Et obtenebreſcent videntes per foramina. Caligabunt ex ſiccitate humorum, corrugatione tunicarum, multitudine excrementorum, paucitate & opacitate ſpirituum, oculi qui per foramina cranij foras proſpiciunt. Hebraicè paulò concinniùs, *videntes in feneſtris*, Globi enim oculorum in cavis ſuis, tanquam feneſtris, ad proſpiciendum poſiti ſunt.

Et claudent oſtia in platea. Catarrhi & phlegmata ex cerebro ſenili perpetuò deſtillantia claudent oſtium, quo aſpera arteria in planitiem oris, tanquam in ſpatioſam plateam & forum ſpectat; hoc enim vox Hebraica ſignificat. *In humilitate vocis molentis*: cum humili, exili, & rauca voce dentis unius

tis unius anterioris, qui inciſorius vocatur, & unde incipit cibus moli. Dentes enim anteriores, repercuſſu aëris ad eos alliſi, ad formandam & articulandam vocem maximè juvant. Vnde anus edentulæ vix articulatè loquuntur: & præſertim laborant in pronunciandа vocali E. quæ maximè dentium ope debet formari. Hinc in Anglicanâ linguâ, ubi vocalis illa E. familiariſſima eſt, anus & ſenes edentuli, ſunt ferè muti. Similiter in Polonica & ſibilante lingua. Nam ſibili dentibus quoque frangi & exſibilari debent. *Molentis* verò, numero ſingulari, potiùs quàm *molentium*, dixit; quia ſeniculi unicum ſæpe dentem habent, quo ſe utcumque ad balbutiendum adjutant. *Claudicat ingenium, delirat linguaque, menſque.*

Et conſurgent ad vocem volucris. Laborabunt inſomniâ, ex catarrhis, nocturnâ tuſſi, aut ſenili ſiccitate cerebri, ideoque omni gallicinio facilè excitabuntur, ſurgentque ſæpius inter noctu impatientes lecti.

Et obſurdeſcent (Hebr. *deprimentur*) *omnes filiæ carminis.* Omnes citharæ, lyræ, ac univerſa inſtrumenta Muſica ſurdo & depreſſo ſonitu ſonare videbuntur auribus ſenum gravibus & ſemiſurdis. Nam frequenti humorum è cerebro pluviâ irrigatum tympanum, & cetera organa auditûs, intumeſcunt & gravantur, nec ab aëre ſonante impulſa, reſonant ut oportet. Alij ad cantiunculas & voces ipſius ſenis referunt, quas conticeſcere jubet ſenectus.

Excelſa quoque timebunt. Senes vertiginoſi timebunt per loca excelſa ambulare, non audentes metu vertiginum, quibus ſenectus eſt obnoxia, in profundum deſpicere. Hunc ſenſum ſuggerit Hebræus, qui ad verbum, *De excelſo timebunt.*

Et formidabunt in via. Imò in via etiam plana offendere & corruere timebunt, ambulantes infirmo & ceſpitante gradu.

Florebit amygdalus. Ex putri & redundanti pituitâ caput & barba citò caneſcent, ſicut amygdali comæ, flore candido, menſe Ianuario ante omnes arbores, nec expectatis folijs, ſolent erumpere.

Impinguabitur locuſta. Inſtar locuſtæ, quæ tota pænè venter eſt, hydrope & crudis humoribus ſenex implebitur.

Et diſſipabitur capparis. Appetentia cibi & Veneris, calore naturali à ſenibus fugiente, diſſipabitur & evaneſcet. Capparis enim edendi & rei Venereæ aviditatem facere dicitur: unde pro *caparis*, Arias *aviditas* vertit.

Quoniam ibit homo. Cappari jam omni & appetentiâ perdita, & calore naturali paulatim extincto *in domum æternitatis ſuæ*. In ſepulchrum, ubi manebit in æternum, id eſt uſque ad finem ſeculi. Nomen enim Hebræum, quòd nunc *æternitas*, nunc *ſeculum* ſolet verti, ſignificat quodvis tempus longum, etiamſi finitum ſit; præſertim ſi finis ejus ignoretur. Vnde Arias vertit, *In domum ſeculi ſui*.

Et circuibunt in platea plangentes. Per circuitus & flexus platearum, funebri pompa & planctu, efferent eum in domum illam æternitatis, extra urbem, ubi Iudæi ſepulchra ſua olim habebant.

Poſtquàm verò hoc quaſi per parentheſin, Sapiens interiecit, ad abſolvendam ænigmaticis ſuis coloribus imaginem ſenectutis, addit.

Antequàm rumpatur funiculus argenteus. Antequam inflectatur, & rumpatur rectitudo candidæ ſpinalis medullæ, quæ inſtar funiculi argentei, à cerebro per 34. vertebrarum cavitatem, uſque ad finem ſpinæ dorſi protenditur. *Funiculum argenteum* hîc appellari (& quidem *magnâ proprietate*, ut ait Valleſius) medullam ſpinalem, Medici etiam nobiſcum interpretantur. Rumpitur autem (Hebr. *non elongatur*) quando flexo & arcuato dorſo ſenes incedunt, *Et vadit tardo curva ſenecta pede*. Tibull.

Tunc enim tali curvaturâ rectitudo ſpinæ quodammodo frangitur, & longitudo contrahitur.

Et recurrat vitta aurea. Et antequam ſe contrahat, introque verſus centrum recurrat à cranio capitis recedendo involucrum illud cerebri, quod inſtar vittæ, fluidam cerebri ſubſtantiam colligit & continet. Siccato quippe in ſenibus cerebro, unà cum ipſo contrahitur meninx tenuis, quam Arabes *piam matrem* vocant, *naturale cerebri involucrum*, ut Galenus loquitur. Et hinc in ſenibus calvitium, inquit Valleſius. Meninge enim,

ge enim unà cum cerebro recedente à cranij fornice, iſtud *areſcit, ac præ ariditate excidunt pili, ut herbæ areſactâ terrâ*. Et in conſenſum trahi poteſt Hippocrates, qui ἐκ τῆς ἐγκεφάλου ἀναλώσιος *ex cerebri conſumptione* dicit, τὴν φαλακρότητα *calvitium* provenire. Et ut breviter ac ſuo more Tertullianus, *Pro cerebri ubertate, vel affluit capillago, vel deſerit*. Eccleſiaſtes autem meningem, *vittam* appellat, quia ſimilis eſt vittæ, quâ feminæ involvunt crines ſuos, & tegunt caput. Vnde alij *lenticulam*, ſive *lecythum* vertunt: quod vaſculum rotundum & ventricoſum eſt, non abſimile vittæ feminei capitis. *Auream* dicit, quia vetuſtate & corrugatione nonnihil aureæ flavedinis contrahit. Quanquam non à colore, ſed à pretio, *auream* dici malit Valleſius; ſicut alij *piam* vocant, propter, credo, beneficia, quæ fovendo cerebro præſtat.

Hippocrat. lib. 6. ſect. 3 de morb. vulg.

Verbum tamen Hebraicum ambiguum eſt. Vnde alij vertunt, *Et confringatur lenticula aurea*. Vel, ut Andr. Laurentius, *Et rumpatur aquarium aureum*. Id eſt, cor rubei & aurei coloris, quod ſenio flaccidum, nec valens ampliùs ſanguinem & ſpiritum arterialem côntinere, apparetque veluti confractum; ut aquarium rimoſum non valens continere aquam.

Et conteratur hydria ſuper fontem. Et veſica à calculis conteratur, ſuper fontem, ſive ſcatebram (hoc enim propriè vox Hebræa ſignificat) per quam urina foras proſilit. Veſica enim eſt inſtar hydriæ, in quam ſerum ſanguinis, attractum à renibus, effunditur; ut inde per fontem, ſive ſcatebram foràs ebulliat. Fons igitur, quia à fundendo aquas dicitur, non tam pro conceptaculo aquarum hìc ſumitur, quàm pro ſcatebra, unde aqua effunditur, & ſcatet. Calculum ergo veſicæ (familiare ſenibus malum) & natam inde urinæ difficultatem, quæ guttatim tantùm, velut ex hydria confracta, deſtillat, ænigmaticè deſcribit.

Laurentius tamen *hydriam*, venam cavam interpretatur, quæ *contrita ſuper fontem* dicatur; quia ex jecore communi ſanguinis fonte, non poteſt ampliùs ad irrigandum corpus, ſanguinem haurire. Vnde non plus jam utilitatis corpori præſtat, quàm hydria pertuſa & aquæ incontinens. Sed quod de

veſica

veſica diximus, videtur concinnius. Si tamen *ſuper* exponamus per *iuxta*, quod præpoſitio Hebraica patitur, *fons* valde concinnè intelligi poterit *vena cava*, ex qua ceu fonte, ſive ciſternâ, ut verſu proximo dicetur, renes veluti rota, attrahunt ſanguinis ſerum, ſive urinam, quam transfundunt in veſicam, velut hydriam.

Et confringatur rota ſuper ciſternam. Hebr. *ad ciſternam.* Hoc eſt, Et renes calculis areniſque confringantur, aut putreſcant (quod ſenibus non rarò accidit) appoſiti venæ cavæ, ex qua ſerum trahunt, tanquam rota, ſeu trochlea, quæ è ciſterna aquam attrahit.

Quod ubi factum fuerit, nihil aliud reſtat, niſi ut *revertatur pulvis* (homo) *in terram ſuam, unde erat* (ex qua olim in primo ſuo parente concretus fuerat) *& ſpiritus redeat ad Deum*, tanquam Iudicem ſuum, *qui dedit illum*, qui creando, corpori illum inſpiravit. Vnde ſpiritum corpori eſſe ſuperſtitem, & immortalem manifeſtè ſignificat. Hæc mihi videtur eſſe maximè concinna & probabiliſſima obſcuriſſimorum verborum interpretatiuncula, inter tot alias variantes & contrarias, quibus illa diſtrahunt, & ſe fatigant Interpretes.

CAPVT VI.

De Generatione.

POſt nutritionem & accretionem, ſequitur generatio, tertia animæ vegetativæ operatio. Duæ priores circa individui ſui conſervationem & perfectionem occupantur, hæc tertia ſpeciem propagat. Cùm enim omnium animantium individua mortalia ſint, ut naturæ ſaltem ſpecificæ à principio univerſi uſque ad finem perdurarent, debuit individuis vis quędam dari, qua unum alteri naturam ſpecificam traderet; ut quando ipſa in priori individuo intercidit; in poſteriori ſaltem ſuperſtes maneret. Hanc vim, potentiam generandi appellamus, actum ejus, generationem.

ARTICV-

ARTICVLVS I.

Quid generatio.

GEneratio dupliciter ſumi ſolet à Philoſophis: generaliter pro mutatione à non eſſe ad eſſe cujuſvis corporis naturalis: & ſpecialiter pro generatione vitali, qua vivens unum, alterum ſibi ſimile ex ſua ſubſtantia generat. Vnde nec ortus animalium ex putri, dicitur in hac proprietate generatio, cùm nullum aliud animal quidquam de ſua ſubſtantia in eam conferat. Sed modus iſte generandi, inanimatorum generationi eſt ſimilis. Eodem enim modo ſol ex quiſquilijs, aut luto Nili, murem gignit, quo ex ſtipulis interdum ignem accendit. In neutrius quippe generationem de ſubſtantia ſua quidquam impertit.

S. Thomas conſentienter Ariſtoteli, propriam viventibus generationem definit: *Originem viventis à principio vivente conjuncto ut ſimili, & ejuſdem natura.* Hæc propriè vocatur nativitas, inquit S. Thomas: & ſic generans appellatur parens, ſic genitum filius. S. Th. 1. p. q. 27. a. 2. Lib. 4. c. 11. contra Gent.

Nomen tamen parentis & filij, non in plantis, ſed in ijs tantùm quæ per cognitionem gignunt, ſolet uſurpari. Ideo autem gignens debet eſſe conjunctum genito, ſicuti totum cuidam ſuæ parti; ut generatio ſit actio vitalis, & ſuo modo immanens principio principali generanti. Quia tamen multorum viventium generatio abſolvitur extra ipſum generans, ſufficit rudimentum aliquod perfecti fœtùs intra generans inchoari. Sic planta generationem plantæ inchoat à ſemine quod intra ſe format; licet iſta generatio perficiatur in terra, cui ſemen commiſſum eſt, tanquam utero. Maſculus quoque in genere animalium, eſt principium conjunctum tantùm ſemini, quod in vaſis à natura deſtinatis intra ſe coquit; conformatio autem & perfectio fœtùs in utero feminæ abſolvitur. Vnde Ariſtoteles breviter & dilucidè marem definit, *Animal quod generat in alio*: Feminam, *animal quod generat in ſeipſo.* Ariſt. lib. 1. c. 2. de generat. animal.

Quia ergo maſculus in alio gignit, & abſens non poteſt proximè attingere introductionem animæ in materiam fœtûs, ideo S. Thomas cum Medicis potentiam generandi nihil aliud eſſe dicit, quàm virtutem præparandi ſemen in vaſis ſpermaticis. Hoc enim,ut antè dixi, generatio viventium peculiare habet,quòd vivens eam intra ſe ſaltem inchoet (nempe *in ſemine, in quo eſt aliquod principium formativum corporis*, ait S. Thomas) & aliquid ſuæ quoddammodo ſubſtantiæ in prolem generandam conferat. Quod inanimata non faciunt, ſed tantùm in materiam externam agunt, eamque ad formam ſuæ ſimilem diſponunt. Cùm enim ignis ignem generat,nullam ſui partem ei communicat, ſed ex ligno, aut aliâ materiâ externâ totum gignit.

S.Tho.1.p q.78.a.2. ad 2.

Ex hoc modo generationis viventium naſcitur in homines conſanguinitas, ſive cognatio carnalis. Cùm enim pater in generationem prolis ſemen ex ſanguine venoſo & arterioſo puriſſimè decoctum conferat, ſanguinem ſuum ei confert, meritoque dicitur ei conſanguineus. Mater verò id etiam evidentiùs facit; cùm non tantùm ſemen, ſed ſanguinem etiam in propriâ ſanguinis formâ proli contribuat.

Hinc filius dicitur aliquid eſſe ſui parentis, & ex patre, tanquam petra minor ex majori petrâ, & ex matre tanquam cavernâ exſcindi. *Attendite*, ait Propheta, *ad petram, unde exciſi eſtis, & ad cavernam laci, de qua præciſi eſtis*. Ac ſe explicans, *Attendite*, inquit, *ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos.*

Iſa. 51.

Nec tantùm partem materiæ corporis, ſed univerſam fabricæ materiam filius ab utroque parente ſimul habet. Vnde totum ſe ijs debet; aliter quàm prima parens Eua ſe ſuo marito, cujus unica coſta, tota materia tam grandis & adulti feminei corporis eſſe non potuit. Hinc naturalis ille parentum in filios amor ortum habet. Quia enim quiſque naturaliter ſeipſum amat, affectus iſte etiam ad filios, tanquam ad partem à ſe deciſam, proniſſimè fluit.

Nec aliam cauſam iſtius amoris, quàm naturarũ conjunctionem reddere oportet: quæ ſi agnoſcatur (poteſt enim parens filium ignorare: unde mater, quia certior eſt ſe genuiſſe, impen-

impenſiùs quàm pater, prolem ſolet amare, ait Ariſtoteles) illicò naturalem amorem, quo conjunctio illa foveatur & perficiatur, excitat. Ariſt. lib. 8. c. 14. Ethic.

Vnde ſubtiliter S. Thomas advertit, in Decalogo nullam amoris parentum erga filios mentionem fieri, ſicut nec cujuſq; hominis erga ſeipſum; licet filij honorare & amare parentes expreſſè jubeantur: quia nimis nota eſt pronitas amoris parentum in filios, ſicut ejuſdem ad ſeipſum. Hinc etiam in fornicatione, *ubi proles contra votum naſcitur*, inquit Auguſtinus, *nata tamen cogit ſe diligi.* S. Tho. 1. 2. q. 100. a. 5. S. Aug. lib. 4. c. 2. confeſſ.

Filiorum quoque in parentes reciprocus, ſed remiſſior eſt naturalis amor; quia multo major corporis parentum pars ad filiorum formationem nihil contulit; parentes verò filios ſuos aſpiciunt, tanquam aliquid quod totum & undique ipſorum ſit.

Et licet ſucceſſu temporis, minimum illius corpuſculi, quod initiò à parentibus tractum eſt, ſuperſtes in filio adulto non permaneat, & potiſſima, aut univerſa fortè corporis moles ex alimento adventitio compoſita ſit; primordia tamen ſunt à parentibus, quorum virtute & efficientiâ, accedente alimento, moles illa crevit. Sic totius incendij cauſa dicitur, qui primam ſcintillam injecit, unde ingens ille ignis exarſit.

Deinde à temperie ſeminis temperies prolis, & inde ſimilitudo morum; à virtute conformatrice, figura vultûs & membrorum, & plerumque viva imago alterius parentis: quæ incremento ætatis non evaneſcit, ſed ad finem vitæ durat. Vt proinde non tantùm, cùm primùm formatur in ventre matris, ſed per univerſam vitam filius cenſeatur eſſe totus ſui parentis, & ſimilitudine quadam vivâ illum regenerare.

ARTICVLVS II.

Ad quotum conſanguinitatis gradum natura matrimonia refugit.

INdidem etiam oritur conſanguinitas, quæ matrimonium uſque ad certos gradus impedit. In primo quidem lineæ rectæ, jure naturæ. Conjugium enim patris cum filia, matris cum filio, naturalis quidam horror reſpuit. Nam propriè dicta & naturalis conjunctio, extrema condiſtincta flagitat; pater verò & filia, mater & filius unum quodammodo ſunt, ut diximus.

Alij addunt, naturæ ordinem, per talia connubia turbari; quia ordo generationis, ſimilis fluminibus eſt, perpetuò labens deorſum: ſurſum verò verſus fontes ſuos rediret, ſi filia patri ſuo rejungeretur ad generationem prolis, quæ matris ſuæ eſſet filia & unâ ſoror. Reverentia deinde tam propinquę originis vetat, horroremque magnum incutit, ne filius aut filia parentem tā inhoneſtè tractet, quàm ſolent conjuges. *Neſcio enim*, inquit Auguſtinus, *quomodo humana verecundia ineſt quiddam naturale atque laudabile, ut cui debet, causâ propinquitatis, verecundum honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, de qua erubeſcere videmus & ipſam pudicitiam coniugalem*.

S. Aug. lib. 15. c. 16 Civit.

Hinc celebre & ſapiens à Claudio inſipiente Principe factum, quod narrat Suetonius: *Claudius Cæſar feminam*, ait, *non agnoſcentem filium ſuum, dubiâ utrimque argumentorum fide, ad confeſſionem compulit, indicto matrimonio iuvenis*. Cùm enim nubere ei juberetur, horrore inceſtùs perterrita, ultrò filium ſuum eſſe eſt confeſſa.

Suet. Claud c. 15.

Multi etiam in primo gradu lineæ tranſverſalis, id eſt, inter fratrem & ſororem, conjugium jure naturæ itidem irritum credunt. Negant alij, & inter eos S. Thomas: quia inter fratrem & ſororem *non eſt per ſe & immediata cognatio*, cùm unus ab altero nihil accipiat, ſed uterque ab eodem tertio. Neuter ergo habet, quod alterius eſt, ſed perinde conjunguntur, atque duo diverſam aquam haurientes ex uno fonte.

S. Tho. 2. 2. q. 154. a. 9. ad 3.

Hinc

Hinc apud Perſas & Ægyptios fratrum ſororumque legitima erant matrimonia. Athenienſibus quoque Solon cum germanis ſororibus eodem patre natis connubia permiſit, vetuit cum uterinis. Contrariam legem Lycurgus Lacedæmonijs ſcripſit, uterinas admittens, refutans germanas.

Meliùs tamen Solon; quia frater & ſoror uterini plus ab eadem matre ſumunt, quàm germani tantùm ab eodem patre. Nam maximam corporis molem fœtus ſumit à matre, ſive primam conformationem aſpicias, ſive totum tempus novem menſium in utero, quo alitur & grandeſcit ſolo ſanguine matris.

Vnde ceteri Orientales, in conjugijs ſororum tam licentes; videntur uterinarum, quàm germanarum conjunctionem magis abhorruiſſe. Et in hanc mentem multi illud Abrahami interpretantur, *Verè ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem.* Quaſi dicat, Saram fuiſſe germanam tantùm, non uterinam ſororem, ideoque licuiſſe eam uxorem ducere. Gen. 20.

An verò in recta aſcendentium & deſcendentium linea, matrimonia jure naturę ſint in infinitum irrita, Theologorum nō pauci affirmant, quos ſequuntur ſatis densè Iuriſconſulti, quia & Cajum ſuum eòdem præeuntem habent. *Nuptiæ conſiſtere non poſſunt,* inquit, *inter eas perſonas, quæ in numero parentum liberorumve ſunt, ſive proximi, ſive ulterioris gradûs ſint, uſque ad infinitum.* l. 51. D. de ritu nupt.

Videtur enim ſanè non tantùm à proximis parentibus, ſed ab avis, proavis, & longiùs, aliquid in prole adhuc remanere. Vnde nativæ quædam & hereditariæ notæ, ab avis ad nepotes interdum tranſiliunt, præterito proximo parente. Sic ſtigma quod avus in brachio geſſerat, nec filius ejus habuerat, regeneratum eſſe in nepote, Ariſtoteles narrat. Et in Sicilia, inquit, æthiops ex adulterio filiam candidam genuit; ſed hæc poſtea æthiopem avo ſimilem, ex marito non æthiope peperit. Ariſt. lib. 7. c. 6. Hiſtor. animal.

Vnde Covarruvias intrepidè affirmat, *In decimo quinto linea recta gradu rationes prohibitionis omnino adhuc vigere.* Covar. part. 2. c. 6. §. 6. de Matr.

Placet tamen, hanc lineæ rectæ cognationem non ire in infinitum, ac proinde falſum eſſe, quod Durandus & alij ejuſdem ſententiæ dicunt, *Si Adam & Eva viverent, non haberent in poſteris ſuis, cui nuberent.* Nam velut flumina fontis ſui ſaporem amittunt longo lapſu, & qualitates alias adſciſcunt à terris quas lavant; ita ſemen à majoribus, per multos lineæ quantumvis rectæ gradus, ad nos delapſum, indolem primam non retinet: vel ſi ſimilem habeat, non eam à caſcis illis & remotiſſimis, ſed à propinquioribus gradibus per quos tranſivit, accepiſſe cenſetur. Vnde doctiſſimo Covarruviæ aſſentiri non poſſum, qui ſaltem ad decimum quintum gradum hanc naturalem prohibitionem cenſet porrigi.

c. Non debet de conſang.

Imò ſummum eſt, ſi ad quartum poſſit pervenire. Indicat enim planè Innocentius III. & Conc. generale, cùm ait, *Quaternarium numerum bene congruere prohibitioni coniugij corporalis; quia quatuor ſunt humores in corpore, quod conſtat ex quatuor elementis.* Quod S. Thomas & alij ſic explicant: quaſi in primo gradu deſcendente igneum & leviſſimum elementum, in ſecundo aëreum, in tertio aqueum, in quarto terreum evaneſcat: unde in quinto nihil ampliùs naturalis cognationis ſuperſit.

Aut certè, ſecundum veriorem Philoſophiam dicamus, ſemen heterogeneum corpus eſſe, quatuor partibus conſtans, quæ numero & qualitatum diſcrimine, Mundi elementis reſpondent.

Ergo imaginemur, in primo gradu, hoc eſt, in filio, quod leviſſimum & quaſi igneum eſt ſeminis evaneſcere. Nihil enim in corpore noſtro faciliùs effugit & diſpergitur, quàm ſpiritus, & ea quæ igneam quandam levitatem habent. In nepote diffluit etiam pars ſecundæ levitatis; quæ inſtar aëris erat in avito ſemine. In pronepote, portio magis gravis & aquea. Denique in abnepote, pars terreſtris & graviſſima; quæ erat velut fæx & ſedimentum ſeminis abavi. Vnde in gradu quinto nihil ultrà ſeminis ſupereſt, ceſſatque omnis carnalis conſanguinitas inter atavum & atneptem. Quod de ſemine paterno diximus, poteſt & ad ſemen maternum, aut etiam ad ſanguinem, quem mater in fœtûs fabricationem confert, applicari.

Hinc

Hinc ultra quartum gradum, in quo ſe abavus & abnepos adſpiciunt, licitè & decenter *propinquitas fugiens*, ut elegantiâ S. Auguſtini utar, *rurſus matrimonij vinculo revocatur*. S. Aug. lib. 15. c.16. Civit.

Nec tamen per Philoſophiam iſtam Innocentij III. & S. Thomæ contendimus, perpetuum eſſe, ut per quatuor, non plures aut pauciores gradus, tota virtus humani ſeminis in deſcendentibus evaneſcat; ſed quòd frequenter ita fieri naturæ conſentaneum ſit.

Si objicias, in primo gradu deſcendente, totum paternum maternumq́ue ſemen verti in filij fabricam, nec ullam partem ejus, tenuem aut craſſam, uſque ad nepotem pervenire: fatebor verum eſſe, ſed tamen per ſimilitudinem imaginariam deficientis gradatim ſeminis, concinnè explicari quomodo, ſi non ſubſtantia, ſaltem virtus paterni ſeminis deficiat.

Neque hæc ita accipienda ſunt, quaſi matrimonia lineæ rectæ uſque ad quartum gradum, jure naturæ ſint prohibita; ſed ſolùm quòd Eccleſia meritò uſque ad eum gradum vetet ea jungi. Vnde etiam Deus dicitur, *reddere iniquitatem patrum ſuper filios, in tertiam & quartam generationem*; quaſi adhuc aliquid paterni & nequam ſeminis in quarta generatione, ſeu quarto abnepotum gradu inveniatur, quod mereatur flagellari. Deuter. 5.

An autem avi cum nepte conjugium jure naturæ ſit irritum, meritò dubitari poteſt: quia avus eſt tantùm principium per accidens ſuæ neptis, nec propriè de ſubſtantia ſuâ quidquam ei communicat.

Attamen quia inſtar patris eſt, & virtus ſeminis aviti multum in nepotibus adhuc viget, videturq́ue indecentiſſimum, ut neptis quæ verecundum & filialem honorem avo debet, eumq́ue *magnum patrem* vocat, eundem ut maritum inverecundè tangat. Hæc verò tanta indecentia, & horror quidam naturæ inſitus, qui Barbaros etiam concutit, indicat Auctorem naturæ ejuſmodi matrimonia damnare, nec facere hominibus copiam & poteſtatem, ut inter ſe copulentur ex tam propinquis gradibus, ut potiùs identitas quædam ſanguinis, quàm diſtinctio videri poſſit.

Vltra avum non videtur jus naturæ dirimere matrimonia, quia

quia parum de virtute ſeminis proavi in pronepte manere ſolet. Vnde Sotus fatetur, Patres Tridentinos (inter quos ipſe erat) cogitaſſe de abrogando quarto gradu, *dum tamen ſanctiſſimè ſtatueretur tertius & ſuperiores, ut nunquam, vel non niſi ex urgentiſſima cauſa, admitteretur diſpenſatio.* Supponebant ergo ſaltem in tertium gradum humanam diſpenſationem poſſe cadere; nec inter lineæ rectæ & tranſverſalis gradus videntur diſtinxiſſe, ut etiam Sotus affirmat: qui longam illam *conſanguinitatis ſeriem*, quam Durandus, Paludanus, & alij uſque ad Adamum extendunt, *ludicram & ridiculam* appellat.

Sot. 4. d. 40 q. 1. a. ult.

ARTICVLVS III.

Principia generationis fœtûs.

TRes materiæ, videlicet ſemen paternum, maternumque, & ſanguis matris menſtruus concurrere debent, ut inde integrè coaleſcat in utero fœtus.

Semen paternum in vaſis ſpermaticis perfectè coctũ, materno ſemini in utero permixtum, & cũ eo fermentatũ, novi fœtûs conformationem inchoat. Non quaſi ſemen ſit animal quoddã, quod per animam ſuam domiciliũ ſibi aliud in utero fabricet, ut Scaliger & alij credunt, quos Lib. 1. confutavimus; ſed quia ſemini artifex & admirabilis quidã ſpiritus ineſt, qui materiam ſeminis craſſiorem ſufflat, & parte ejus fæculentiore in circumferentiam rejectâ, ſecundinas & fœtûs involucra inde texere; in centro verò ex parte ſeminis puriore, prima fœtûs lineamenta ducere & conformare incipit. Nec ſolum paternum ſemen hoc agit, ſed maternum etiam juvat, licet paterno debilius ſit; ſicut muliebris temperies frigidior & languidior eſt quàm virilis. Magis quippe Galeno hîc & Medicis quàm Ariſtoteli credo; quibus Anatomia, experientia, & ratio vehementer favet. Aſſero, inquam, non ſolum ſanguinem menſtruum matris, ſed etiam ſemen ejus, nec materialiter tantùm, ſed etiam effectivè concurrere ad generationem prolis.

Nam

Nam ſunt vaſa ſpermatica in feminis, quibus ſemen excoquitur, perinde ac in viris, licet intus recondita. Deinde voluptatem, ut viri, percipiunt in reſolutione ſui ſeminis.

Vnde de reſolutione feminei ſeminis, & dejectione ejus in uterum, intelligi poſſe illud Apoſtoli, *Sara ſterilis virtutem in conceptionem* (Græcè, εἰς καταβολὴν σπέρματος *in deiectionem ſeminis*) *accepit*, ait Theophylactus. Hebr. 11. *Nam ſtudioſi harum rerum indagatores aſſerunt*, inquit, *mulierem etiam veluti quoddam ſemen à ſe conferre.* Indicat quoque Auguſtinus, dum alicubi ait, *Emortuam* S. Aug. *Saræ vulvam fuiſſe, ad emiſſionem ſeminis.* lib 3 c. 18. contra Iul.

Cùm verò ſemen iſtud heterogeneum ſit & parte duplici, ſpiritoſâ & craſſiore conſtet (unde ex ſpiritùs ſpumâ album eſt, non rubeum, ut ſanguis menſtruus) dubitandum non eſt, quin ſpiritibus ejus major, quàm parti corpulentiori activitas inſit; ac proinde in conformatione & figuratione fœtûs, ſpiritus paterni ſeminis unà commixti & confermentati, adjuventur à ſpiritibus ſeminis matris.

Hinc tanta interdum eſt activitas materni ſeminis, ut vincat ſemen paternum (à quibuſdam alijs cauſis fortè hebetatum & impeditum) prolemque in figuram matris trahat. Hanc enim cauſam Galenus reddit, cur filius matri interdum quàm patri ſimilior ſit; nec eùm ſolidè Cajetanus refellit. Putat enim Cajetanus hanc prolis cum matre ſimilitudinem, Cajet. 2. 2. à ſanguinis menſtrui, quem confert mater, qualitate, non q. 154. a. 12. ab activa configuratione ſeminis materni exiſtere.

Quod tamen facilè fortaſſis confutabunt Medici, qui docent effigiem quandam totam ſemineam partium ſolidarum, ex puro utriuſque parentis ſemine, ante affluxum menſtrui ſanguinis, inchoari, & à primis iſtis etiam rudimentis, aliquam partem ſimilitudinis cum hoc aut illo parente contrahi. *Neque enim ſpermaticarum & carnoſarum partium delineatio eodem tempore perficitur*, ait doctiſſimus Medicus; *ſed ſi perfecta fieri debeat* Andr. Laurent. lib. 8. *generatio, ſemina primùm fecunda & pura in uterum, tanquam* c. 4. Anat. *agrum feraciſſimum effundi oportet, inchoatis & adumbratis ſolidarum partium filamentis; tum ad parenchymatum* (id eſt, partium ſanguinearum & carnoſarum) *ſtructuram, tum ad totius nutricatum,*

affluere debet. Non enim antè poteſt affluere maternus ſanguis, quàm venæ & arteriæ umbilicales ſint perfectæ, quibus fœtus ex venis & arterijs uteri matris ſanguinem & ſpiritum vitalem ſugit.

Et ſanè delectatio Venerea quam feminæ experiuntur in reſolutione ſui ſeminis, *convincit intellectum meum*, clamat Cajetanus, *non ad dicendum, quòd ſemen mulieris ſit verè ſemen (quia novi Ariſtotelem hoc confutaſſe) ſed ad dicendum, quòd ſeminatio illa ſit actus naturæ, ordinatus ad generationem, ſive ſit emiſſio ſeminis, ſive alterius humoris, qui quandoque, ut pluries, appellatur ſemen: quoniam delectatio Venerea tam vehemens non fruſtrà eſt à natura.*

Cajet. ſuprà.

Sed cùm ad ejus talem qualem concocturam gemina vaſa ſpermatica in feminis, non minùs quàm viris, natura fabricata ſit, nulla eſt ratio, cur verum ſemen (etſi crudius & imperfectius virili) appellari non poſſit.

Nec hinc tamen inferas, feminam ſine virili ſemine naturaliter concipere poſſe. Nam licet ſemen & ſanguinem in ſtructuram fœtûs conferat, artifex tamen eſt neceſſarius. Is autem eſt paternum ſemen, ſine quo, ne molam quidem informem à femineo ſemine poſſe confici, Hippocrates & Galenus conſentiunt. Patet id etiam ex avium conformatione in ovis. Nam albumen ovi eſt inſtar materni ſeminis, vitellus eſt quaſi ſanguis menſtruus: quibus tamen accedere debet ſemen galli patris; aliàs quantacumque gallinæ incubatione nulla pulli conformatio, imò ne conformationis rudimentum apparebit.

Sanguis verò menſtruus huic rei deſtinatus, puriſſimus eſt; qualem materiam ad primam fabricam & nutritionem tam tenelli & delicati fœtûs natura flagitat. Peſtilentes ergo qualitates, quibus Medici quidam menſtrua feminarum infamant, non inhærent ſanguini, dum adhuc eſt in maternis venis, & unde parvulus per umbilicum, eum ſugit; ſed à fœtido & pravis humoribus redundante utero, hanc labem & virus trahit. Vterus enim eſt velut ſentina feminei corporis, in quam illabens menſtruus ſanguis, etiam puriſſimus, parietes lavat, & ſordes unà avehit. Vnde feminæ ſanæ menſtruis ſæpe nihil,

aut

aut minimum veneni ineſſe, expertiſſimi Medicorum hodie confitentur.

Ex dictis quoque colligunt Theologi, qui præter Ariſtotelem, Medicos etiam in rebus naturæ libenter conſulunt, ad fabricã corpuſculi Chriſti Domini, non ſolùm matris ſanguinem, ſed etiam femineum ſemen à Spiritu ſancto aſſumptum fuiſſe. Cùm enim ceteri infantes, præter ſemen virile, quod à conceptione Chriſti abfuit, ex femineo quoque ſemine naturaliter concreſcant & concipiantur, non eſt ratio (imò Virgini injuria fiat, nec perfectiſſima mater eſſet) niſi omnia principia in divinæ ſuæ prolis conceptum, quæ ceteræ matres ſolent, contulerit. Quæ eſt aperta ſententia S. Anſelmi, negantis, ſemen Virginis fuiſſe immundum; ſed tantùm illud, quod carnali delectatione ſpargitur. Vnde famoſus inter recentes Scholaſticus: *Si ſemen maternum*, inquit, *ſimpliciter neceſſarium eſt ad concipiendum filium, conſequenter dicendum eſt, B. Virginem partem ſanguinis in ſemen convertiſſe, idq; ad debitum locum conceptionis tranſmiſiſſe. Quod inter Scholaſticos abſque formidine concedit Richardus.* Rectè tamen monet cum S. Bonaventura, non frequentandam mentionem ſeminis in Chriſti conceptione, ne ſuſpicio aut imaginatio ingeratur ſeminis virilis, quod per antonomaſiam ſemen vocari ſolet.

S. Anſel. c. 14. de concept. Virg.

Suar. 3. p. q. 32. a. 4.

Addendum quoque, in Virgine caſtiſſima, nulla omnino libidine, aut majori delectationis ſenſu, ſemen manu Spiritus ſancti deciſum eſſe, quàm puriſſimus ejus ſanguis à venis in uterum eſt effuſus. Si enim quædam feminæ ſine ulla delectatione Venerea concipiunt, quia vaſa ſpermatica vitioſo humore in ipſis turgent, & uterus in quem ſemen effundunt, impurus & multo mucore obductus eſt; quanto magis Spiritus ſanctus ſine ullo voluptatis ſenſu potuit Virgineum ſemen in uterum derivare? Hinc quoque diſcant Confeſſarij, feminas non minùs quàm viros, peccato mollitiei poſſe pollui; dum per tactus, aut turpes imaginationes ſemen ſuum è vaſis ſpermaticis quæ intus habent, cum Venerea voluptate, in cavitatatem uteri, aut etiam foràs effundunt.

ARTICVLVS IV.

De humore diſtillatitio.

PRæter verum & elaboratum ſemen, tam in maſculis quàm feminis, eſt quoddam velut ſeminis excrementum, magis aqueum & crudum, nec ſpiritu illo artifice & prolifico ſpumoſum; quem humorem diſtillatitium vocant, quia eſt materia fluxûs, quem Caſuiſtæ diſtillationem appellant, & à pollutione diſtinguunt.

Cajet. Opuſc. Tom. 1, tract. 22.

Ne putent Confeſſarij, ait Cajetanus, *omnem effluxum humoris, eſſe ſeminationem. Eſt enim præter urinam & ſemen, tertius quidam humor, qui ex calefactione, ſeu inflammatione carnis fluit. De quo, niſi cum rebellione carnis veniret, non magis curandum, quàm de ſudore videtur.* Addit tamen deinde: *Nunc autem non ratione ſui, ſed tentationis cavendus eſt; non tamen tanquam pollutio. Vnde non excedit limites peccati venialis.*

Gerſon Tract. de pollut.

Gerſon ſatis conſentienter. *Vnus humor*, ait, *eſt verè ſeminalis, alius urinalis, alius quodammodo medius, qui poteſt appellari ſalivalis, vel ſputalis.* Hic verò humor medius, non facilè à vero ſemine diſcernitur, inquit, *propter ſimilitudinem quandam in albedine, viſcoſitate, ſpiſſitudine.* Det veniam ſcribenti hæc, quæſo, Lector. Nam miſerias iſtas humanas, tanquam luteas ac lubricas quaſdam vias, per quas Diabolus plurimos (ſic metuo) Chriſtianorum ad Inferos deducit, Theologum, id eſt, Medicum animarum non ignorare oportet.

Gerſon autem humorem illum medium, quem nos diſtillatitium, *ſalivalem* vocat; *quia*, inquit, *ineptus eſt nutritioni & generationi, velut ſaliva, & aliæ ſuperfluitates defluentes è cerebro.*

Vnde colligas, non eſſe tantam obligationem naturalem ad retinendũ iſtum humorẽ, quantam omnes Theologi fatentur eſſe ad retinendum verum ſemen, à natura elaboratum ad prolis generationem. Pervertitur enim finis naturæ, dum ſemen quod ipſa fabricavit ad effundendum ſub matrimonij legibus, ut inde naſcatur fœtus; alioſum effunditur & diſperditur;

tur: quod Caſuiſtæ noſtri vocant prodigere ſemen.

At verò humor ille diſtillatitius, non ad generationem à natura deſtinatur, ſed potiùs, ut ego exiſtimo, veri & genitivi ſeminis eſt recrementum. Veluti enim hepar præter purum ſanguinem, choleram utramque, tanquam ſanguinis excrementa, & pituitam, velut crudum quoddam ſanguinis rudimentum gignit; ita vaſa ſpermatica, ſive teſtes præter elaboratum illud ſemen (cui omnium partium conformandi novi hominis ideæ ſunt impreſſæ) aliquid aliud excrementitium crudumque progignit.

Veſalius tamen diſtillatitium iſtum humorem, quem ipſe *viſcidum* appellat, *in glanduloſo corpore parari arbitratur*, id eſt, in glandulis paraſtatis, quæ ad cervicem veſicæ in viris, ad fundum uteri in feminis, ait Paræus, ſitæ; ſuntque veluti quædam catar. ctæ, quibus ſemen è teſtibus duplici canali (quæ vaſa ejaculatoria Medici vocant) eò derivatum, retinetur, & ad generationem paratum reſervatur. Fieri autem poteſt, ut crudior illa & pituitoſior pars ſeminis, elaborato ſemini permixta, majorem quandam craſſitiem, viſciditatemque in glandulis paraſtatis acquirat, ut cenſet Veſalius; ſed in ſemen perfectum & generationi idoneum vix aut nunquam fortaſſe evadit. Hanc tamen in eo utilitatem natura ſpectat, ait Paręus; quòd acrimonia & mordacitate quadam ad Venerem & ſpeciei propagationem exſtimulet. An verò ſit humor ſtillatitius, an verum ſemen, quod corpore humano effluit, ex ſenſu delectationis diſtingui debet. Natura enim in reſolutione veri ſeminis maximam omnium, ut Cicero credit, delectationem miſcuit; humor verò ille ſtillatitius ſine ullo, aut non magno voluptatis ſenſu effluit. Solent tamen plerumque unà cum eo ſpiritus quidam ſeminei in paraſtatis commoveri, & ſenſu aliquo Venereæ delectationis titillare; propter quam caſtitas commotionem illam evitare debet. Vnde circumſpectè antè dicebat Cajetanus, Non magis de illo ſtillatitio humore curandum, quàm de ſudore, *niſi cum rebellione carnis veniret*.

Veſal.lib.5. c. 14.

Vix tamen, aut nunquam, ait Gerſon, *fluxus humoris iſtius*

Gerſon Tract. de pollut. diurna 4.

medij, ſive ſtillatitij cauſat talem modum delectationis & concuſſionis quaſi totius corporis, & ſpecialiter in pudendis; nec ita perſtringit aut obnubilat in ſuo exitu iudicium rationis, ſicut fit in humore verè ſeminali. Nam iſte humor ſeminalis magis digeſtus eſt, & ad cauſationem libidinoſæ delectationis (niſi per infrigidationem, aut aliunde corruptus ſit) proportionabilior invenitur.

Nihilominus, quia per ſpiritus illos ſemineos humori ſtillatitio permixtos, delectatio Venerea excitatur, quam extra matrimonium vitare oportet; ideo talem diſtillationem directè in ſe excitare, aut cauſam ejus propinquam notabiliter influentem dare (ut ſunt tactus, vel aſpectus turpes) eſt grave peccatum, ut Theologi noſtri cenſent. Nam notabilis illa ſpirituum ſeminalium commotio, *eſt inchoata quædam pollutio, & ad pollutionis conſummationem eſſentialiter ordinatur*, inquit Sanchez.

Sanch. lib. 9. d. 17. n. 17. Matr.

Aliàs verò, ſi cauſæ ſint remotæ, ac proinde, quantum eſt ex ſe, non notabiliter influentes, licet ex complexione, aut alia diſpoſitione humani corporis, ſpiritus illi commoveantur; peccatum cenſetur, ut ſummum, veniale, modò voluntas non conſentiat in voluptatem. Tales cauſæ exiſtimantur cibi quidam Venerei & calorifici; non tamen eo fine ſumpti, ut Venerem excitent. Deinde confabulatio, aſpectus non turpes, & id genus alia, de quibus alicubi Gerſon: *Evenit faciliùs diſtillatio*, inquit, *& non ſine aliquo ſenſu concomitante vel prævio, dum perſonam dilectam, ſive pulchram ſive turpem, ſive juvenem ſive ſenem, ſive ſecularem ſive religioſam, & quandoque devotam aſpiciunt, aut tangunt, aut ei arrident, aut confabulantur, aut jocantur; etiam ubi nihil de opere carnali volunt, aut putant, nedum dicam peragere, ſed nec cogitare.*

Gerſon ſuprà.

Ideo autem faciliùs, quàm verum ſemen, humor iſte medius diſtillat, quia excrementitius eſt, & ferè inutilis, ideoque natura non tam pertinaciter ipſum retinet.

ARTICV-

ARTICVLVS V.

Cur pollutio vetita iure naturæ.

QVia verò in materia peccatorum multos ſcrupulos & difficultates, quæ ex Phyſica aut Medicina ferè diſſolvi debent, habet hæc adminiſtratio humani ſeminis, ideo pauliſper ad quæſtionem iſtam divertere non inutile erit; nec extra oleas ibimus, qui Philoſophiam Theologiæ ancillam formamus.

Rem igitur à principijs repetendo, contemplare materiam ſeminis, id eſt ſanguinem & ſpiritum vitalem, per venas & arterias ſeminales, à vena cava & aorta derivari ad teſtes; ſicuti cæ reliquis partibus corporis, ex ijſdem fontibus per ſimiles canales ſimillima materia ad alimentum ſuppeditatur. Aluntur quippe teſtes ſanguine illo & ſpiritu vitali. Vnde veluti mammillæ v. g. ſanguinem & ſpiritum vitalem priùs dealbant, quàm in ſubſtantiam ſuam mutent; ita teſtes (alia tamen virtute & temperie) hoc etiam faciunt.

Verùm quia ſanguis & ſpiritus ad eas corporis partes copioſiùs affluunt, quàm ad earum nutritionem ſit neceſſe; ideo pars aliqua nutrimenti ſuperfluit, quam probè excoctam natura ad alios uſus reſervat. In mammillis lac quod earum nutritioni ſupereſt, ad alendam prolem in lucem editam: quod verò teſtibus ſuperfluit, ad novæ prolis fabricam reſervatur, ſemenque appellatur.

Quia igitur attractio ſanguinis & ſpiritus ad eas partes, item alteratio, & converſio in rorem, gluten, cambium directè tendunt ad mammillarum & teſtium, ut ceterarum partium corporis, nutritionem; poſſumus actiones illas naturales, & ad individui commodum directè ſpectantes, per artem & medicamenta adjuvare, ac de ijs quidquid ex bono & uſu individui fuerit, diſponere. Deinde quandoquidem quod alendis mammillis ſuperfluit & lac appellatur, ad alterius individui nutrimentum à natura deſtinatur, rationem & nomen alimen-

alimenti induit; ideoque tanquam tale haberi & tractari à nobis poteſt. Vnde exſugere aut extrahere ex mammillis tanquam fontibus ſuis, ac in omnes alimenti uſus vertere ipſum licet. Semen verò quod alendis teſtibus ſuperfluum eſt, ubi in ipſis percoctum fuerit, natura per duos canales (quæ vaſa ſpermatica, ſeu ejaculatoria à Medicis appellantur) ipſum inde abducit, & in paraſtatas (ſitos ad veſicæ collum in viris, ad uteri fundum in feminis) tanquam in commune quoddam receptaculum derivat; ibique non in aliquod individui iſtius corporis commodum, ſed in ſpeciei propagationem cuſtodit. Vnde libera jam adminiſtratio meritò homini à natura adimitur, ut ipſum ex receptaculo illo & cataractis ubi retinetur, expellere pro libitu non poſſit; ſed tantum in naturalem prolis cum altero ſexu generationem. Et quidem intra legittimi matrimonij vinculum; quia humani & rationalis fœtûs dignitas hoc poſtulat, ad convenientem & debitam educationem.

Semine tamen ſic in paraſtatas derivato & cuſtodito, non omne omnino jus in ipſum homo amittit; quia quamdiu receptaculis corporis ejus præparatur, jus ipſum alterandi, coquendi, ac proinde augendi, vel diminuendi retinet. Vnde *nemo negabit*, inquit Sanchez, *fas eſſe, ſirupum capere ſemen reſolventem in ſanguinem aliumve humorem, alijs vijs expurgandum.* Quis enim tam ſcrupuloſus, ut ab ijs cibis, aut medicamentis quæ ſemen & genituras conſumunt, abſtineat?

Sanch. lib.9.d.17. Matr.

Imò qui caſtitatem valde colunt, nonne cinere anethi, aut ſemine cannabis quandoque genituram hebetare, aut conſumere nituntur? Nonne aniſo, caruo, rutâ ſemineos flatus & ſpiritus diſcutere, aut camphorâ, agno caſto, alijſve remedijs ſemen ipſum ſiccare tentant? Aliquibus etiam, ſurgente libidine, conſilium ab Arnal. Villanovano Monachis Caſæ novæ olim datum fortaſſe placebit: nudique frigido marmori inſidebunt, aut partes illas aceto forti immergent, vel certè (quod à S. Patritio, & quibuſdam alijs factitatum narrant) linteum tali aceto imbutum pubi & paraſtatis noctu ſuperponent.

Alijs denique fortaſſis Calvi Oratoris exemplum magis allubeſcet

allubeſcet, qui plumbi laminâ *lumborum & renum parti alligata impetus Veneris cohibuiſſe, vireſq; corporis ſtudiorum labori cuſtodiſſe traditur*, ait Plinius. Ac de alio quodam Galenus: *Ego* inquit, *cùm è plebe cuidam ſuaderem, ut plumbi laminam renibus ſuperponeret, quo nocturnis careret Veneris imaginibus, tali præſidio adiutus poſtea mihi gratias egit.* Plin. lib. 34. c. 19. Gal. lib. 6. de ſanit. tuend.

Cum igitur hæc liceant & laudentur, ſignum eſt, fas eſſe retundere & expugnare ſemen, quamdiu adhuc fabricatur, aut ſepoſitum in paraſtatis, ante effuſionem, aſſervatur. Nec enim interea otiantur paraſtatæ, ſed calore ſuo naturali ipſum fovent, imò in ſubſtantiam ſuam convertere nituntur.

Sed *quare actionem virtutis expulſivæ, ſemen nocivum expellentis, quæ naturalis eſt, & conſequenter bona, adiuvare medicinis nefas erit?* interrogat Sanchez, rationibus aliorum non acquieſcens: etſi cum omnibus univerſim Theologis, non dubitet, quin *voluntaria* (per medicamentum, ſcilicet, vel tactus, vel imaginationem Veneream, aut alio ſimili modo procurata) *ſeminis effuſio extra vas, ſit manifeſtum ſcelus mortale contra naturam.* Vnde novam hujus naturalis prohibitionis cauſam meditatus; *legittimam rationem eſſe cenſeo*, inquit, *cur in nullo eventu, etiam ubi ad vitam tuendam neceſſarium eſſet, liceat ſeminis effuſionem procurare: Quia adeò vehemens in ſeminis emiſſione delectatio ſentitur, ut illam teſte Abulenſi c. 5. Matt. q. 184. ad 1. homines tanquam ſummum bonum proſequantur, illique velut ſuæ felicitati adhæreant.* Propter hanc ergo cauſam, ut exiſtimat, *Natura in omni eventu, ſeminis adminiſtrationem homini denegavit. Eâ enim in aliquo caſu conceſſâ, evidentiſſimum*, inquit, *ſubeſſet periculum, ne homo à paſſione libidinis excæcatus, paſſim ſibi perſuaderet, cauſam effundendi iuſtam adeſſe. Atque ita ſemen prodigeret, indeq; fornicationes, adulteria, aliaque innumera luxuriæ vitia, adverſus commune bonum pullularent.* Sanch. ſupra.

Sed Leſſius & alij Scholaſtici poſteriores novitiam iſtam Sanchij inventionem meritò confutant. Quod magis ac fortiùs ab ipſis fieri debuit; quia dabat quibuſdam anſam pernicioſę doctrinę: quaſi fœminis fas eſſet, ad ſanitatis, imò etiam pudoris ac famæ tutelam, fœtum nondum animatum animâ Leon. Leſſ. lib 2 c. 9. d. 10. de Iuſtit.

 rationali

rationali directè expellere. Nam expulſio iſta fit ſine Venerea delectatione;adeoque ibi non reperitur illa ratio prohibitionis, quæ eſt in ſeminis effuſione.

Ratio igitur, cur natura prohibeat ſemen in paraſtatis collectum, foràs expellere, videtur eſſe; quia hæc expulſio cenſetur eſſe, non tam hujus individui hominis ſeminantis, quàm naturæ ſpecificæ, ſe propagantis, & hôc homine utentis tanquam inſtrumento. Cùm enim ultimus hic motus, & effuſio ſeminis, principaliter & per ſe ſolùm tendat in bonum ſpeciei, ſive naturæ communis, quæ per eam ſe dilatat, & communicat; meritò cenſetur ipſius eſſe, quia unumquodque naturaliter agit id quod ſibi bonum eſt. Vnde meritò etiam ſub dominio & adminiſtratione Auctoris naturæ talis actio in totum ſic manet, ut quiſque ſingularis homo eam adminiſtrare & licitè exercere, niſi in bonum & propagationem ſpeciei, non poſſit. Nam illa effuſio, & ſemen ipſum nullam aliam per ſe naturalem utilitatem habet. Vnde ſemen, quantum ad hoc, eſt inſtar membri, quod non eſt ſub abſoluto dominio hominis, neque ad libitum ab eo præſcindi poteſt, ſed tantùm in caſibus ab Auctore naturæ conceſſis; ut quando vita totius ex membri unius contagione periclitatur. Quanquam nec in tali etiam periculo liceret directè ſemen extra vas naturale effundere; quia principaliter ad bonum ſpeciei, non ad individui commoditatem à natura, ut dixi, deſtinatur.

Ariſt. lib. 2. c. 4. de anima. Eòdem alludit, quod Ariſtoteles alicubi ait, *Naturaliſſimum operum viventis, eſſe generare aliud, quale ipſum eſt: animal quidem animal, plantam autem plantam.* Cauſam enim ſubdit, ἵνα τȣ̃ ἀεὶ, καὶ τȣ̃ θείȣ μετέχωσιν, ᾗ δύνανται *ut ipſo Semper, & divino participent, prout poſſunt.* Quia enim illa individua corruptibilia ſunt, ſaltē ſpeciei ſuæ æternitatem procurant, quantum poſſunt; quia ſpeciei bonum, etiam ipſorū eſt. Id autem faciunt, ſpeciei ſuæ famulando per generationē, quâ ſpecies ad aliud individuum propagatur, in quo incolumis permaneat, ſi contigerit eam ſenectute, aut aliter in priori individuo deficere. Hoc autem naturaliſſimè animantia facere dicuntur, quia bonum illud

ſpeciei

ſpeciei excellentius & ſublimius eſt quàm bonum privatum; quandoquidem per illud ſempiternitati divinæ aliquouſque appropinquent. Propinquitas verò & ſimilitudo cum divino eſſe, eſt maximè appetibilis; cùm Deus ſit finis ultimus & perfectiſſimus; quem idcirco, *omnia appetunt*, inquit ibidem Ariſtoteles, *& illius cauſa agunt omnia, quæcumque agunt ſecundum naturam.*

Hinc in animalibus, quæ ſola capacia erant voluptatis, maximam omnium delectationum corporalium (ut Cicero, S. Auguſtinus, & omnes fatentur) actioni generativæ, ut avidiùs divinum illud ſpeciei bonum appeterent, natura appoſuit. Quod homini maximè neceſſarium fuit, ut immortalis & ſublimis ejus ſpiritus humilitatem illius actûs non abhorreret. *Homo enim rationis particeps divinum planè & excelſum animal*, ait Paræus, *nunquam ſe, nunquam animum ſuum in rem tam turpem tamq́ abiectam quàm Venereus eſt coitus, demitteret atque proſterneret; niſi vel inſitæ partibus iſtis Venereæ catulationes, mentis eius ſeveritatem remollirent; vel ipſa etiam ratio admoneret, non cum vitæ tempore eſſe dimittendam commemorationem nominis ſui.* Et Medicus alter. *Quis enim, per Deum immortalem, concubitum, rem adeò fœdam ſollicitaret, amplexaretur, ei indulgeret? Quæ femina maris in amplexum rueret, cùm & nonimeſtris geſtatio laborioſa ſit, & fœtûs excluſio diris cruciatibus moleſta, ſæpeq́ exitioſa, & editi fœtûs educatio plena ſollicitudinis, niſi incredibili voluptatis æſtro percita eſſent genitalia?* Cui etiam fini natura partibus illis ſenſum exquiſitiſſimum addidit.

Paræ. lib. 23. c. 1. Chirurg.

Andr. Laurent. lib. 6. c. 1. Anat.

Igitur voluptas iſta tanta propter actionem, tanquam finem eſt, & conſequenter, cui actio licita eſt (ut in conjugio) etiam voluptas licet. Ejuſdem quippe moris ſunt, actio & delectatio, quæ ex ea reſultat, ut appetitum ad exercitium actionis alliciat. Nam, ut poſt Ariſtotelem egregiè S. Thomas: *Delectationes differunt in bonitate & malitia, ſecundum differentiam operationum.*

S. Tho. 1. 2. q. 74. a. 8.

Ante omnia igitur, actio inſpicienda eſt, & ad normam ejus delectationem metiri oportet.

Vnde invertit ordinem naturæ Thomas Sanchez, quando

 ex vehe-

ex vehementia delectationis, actionem prohibitam eſſe collegit; cùm contrà, ex malitia actionis, malitiam & prohibitionem delectationis colligere debuiſſet. Aliàs enim ſolâ lege poſitivâ divinâ, propter magnitudinem delectationis ex actione alioqui licitâ reſultantem, pollutio prohibita eſſet. Quod nemo unquam dixit. Imò apud Philoſophos etiam illos, qui ſimplicem fornicationem non damnabant, pollutio & mollicies jure naturæ turpiſſima erat & infamis.

Qui enim ſemen aliter, quàm in agrum à natura ei aſſignatum, ſpargit, naturæ ordinem in re gravi pervertit, ac proinde naturæ & ejus Auctori eſt injurius.

Si verò ſpeciei propagini vacare nolit, quia fortè voto Deo facto, aut alia de cauſa, cælibatum prætulit; ſemen ſponte evacuare non debet, ſed ejus adminiſtrationem naturæ permittere; quæ ubi nimiâ in paraſtatis affluentiâ turgeſcere cœpit, ultrò ſe exonerare ſolet, aut in vigilia per gonorrhœam, aut nocte per ludibria ſomniorum, quando ſopitâ & frenum remittente ratione, imaginatio potentior appetitum ſenſitivum & vires expultrices ei ſubordinatas, efficaciùs in operationes ſuas extimulat.

Vnde rariſſimum eſt, ut valetudo cujuſquam nimiâ abundantiâ ſeminis inſigniter offendatur. Quod tot Cœnobitarum & caſtorum exemplis patet, quos diutiſſimè ſanos extrema demum ſenectus extinguit. Non igitur de nihilo divinus Hippocrates dixit: tria maximè ad ſanitatem & longævitatem conducere, *Semen retinere, citra ſaturitatem edere, ad laborem impigrum eſſe.*

Quia verò certis ferè temporum intervallis, ut in muliebri menſtruo ſolet, plenitudo illa & fluxus ſeminis viris redire conſuevit, Themiſtius gonorrhœam, virile menſtruum appellavit.

Hinc deduci videtur, illicitum eſſe ſemen è paraſtatis foras expellere, etiamſi id ſine Venereæ voluptatis ſenſu fieri poſſet. Voluptas enim ad actionem expulſivam conſequens eſt, ut diximus, & ubi actio licita, ut in conjugatis, voluptas non eſt turpis. Ex honeſtate ergo & turpitudine actionis manat

honeſtas

honeſtas & turpitudo voluptatis, non è contrà. Cum igitur actio turpidinem à ſe, non à conſequente voluptate habeat, turpis erit, licet voluptate careat.

Hæc tamen de ſemine vero & incorrupto intelligenda. Nam ſemen corruptum, ſemen non eſt, uti nec diſtillatitius ille humor, cujus Art. præcedenti facta mentio.

ARTICVLVS VI.

An licitum ſit, fœtum inanimatum expellere.

Hinc quoque ſequitur, nefas eſſe, ſemen virile femineumque in utero commixtum & fermentatum, ante etiam animationem, quamvis ſine ullo voluptatis ſenſu, expellere. Si enim é paraſtatis (ubi tantùm ſemen ſervatur, ut cum ſemine alterius ſexûs ad novi hominis generationem miſceatur) per mollitiem pellere non licet; multo minùs, ubi jam in utero, tanquam naturæ figulinâ, ad fœtûs formationem, cum altero ſemine in unum φύραμα confuſum & fermentatum eſt. Iam enim generationi & animationi propinquius eſt, quàm ubi adhuc erat in paraſtatis; ideóque naturæ opus provectius & perfectioni ſuæ vicinius diſturbando, major naturæ & ejus Auctori irrogatur injuria, quâm ſi remotius, ac in primis rudimentis adhuc verſaretur. Vnde Tertullianus ad genus quoddam feſtinati homicidij revocat, ſemina in utero coaleſcentia diſturbare. *Nobis*, inquit ad Gentiles, *homicidio ſemel interdicto, etiam conceptum utero, cum adhuc ſanguis* (maternus per vaſa umbilicalia) *in hominem delibatur, diſſolvere non licet. Homicidij feſtinatio eſt, prohibere naſci. Nec refert, natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet.* Et ut de ſeminibus nondum animâ rationali animatis loqui intelligeremus, addit: *Homo eſt, & qui eſt futurus, & fructus omnis iam in ſemine eſt.* Canones conſentienter, *qui mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non poſſit concipere, ut homicidam teneri,* decernunt. Et Iure etiam civili graviſſimè puniuntur, *qui abortionis poculum dant.*

Tertull. c. 9. Apolog.

c. ſi aliquis de homic. l. 38. D. de pœnis.

Zz 3 Denique

Denique Sixtus V. 1588. ſeveriſſimam cum multis fulminibus Bullam adverſus tales edidit; quam tamen Gregorius XIV. An. 1591. ad terminos Iuris communis revocavit.

Arist. lib 7. c. 16. Polit.

Vnde mirum omnino eſt, Ariſtotelis acumen ſic in re iſta deliraſſe, ut ἀμβλωσιν, & leges procurandorum ante animationem aborſuum, Rectoribus civitatum permiſerit, ubi civitas civium multitudine gravari cœpit. Nimirum, in re morum non perinde, ac in re naturę Ariſtoteles valuit. Et certiùs nobis dixerit, quomodo coaguletur in utero fœtus, quàm quomodo mater eum geſtare & cuſtodire debeat, ne in Dei & naturæ legem peccet. Tantundem dicimus de Hippocrate, qui Pſaltriæ ſexto à concubitu die, ad celandum pudorem, ſaltando genituram excutere ſuaſit: quia *minimè decebat gravidam eſſe, ne viliori loco haberetur*, inquit.

Hippocrat. lib. de nat. pueri.

Hipp. jurejurand.

Vnde viderit ſanè bonus Hippocrates, quomodo conſilium iſtud puellæ datum, ſteterit cum jurejurando, οὐδὲ γυναικὶ πεσσὸν φθόριον δώσω, quo ſe ad non præbendum feminæ peſſum ſubdititium, quo fœtus aut embryo corrumperetur, obſtrinxit. Quid enim intereſt, peſſo, an ſaltu inchoatum illud naturæ opus diſturbare? Nec ſolidè eum excuſat doctiſſimus Medicus Andr. Laurentius: dum ait, impietatis aut perjurij malè accuſari, quia Pſaltria illa *non eo ſaltu abortivum eliſit fœtum, ſed* ἔκρυσιν effluxionem *tantùm, & genituram ſeptem dierum nondum dearticulatam*. Neque enim, ut jam diſſeruimus, ejuſmodi etiam ſeminum, præſertim jam fermentatorum, conceptionem per effluxiones diſpergere licet.

Andr. Laurent. lib. 8. c. 19. Anat.

Sed multo magis mirum, Theologos Chriſtianos quoſdam eò laxitatis & audaciæ etiã prorumpere. Nam *Franc. Torreblanca apertè docet*, inquit Anton. Diana, *licere procurationem abortûs ad tuendam vitam, vel honorem puellæ prægnantis*. Quam tamen opinionem novam ſanè, paradoxam, & humano generi pernicioſam Diana, homo aliàs minimè ſcrupuloſus, admittere reformidat. *Sed an hæc opinio*, inquit, *ſit probabilis, judicent viri docti: mihi enim omnino non placet*. Si enim ſaltu, aut poculo abortionis, pudori conſulere licet, quæ puella à fornicatione id facere non tentabit?

Diana p. 3. tr. 2. 5. reſol. 11. Miſcell.

Multis

Multis quoque pro freno eſt, uteri geſtandi metus, quo ſublato, libido liberior & effrenior paſſim erit. Sanchez verò, licet celando pudori aborſum inanimati fœtûs procurari poſſe neget, admittit tamen causâ valetudinis. Nec eadem eſt ratio, inquit, permittendæ pollutionis, ubi copiâ ſeminis valetudinem gravari contingit: quia *natura omnimodam adminiſtrationem ſeminis homini denegavit, propter periculum imminens, ob nimiam delectationem, quæ in ejus effuſione ſentitur. Quæ ratio locum non habet in aborſu;* qui ſine delectatione excutitur, aut excidit. Sanch lib. 9. d. 20. Matr.

Sed hanc rationem alij paſſim, & nos antè rejecimus. Non enim lege divinâ poſitivâ effuſio ſeminis prohibita eſt propter delectationem, ſed contra delectatio lege naturali vetita eſt, propter effuſionem eâdem lege damnatam. Nec altera Sanchij ratio eſt validior: quòd *fœtus ante animationem ſit pars viſcerum*, ideoque ad ſalutem totius liceat directè revellere, veluti matris pedem aut manum.

Nam profectò fœtus propriè pars matris non eſt, non magis quàm arbor ſit pars terræ, in qua figit radicem. Fœtus enim utero matris, tanquam loco continetur, & venas ac arterias umbilicales, velut radices, fornici uteri implantat, ut ex venis & arterijs maternis alimentum ſugat. Breviter & bellè Galenus: *Qualis eſt radicatio in plantis deorſum, talis eſt in fœtibus inſertio arteriarum & venarum in uterum.* Et Auguſtinus noſter: *Si ad matris corpus id quod in ea concipitur pertineret, ita ut eius pars deputaretur, non baptizaretur infans, cuius mater baptizata eſt aliquo mortis urgente periculo, cùm eum geſtaret in utero. Nunc verò cùm etiam ipſe baptizatur, non utique bis baptizatus habebitur.* Galen. lib. 2. de ſemine. S. Auguſt.

Magis igitur tanquam juris, quàm Medicinæ aut naturæ conſultus, ſcripſit Vlpianus: *Partum, antequam edatur, mulieris portionem eſſe, vel viſcerum.* Neutrius quippe eſt portio, ſed appendix potiùs, ut fructus arboris, aut arbor telluris. Nec poteſt mater ad ſalubritatem ſui corporis, de eo tanquam de portione ſua diſponere, ſed ſervare neceſſariò debet, tanquam naturę depoſitum, novo hoc germine ſe propagare geſtientis. l. 1. D. *de inſpic. ventr.*

An verò feminæ, in morbo apertâ venâ, ſanguis fœtui

formando

formando aut alendo neceſſarius extrahi licitè poſſit, puto affirmandum. Nam quamdiu ſanguis eſt in venis maternis, totus ejus adminiſtrationi ſubeſt, etiam quoad eam partem quæ alendis ejus membris ſuperfluit, & deſtinatur ad fœtûs fabricam & nutrimentum. Nec enim iſtud ſuperfluum in paraſtatis quibuſdam, ut ſemen, aut alio vaſe in corpore matris à reliquo ſanguine ſeparatur, ſed ijſdem venis confusè continetur, nec cenſetur extra jus maternæ adminiſtrationis excidiſſe, niſi ubi in vaſa embryonis umbilicalia excidit, per quę ex venis matris in embryonem traijcitur. Si tamen fœtus animâ rationali animatus eſt, & putetur profusâ miſſione ſanguinis, alimenti inopiâ exanimandus, jam erit innocentis homicidium, ideoque illicitum. Si verò mater & fœtus interituri exiſtimentur, niſi ſanguis tam profusè mittatur; tunc in ſpem ſervandæ ſaltem matris, licebit. Si autem ſpes ſit, ut ante mortem matris, proles ad lucem & baptiſmum veniat, tenetur etiam ſub periculo vitæ, abſtinere ab ea ſanguinis miſſione mater, ex charitate qua vitam ſuam corporalem pro ſpirituali ſuæ prolis exponere debet; nec Vaſquium & Pontium hìc audimus, qui aliter.

Vaſq. c. 2. d. 7. de Reſtit.

Nam *parum refert*, ait Vaſquius, *quòd vita ſpiritualis prolis in utero periclitetur, quia mater non tenetur vitam temporalem pro illa perdere, quando de ſua ſalute ſpirituali dubia eſt.* Imò verò tenetur. Si de ſalute ſua dubia eſt, faciat quod ſemel faciendum, id eſt diſponat ſe ad felicem mortem, ſi poſt natam & baptizatam prolem eſt ei moriendum. Aliàs ſi ij ſolùm qui de ſalute ſpirituali certi ſunt, tenentur vitam corporalem pro ſpirituali proximi exponere, homines ſanctiſſimi tantùm illo charitatis vinculo tenebuntur. Sed extra Philoſophicas oleas longiùs abivi, regredior in viam.

Non etiam verum eſt, quod fingunt quidam, ab embryone aut fœtu invadi matrem, ideoque poſſe expelli, quando geſtatio uteri cauſam morbi facit. Nihil enim aliud embryo facit, niſi quod natura eum docuit, & ad faciendum jus dedit. Vnde ſicut ſi terra Copernicana v. g. rationale animal eſſet, ut Io. Keplerus credit, de arboribus tamen quæ eam ſugunt,

tanquam

tanquam ſibi injurioſis, conqueri non poſſet; ſic de partu, aut embryone viſcera ejus ſugente mater minime poteſt. Vtitur enim embryo jure ſuo, agendo radices in uteri agrum, quem natura ei aſſignavit.

Attamen licitum matri eſt, ſumere medicamentum, quod ad ejus curationem tendit, etſi indirectè embryo inanimis expellatur; veluti licet potionem ſumere, quæ per accidens hominem polluat effundendo ſemen è paraſtatis. Sic etiam veredario equitare, confeſſario ſacras confeſſiones audire licitum eſt, cum probabili periculo pollutionis, modò abſit periculum conſensûs voluntatis in delectationem.

Nam licet effuſio illa ſeminis, & delectatio ſenſibilis quam ſecum trahit, in ejuſmodi caſibus non ſint voluntariæ, nec magis imputentur in culpam, quàm ſeſſori aſini imputatur immunditia, quâ aſinus alvum egerit, ut S. Cæleſtino, de hac re ſollicito, Chriſtus reſpondit; inclinatio tamen voluntatis & conſenſus in tale objectum, etiamſi ab ipſa non imperatum, eſt turpis; cùm iſta inclinatio actioni & delectationi turpi ſit conformis. *Cùm enim aliquis*, ait egregiè & profundè S. Thomas, *ex deliberatione eligit, quòd affectus ſuus conformetur his quæ ſecundum ſe ſunt peccata mortalia, eſt peccatum mortale. Vnde conſenſus in delectationem peccati mortalis, eſt peccatum mortale.* Inclinatio enim illa & conſenſus eſt amor & complacentia quædam, qua voluntas lutum illud amplectitur, ſe ei conformat, & eo ſe conſpurcat.

Laur. Surius in Vita May 19.

S.Tho. 1.2. q. 74. a. 8.

Vnde licet verum exiſtimem, quod ait Sotus: Non peccare quemquam peccato pollutionis, *ſi poſtquam materia è lumbis*, ſeu paraſtatis, *eſt deciſa (ubi actio libera finitur) eſtq; in motu naturali, dormiens expergeſieret*, & tanquam inutile excrementum elabi ſineret: attamen pruritui, cujus ſenſum evitare non poteſt, voluntatem applicare, & in eo delectari, peccatum eſt. Alia quæſtio eſt, An de pollutione per ſomnium excitata, liceat vigilanti, propter exonerationem naturæ & ſanitatem, delectari.

Sot. 4. d. 12. q. 1. a. 7.

Aliqui affirmant. *Sed profectò doctiùs dicitur*, inquit Sotus, *Quòd etſi placere liceat de ſanitate, non tamen de delectatione, aut*

Sot. ibid.

 pollutione.

pollutione. Quia quod de ſe malum eſt, ob nullam cauſam placere debet, aut concupiſci.

Nam licet pollutio talis non ſit actio humana, videtur tamen eſſe objectum inhoneſtum, non ſecus fermè ac homicidium perpetratum à furioſo. Vnde de delectatione præteritâ ex tali pollutione ſecutâ nullo modo videtur licitum gaudere.

Nec argumenta aliorum ampliùs probare videntur, quàm gaudium non de ipſa, ſed de effectu ejus, ſive ſanitate ſecutâ, non inhoneſtum eſſe.

ARTICVLVS VII.

An in ſemine humano ſit morbida aliqua qualitas, ſeu peccati fomes, qui animam rationalem ei infuſam maculâ originali inficiat.

TAlem qualitatem morboſam humano ſemini ſæpiſſimè inculcat, & ſine ea, peccati originalis traductionem explicari poſſe negat S. Auguſtinus. *Fideles infidelitatem in poſteros trajciunt, quod non eſt iam illorum per ſpiritum regeneratorum, ſed quo in carne generati ſunt, mortalis ſeminis vitium.*

S. Aug. lib. 3. c. 9. de pecc. mer.

Parentes fideles, ait iterum Iuliano, *traiecerunt* in filium *quod iam non erat in eis, propter ſemen ſpirituale quo regenerati ſunt; ſed erat in eorum carnali ſemine, quo eum generaverunt.*

S. Aug. lib. 6. c. 14. contra Iul.

Et antea: *Hoc vitium in ſemine non potuiſſe reſidere, à quovis callidiſſimo dici non poteſt, cùm auctoritate divina ſuperetur; qua ipſa pars corporis ob hoc iuſſa amputari, ut hoc vitium purgaretur. Quod niſi eſſet in ſemine, ad parvulos (quibus circumciſione illâ corporis auferendum eſt) nullatenus perveniret.*

Lib. eodem c. 7.

Ac poſtea: *Secunda nativitati damnatæ Dei bonitas exhibetur, ut de maledicto ſemine rationalis natura formetur.*

Lib. eodem c. 19.

Vnde & alibi: *Si ſemen ipſum nullum habet vitium, quid eſt quod ſcriptum eſt in Libro Sapientiæ: Semen illorum erat maledictum ab initio?*

Lib. 2. c. 8. de nupt.

Et iterum contra Iulianum: *Quis Chriſtianus ignorat, quòd ille qui primum hominem fecit ex pulvere, omnes fabricetur ex ſemine? Sed ex ſemine iam vitiato atque damnato; quod partim per veritatem*

Lib. 3. c. 17 contra Iul.

veritatem remanet in ſupplicio, partim per miſericordiam liberatur à malo.

Et in Opere adverſus eundem imperfecto: *Naturâ bona ſunt ſemina; ſed vitiantur & ſemina, iiſque vitiatis propagantur & vitia.* Lib. 2. Oper. imperf.

Hoc autem vitium ſeminis dicit eſſe morbo, aut valetudini ſimile: *Ego tanquam valetudinem malam*, ait, *ex origine vitiata ingenitum eſſe homini dico vitium, quo caro concupiſcit adverſus ſpiritum.* Lib. 6. c. 17. contra Iul.

Poſtea epitheto, quod ei Iulianus ſuggeſſerat, *qualitatem affectionalem*, non *affectionem, vocat*: ſive ut Philoſophi jam loquuntur, *paſſivam qualitatem* tertiæ ſpeciei permanentem, non *paſſionem* tranſitoriam. Lib eodem c. 18.

Quæ, ut ibidem Auguſtinus, *de ſubſtantia ad ſubſtantiam non emigrando tranſit; ſed quodam operante contagio, id eſt concupiſcentiæ affectu; ſicut de parentibus morbidis morbida proles procreatur.*

Hinc alibi, trajectionem iſtius morbi in prolem, podagræ à parente in filium propagationi comparat: *Si quis intemperantiâ ſibi podagram faciat eamq́, tranſmittat in filios, quod ſæpe contingit; nonne rectè dicitur, in eos illud vitium de parente tranſiiſſe? Ipſos quoque hoc in parente feciſſe? Quoniam quando ipſe fecit, in illo fuerunt; ac ſic ipſi atque ille adhuc unus fuerunt. Fecerunt ergo non actione hominum, ſed ratione iam ſeminum.* Lib. 2. Oper. imperf.

Et profectò Iulianus ſic intellexit & accepit Auguſtini mentem. Vnde irridens interrogat eum: *Qui fieri poſſet, ut res arbitrij conditioni ſeminum miſceretur?* Cui, non negando, ſed concedendo, reſpondet Auguſtinus: *Si fieri non poſſet, non eſſet unde parvulos nondum de corpore egreſſos, mortuos diceremus.* Exiſtimat enim, ut antè dicentem audivimus, ſine vitio iſto & morbida qualitate ſemini inhærente, non poſſe vitium originale à parentibus ad parvulos utero matrum adhuc incluſos pervenire. Lib. 6. c. 9. contra Iul.

Conſentiunt Magiſtro ſuo omnes S. Auguſtini diſcipuli. Vnde S. Proſper inter errores Pelagianos ponit, quòd dicerent, primos parentes formâ tantùm & exemplo, non ſemine nocuos fuiſſe ſuæ proli. ——— *libertate malè uſi* Car. de Ingrat.

 Peccarunt,

Peccarunt, formâ nocui, non ſemine proli.

Hypog. lib 5. c. 4. Et Auguſtinianus ille Hypognoſtici Auctor: *Audite apertiùs ad ſugillationem veſtram, idipſum qualiter ex Hebræo verbo ſit in Latinum tranſlatum*, à S. Hieronymo: *Quis, ait, poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, nonne tu, qui ſolus es? Parentum ſordidatum* parvulum *dicit eſſe peccato; quorum ſunt immunda ſemina, non conditione naturæ, ſed prævaricantis vitio Protoplaſti.* (Iob. 14.)

Lib. 4. c. 7. Sordes verò iſtas & immunditiam ſeminum, *inquietam & mortiferam peſtem* antea appellaverat: quam primi parentes, ait, *in poſteros tranſmiſerunt, tanquam peccati ſui teſtimonium, hereditario jure dimittentes nobis.*

Lib. 1. c. 1. contra Iul. Nec alius S. Olympij ſenſus, quem S. Auguſtinus adverſus Iulianum citat: *Protoplaſti mortifera tranſgreſſione*, ait, *vitium ſparſum eſt in germine, ut peccatum cum homine naſceretur.* Et quid indicat aliud S. Ambroſius ab eodem memoratus, dum ait, in Chriſti conceptione, *Spiritum ſanctum immaculatum ſemen inviolabili utero infudiſſe?* Nam alia ſemina maculoſa eſſe ſatis apertè inſinuat, qui illud unicum immaculatum excipit.

Henr. Quodl. 1. q. 21. Eadem eſt multorum veterum Scholaſticorum, & ipſius Magiſtri Scholæ Petri Lombardi ſententia. *Dicendum ad hoc*, inquit veteris Sorbonæ ornamentum Henricus à Gandavo, *quòd in ſemine de quo formatur hominis corpus, non eſt originale peccatum, niſi quaſi in materiali radice, & quaſi quædam infectio morboſa exiſtens in ſemine, contracta à parentibus propter fomitem manentem in ipſis, in pœnam, poſt originalis ablutionem in eis.*

Gabr. 2. d. 31. q. 2. Similis ferè mens & ſenſus totius Scholæ Nominalium. Dicat pro omnibus Gabriel. *Quòd qualitas illa, ſeu fomes ſit in carne*, inquit, *probatur, quia illa eſt in ſemine, & corpore ſeminato, priuſquàm infundatur anima. Alioqui quomodò contraheretur à parente; cùm omnis actio parentum ceſſaverit ante animæ infuſionem?*

Arimin. 2. d. 30. q. 1. a. 2. Dicat & Gregorius Ariminenſis, Prior quondam Generalis Eremitarum S. Auguſtini, & ſenſuum ejuſdem S. Patris diligens & ſolers indagator. *Dicendum*, inquit, *quòd ex qualitate exiſtente in ſemine, ſimilis qualitas cauſetur in carne prolis, juxta illud Iobi, Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine?*

Imò S. Thomas qualitatem in ſemine etiam agnoſcit, licet eam

eam à virtute formativa, & naturali temperie ſeminis non diſtinguat. *Dicendum*, ait, *quòd in ſemine eſt corruptio originalis peccati non actu, ſed virtute; eo modo quo eſt ibi virtute humana natura. Quæ quidem virtus activa in ſemine, eſt in ſpiritu ſpumoſo, ut Ariſtoteles dicit in libr. de generat. animal.* D.Tho. q. 4. a. 1. de Malo.

Et Capreolus, ac Soncinas in Epitome Capreoli: *Peccatum originale*, inquit, *cauſatur in anima virtute ſeminis infecti, vel à carne infecta. Ratio eſt, quia peccatum contractum per originem cauſatur in anima virtute ejus quod trahitur per originem. Sed ſemen, vel caro infecta eſt hujuſmodi: Ergo.*

ARTICVLVS VIII.

S. Anſelmus à ſententia S. Auguſtini non recedit.

NEque S. Auguſtino, Magiſtro ſuo adverſatur S. Anſelmus, dum ait, hominem dici de immundo conceptum ſemine: *non quòd in ſemine ſit immunditia peccati, aut peccatum, ſive iniquitas; ſed quia ab ipſo ſemine, & ipſâ conceptione, ex qua incipit homo eſſe, accipit neceſſitatem, ut cùm habebit animam rationalem, habeat peccati immunditiam; quæ non eſt aliud quàm peccatum & iniquitas. Nam etſi ex vitioſa concupiſcentia, ſemine generetur infans, non tamen magis eſt in ſemine culpa, quàm eſt in ſputo, vel in ſanguine, ſi quis mala voluntate expuit, aut de ſanguine ſuo aliquid emittit: non enim ſputum aut ſanguis, ſed mala voluntas arguitur.* Et antea dixerat: *Si Adam & Eva generaſſent ſine præcedenti peccato, non tamen eſſet in ſemine juſtitia, nec eſſe poſſet, priuſquàm formaretur in viventem hominem. Si ergo ſemen hominis non eſt ſuſceptibile juſtitiæ priuſquàm fiat homo, non poteſt ſuſcipere originale peccatum antequam homo fiat. Nempe originale peccatum eſſe injuſtitiam dubitari non debet.* S. Anſel. lib. de concept. virgin. c. 7. Ibid. c. 3.

Per hæc, inquam, & ſimilia, quæ S. Anſelmus illo Libro & alibi ſpargit, S. Auguſtino minime contradicit. Non enim loquitur de toto, ut ſic dicam, peccato originis, ſed de ſublimiſſima & ſubtiliſſima ejus parte, quæ eſt veluti apex & anima ipſius, & quæ ſola propriè rationem culpæ habet, quam

S. Auguſtinus *reatum* peccati originalis nominat. Claré enim mentem ſuam explicat S. Anſelmus, dum ibidem addit: *Originale peccatum non eſt aliud quàm injuſtitia, id eſt, abſentia debitæ iuſtitiæ. Non enim videtur eſſe injuſtitia, niſi in natura, quæ cùm debet habere juſtitiam, non habet.*

Doctrina igitur S. Anſelmi eſt, peccatum originale, quantum ad formale, in quo propria ratio culpæ conſiſtit, non eſſe concupiſcentiam illam, quæ deletá per baptiſmum culpâ, manet; ſed eſſe ipſam privationem juſtitiæ, quæ nec in ſemine, nec in corpore, ſed in anima ejuſque voluntate inhæret.

S. Anſel. ibid. *Sciendum enim eſt*, addit S. Anſelmus, *quòd juſtitia non poteſt eſſe niſi in voluntate, ſi juſtitia eſt rectitudo voluntatis propter ſe ſervata; quare nec iniuſtitia. Non enim vocatur abſentia iuſtitiæ iniuſtitia, niſi ubi debet eſſe iuſtitia.*

Eodem quoque modo de peccato originali locuti ſunt Trid. ſeſſ. 5 Tridentini Patres, dum Anathemate feriunt illum, qui per gratiam baptiſmi, *reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam aſſerit, non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet.* Propria enim ratio peccati & offenſæ Dei in reatu culpæ conſiſtit. Vbi ſignanter & meditaté, vocabulo S. Auguſtini, *reatum* exprimunt; ne videantur ab ipſo, & S. Thomâ recedere, qui præter reatum culpæ, quæ eſt in anima, concupiſcentiam corporalem peccati originalis veluti partem materialem eſſe dicunt: quia Scriptura ſacra ſic loquitur, & ſic loqui, ac ſentire neceſſarium eſſe exiſtimant, ad explicandam culpæ originalis à parente in filium trajectionem.

Præcipua enim difficultas & lucta S. Auguſtini cum Iuliano & Pelagianis non tam fuit de partis materialis, quàm de partis formalis, ſeu de culpæ trajectione; præſertim ubi hæc in parentibus deleta eſt per baptiſmum.

Lib 6. c. 9. contra Iul. Inſultat enim ſæpe, & eum interrogat Iulianus, *Qui fieri poſſit, ut res arbitrij* (qualis eſt culpa, quæ à libero arbitrio Lib. 2. §. 8. Oper. imperf. originem ducere debet) *conditioni ſeminum miſceretur?* Et alibi, majore cachinno & elegantiori ſtylo dicit, Auguſtinum *in Eccleſijs prædicare, tantam eſſe vim peccati, ut ante membrorum formam,*

formam, ante initium adventumque animæ, iactis ſeminibus ſupervolans, in ſecretum matris invadat, & reos faciat naſcituros, ortuq; ipſo antiquior expectet culpa ſubſtantiam.

Vbi tamen, ut Hæreticorum mos eſt, nugas & fabulas miſcet, quas affingit Auguſtino. Non enim Auguſtinus docet, veram culpam ſupervolare, aut inhærere ſeminibus ante animæ rationalis adventum. Accidens enim non expectat, ſed ſupponit ſuum ſubjectum. Culpa autem, ſive quod in peccato originali formale eſt, animæ rationalis eſt accidens; cùm ſit carentia juſtitiæ debitæ ei ineſſe, ut à S. Anſelmo paulò antè audivimus.

Neglectâ ergo iſtarum fabellarum refutatione, Iuliano tantùm S. Ambroſij auctoritate & verbis reſpondet S. Auguſtinus: Quòd *unuſquiſque concupiſcentia voluptate concretus, & genitalibus viſceribus infuſus, & coagulatus in ſanguine in pannis involutus, priùs ſubeat delictorum contagium, quàm vitalis ſpiritûs munus hauriat.*

Alibi verò eidem reponit, illam culpæ trajectionem, *non facili ſive ratione, ſive ſermone explicari. Sed etſi*, addit, *nulla ratione indagetur, nullo ſermone explicetur; verum tamen eſt, quod antiquitus veraci fide Catholica prædicatur, & creditur per Eccleſiam totam.* Lib. 6. c. 5. contra Iul.

Et poſtea: *Quòd ſi contra vitium curioſitatis humanæ*, ait, *cui ſolent comprehenſa viloſcere, etiam hoc Deus, quemadmodum multa, ſic occultare voluit, ut id inveſtigare atque comprehendere humana coniectura non poſſit; idcóne contra Eccleſiam matrem veſtram ratiunculis veſtris, quaſi parricidalibus pugiunculis, debetis armari?* Ibid. c. 5.

Et ne hoc ſolum putetur in rerum natura eſſe hominibus incomprehenſibile, pergit: *Niſi autem, ſermonis longitudine*, inquit, *nollem fatigare Lectorem, iam te mille rerum generibus, quarum incomprehenſibilis ratio contra uſitatas naturæ vias, quaſi per deſerta opaca repit, obruerem; in quibus etiam degenerantia ſemina, non quidem in diſsimillimum genus (quia nec oleaſter ſic eſt ab olea diſcretus, ut vitis) ſed in quandam, ſi dici poteſt, ſimilem diſsimilitudinem; ſicut viti eſt labruſca diſsimilis, quæ tamen de ſemine vitis gignitur, multa monſtrarem.*

Vnde cùm *argumentis humanis*, ut Philoſophus Peripateticus, non

non *munimentis divinis*, trajectionem peccati originalis à parente juſto in prolem, oppugnaret Iulianus; Auguſtinus omiſſis pauliſper Scripturis ſacris, armis ſimilibus eum repetit, & multis rerum naturalium exemplis undique circumvenit.

Ibid. c. 6. 7. &c. Nonne enim ſæpe cauſæ naturales, inquit, partem aliquam addunt, aut qualitatem allinunt effectui, quâ tamen ipſæ carebant? Quid ergo tantopere mirum, ſi parens à peccato originali liber, filium peccato ſubditum generet?

Purgatur enim, ait, *à palea triticum, ſicut homo à peccato; & tamen inde cum palea naſcitur alterum. Quid præputij retinet circumciſus, de quo præputiatus tamen gignitur, & quod iam non eſt in homine, trahitur in hominis ſemine? Fundanus Carthaginis Rhetor, cùm ipſe accidenti vitio luſcus eſſet, luſcum filium procreavit.*

Et nonne etiam pinguis oleæ ſemen ſterilem tantùm oleaſtrum producit? Nonne generoſa vitis ignobilem labruſcam, non vitem ſibi ſimilem parit? *Et cur non credamus*, ſubdit Auguſtinus, *hoc ideo voluiſſe Creatorem, ut crederemus etiam ſemen hominis poſſe vitium de gignentibus trahere, quod in eis à quibus gignitur non eſt: ut ad eius gratiam, quâ homines eruuntur à poteſtate tenebrarum, & in regnum illius transferuntur, etiam baptizati cum ſuis parvulis currerent; ſicut tecum concurrit pater ſanctus* (Memorius Iuliani pater, Epiſcopus, & S. Auguſtino amicus) *neſciens eidem gratiæ quàm eſſes futurus ingratus?*

Cùm enim omnia iſta naturalia, & totus Mundus propter homines ſit à Deo conditus, quid mirum, ſi talibus naturæ exemplis nos ad fidem erudire voluerit?

Etſi verò talia exempla intellectum ad veritatis incunabula manu ducant, non tamen eam planè denudant.

Ratio ergo propria & fundamentalis eſt, quia parentes quantumvis juſti, per ſemen ſuum directè traijciunt in prolem concupiſcentiam habitualem, ſive partem peccati originalis quaſi materialem. Hæc autem eſt corporale quoddam pondus appetitum hominis inferiorem, & conſequenter (ubi gratia non reſiſtit) ſuperiorem ad res terrenas deprimens, & à Deo avertens.

Anima

Anima quippe *carni peccati aggravanda miſcetur, per carnem fit carnalis, & defectivo appetitu quodammodò corporaſcit, contagio peccati ex carne peccati obruitur, cùm membris inſeritur*, ut S. Auguſtinus toties diverſis locis inculcat; & denique antiquâ Tertulliani phraſi, *concretione carnis infucatur*. S. Aug. lib. 2. c. ult. & lib. 1. c. 33. de nupt. Contra Secund. c. 11. lib. 10. c. 16. de Geneſ. Tertull. c. 53. de anima.

Quia igitur tali in corpus ſuum & carnales affectus depreſſione, voluntas etiam & ſupremus animę apex à Deo habitualiter avertitur, in iſto apice formale peccati originis reſultat; quod nihil eſt aliud quàm illa habitualis averſio, ſive *reatus, culpa, peccati vinculum, injuſtitia, iniquitas, macula, mors animæ*, ut alibi eam S. Auguſtinus appellat. Quę quia Deo odioſa eſt & diſplicet, per baptiſmi gratiam ſolvi, elui, & extingui debet. Quod ubi factum fuerit, *Iam concupiſcentia ipſa non eſt in regeneratis peccatum*, ait divinæ gratiæ Magiſter. Nam deleto culpæ reatu, quæ in illo compoſito accidentario inſtar formæ erat, manet ſolùm id quod materiæ vicem gerit, ac veluti peccati originalis cadaver eſt. *Manet enim in vetuſtate carnis, tanquam ſuperatum & peremptum*, ait S. Auguſtinus. S. Auguſt. lib 1. c. 23. de nupt. Lib. 2. c. 28. de pec. merit.

ARTICVLVS IX.

Quidnam ſit illa morbida qualitas ſemini inhærens, qua generans prolem ſuam peccato originis inficit.

NVllibi dubitat S. Auguſtinus, quin noxia & inſtar morbi corporalis, qualitas à parentibus, vehiculo ſeminis in prolem tranſeat; ſed non ſatis liquet cujuſmodi eſſentiæ, aut qualem illam eſſe dicat. Nam hactenus tantùm, eam per hæc & ſimilia vocabula deſcribit: *Qualitas morbida, vitioſa, mortifera, peccati fomes, lex membrorum, infirmitas, languor, concupiſcentia, concupiſcentiæ morbus, &c.*

Guil. Occamus, cum ſua Nominalium Schola, à Gabriele citatus, eam ſic definit: *Fomes eſt qualitas carnis inordinata, inclinans appetitum ſenſitivum ad actum deformem & vitioſum in habente judicium rationis.* Gabr. 2. d. 31. q. 1.

Dubitat deinde, an à temperie humorum, & vitioſo cor-

Occam quodl. 3. poris temperamento diſtinguere eam oporteat. *Poteſt dici de fomite*, inquit, *ſicut de infirmitate corporali. Quia infirmitas cauſatur quandoque ex improportione humorum, imò eſt ipſa improportio humorum. Aliquando ex putrefactione ipſorum cauſatur aliqua qualitas* (ut venenum peſtis) *diſtincta ab humoribus. Eodem modo poteſt dici, quod ille fomes, ſive qualitas ſit aliquis humor, vel humores qui cauſantur à cauſis naturalibus: puta, quando Deus propter peccatum reliquit hominem ſuis naturalibus. Vel fortè eſt improportio humorum, vel aliqua qualitas diſtincta ab humoribus. Sed nullum iſtorum poteſt probari, vel improbari per rationem evidentem.*

Gregor. 2. d. 30. q. 1. Sed Gregorius Ariminenſis, ex eadem Nominalium claſſe, decernit eſſe qualitatem à tota naturali temperie diſtinctam: additque (ſecutus in hoc Pet. Lombardum) ab iſtâ peſtiferâ qualitate corporeâ ſimilem aliam ſpiritalem infectionem realem ac poſitivam, in animam propagari. Et hoc voluiſſe putat S. Auguſt. lib. 5. c. 4. contra Jul. S. Auguſtinum, cùm dixit, *animam in carne, tanquam in vitiato vaſe corrumpi.*

Si quæras, à qua causâ qualitas illa peſtifera imprimatur noſtræ carni? Reſpondet Gregorius Arim. *Ex flatu illius venenoſi ſerpentis, in quo Diabolus primos parentes tentavit.* Phraſim Lib. 4. c. 7. Hypogn. nempe metaphoricam Auctoris Hypognoſtici nimis propriè & ſimpliciter accipiens; ubi ait, *Sibila venenoſi ſerpentis, cuius callidis decepti ſunt blandimentis, hanc inquietam & mortiferam peſtem, eorum corpora concepiſſe;* ac inde tanquam à fonte in corpora poſterorum, ſeminis generationiſque propagine, defluxiſſe.

Sed Auctor ille Hypognoſt. per *ſibilum ſerpentis*, non flatum oris, quo ſerpentes venena phyſicè propagant, intellexit; ſed ſuaſionem Diaboli, ore ſerpentis factam, qua Evam, ac per eam maritum, in prævaricationem ſeduxit. Itaque, ne S. Auguſtini doctrinam, Philoſophorum & Medicorum calumnijs ex ſupervacuo obijciamus, qualitas illa venenata à toto naturali qualitatum primarum & ſecundarum temperamento diſtincta, S. Auguſtino neceſſaria non eſt, ut S. Thomas, Scotus, & alij adverterunt; ſed naturale ſeminis & humani corporis temperamentum, per juſtitiæ originalis ſubtractionem effrenatum & petulans, omnes noxas & totam infamiam illius

noxiæ

noxiæ & peſtiferæ qualitatis ſuſtinere poteſt. Atque hanc etiam eſſe S. Auguſtini mentem, varijs ejus teſtimonijs affirmare poſſumus.

Quid enim aliud indicat, cùm ait, animas quaſdam magis, aut minùs bonas, vel malas eſſe, *Vel moribus ſecundum liberum voluntatis arbitrium, vel differentiâ temperaturæ corporum; dum aliæ magis, aliæ minùs gravantur corpore, quod corrumpit & aggravat animam?* Ecce enim *temperaturæ iſti corporum*, epithetum iſtud, *corrumpere & aggravare animam*, jam tribuit, quod fomiti, ſeu peccato originis, prout eſt in carne noſtra, tribuere ſolet. S. Auguſt. lib. 10. c. 17 de Geneſ.

Et nonne idem alibi ſat clarè ſignificat, quando concupiſcentiam *accedente ſenectute multo maximè minui* ait? Quid enim eſt, quod ſenectus in corpore mutat, niſi fervidius temperamentum, quod ipſa frigore & humore ſuo largiter diluit? Lib. 1. c. 25 de nup.

Et alicubi iterum S. Auguſtinus, cùm varijs exemplis & imaginibus depinxiſſet: quomodo alij magis, alij minùs, corpore graventur (ut quòd *alij naturâ lenes, alij leviſſimis de cauſis, irâ facillimâ ardentes: alij in concubitu ita frigidi, ut vix omnino moveantur. alij libidinoſiſſimi, ut vix omnino teneantur, &c.* quæ ſpectant ad varietatem inclinationum, quibus concupiſcentia animas noſtras verſus terram, plùs, aut minùs deprimit;) addit in fine, *Medicos audêre iſta tribuere temperationibus corporum.* Ubi *audentes* eos appellat; quia etſi temperamenta corporum ſint cauſæ proximæ earum inclinationum, eſt tamen alius principalis auctor, Deus, *ſub cuius occulto judicio, nec injuſto*, ait, iſta eveniunt, & peccati originalis pœnis homines magis, vel minùs ad terram incurvantur. Lib. 4. c. 3. contra Iul.

Et ut expreſſiùs videas, S. Auguſtinum nullam qualitatem à naturali temperamento effreni & diſſoluto diſtinctam requirere, alicubi docet, ejuſmodi morbidam & mortiferam qualitatem, pecorum corporibus etiam ineſſe. *Hoc amiſſo ſtatu*, inquit, *corpus eorum duxit morbidam & mortiferam qualitatem, quæ ineſt etiam pecorum carni; ac per hoc etiam eundem motum qui fit in pecoribus concumbendi appetitûs, ut ſuccedant naſcentia morientibus.* Lib. 11. c. 32. de Geneſ.

Et alibi: *Etſi homo in honore poſitus, & non intelligens, comparatur pecoribus, eiſq́; ſimilis ſit; non tamen uſque adeo ſimilis ſit, ut pecus ſit.* Lib de pecc. orig. c. 40.

ſit. Comparatur namque per vitium, non per naturam; non pecoris vitio, ſed naturæ. Tanta namque excellentia eſt in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis natura ſit pecoris; nec tamen ideo natura hominis in naturam vertitur pecoris.

Quænam verò eſt illa qualitas pecori naturalis, quæ jam ſit vitium hominis? Non alia ſanè, quàm temperatura naturalis pecorini corporis, quæ naturaliter effrenis eſt, quia in tali corpore nullæ habenæ, nullum frenum eſt rationis. Non enim aliâ, neſcio quâ, qualitate venenatâ, ex efflatu cujuſquam ſerpentis, afflatæ ſunt beluæ.

Talis verò temperatura effrenis, vitium eſt hominis; quia, ut ex Ambroſio ſuo ait Auguſtinus, *Princeps & domina carnis naturaliter eſt anima, quæ domare carnem debet & regere.*

S. Auguſt. lib. 2. c. 8. contra Iul.

Naturale quippe eſt, ut ſpiritus dominetur carni, ſicut vir uxori. *Quid autem pejus domo,* ait Auguſtinus, *ubi femina habet imperium ſuper virum?*

Tract. 2. in Ioan.

Quia verò donum ſupernaturale gratiæ originalis hanc naturalem ſubjectionem carnis ad ſpiritum faciebat, ideò ablato per peccatum primi hominis iſto freno, temperies hominis incœpit eſſe brutalis, & appetitum inferiorem, ac dehinc ſuperiorem, huc illuc per omnes carnalium voluptatum concupiſcentias raptare. Nam *divinâ gratiâ non ſubveniente,* inquit Auguſtinus, *quid ſunt homines, niſi quod ait Apoſtolus Petrus, velut muta animalia procreata naturaliter in captivitate & interitu?* Catenâ enim originalis juſtitiæ ſolutâ, homo *velut indomita fera ruptis vinculis diſcurrendo ſævit,* ait S. Anſelmus. Vnde S. Thomas: *Peccatum originale, eſt quædam inordinata diſpoſitio, proveniens ex diſſolutione illius harmoniæ, in qua conſiſtebat ratio originalis iuſtitiæ: ſicut etiam ægritudo corporalis eſt quædam inordinata diſpoſitio corporis, ſecundum quam ſolvitur æqualitas, in qua conſiſtit ratio ſanitatis. Vnde peccatum originale languor naturæ dicitur.*

Lib. 2. c. 8. de nupt. 2. Pet. 2. S. Anſel. lib. de concept. virg. c. 5. S. Tho. 1. 2. q. 82. a. 1.

Hinc S. Auguſtinus, quoties libidinem, ſive concupiſcentiam bruti à concupiſcentia hominis diſtinguit, non aliud diſcrimen interponit, quàm quòd *Libido malum non ſit in beluis, quoniam non repugnat rationi, qua carent.* Item alibi: *Ideo in pecoribus malum non eſt concupiſcentia, quia non adverſus ſpiritum concupiſcit,*

S. Auguſt. lib. 4. c. 5. & 14. contra Iul.

concupiſcit, ſed eorum potiùs ſpiritum oblectat. Signum igitur eſt, quòd ex parte ipſius concupiſcentiæ, & ponderis quo appetitus ad concupiſcendum trahitur, ſit ſimilitudo & paritas; diſparitas verò ſolùm in eo, quòd in pecore non ſit ratio & rationalis ſpiritus, adverſus quem concupiſcentia beluina concupiſcat & rebellet.

Pondus autem concupiſcendi in beluis à temperamento venit; igitur ſimile temperamentum, ſine alia fictitia qualitate, ſufficiet ad deprimendum appetitum in hominibus.

Quantum enim momenti ad inclinandas hominum concupiſcentias habeat temperamentum humani corporis, ex Galeni libro, *Quòd mores animæ temperamentum corporis ſequantur,* diſcere licet. Vbi Galenus pondus, quo anima ſui corporis temperamentum ſequitur, perpendens, vehementer dubitat, an ipſa non ſit mortalis, *nec ſolùm gèrat morem corpori, ſed nihil aliud ſit, quàm corporis temperamentum.* Galen. lib. Quod mores &c.

Idem quoque temperamenti pondus & impetum, exemplis hominum ex bile, melancholiâ, aut calore Venereo furentium, vel temperamenti puerilis in virilem, aut ſenilem mutatione, cum maxima morum converſione, facilè intelligimus. Aliud quippe temperamentum & complexio corporis alias concupiſcentias & mores longè alios gignit. Vnde S. Thomas: *Soluto vinculo originalis iuſtitiæ, ſub quo*, ait, *quodam ordine omnes vires animæ continebantur, unaquæque vis animæ tendit in ſuum proprium motum, & tanto vehementiùs, quanto fuerit fortior. Contingit autem vires aliquas animæ eſſe fortiores in uno, propter diverſas corporis complexiones.* S. Tho. 1. 2. q. 82. a. 4.

Complexionum autem iſta diverſitas latet in ſemine, ſicut in ſcintilla, quæ futuri hominis totam complexionem accendit, & materiæ ſuæ corpulentiorem portionem ejuſque temperiem, in partium ſeminalium embryonis fabricam impendit. Et hoc eſt, ut opinor, vitium illud ſeminis, quod ut à S. Auguſtino antea audivimus, morbum concupiſcentialem, id eſt, complexionem & temperamentum quoddam effrene, in corpus prolis primùm, deinde privationem juſtitiæ in animam traijcit. Anima enim quæ tali vaſi primùm increatur & infundi-

Peccarunt, formâ nocui, non ſemine proli.

Hypog. lib 5. c. 4. Et Auguſtinianus ille Hypognoſtici Auctor: *Audite apertiùs ad ſugillationem veſtram, idipſum qualiter ex Hebræo verbo ſit in* Iob. 14. *Latinum tranſlatum*, à S. Hieronymo: *Quis, ait, poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, nonne tu, qui ſolus es? Parentum ſordidatum* parvulum *dicit eſſe peccato; quorum ſunt immunda ſemina, non conditione naturæ, ſed prævaricantis vitio Protoplaſti.*

Lib. 4. c. 7. Sordes verò iſtas & immunditiam ſeminum, *inquietam & mortiferam peſtem* antea appellaverat: quam primi parentes, ait, *in poſteros tranſmiſerunt, tanquam peccati ſui teſtimonium, hereditario jure dimittentes nobis.*

Lib. 1. c. 2. contra Iul. Nec alius S. Olympij ſenſus, quem S. Auguſtinus adverſus Iulianum citat: *Protoplaſti mortifera tranſgreſſione*, ait, *vitium ſparſum eſt in germine, ut peccatum cum homine naſceretur.* Et quid indicat aliud S. Ambroſius ab eodem memoratus, dum ait, in Chriſti conceptione, *Spiritum ſanctum immaculatum ſemen inviolabili utero infudiſſe?* Nam alia ſemina maculoſa eſſe ſatis apertè inſinuat, qui illud unicum immaculatum excipit.

Henr. Quodl. 1. q. 21. Eadem eſt multorum veterum Scholaſticorum, & ipſius Magiſtri Scholæ Petri Lombardi ſententia. *Dicendum ad hoc*, inquit veteris Sorbonæ ornamentum Henricus à Gandavo, *quòd in ſemine de quo formatur hominis corpus, non eſt originale peccatum, niſi quaſi in materiali radice, & quaſi quædam infectio morboſa exiſtens in ſemine, contracta à parentibus propter fomitem manentem in ipſis, in pœnam, poſt originalis ablutionem in eis.*

Gabr. 2. d. 31. q. 2. Similis ferè mens & ſenſus totius Scholæ Nominalium. Dicat pro omnibus Gabriel. *Quòd qualitas illa, ſeu fomes ſit in carne*, inquit, *probatur, quia illa eſt in ſemine, & corpore ſeminato, priusquàm infundatur anima. Alioqui quomodo contraheretur à parente; cùm omnis actio parentum ceſſaverit ante animæ infuſionem?*

Arimin. 2. d. 30. q. 1. a. 2. Dicat & Gregorius Ariminenſis, Prior quondam Generalis Eremitarum S. Auguſtini, & ſenſuum ejuſdem S. Patris diligens & ſolers indagator. *Dicendum*, inquit, *quòd ex qualitate exiſtente in ſemine, ſimilis qualitas cauſetur in carne prolis, juxta illud Iobi, Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine?*

Imò S. Thomas qualitatem in ſemine etiam agnoſcit, licet

eam

eam à virtute formativa, & naturali temperie ſeminis non diſtinguat. *Dicendum*, ait, *quòd in ſemine eſt corruptio originalis peccati non actu, ſed virtute; eo modo quo eſt ibi virtute humana natura. Quæ quidem virtus activa in ſemine, eſt in ſpiritu ſpumoſo, ut Ariſtoteles dicit in libr. de generat. animal.* D.Tho. q. 4 a. 1. de Malo.

Et Capreolus, ac Soncinas in Epitome Capreoli: *Peccatum originale*, inquit, *cauſatur in anima virtute ſeminis infecti, vel à carne infecta. Ratio eſt, quia peccatum contractum per originem cauſatur in anima virtute ejus quod trahitur per originem. Sed ſemen, vel caro infecta eſt hujuſmodi: Ergo.*

ARTICVLVS VIII.

S. Anſelmus à ſententia S. Auguſtini non recedit.

NEque S. Auguſtino, Magiſtro ſuo adverſatur S. Anſelmus, dum ait, hominem dici de immundo conceptum ſemine: *non quòd in ſemine ſit immunditia peccati, aut peccatum, ſive iniquitas; ſed quia ab ipſo ſemine, & ipsâ conceptione, ex qua incipit homo eſſe, accipit neceſſitatem, ut cùm habebit animam rationalem, habeat peccati immunditiam; quæ non eſt aliud quàm peccatum & iniquitas. Nam etſi ex vitioſa concupiſcentia, ſemine generetur infans, non tamen magis eſt in ſemine culpa, quàm eſt in ſputo, vel in ſanguine, ſi quis mala voluntate expuit, aut de ſanguine ſuo aliquid emittit: non enim ſputum aut ſanguis, ſed mala voluntas arguitur.* Et antea dixerat: *Si Adam & Eva generaſſent ſine præcedenti peccato, non tamen eſſet in ſemine juſtitia, nec eſſe poſſet, priuſquàm formaretur in viventem hominem. Si ergo ſemen hominis non eſt ſuſceptibile juſtitiæ priuſquàm fiat homo, non poteſt ſuſcipere originale peccatum antequam homo fiat. Nempe originale peccatum eſſe injuſtitiam dubitari non debet.* S. Anſel. lib. de concept. virgin. c. 7. Ibid. c. 3.

Per hæc, inquam, & ſimilia, quæ S. Anſelmus illo Libro & alibi ſpargit, S. Auguſtino minimè contradicit. Non enim loquitur de toto, ut ſic dicam, peccato originis, ſed de ſubli-miſſima & ſubtiliſſima ejus parte, quæ eſt veluti apex & anima ipſius, & quæ ſola propriè rationem culpæ habet, quam

S. Auguſtinus *reatum* peccati originalis nominat. Clarè enim mentem ſuam explicat S. Anſelmus, dum ibidem addit: *Originale peccatum non eſt aliud quàm injuſtitia, id eſt; abſentia debitæ iuſtitiæ. Non enim videtur eſſe injuſtitia, niſi in natura, quæ cùm debet habere juſtitiam, non habet.*

Doctrina igitur S. Anſelmi eſt, peccatum originale, quantum ad formale, in quo propria ratio culpæ conſiſtit, non eſſe concupiſcentiam illam, quæ deletâ per baptiſmum culpâ, manet; ſed eſſe ipſam privationem juſtitiæ, quæ nec in ſemine, nec in corpore, ſed in anima ejuſque voluntate inhæret.

S. Anſel. ibid. *Sciendum enim eſt*, addit S. Anſelmus, *quòd juſtitia non poteſt eſſe niſi in voluntate, ſi juſtitia eſt rectitudo voluntatis propter ſe ſervata; quare nec iniuſtitia. Non enim vocatur abſentia iuſtitiæ iniuſtitia, niſi ubi debet eſſe iuſtitia.*

Eodem quoque modo de peccato originali locuti ſunt Trid. ſeſſ. 5 Tridentini Patres, dum Anathemate feriunt illum, qui per gratiam baptiſmi, *reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam aſſerit, non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet.* Propria enim ratio peccati & offenſæ Dei in reatu culpæ conſiſtit. Vbi ſignanter & meditatè, vocabulo S. Auguſtini, *reatum* exprimunt; ne videantur ab ipſo, & S. Thomâ recedere, qui præter reatum culpæ, quæ eſt in anima, concupiſcentiam corporalem peccati originalis veluti partem materialem eſſe dicunt: quia Scriptura ſacra ſic loquitur, & ſic loqui, ac ſentire neceſſarium eſſe exiſtimant, ad explicandam culpæ originalis à parente in filium trajectionem.

Præcipua enim difficultas & lucta S. Auguſtini cum Iuliano & Pelagianis non tam fuit de partis materialis, quàm de partis formalis, ſeu de culpæ trajectione; præſertim ubi hæc in parentibus deleta eſt per baptiſmum.

Lib 6. c. 9. contra Iul. Inſultat enim ſæpe, & cum interrogat Iulianus, *Qui fieri poſſit, ut res arbitrij* (qualis eſt culpa, quæ à libero arbitrio originem ducere debet) *conditioni ſeminum miſceretur?* Et alibi, Lib. 2. §. 8. Oper. imperf. majore cachinno & elegantiori ſtylo dicit, Auguſtinum *in Eccleſijs prædicare, tantam eſſe vim peccati, ut ante membrorum formam,*

formam, ante initium adventumque animæ, iactis ſeminibus ſuper-volans, in ſecretum matris invadat, & reos faciat naſcituros, ortumque ipſe antiquior expectet culpa ſubſtantiam.

Vbi tamen, ut Hæreticorum mos eſt, nugas & fabulas miſcet, quas affingit Auguſtino. Non enim Auguſtinus docet, veram culpam ſupervolare, aut inhærere ſeminibus ante animæ rationalis adventum. Accidens enim non expectat, ſed ſupponit ſuum ſubjectum. Culpa autem, ſive quod in peccato originali formale eſt, animæ rationalis eſt accidens; cùm ſit carentia juſtitiæ debitæ ei ineſſe, ut à S. Anſelmo paulò antè audivimus.

Neglectâ ergo iſtarum fabellarum refutatione, Iuliano tantùm S. Ambroſij auctoritate & verbis reſpondet S. Auguſtinus: Quòd *unuſquiſque concupiſcentiæ voluptate concretus, & genitalibus viſceribus infuſus, & coagulatus in ſanguine in pannis involutus, priùs ſubeat delictorum contagium, quàm vitalis ſpiritûs munus hauriat.*

Alibi verò eidem reponit, illam culpæ trajectionem, *non facili ſive ratione, ſive ſermone explicari. Sed etſi*, addit, *nulla ratione indagetur, nullo ſermone explicetur, verum tamen eſt, quod antiquitus veraci fide Catholica prædicatur, & creditur per Eccleſiam totam.* Lib. 6. c. 5. contra Iul.

Et poſtea: *Quòd ſi contra vitium curioſitatis humanæ*, ait, *cui ſolent comprehenſa vileſcere, etiam hoc Deus, quemadmodum multa, ſic occultare voluit, ut id inveſtigare atque comprehendere humana conjectura non poſſit; ideóne contra Eccleſiam matrem veſtram ratiunculis veſtris, quaſi parricidalibus pugiunculis, debetis armari?* Ibid. c. 5.

Et ne hoc ſolum putetur in rerum natura eſſe hominibus incomprehenſibile, pergit: *Niſi autem, ſermonis longitudine*, inquit, *nollem fatigare Lectorem, iam te mille rerum generibus, quarum incomprehenſibilis ratio contra uſitatas naturæ vias, quaſi per deſerta opaca repit, obruerem; in quibus etiam degenerantia ſemina, non quidem in diſſimillimum genus (quia nec oleaſter ſic eſt ab olea diſcretus, ut vitis) ſed in quandam, ſi dici poteſt, ſimilem diſſimilitudinem; ſicut viti eſt labruſca diſſimilis, quæ tamen de ſemine vitis gignitur, multa monſtrarem.*

Vnde cùm *argumentis humanis*, ut Philoſophus Peripateticus, non-

non *munimentis divinis*, trajectionem peccati originalis à parente juſto in prolem, oppugnaret Iulianus; Auguſtinus omiſſis pauliſper Scripturis ſacris, armis ſimilibus eum repetit, & multis rerum naturalium exemplis undique circumvenit.

Ibid. c. 6. 7. &c. Nonne enim ſæpe cauſæ naturales, inquit, partem aliquam adduunt, aut qualitatem allinunt effectui, quâ tamen ipſæ carebant? Quid ergo tantopere mirum, ſi parens à peccato originali liber, filium peccato ſubditum generet?

Purgatur enim, ait, *à palea triticum, ſicut homo à peccato; & tamen inde cum palea naſcitur alterum. Quid præputij retinet circumciſus, de quo præputiatus tamen gignitur, & quod iam non eſt in homine, trahitur in hominis ſemine? Fundanus Carthaginis Rhetor, cùm ipſe accidenti vitio luſcus eſſet, luſcum filium procreavit.*

Et nonne etiam pinguis oleæ ſemen ſterilem tantùm oleaſtrum producit? Nonne generoſa vitis ignobilem labruſcam, non vitem ſibi ſimilem parit? *Et cur non credamus*, ſubdit Auguſtinus, *hoc ideo voluiſſe Creatorem, ut crederemus etiam ſemen hominis poſſe vitium de gignentibus trahere, quod in eis à quibus gignitur non eſt: ut ad eius gratiam, quâ homines eruuntur à poteſtate tenebrarum, & in regnum illius transferuntur, etiam baptizati cum ſuis parvulis currerent; ſicut tecum concurrit pater ſanctus* (Memorius Iuliani pater, Epiſcopus, & S. Auguſtino amicus) *neſciens eidem gratiæ quàm eſſes futurus ingratus?*

Cùm enim omnia iſta naturalia, & totus Mundus propter homines ſit à Deo conditus, quid mirum, ſi talibus naturæ exemplis nos ad fidem erudire voluerit?

Etſi verò talia exempla intellectum ad veritatis incunabula manu ducant, non tamen eam planè denudant.

Ratio ergo propria & fundamentalis eſt, quia parentes quantumvis juſti, per ſemen ſuum directè traijciunt in prolem concupiſcentiam habitualem, ſive partem peccati originalis quaſi materialem. Hæc autem eſt corporale quoddam pondus appetitum hominis inferiorem, & conſequenter (ubi gratia non reſiſtit) ſuperiorem ad res terrenas deprimens, & à Deo avertens.

Anima

Anima quippe *carni peccati aggravanda miſcetur, per carnem fit carnalis, & defectivo appetitu quodammodò corporaſcit, contagio peccati ex carne peccati obruitur, cùm membris inſeritur*, ut S. Auguſtinus toties diverſis locis inculcat; & denique antiquâ Tertulliani phraſi, *concretione carnis infacatur*. S. Aug. lib. 2. c. ult. & lib. 1. c. 33. de nupt. Contra Secund. c. 11. lib. 10. c. 16. de Geneſ. Tertull. c. 53. de anima.

Quia igitur tali in corpus ſuum & carnales affectus depreſſione, voluntas etiam & ſupremus animę apex à Deo habitualiter avertitur, in iſto apice formale peccati originis reſultat; quod nihil eſt aliud quàm illa habitualis averſio, ſive *reatus, culpa, peccati vinculum, injuſtitia, iniquitas, macula, mors animæ*, ut alibi eam S. Auguſtinus appellat. Quę quia Deo odioſa eſt & diſplicet, per baptiſmi gratiam ſolvi, elui, & extingui debet. Quod ubi factum fuerit, *Iam concupiſcentia ipſa non eſt in regeneratis peccatum*, ait divinæ gratiæ Magiſter. Nam deleto culpæ reatu, quæ in illo compoſito accidentario inſtar formæ erat, manet ſolùm id quod materiæ vicem gerit, ac veluti peccati originalis cadaver eſt. *Manet enim in vetuſtate carnis, tanquam ſuperatum & peremptum*, ait S. Auguſtinus. S. Auguſt. lib 1. c. 23. de nupt. Lib. 2. c. 28. de pec. merit.

ARTICVLVS IX.

Quidnam ſit illa morbida qualitas ſemini inhærens, qua generans prolem ſuam peccato originis inficit.

NVllibi dubitat S. Auguſtinus, quin noxia & inſtar morbi corporalis, qualitas à parentibus, vehiculo ſeminis in prolem tranſeat; ſed non ſatis liquet cujuſmodi eſſentiæ, aut qualem illam eſſe dicat. Nam hactenus tantùm, eam per hæc & ſimilia vocabula deſcribit: *Qualitas morbida, vitioſa, mortifera, peccati fomes, lex membrorum, infirmitas, languor, concupiſcentia, concupiſcentiæ morbus, &c.*

Guil. Occamus, cum ſua Nominalium Schola, à Gabriele citatus, eam ſic definit: *Fomes eſt qualitas carnis inordinata, inclinans appetitum ſenſitivum ad actum deformem & vitioſum in habente judicium rationis*. Gabr. 2. d. 31. q. 1.

Dubitat deinde, an à temperie humorum, & vitioſo cor-

Occam quodl. 3. poris temperamento diſtinguere eam oporteat. *Poteſt dici de fomite*, inquit, *ſicut de infirmitate corporali. Quia infirmitas cauſatur quandoque ex improportione humorum, imò eſt ipſa improportio humorum. Aliquando ex putrefactione ipſorum cauſatur aliqua qualitas* (ut venenum peſtis) *diſtincta ab humoribus. Eodem modo poteſt dici, quod ille fomes, ſive qualitas ſit aliquis humor, vel humores qui cauſantur à cauſis naturalibus: puta, quando Deus propter peccatum reliquit hominem ſuis naturalibus. Vel fortè eſt improportio humorum, vel aliqua qualitas diſtincta ab humoribus. Sed nullum iſtorum poteſt probari, vel improbari per rationem evidentem.*

Gregor. 2. d. 30. q. 1. Sed Gregorius Ariminenſis, ex eadem Nominalium claſſe, decernit eſſe qualitatem à tota naturali temperie diſtinctam: additque (ſecutus in hoc Pet. Lombardum) ab iſtâ peſtiferâ qualitate corporeâ ſimilem aliam ſpiritalem infectionem realem ac poſitivam, in animam propagari. Et hoc voluiſſe putat S. Auguſtinum, cùm dixit, *animam in carne, tanquam in vitiato vaſe corrumpi.* S. Auguſt. lib. 5. c. 4. contra Iul.

Si quæras, à qua causâ qualitas illa peſtifera imprimatur noſtræ carni? Reſpondet Gregorius Arim. *Ex flatu illius venenoſi ſerpentis, in quo Diabolus primos parentes tentavit.* Phraſim nempe metaphoricam Auctoris Hypognoſtici nimis propriè & ſimpliciter accipiens; ubi ait, *Sibila venenoſi ſerpentis, cuius callidis decepti ſunt blandimentis, hanc inquietam & mortiferam peſtem, eorum corpora concepiſſe;* ac inde tanquam à fonte in corpora poſterorum, ſeminis generationiſque propagine, defluxiſſe. Lib. 4. c. 7. Hypogn.

Sed Auctor ille Hypognoſt. per *ſibilum ſerpentis*, non flatum oris, quo ſerpentes venena phyſicè propagant, intellexit; ſed ſuaſionem Diaboli, ore ſerpentis factam, qua Evam, ac per eam maritum, in prævaricationem ſeduxit. Itaque, ne S. Auguſtini doctrinam, Philoſophorum & Medicorum calumnijs ex ſupervacuo obijciamus, qualitas illa venenata à toto naturali qualitatum primarum & ſecundarum temperamento diſtincta, S. Auguſtino neceſſaria non eſt, ut S. Thomas, Scotus, & alij adverterunt; ſed naturale ſeminis & humani corporis temperamentum, per juſtitiæ originalis ſubtractionem effrenatum & petulans, omnes noxas & totam infamiam illius

noxiæ

noxiæ & peſtiferæ qualitatis ſuſtinere poteſt. Atque hanc etiam eſſe S. Auguſtini mentem, varijs ejus teſtimonijs affirmare poſſumus.

Quid enim aliud indicat, cùm ait, animas quaſdam magis, aut minùs bonas, vel malas eſſe, *Vel moribus ſecundum liberum voluntatis arbitrium, vel differentiâ temperaturæ corporum; dum aliæ magis, aliæ minùs gravantur corpore, quod corrumpit & aggravat animam?* Ecce enim *temperaturæ iſti corporum*, epithetum iſtud, *corrumpere & aggravare animam*, jam tribuit, quod fomiti, ſeu peccato originis, prout eſt in carne noſtra, tribuere ſolet. S. Auguſt. lib. 10. c. 17 de Geneſ.

Et nonne idem alibi ſat clarè ſignificat, quando concupiſcentiam *accedente ſenectute multo maximè minui* ait? Quid enim eſt, quod ſenectus in corpore mutat, niſi fervidius temperamentum, quod ipſa frigore & humore ſuo largiter diluit? Lib. 1. c. 25 de nup.

Et alicubi iterum S. Auguſtinus, cùm varijs exemplis & imaginibus depinxiſſet: quomodo alij magis, alij minùs, corpore graventur (ut quòd *alij naturâ lenes, alij leviſſimis de cauſis, irâ facillimâ ardentes: alij in concubitu ita frigidi, ut vix omnino moveantur, alij libidinoſiſſimi, ut vix omnino teneantur, &c.* quæ ſpectant ad varietatem inclinationum, quibus concupiſcentia animas noſtras verſus terram, plùs, aut minùs deprimit;) addit in fine, *Medicos audêre iſta tribuere temperationibus corporum.* Ubi *audentes* eos appellat; quia etſi temperamenta corporum ſint cauſæ proximæ earum inclinationum, eſt tamen alius principalis auctor, Deus, *ſub cuius occulto judicio, nec injuſto*, ait, iſta eveniunt, & peccati originalis pœnis homines magis, vel minùs ad terram incurvantur. Lib. 4. c. 1. contra Iul.

Et ut expreſſiùs videas, S. Auguſtinum nullam qualitatem à naturali temperamento effreni & diſſoluto diſtinctam requirere, alicubi docet, ejuſmodi morbidam & mortiferam qualitatem, pecorum corporibus etiam ineſſe. *Hoc amiſſo ſtatu*, inquit, *corpus eorum duxit morbidam & mortiferam qualitatem, quæ ineſt etiam pecorum carni; ac per hoc etiam eundem motum qui fit in pecoribus concumbendi appetitûs, ut ſuccedant naſcentia morientibus.* Lib. 11. c. 32. de Geneſ.

Et alibi: *Etſi homo in honore poſitus, & non intelligens, comparatur pecoribus, eiſq́; ſimilis ſit; non tamen uſque adeo ſimilis ſit, ut pecus ſit.* Lib de pecc. orig. c. 40.

ſit. Comparatur namque per vitium, non per naturam; non pecoris vitio, ſed naturæ. Tantæ namque excellentiæ eſt in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis natura ſit pecoris; nec tamen ideo natura hominis in naturam vertitur pecoris.

Quænam verò eſt illa qualitas pecori naturalis, quæ jam ſit vitium hominis? Non alia ſanè, quàm temperatura naturalis pecorini corporis, quæ naturaliter effrenis eſt, quia in tali corpore nullæ habenæ, nullum frenum eſt rationis. Non enim aliâ, neſcio quâ, qualitate venenatâ, ex efflatu cujuſquam ſerpentis, afflatæ ſunt beluæ.

Talis verò temperatura effrenis, vitium eſt hominis; quia, ut ex Ambroſio ſuo ait Auguſtinus, *Princeps & domina carnis naturaliter eſt anima, quæ domare carnem debet & regere.*

S. Auguſt. lib. 2. c. 8. contra Iul.

Naturale quippe eſt, ut ſpiritus dominetur carni, ſicut vir uxori. *Quid autem pejus domo*, ait Auguſtinus, *ubi femina habet imperium ſuper virum?*

Tract. 2. in Ioan.

Quia verò donum ſupernaturale gratiæ originalis hanc naturalem ſubjectionem carnis ad ſpiritum faciebat, ideò ablato per peccatum primi hominis iſto freno, temperies hominis incœpit eſſe brutalis, & appetitum inferiorem, ac dehinc ſuperiorem, huc illuc per omnes carnalium voluptatum concupiſcentias raptare. Nam *divinâ gratiâ non ſubveniente*, inquit Auguſtinus, *quid ſunt homines, niſi quod ait Apoſtolus Petrus, velut muta animalia procreata naturaliter in captivitate & interitu?* Catenâ enim originalis juſtitiæ ſolutâ, homo *velut indomita fera ruptis vinculis diſcurrendo ſævit*, ait S. Anſelmus. Vnde S. Thomas: *Peccatum originale, eſt quadam inordinata diſpoſitio, proveniens ex diſſolutione illius harmoniæ, in qua conſiſtebat ratio originalis iuſtitiæ: ſicut etiam ægritudo corporalis eſt quadam inordinata diſpoſitio corporis, ſecundum quam ſolvitur æqualitas, in qua conſiſtit ratio ſanitatis. Vnde peccatum originale languor naturæ dicitur.*

Lib. 2. c. 8. de nupt. 2. Pet. 2. S. Anſel. lib. de con. cept. virg. c. 5. S. Tho. 1. 2. q. 82. a. 1.

Hinc S. Auguſtinus, quoties libidinem, ſive concupiſcentiam bruti à concupiſcentia hominis diſtinguit, non aliud diſcrimen interponit, quàm quòd *Libido malum non ſit in beluis, quoniam non repugnat rationi, qua carent.* Item alibi: *Ideo in pecoribus malum non eſt concupiſcentia, quia non adverſus ſpiritum concupiſcit,*

S. Auguſt. lib. 4. c. 5. & 14. contra Iul.

concupiſcit, ſed eorum potiùs ſpiritum oblectat. Signum igitur eſt, quòd ex parte ipſius concupiſcentiæ, & ponderis quo appetitus ad concupiſcendum trahitur, ſit ſimilitudo & paritas; diſparitas verò ſolùm in eo, quòd in pecore non ſit ratio & rationalis ſpiritus, adverſus quem concupiſcentia beluina concupiſcat & rebellet.

Pondus autem concupiſcendi in beluis à temperamento venit; igitur ſimile temperamentum, ſine alia fictitia qualitate, ſufficiet ad deprimendum appetitum in hominibus.

Quantum enim momenti ad inclinandas hominum concupiſcentias habeat temperamentum humani corporis, ex Galeni libro, *Quòd mores animæ temperamentum corporis ſequantur,* diſcere licet. Vbi Galenus pondus, quo anima ſui corporis temperamentum ſequitur, perpendens, vehementer dubitat, an ipſa non ſit mortalis, *nec ſolùm gèrat morem corpori, ſed nihil aliud ſit, quàm corporis temperamentum.* Galen. lib. Quod mores &c.

Idem quoque temperamenti pondus & impetum, exemplis hominum ex bile, melancholiâ, aut calore Venereo furentium, vel temperamenti puerilis in virilem, aut ſenilem mutatione, cum maxima morum converſione, facilè intelligimus. Aliud quippe temperamentum & complexio corporis alias concupiſcentias & mores longè alios gignit. Vnde S. Thomas: *Soluto vinculo originalis iuſtitiæ, ſub quo,* ait, *quodam ordine omnes vires animæ continebantur, unaquæque vis animæ tendit in ſuum proprium motum, & tanto vehementiùs, quanto fuerit fortior. Contingit autem vires aliquas animæ eſſe fortiores in uno, propter diverſas corporis complexiones.* S. Tho. 1. 2. q. 82. a. 4.

Complexionum autem iſta diverſitas latet in ſemine, ſicut in ſcintilla, quæ futuri hominis totam complexionem accendit, & materiæ ſuæ corpulentiorem portionem ejuſque temperiem, in partium ſeminalium embryonis fabricam impendit. Et hoc eſt, ut opinor, vitium illud ſeminis, quod ut à S. Auguſtino antea audivimus, morbum concupiſcentialem, id eſt, complexionem & temperamentum quoddam effrene, in corpus prolis primùm, deinde privationem juſtitiæ in animam traijcit. Anima enim quæ tali vaſi primùm increatur & infundi-

infunditur, hoc eſt corpori tam inordinatè compoſito & temperato, ut temperamenti & inclinationis ad res terrenas pondus, non ſubſit rationis imperio; meretur juſtitiâ originali carere, quam in primo parente natura humana aliter iuſtituta habuit, & peccato ſuo perdidit. Vnde carentia iſta juſtitiæ, per reſpectum ad peccatum quo natura in Adamo peccavit, induit rationem culpę habitualis. *Originale enim*, ait D. Thomas, *cùm ſit peccatum naturæ, eſt quædam inordinata diſpoſitio ipſius naturæ, quæ habet rationem culpæ, in quantum derivatur ex primo parente.* Atque hâc viâ & ratione non tam difficulter intelligitur, quomodo per ſemen, & generationem ac originem peccatum originale ad poſteros dimanet.

Idem 1. 2. q. 82. a. 1.

ARTICVLVS X.

Quomodo verum eſt quod docet S. Auguſtinus, morbidam concupiſcentiæ qualitatem pravâ conſuetudine augeri, continentiâ diminui.

HAnc loquendi phraſim quiſpiam non ſatis altè introſpiciens, putabit adverſari ijs quæ jam jam diximus. Certè enim temperies humani corporis non intenditur per pravam conſuetudinem & vitioſos habitus; nec per charitatem, aut alias virtutes remitti poteſt. Habitus enim ſunt in anima, temperies in corpore; gradus autem formæ qui ſe intendunt aut remittunt, in eodem proximo ſubjecto eſſe debent.

Augeri tamen malâ peccandi conſuetudine, concupiſcentialem morbum ſæpe dicit S. Auguſtinus. *Si quærat aliquis*, ait, *unde hoc ſit, quod dicit habitare in carne ſua non utique bonum, id eſt peccatum? Vnde, niſi ex traduce mortalitatis, & aſſiduitate voluptatis? Illud eſt ex pœna originalis peccati; hoc eſt ex pœna frequentati peccati. Cum illo in hanc vitam naſcimur, hoc vivendo addimus. Quæ duo, ſcilicet tanquam natura & conſuetudo coniuncta, robuſtiſſimam faciunt & invictiſſimam cupiditatem: quam vocat* Apoſtolus, *peccatum, & dicit habitare in carne ſua, id eſt, dominatum quendam*

S. Auguſt. lib. 1. q. 1. ad Simplic.

quendam & quaſi regnum obtinere. Ecce, quomodo conſuetudo prava roboret cupiditatem, ſeu concupiſcentiam illam, quam Apoſtolus peccatum in carne ſua habitans appellat.

De continentiâ verò, ſive concupiſcentiâ bonâ, ait etiam Auguſtinus, per eam imminui concupiſcentiam malam: & *minora* tunc adverſus eam *exerceri certamina, non virtutum diminutione, ſed hoſtili; nec deficiente pugna, ſed creſcente victoria. Et unde obſecro*, inquit, *niſi quia bona qualitas aucta, & mala minuta eſt?* Et alibi antè: *Neque anima in ſanctitate non proficit, cùm magis magiſq; minuit eas quibus non conſentit, carnales cupiditates.* Lib. 6. c. 18. contra Iul. Ibid. c. 14.

Quid ergo? Minuitur, aut mutatur corporis temperies, quando homo bonâ concupiſcentiâ pugnando, malam concupiſcentiam vincit?

Id fieri ſanè non eſt neceſſarium.

Vt autem hoc intelligatur, notandum eſt, noxiam illam qualitatem, quæ in ſemine, aut in carne noſtra eſt, vocari eatenus à S. Auguſtino peccatum originis, & concupiſcentiam malam, quatenus eſt habituale quoddam veluti pondus, appetitum hominis inferiorem, & quadam ſequelæ concatenatione voluntatem, ad amorem rerum terrenarum inclinans. Sub hac enim conſideratione, concupiſcentia appellatur.

Radix verò ejus prima, eſt qualitas ſeminis, quæ temperiem corporis humani accendit & temperat. Deinde temperies iſta corporis appetitum tam inferiorem, quàm ſuperiorem verſus terram inclinat. Et quia habitus pravi idem etiam faciunt, eòdemque inclinant, dicuntur augere illud concupiſcentiæ orginalis pondus; non intendendo ipſum additione gradûs ad gradum in eodem proximo ſubjecto; ſed accumulando vires, & multiplicando inclinationes verſus idem quaſi centrum. Quemadmodum ferè, ſi quis impulſu manûs adjutaret gravitatem lapidis, quâ verſus terræ centrum annuit.

Similiter quando concupiſcentia per actus charitatis, aut virtutum minui dicitur, non neceſſariò temperies corporis in ſeipſa mutationem accipit; ſed pondus ejus ſolùm refrenatur, ne voluntatem ad rerum terrenarum amorem tum potenter inclinet.

Ex

Ex quibus patet, ne quidem id quod materiale eſt in peccato orginali, eſſe propriè in ſemine, niſi tanquam in cauſa temperiei, & qualitatum corporis humani fœtûs. Hæc enim temperies corporis eſt quæ proxime animam inclinat, *affigitq; humi divinæ particulam auræ, & contagione peccati obruit, cùm his inſeritur membris*, ut loquitur S. Auguſtinus.

S. Auguſt. lib. 10. c. 16. de Geneſ.

Vnde etiam fit, ut proximorum parentum magis, aùt minùs vitioſæ temperies aggravent, aut relevent vetus peccati originis ab Adamo attractum pondus. Nam *ſicùt quidam parentes*, ait ex ſententia ſui Magiſtri S. Proſper, *aggravant originale peccatum; ita quidam relevant: ſed nullus tollit, niſi ille de quo dictum eſt, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit &c.*

S. Proſp. Sent. 306.

Patet deinde, quòd quamdiu materia hominis eſt ſub forma irrationalis embryonis, temperies illa reſpectu talis formę non magis ſit qualitas morbida & vitioſa, quàm ſit in brutis. Verùm ubi anima rationalis advenerit, jam incipit ei eſſe diſconveniens & morboſa, quia naturalis animæ dignitas poſtulat, ut temperamenti & appetitûs inferioris pondus imperio mentis ejus obediat. Hoc denique ad confuſionem vitandam notandum eſt. A multis nomine concupiſcentiæ intelligi ipſam potentiam animæ, quam appetitum inferiorem appellamus. Illa enim eſt, quæ temperamenti, aut pravorum habituum pondere depreſſa, inordinatè concupiſcit.

Sed S. Auguſtinus de concupiſcentia ſemper loquitur tanquam de pondere aliquo diſtincto ab anima, ac omnibus ejus potentijs. Vnde doctrinę & menti ejus conformiùs loquuntur, qui illam concipiunt inſtar habitualis cujuſdam qualitatis, quæ non ſit ipſe appetitus inferior animæ rationalis, ſed pondus potiùs eum, & appetitum ſuperiorem deprimens. Cujus ponderis & depreſſionis principium à temperamento corporis inordinato & inobedienti, à parte rei non diſtinguimus. Aliàs ſi appetitum inferiorem pondere iſto gravatum, ſive compoſitum accidentarium ex ipſa animæ potentia & pondere eam dèclinante, appellare concupiſcentiam lubet, de verbis non diſputamus: modò & in humano ſemine, & in corporis vitioſa qualitate, ejus mali radicem & originem eſſe fatearis.

fatearis. Quod S. Auguſtinus neceſſarium eſſe exiſtimavit, ut peccatum originale per naturalem originem ſeu generationem, à parentibus ad liberos tranſire dici poſſit.

ARTICVLVS XI.

An in ſemine femineo ſit etiam eiuſmodi qualitas morboſa.

DE vitio humani ſeminis, ſine diſcrimine loquitur Auguſtinus. Vnde non tantùm virile, ſed etiam femineum ſemen morbidâ qualitate infectum peccato primorum parentum eſſe cenſet. Cùm enim totum humani corporis in utroque ſexu temperamentum effrene & ſpiritui rebelle ſit, planè conſequens videtur, ut ſemen, quod in generationem confert femina, eodem vitio laboret. Quod omnino potiùs ſupponit, quàm probet Auguſtinus. Nam cùm Iulianus ex illo Apoſtoli, *Sicut per unum hominem peccatum intravit in Mundum* &c. imitatione, non generatione peccatum ab Adamo contrahi, *& moribus ad poſteros, non ſeminibus devehi*, *irrefutabiliter confectum eſſe* clamaret: quia aliàs dicere Apoſtolus debuiſſet, per duos, non *per unum hominem*, cùm *unus qui præbendæ imitationi ſufficit, generationi implendæ non ſufficiat*: Reſpondet Auguſtinus, quòd *ſicut initium peccati à muliere fuit, ſic initium generationis à viro eſſe. Prior enim vir ſeminat, ut femina pariat. Ideo* ergo *per unum* hominem peccatum intravit in Mundum, *quia per ſemen generationis intravit, quod à viro excipiens femina concipit. Quo more*, addit, *naſci noluit, qui ſolus ſine peccato ex femina natus eſt.* Vnde ſemine maculoſo feminæ etiam peccatum intraſſe ſignificat; etſi per virile ſemen intraverit priùs, quia vir generationem inchoat, ſemen effundendo in agrum feminæ, quod ipſa concipit. *Quamvis poſſem dicere*, addit poſtea, *ideo non duos, ſed unum hominem dixiſſe Apoſtolum, per quem peccatum intravit in Mundum; quia duo ſunt una caro, maximè quando vir adhæret uxori & initur concubitus.*

Rom. 5.

Lib. 2. Oper. imperf.

Quod & alibi olim dixerat: *Sive à muliere initium peccati, ſive ab Adam*, inquit, *dicatur, utrumque ad primum hominem pertinet*: quoniam,

Lib. 1. c. 16. de pecc. merit.

quoniam, ſicut novimus, mulier ex viro eſt, & utriuſque caro una eſt. Vnde & illud ſcriptum eſt, Et erunt duo in carne una. Igitur jam non duo, inquit Dominus, ſed una caro.

S. Anſel. c.9. de conc. cepu. virg.

Et S. Anſelmus magis adhuc diſertè & enucleatè Magiſtri ſui verba enarrans: *Illa duorum hominum copula tota intelligitur,* inquit, *in nomine principalis partis; ſicut ſæpe per partem totum ſolet ſignificari.* Hæc apertè indicant, utriuſque vitioſo ſemine & concurſu peccatum in Mundum intraſſe. Vnde alibi ait, *vulnere quod per duorum hominum liberum arbitrium factum eſt, totum genus humanum claudicare.* Vbi *duorum*, non *unius* tantùm, dicit, quaſi femina perinde atque vir, illius claudicationis ſit cauſa.

S. Aug lib. 4 c.16. contra Iul.

Hæc etiam intelliges, ſi advertas, quòd locũ illum Apoſtoli, *Per unum hominem peccatum intravit in Mundum*, non ſic accipiatur ab Auguſtino & diſcipulis, quaſi intraverit, quando perpetratum eſt; ſed quando per utriuſque concubitum & generationem in poſteros fluxit. Et hoc ſanè ſubtiliter. Nam prius eſt, peccatum fieri, quàm aliquò intrare, ſi præciſione ſubtili loqui volumus. Sic aqua fontana intrat in alveum & in flumen vertitur, non quandiu in fonte ſuo manet, ſed quando inde effluit. Sententia igitur Auguſtini & Anſelmi videtur eſſe: non tantùm per Adami, ſed etiam per Evæ ſemen, peccatum originale tranſiſſe ad poſteros; quia unicum totale principium generationis eſt, conflatum ex utroque ſexu. Licet vir ſit principale, & ab eo per effuſionem ſeminis inchoetur generatio, ideoque dixerit Apoſtolus, per unum hominem peccatum in Mundum intraſſe. Semen tamen ejus ſolitarium, ſicut ad generationem valere nihil potuit, ita nec peccatum propagare in poſteros valuit. Semen igitur ejus immundum, per immundam feminæ cloacam tranſeundo, feminino ſemini immundo commixtum fuit, & utrumque in una maſſa immunda fermentatum, ad poſteros peccatum detulit: ut valde fallatur Iulianus, cùm *non ſeminibus fuiſſe devectum* dixit.

Ex his videtur confici, naturam humanam non ſufficienter & plenè, tanquam in ſemine ſuo & fonte, conditam fuiſſe in ſolo Adamo, ſed feminam quoque addi oportuiſſe, ut

naturæ

naturæ fons impleretur, qui in poſteros poſſet manare. Et idcirco Deus condito viro dixit, *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum; faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.*

Vnde ſapientiſſimi hodie Medicorum refellunt, quod vulgò tanquàm ab Ariſtotele & Galeno traditum, jactari ſolet: feminam eſſe *marem occaſionatum, naturæ errorem & monſtrum. Hæc enim Ariſtotelis & Galeni opinio nobis non probatur*, ait Laurentius. *Naturam enim in femina, non minùs quàm maris generationem intendere exiſtimamus; & feminam naturæ erratum ac prolapſionem dicere, indignum eſt Philoſopho.* Quid ita? *Nam feminam*, inquit, *neceſſariò creari decuit, quæ & locum excipiendo concipiendoq; ſemini præberet, & materiam eidem fovendo, alendo, augendoque conferret.* Andr. Laurent. lib. 8. q. 1. Anatom.

Quæ etiam SS. Patrum, & in primis S. Auguſtini Philoſophia eſt. *Adiutorium quippe homini*, inquit, *ſecundum ipſum, fuiſſe faciendum, æterna ipſa veritas habet, per quam creata ſunt omnia.* Adjutorium autem iſtud, *propter filios procreandos* eſſe dicit: *ſicut adiutorium ſemini terra eſt, ut virgultum ex utroque naſcatur.* S. Auguſt. lib. 9. c. 2. de Geneſ.

Si ergo natura humana in duobus hominibus condi debuit, & utriuſque ſemen ad naturalem ejus propagationem neceſſariũ fuit, videtur quòd ſolius etiam feminæ peccatũ noſtram originem infeciſſet. Nam amiſsâ juſtitiâ originali, Eva ſemen morbidum ad generationem Caini contuliſſet, quod ſano Adami ſemini permixtum & fermentatum, totam generationis maſſam corrupiſſet; quemadmodum unius ſolius parentis, etiam matris, podagra, calculus, aut alius hereditarius morbus ſæpe in filios tranſit.

Cenſet enim ubique Auguſtinus, ſimili ferè modo concupiſcentiæ morbum, atque iſtos hereditarios morbos, naturaliter ad prolem pervenire. Quomodo enim, inquit, parens mortalis niſi mortalem filium, infirmus infirmum, ac ſimilis ſimilem generaret? *Vt enim meliores gigneret*, inquit, *quàm ipſe eſſet, non erat æquitas.* S. Auguſt. lib. ,c. 20. de libero arb

Et apertè ſic rem iſtam & Magiſtrum ſuum intellexit S. Anſelmus. Vnde Evâ ſolâ peccante, ad avertendam à poſteritate labem originalem, alium modum non invenit, quàm ſi Deus alteram feminam innocentẽ Adamo ad propagationem

S. Anſel: c.9. de concept. virg. crearet. *Si non Adam*, inquit, *ſed ſola Eva peccaſſet, non neceſſe erat, totum humanum genus perire, ſed ſolam Evam. Poterat namque Deus de Adam, in quo ſemen omnium creaverat, aliam facere mulierem, per quam de Adam propoſitum Dei perficeretur.*

Ecce, ſi Adam innocens cum peccatrice Eva concubuiſſet; quomodo exiſtimet, totum genus humanum in poſteris periturum fuiſſe, ideoque alia muliere fuiſſe opus?

Lovan. in Not. ad lib. 1. c. 16. de pecc. merit. Huc quoque noſtri Lovanienſes in Notis ad Auguſtinum videntur inclinare. Et apertè Hypognoſtici Auctor: *In illis unis* (Adam & Eva) *omnes eramus*, inquit, *quia natura humani generis erant; ſicut in omnibus nobis illi uni ſunt, quia natura eorum ſumus.* Lib. 2. c. 2. Hypogn.

S. Tho. 1. 2. q. 81. a. 5. Contrà tamen cenſuit S. Thomas, argumento quòd femina materiam tantùm, non vim efficientem ad generationem conferat. Sumpſit verò hoc ab Ariſtotele, quem nimiſquàm magni ubique facit.

Attamen dogma iſtud à Galeno & Medicis paſſim refellitur, ut Artic. III. vidimus. Maternum enim ſemen ſpiritu etiam ſuo artifice conſtat, licet imbecilliori quàm virile. Nam ſæpe conformat fœtum uſque ad ſimilitudinem matris, quam proles vultu & temperamento refert. Imò in congreſſu animalium diverſæ ſpeciei, ut rerum iſtarum curioſi notant, femina ſolet ſpeciem ad ſe trahere. Nam ex ove & capro non capra, ſed ovis duriore lanâ; & ex capra & ariete, capella molliori pilo gignitur. Hoc autem evenit, quia mater & vim efficientem conformatricem, & plurimum materiæ ad prolis coagulationem contribuit. Vbi autem naſcitur animal diverſæ ſpeciei ab utroque parente (ut ex aſino & equâ mulus) plurimum etiam de matre proles habet. Muli quippe recalcitratio, pertinacia, & generoſitas à matre equa eſt, etſi patientia laborum ab aſino patre.

Deinde licet ſemen maternum non magis, quàm ſanguis menſtruus, activum eſſet, tamen omnis materia fœtûs, ſive ſanguinea, ſive ſeminalis, temperiem ſuam quam vehit, in coagulum & fabricam fœtûs invehit; indeque eſt, ut proles tam maſcula, quàm feminea non rarò, temperamenti ſimilitudine

ad ma-

ad matrem propiùs quàm ad patrẽ inclinet. Et hinc colligitur, non opus eſſe activitate, ut proles temperiem matris ſanam, aut morboſam contrahat, ſed ſufficere, ut ſemen, aut ſanguis menſtruus matris, quæ ſunt primordia naturalis generationis, temperamentum ſuum conferat, & materiam ſic temperatam artifici ſemini patris figurandam & conformandam objiciat.

Si ergo Eva peccatrix temperamentum materiæ, peccato vitiatam conferat, cur tota prolis temperies vitioſa non erit? Sit etenim Adami innocentis ſanum ſemen, vincetur tamen ejus ſinceritas, uxorij ſeminis contaminatione; cùm bonum ex integra cauſa conſtet, malum ex ſingulis defectibus, ut S. Dionyſij & vulgare Philoſophorum axioma habet.

Et ita diſertè ſentit Henricus, qui indifferenter pronunciat contrahendum originale, *ſive ſemen unius parentis, ſive amborum* infectum ſit. Licet in hoc altero, contra S. Thomæ & communem ſententiam erret, quòd neget neceſſarium eſſe, ut infectio iſta per naturalem generationis viam in poſteros defluat; ſed *quòd is qui per miraculum ex aliqua parte hominis infecti generaretur, peccatum originale contraheret.* Henric. Quodl. 2. q. 21.

Nihilominùs doctrina S. Thomæ (Quòd Evâ ſolâ prævaricante, peccatum originis in poſteros non tranſijſſet) ſine mixturâ illâ falſæ opinionis Ariſtotelis, aliter ſuſtineri poteſt. Si videlicet Adam ſolus conſideretur ut caput humani generis, & Eva ut collum potiùs, quàm pars capitis. Nam ex Adamo re vera etiam profluxit Eva; & licet non communi naturalis generationis fluxu, attamen eo modo quo potuit. Quia enim ſine feminâ aliâ generare eam Adamus non poterat, ex ipſo tanquam ex trunco Eva excîdi debuit. Et in hoc divina ſapientia tam propè ad modum naturalem acceſſit, quàm fieri potuit. Imò modus ille primæ conditioni & creationi humanæ naturæ maximè connaturalis & conſentaneus fuit.

Sicut ergo unicuique individuo Angelo, cujus natura in ipſo ſtat, nec generatione ultrà propagari poteſt, gratiam pro ipſo tantùm ſervandam, Deus in prima creatione dederat; ita uni homini Adamo pro ſe, & totâ naturâ humanâ, quæ in

ipſo continebatur, ut in fonte naturalis generationis, & etiam ut in trunco, ex quo prima femina exſcindi deberet: per quam deinde tanquam per collum generatio naturalis à capite illo virili in poſteritatem flueret.

Vnde ſi Eva ſola peccaſſet, juſtitiam tantùm ſibi amiſiſſet; quia pro ſe ſolâ ſervandam acceperat. Semen tamen Adami purum per impurum feminæ canalem tranſire debuiſſet, ideoque divina potentia feciſſet, ut fortius virile ſemen feminei ſeminis impuritatem vinceret; quia indecens erat, ut innocentis capitis ſemen propter mixturā alterius, temperamentū vitioſum & concupiſcentiam in poſteros tranſmitteret.

Aut certè, ut ſuſpicatur S. Anſelmus, aliam uxorem ei ſimilem, & innocentem Adamo fabricaſſet.

Nec huic S. Thomæ doctrinæ S. Auguſtinus, credo, magnoperè repugnaret. Solùm enim dixit, Evam facto ipſo, unà cum Adamo, morbidam temperamenti ſui qualitatem in filios trajeciſſe; non diſputans, an privatio juſtitiæ originalis ei conjuncta, ex ſemine ipſius partim, an ex ſolius Adami in animam prolis reſultaverit: nec quid futurum fuiſſet, ſi ipsâ peccante, Adam in innocentia permanſiſſet.

Cùm verò tam ſæpe (ut auctarium hoc etiam adijciam) dicit & replicat Auguſtinus, concupiſentiam in prolem traduci per concupiſcentiam Veneream quæ in congreſſu ſe miſcet, tantùm vult, quantum opinor, effreni illa parentum ſeminatione, quæ à concupiſcentia actuali Venereâ imperatur, temperamentum ſeminis etiam effrene effundi, & modum illum ſeminandi, eſſe morboſi ſeminis indicium. Reſpicit enim ad modum concumbendi ſtatûs innocentiæ, quando longè aliter quàm jam, voluntas rationalis membra illa moveret, tanquam manum, & tam tranquillè illis ſeminaret, quàm manu agrum. Sicut ergo tranquillitas illa, ſani ſeminis eſſet indicium; ita nunc effrenitas ſignum eſt morboſi. Aliàs, ſi dæmon ſine delectatione Venerea virile ſemen proſtatis eximeret, & tranſfunderet in feminam (quomodo aliquos genitos quidam referunt) proles nihilominus vitium originale contraheret, *vitio propagante vitium*, ut loquitur Auguſtinus, *Deo creante naturam*.

Lib. 2. Oper. imperf.

naturam. Vitium enim iſtud ſemini inſidet, quomodocumque eximatur, & vitium alterum ſimile vulgat in prolem. Satis diſertè hoc mecum Hypognoſticus, dum ait, *Vitium Protoplaſti trahi non poſſe, neque ineſſe homini, ſine ſeminis effuſione*: ſignificans, modò ſemen illud immundum det *eſſe homini*, ſatis eſſe, ut contrahatur peccatum originale. Vnde mox Chriſtum ab ea labe eximens, *Solus autem Chriſtus*, ait, *abſque ſemine ex Virgine factus eſt homo, & expers delicti, natus eſt Deus homo*: iterum indicans, ſi factus eſſet ex tali ſemine, quomodolibet effuſo, ſecundum legem Dei ordinariam (niſi aliter eximeretur) habiturum originale. Aliud verò de ſemine Virginis matris, in quo concupiſcentiæ morbus & peccati fomes extinctus erat. Vnde mundum, perinde ac ejus ſanguis fuit, nec periculum, ne inde Chriſti conceptio labem contraheret. Sed etſi ſemen utriuſque etiam parentis morbidum eſſet, ut S. Ioachimi & S. Annæ, ex quibus concretum eſt corpus Virginis; facilè tamen intelligitur, quomodo macula originalis evitari poſſit, ſi animæ primo creationis inſtanti gratia ſanctificans infundatur, ſive interim concupiſcentiæ fomes unà refrenetur, ſive laxatus maneat. Originali tamen maculâ non careret proles illa quæ ſine concubitu conciperetur, utero feminæ virile ſemen attrahente è balneo, in quo vir antè ſe pollucrat. Quod olim factum Auerroes narrat, etſi multi Medicorum ut fabulam rejjciant.

Hypogn. lib. 2. c. 8.

ARTICVLVS XII.

An pudor concubitûs, & partium verendarum, ex peccato primi parentis ortum habuerit.

S. Auguſtinus centies & conſtantiſſimè Iuliano & Pelagianis, cum clamore, & tanquam rem in ſacra Scriptura perſpicuè lucentem, id affirmat & inculcat. *Quare illud opus coniugatorum*, clamat alicubi, *ſubtrahitur & abſconditur etiã oculis filiorũ, niſi quia non poſſunt eſſe in laudanda commixtione, ſine pudenda libidine?* Ac deinde: *Itane verò humana opera pudenda*

S. Aug. lib. 1. c. 6. de nupt.

Ibid. c. 6.

pudenda eſſe non debent, ſed planè glorianda, & divina (commixtio maris & feminæ *) pudenda ſunt? Quid potuit Deus facere, quod eius prædicatorem (* Moyſem *) pudeat dicere? Et quod eſt gravius, pudeat hominem alicuius operis, quod non homo, ſed Deus fecit in homine: cùm omnes opifices, quanto poſſunt labore & induſtria id agant, ne de ſuis operibus erubeſcant? Sed profectò illud nos pudet, quod puduit primos illos homines, quando pudenda texerunt.*

Gen. 2. v. 24.

Rident tamen hæc Medici nonnunquam aut Philoſophi; quod Theologos quoſdam nimis Philoſophos etiam facientes vidimus. Nam in naturæ puræ ſtatu, inquiunt, motus pudendorum qualis nunc, eſſet, ac perinde pudendus, licet nemo peccaſſet. Secretum quoque concubitùs vir & uxor quærerent, & velarent quæ jam velamus. Naturalis enim inhoneſtas illarum partium ſatis eſt ad velamen, ſicut & partium oppoſitarum, ſuper quas ſedemus.

Et eos adjuvare poſſumus, Medicè indagando unde proveniat cauſa involuntarij motûs genitalium, in quo Auguſtinus totam materiam pudoris ponit. Nam ſanguis & ſpiritus per venas & arterias ſeminales ad teſtes attracti, & ibi in ſemen excocti, poſtea per vaſa ſeminalia ad proſtatas tranſmittuntur; ubi tanquam cataractis retinentur, donec ad generationem exiliant, aut inquieto, quo ſemen turget, ſpiritu partes pudendas commoveant. Hæ autem omnes trajectiones & motus, merè naturales eſſe videntur, & perinde locum habituri in quocumque naturæ ſtatu.

Et ſanè ſic exiſtimabunt plerique omnes Philoſophi, & maximè Peripatetici, Pelagianorum familiares. Ideo enim, ut opinor, S. Heron. Porphyriũ *Pelagij contubernalẽ* vocat. Hi quippe ad Dei ſapientem providentiam, qua Mundum, & præſertim nobiliſſimam ejus partem, hominem μικρόκοσμον regit, oculos minimè attollentes, & hominis corpus ac organa per Anatomiam, ut laniones excoriatum vitulum, inſpicientes; ex ſimilitudine organorum putaverunt tam naturaliter in homine, quàm in pecude, motus iſtos ſeminis & pudendorum ire & adminiſtrari. Sed mirabiliter decepti ſunt, immortalitatem nobilitatemque animæ rationalis aut ignorantes, aut non illis oculis

S. Hieron. ad Cteſiphont.

oculis, quibus par erat, eam contemplantes. Nobiliſſimus enim ſpiritus aliter & honeſtiùs in corpore iſto, quamvis luteo & ſimillimo brutis, hoſpitari debuit. Sic enim Princeps aliquis, in tugurio ruſticano quandoque hoſpitatur; ſed decentiùs tamen ornato, & in quo obedientiùs ad nutum ejus omnia currunt, quàm ſi vilior alius hoſpes intraviſſet.

Habeat ergo anima rationalis domum & ſupellectilem brutam, ventriculũ caninum, hepar bovinum, renes ovinos, alvum porcinam; in ſummo tamen ejus apice Princeps mens ſedet, cujus nobilitas poſtulat, ut ſupellex & miniſtri familiæ aliter & obedientiùs ei ſerviant, quàm ignobilibus brutorum formis.

Sic ergo homo initio conditus eſt, ut Dei imaginem decebat, refrenatis per juſtitiam originalem concupiſcentiæ motibus, ut nihil appetitui libêret, niſi quod voluntati placeret; & omnia externa membra ſub imperio dominæ voluntatis manerent, quamdiu ipſa ſub Dei.

Poſtquam autem natura in primo parente, à Deo per inobedientiam receſſit, cetera quidem membra, ut manus, pes, caput &c. adhuc ſequuntur imperium voluntatis, *exceptis tamen genitalibus*.

Cor autem & virile membrum ſunt tanquam duo animalcula, ut ait alicubi Ariſtoteles, in majori animali homine, quæ proprios ſuos habent motus, neque eos accipiunt ab imperio voluntatis, quæ ceterorum membrorum motus regit. Nam neque cor, neque membrum illud voluntarijs nervis moventur, qui à cerebro & ſpinæ medullâ oriuntur, ſed alijs ſibi peculiaribus. Vnde inſeruntur animali, ut Planetæ ſuis Epicyclis; quorum quidem latione de loco in locum transferuntur, interea tamen ſuis etiam privatim motibus agitantur. S. Auguſt. Lib. 4. c. 5. contra Iul.

Nam quia cordis motus neceſſarius erat ad vitam animalis, in homine primùm condito non magis, quàm jam in nobis, ceſſare debuit. Motus autem genitalium Venereus ad ſolam ſpeciei propagationem utilis erat; ideóque in ſtatu primæ innocentiæ, voluntati ſubijci potuit, imò debuit; quia hoc tranquilla felicitas illius ſtatus exigebat, ſi Auguſtino centies id inculcanti credimus.

Et nonne Scriptura ſacra in primis & innocentibus illis parentibus, motus illos frenatos fuiſſe ſatis apertè indicavit, ubi demum poſt peccatum, & amiſſum juſtitiæ originalis frenum, nuditatem ſuam erubuiſſe dicit? *Cur enim ex illis membris confu-* Lib. 1. c. 5. de nupt. *ſio poſt peccatum,* inquit Auguſtinus, *niſi quia extitit illic indecens motus? Quem, niſi homines peccaſſent, procul dubio nuptiæ non haberent.* Ecce quomodo non dubitet, & procul omni dubio habeat, non futurum motum illum genitalium inobedientem, ideoque nec indecentem, ſi peccatum non eſſet. Vnde alibi: Lib. 14. c. 23. Civit. *Hunc reniſum, hanc repugnantiam, hanc voluntatis & libidinis rixam, vel certè ad voluntatis ſufficientiam libidinis indigentiam, procul dubio, niſi culpabilis inobedientia pœnali inobedientiâ plecteretur, in Paradiſo nuptiæ non haberent.*

Lib. 1. c. 15. ad Bonif. Et ad Bonifacium: *Reſpondemus,* inquit, *motum genitalium, & ut verbo ejus* (Iuliani) *virilitatem, ſine qua non poteſt eſſe commixtio, Deus ſic inſtituit, ut nihil haberet pudendum. Non enim fas fuit, ut ejus erubeſceret creatura de ſui opere Creatoris*: ſed inobedientia membrorum *ſupplicio juſto primis hominibus inobedientibus reddita eſt; de qua erubuerunt, quando folijs ficulneis pudenda texerunt, quæ prius pudenda non fuerunt.*

Quomodo igitur in illo ſtatu parentes filios ſuos ſeminaſſent? *Membra illa,* inquit, *voluntati, ut cetera cuncta ſervirent. Ita genitale aruum vas in hoc opus creatum ſeminaret, ut nunc terram manus.* Sicut igitur ſeminator ad nutum voluntatis manum implet, & ſpargendo vacuat; ita tunc pari nutu & immorâ mentis tranquillitate, genitali ſemine membrum ſuum è proſtatis genitor impleret, & quò natura ducit, ſpargeret. Alibi hanc ſeminationem, voluntariæ urinæ effuſioni comparat. Lib. 2. c. 31 de nupt. *An non etiam nunc,* ait, *in corpore mortis huius, humori in veſica intus poſito, qui & quando eius copia non urgemur, imperatur ut profluat, & obtemperat? Imò ipſis abditis viſceribus & nervis, quibus idem humor continetur, imperatur ut eum propellant, exprimant, ejiciant, & ſi ſanitas adeſt, ſine difficultate ſerviunt voluntati. Quanto ergo faciliùs & tranquilliùs, obedientibus genitalibus corporis partibus, & ipſum membrum porrigeretur, & homo ſeminaretur; niſi hominibus illis inobedientibus, membrorum iſtorum inobedientia juſto ſupplicio redderetur.*

Sed

Sed ridebunt hæc fortè Medici, ut olim effusè Pelagius & Iulianus. Nam Auguſtinum Anatomiæ & rei Medicæ ſatis peritū negabunt, qui genitale membrū cum veſica comparet. Veſica enim nervis voluntarij motûs à ſpinæ medulla enatis utitur, & muſculo ſpinthere, qui collum ejus ad nutum voluntatis claudit aut aperit, ut urinam contineat, aut excernat. Similibus autem voluntarijs nervis, aut muſculis, quæ ſunt organa ſpontanei motûs, membrum virile caret. Hanc de rebus pudendis loquendi libertatem Lectoris caſtitas mihi condonet; non enim aliter Medicorum quorundam noſtrorum refelli error potuit, qui ad Philoſophiam iſtam S. Auguſtini, non cachinnant palàm quidem, ut Iulianus, ſed taciti ſubrident.

Concedo igitur ipſis quod elegans Medicus mihi præformat: *Motum illum localem quo* membrum illud *in ampliorem molem aſſurgit*, quadantenus *naturalem eſſe, fieriq́; quadam ex parte à ligamentorum inſitâ & vernaculâ facultate, qualis eſt uteri & cordis motus. Illius quidem dum ſemen prolectat, huius verò dum aërem & ſanguinem haurit. Vnde non movemus illud cum volumus ſicut movemus brachia, crura, & oculos pro voluntatis imperio. Vnde cauſa diſtenſionis eſt calor, ſpiritus, flatus, corpora hac cava, fungoſa, arteriarum & venarum myriadibus, retis inſtar implicita implens. Sic calida omnia, ſpirituoſa, flatulenta colem diſtendunt.* Andr. Laurent. lib. 7. q. 6. Anat.

Attamen Medicus idem addit, *non fieri hanc inflationem ſine imaginatione, imaginationem autem motrici imperare, hanc ſtatim obſequi, & inde inflatio.*

Et ut intelligamus falſum eſſe, in ejus membri fabricam nulla inſtrumenta voluntarij motûs ingredi: *Motrici huic*, inquit, *quatuor inſerviunt muſculi, quorum duo ad illius latera feruntur. At muſculorum omnium motus animalis eſt, quia definitur muſculus Organum ſpontanei motûs. Inflatio hæc voluptatem habet conjunctam, non eſt voluptas ſine ſenſu. Itaque ad erectionem imaginatrix, motrix & ſenſifica facultas concurrunt.*

Hinc concludit, motum illum ex naturali & animali, ſeu ſpontaneo eſſe mixtum: diſtinguitq́ue à gonorrhoea & priapiſmo, ſeu inflatione morboſâ, quæ ſine imaginatione & ſtimulo libidinis perficitur. Inflatio verò quæ morboſa non eſt,

 perpetuè

perpetuò, inquit, *præcedente ſit imaginatione, & voluptatem habet ſemper comitem.*

Vallеſ. c. 8. ſacr. Philoſ. Conſentit fermè Valleſius. *Maxima pars Venereorum motuum,* inquit, *ab imaginatione fluit. Quo fit, ut Religioſi viri, & Deo adeò dediti ut imaginationem etiam compeſcant, eiuſmodi motus non perſentiſcant.* Dixit tamen ſolùm *maximam partem*, cùm Laurentius ſine limitatione, *perpetuò*, & omnes motus fieri ſic ab imaginatione cenſeat; quia Valleſius, opinor, ad motus priapiſmorum morboſos, quos etiam Laurentius excipit, aſpiciebat. Deinde motus quidam ex redundantia ſeminis imaginationem interdum præcurrunt, eamque ut ad exonerationem moleſtæ plenitudinis, opem ferat, ſollicitant. Hæc tamen redundantia in ſtatu illo innocentiæ, victu ad hoc caſtigato, & alijs remedijs vitari facilè potuit.

Quid hinc autem pro Theologia noſtra poteſt confici? Hoc ſanè. Non difficulter jam poſſe intelligi, quomodo in ſtatu innocentiæ potuerit motus ille verendorum imperio voluntatis ſubijci; aliter longè, quàm diaſtole & ſyſtole cordis, qui ſunt motus planè naturales, animæ vegetativæ cordatorum animalium merè ancillantes. Motus autē verendorum ſerviunt quidem etiam facultati genitrici animæ vegetativæ, ſed ſicut ferè pulmones; quorum motus non ſic eſt naturalis, quin tardari, accelerari, ſiſti aliquamdiu poſſit per imperium voluntatis.

Igitur ſi imaginatio, & appetitus ſenſitivus eam conſequens, imperare debent virtuti motrici, ut ſemen aut ſpiritus è proſtatis in membrum illud impellat & ipſum commoveat; certè in ſtatu innocentiæ imaginatrix & appetitiva facultas obedientes erant reginæ voluntati. Atque ita nullâ pænè reliquâ obſcuritate intelligitur, quomodo illæ facultates tunc non præveneriint nutum voluntatis, præcipitando imperium ſuum (ut jam faciunt) quo potentię motrici imperant implere & commovere vaſa illa, antequam ratio & voluntas id fieri pręcipiant. Itaque res ſic jam in homine lapſo ſe habet. Imaginatione Venereâ excitatâ, mox in concupiſcentiæ actum exilit inferior appetitus, & repentino ac tumultuario imperio facultatem

motri-

motricem impellit, ut ſemen, aut ſeminis ſpiritus è proſtatis, ubi aſſervantur, in membrum genitale propellat. Et licet fortaſſe membrum ipſum virtute aliqua merè naturali attractivâ, ut cenſet Laurentius, ad ſe è proſtatis ſemen pelliciat; tamen illa tam imbecillis eſt, ut ſine imaginationis & concupiſcentiæ impulſu vix quidquam poſſit. Imò, ſi attentè res examinetur, probabilius erit, nullam ejuſmodi virtutem attractivam ſeminis in cavitatibus ligamentorum illius membri reſidere, ſed merè canalem eſſe, qui non ſe replet attrahendo, ſed repletur ab interiore virtute expultrice ſeminis, merè recipiendo. Si enim canalis ille ſemen naturaliter attraheret, nunquam otiaretur, ſed perpetuò, contra omnem experientiam, ſe impleret, & continuo nec unquam intermittente priapiſmo, ad Venerem ſollicitaret.

Malè igitur, ut equidem mihi videtur, impletionem iſtam cum attractione ſeminis ab utero, ſanguinis à corde, cibi & potûs à ventriculo, Laurentius comparat.

Hinc ergo jam longè faciliùs Philoſophia S. Auguſtini à calumnia Pelagianorum & Medicorum expediri poteſt. Si namque ſola vis motrix, ad imperium imaginationis & concupiſcentiæ, ſemen commovere & in canalem illum impellere debet; igitur in ſtatu innocentiæ, quando imaginatio & concupiſcentia voluntati planè ſubditæ erant, commotio illa ſeminis & membri, non ſine imperio voluntatis, vires illas inferiores moventis, fiebat. Iam verò, quia concupiſcentia voluntati eſt rebellis, etiam non expectato ejus nutu, ſemen exæſtuare facit & membrum commovet. Patet deinde, cur motus iſte jam ſit turpis. Nam veluti rebellio concupiſcentię pudenda ac infamis eſt, ac contra decus animę rationalis; ita quoque pudendus eſt motus ille pudendorum, quia rebellis concupiſcentiæ eſt effectus. Cur enim aliàs brutorum animalium membra Venere commota aſpicere, perinde ac hominum, non puderet?

Primi verò parentes, licet *uterque nudus* eſſet, *non erubeſcebant* Gen. 2. ante peccatum; non quia oculos clauſos habebant, inquit Auguſtinus, ſed quia turpidinem nullam advertebant in ſuis

membris. Apertè enim ruborem iſtum in peccatum tanquam cauſam reijcit Deus, dum timidum & erubeſcentem hominem interrogat, *Quis indicavit tibi, quòd nudus eſſes, niſi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comediſti?*

Nam aliàs omnia tunc in homine adminiſtrabantur, ſicut animali rationali dignum erat, ſuberantque obedientiſſimè inferiora ſuperioribus. Illicò autem, ubi per peccatum harmonia illa diſſilijt, ex mutuo partium pudendarum aſpectu, æſtum ſeminis & inſolentem titillationem perſenſerunt; nec tantùm vir, in parte quæ oculis ſubjecta erat, ſed etiam femina, *in* Lib.4.c.13. contra Iul. *ijſdem membris aliquid ſenſit occultius*, inquit Auguſtinus.

Et ut alibi ait, *Adam in motu aperto, Eva in occulto, contra ſuæ voluntatis arbitrium, inobedientia illa membra ſenſerunt.*

Fernel. lib.1. c. 7. de partib. Feminæ enim in occulto, ad uteri fundum, *geminos teſticulos*, ait Fernelius, *compreßiores, minores, molliores, & humidiores quàm in maribus, habent.* Hi femineum ſemen coquunt, & aſpectu impudico ac imaginatione Venerea excitati, in uterum cum titillatione, odaxiſmo, & delectatione illud effundunt.

Hac igitur novitate in membris ſuis, rebelli motu & ſenſu voluptatis, intellectâ ad folia ficus cucurrerunt, & partes illas tanquam jam pudendas occultaverunt. Lib 1.c.16 ad Bonif. *Quid ſibi vult*, ait Auguſtinus, *quòd accepto prohibito cibo, in illa membra aſpectus intenditur? Quæ ibi novitas ignota ſentitur, & ſe compellit adverti, quæ apertione ſignificatur oculorum?* Dicuntur enim mox Gen. 3. perpetrato peccato, *oculi* eorum fuiſſe *aperti*, hoc eſt *intenti ad intuendum facti*, inquit Auguſtinus. Nam aliàs *nuditatem ſuam quotidie intuebantur, nec confundebantur.* Nihil enim in iſtis membris, excluſâ rebellione, eſt magis pudendum, quàm in ceteris, ut ubique ingeminat Auguſtinus. Tota enim humani corporis interiùs exteriùs fabrica, à ſapientiſſimo artifice cum ſumma arte, admiranda non erubeſcenda proportione, & pulchritudine conſtructa eſt; cur ergo partes illæ conſpectum ſic refugiunt & ſollicitè occultantur, ſi nulla aliunde acceſſit turpitudo? Lib.4.c.11. contra Iul. *Nihil enim eſt pudendum in operibus Dei, nec in ſexu hominis honeſtas confunditur, ubi Deus, tanquam in excellentiore natura, digniùs operatur.*

Si

Si ergo in brutis membra illa inhoneſta non ſunt, ideoq́ue ea videre, aut de ijs loqui non erubeſcimus; cur in animali rationali primùm condito, & excellentiori Dei opificio, ſi in nullius peccati pœnam hoc factum eſt, erubeſcenda erunt? An fortè etiam beati in cælis femoralia habent, quibus nuditatem iſtam tegant? Cèrtè enim ſi naturâ ſuâ membra illa pudenda ſunt, ne impudentia tantæ felicitati miſceatur, etiam ibi abſcondi debent.

Verùm non naturâ, ſed peccato pudenda ſunt, & ideo nec in Paradiſo ante peccatum, nec in cælo, poſt ſanatum omne peccatum velari debent. Ex hac autem naturali membrorum honeſtate, præter nuditatem honeſtam, ſequitur quoque, nullum de ijs ſermonem futurum inhoneſtum, ſed ſicut aſpicere, ita ea nominare, ac de ijs differere, ac denique maritalem congreſſum ſub oculis aliorum exercere, nihil habiturum præter decus & honeſtum. Quæ tamen omnia negabant Pelagiani, quia ſublato peccato originali, ſtatum innocentiæ cum ſtatu hominis lapſi, contra apertam Scripturam, ſed cum Philoſophis Gentilium, confundebant; & proinde omnia quæ in hoc ſtatu inhoneſta & tegenda putamus, in illo ejuſmodi etiam futura exiſtimabant.

Contrà Auguſtinus, & poſt eum Theologi Scholaſtici. *Sine ullo enim tunc timore obſcœnitatis, liber ſermo ferretur, nec verba eſſent, quæ vocarentur obſcœna.* Et ad Iulianum: *Quare non de bonis quæ laudas liberè loqueris? Quare non eſt de opere Dei verborum libertas, ſi ejus permanet intemerata dignitas, nec aliquid ibi egit peccatum, unde potiùs incuteret pudorem, & verborum comprimeret libertatem?* Et cum Iulianus petijſſet, ut ſibi *verecundæ aures ignoſcerent*, reclamans illicò Auguſtinus: *Quare*, inquit, *confunderis, de Dei operibus diſputare? Quare petis, ut ignoſcatur tibi? Nonne abs te veniæ poſtulatio, etiam ipſa eſt libidinis accuſatio?*

Lib. 14. c. 23. Civit.

Lib. 4. c. 9. 13. 16. contra Iuli.

Deinde cum narraſſet Iulianus, Apoſtolum *pro ſua honeſtate genitalia loca directè appellare noluiſſe*, intra verba iſta eum concludens Auguſtinus: *Nonne his verbis tuis*, ait, *te ipſe redarguis? Honeſtas ergo erat, non appellare directè, quod Deus facere dignatus eſt rectè? Et quod creare non puduerat ipſum Iudicem, pudebat*

1. Cor. 2.

enunciare

enunciare præconem? Quando iſtud ita eſſet, niſi quæ ille fecerat honeſta condendo, nos feciſſemus inhoneſta peccando?

Quod denique non tantùm adulteri & fornicatores, ſed etiam legittimi conjuges in concubitu maritali licito, tenebras & ſecretum quærant, non ex rei natura, ſed ex peccato factum, ſæpe replicat idem Sanctus Doctor. *Num omnes*, ait, *erubeſcunt, quando ad concumbendum ſecreta conquirunt, neque huius operis teſtes audent habere vel filios, quos inde genuerunt.* Addit, Philoſophos Cynicos mirabili impudentia, naturali huic pudori reluctatos, qui *quoniam licitum eſſet cum coniuge, palàm faciendum eſſe cenſebant.* Alibi tamen ait, *id poſtea à Cynicis fieri ceſſatum, pluſq; valuiſſe pudorem, ut erubeſcerent homines hominibus, quàm errorem, ut homines canibus eſſe ſimiles affectarent.*

Lib. 1. c. 22. de nupt.

Lib. 14. c. 20. Civit.

Ibid. c. 18.

Vnde autem tantus etiam in licito concubitu pudor? *Vnde hoc*, inquit, *niſi quia ſic geritur quod decet ex natura, ut etiam quod pudeat, comitetur in pœna?* Vbi igitur nec peccatum, nec peccati pœna; concubitus inter conjuges ſic deceret ex natura, ut palàm celebrari poſſet ſine impudentia Cynica. *Nam in Paradiſo, ſi peccatum non præceſſiſſet, non eſſet quidem ſine utriuſque ſexûs commixtione generatio, ſed eſſet ſine confuſione commixtio. Eſſet quippe in coëundo tranquilla membrorum obedientia, non pudenda carnis concupiſcentia.*

Lib. 2. c. 21 de nupt.

Nec aliunde difficilis eſt apud quoſdam hujus rei fides, niſi quia pudor jam poſt peccatum in naturam verſus, aſſenſum intellectûs impedit. Mens ergo ſupra pudorem iſtum in rei naturam ſe elevet; aut quid fieret in cælo, ſi ibi *nuberent & nuberentur*, cogitet, & fortaſſe credet.

Ex his quæ jam ſparſimus, facilè diſſipantur argumenta quæ initiò congeſſimus. Nam ſtatus puræ naturæ, qualem nobis quidam fingunt, eſt nullus. Si enim ſapientia, bonitas, & juſtitia opificis potuit ſapienter condere primum hominem cum rebelli & dominante concupiſcentia, vana ſunt & inania quæcumque S. Auguſtinus contra Iulianum differit. Admiſſo deinde tali ſtatu, rebellio & dominatus concupiſcentię contra rationem, non eſſet turpis, & ab Auctore Deo, non à peccato eſſet. Vnde nec ulla membra pro inhoneſtis & obſcœnis

Lib. 4. c. 16. contra Iul.

habere

habere oporteret. Vt meritò Auguſtinus Iuliano ſtatûs puræ naturæ acerrimo defenſori, & *membra illa fuiſſe priùs (* ante peccatum *) honeſta confitenti,* dixerit: *Non enim aliud poſſes, niſi blaſphemâ opinione ſentire.* Nam hoc eſſet, Deum rebellis concupiſcentiæ, & inhoneſtorum membrorum conditorem facere.

ARTICVLVS XIII.

Cur potiùs genitalibus, quàm ceteris membris pudor & velamen additum ſit.

VNiverſæ etiam Barbaræ nationes, quæ etſi reliquo corpore nudo; perizomatis tamē ex goſſipio, arborum corticibus, vulpinis caudis &c. partes inhoneſtas obvelant. *Ex hoc omnes gentes,* ait Auguſtinus, *quia ab illa* primorum parentum *ſtirpe procreatæ ſunt, uſque adeò tenent inſitum, pudenda velare, ut quidam Barbari illas corporis partes nec balneis nudas habeant, ſed cum earum tegumentis lavant.* Et de Gymnoſophiſtis addens: *Per opacas quoque Indiæ ſolitudines, cùm quidam nudi philoſophentur, unde Gymnoſophiſtæ nominantur; adhibent tamen genitalibus tegumenta, quibus per cetera membrorum carent.* Lib. 14. c. 17. Civit.

Veluti tamen athletæ penitus nudi olim in palæſtris luctabantur, & hodie pauci quidam, ſed impudentiâ præcipui, in juventute noſtra natatores, per ripas fluminum diſcurrentes, ne quidem manu verenda occulunt; ita nil vetat, quaſdam adeo Barbaras nationes in Orbe inveniri (& Hollandorum Hiſtoriæ dicunt) quæ perpetuò frontem adverſus pudorem illum naturalem obdurent, & inſtar pecudum, expoſitis genitalibus oberrent. Quandoque enim conſuetudo reluctantem naturam vincit.

Sed unde potiùs illorum membrorum, quàm aliorum (quibus etiam peccamus) tantus pudor nobis innatus? Si quis enim manu, ore, aut linguà nefanda patraverit, an ideo pudebit manum ſuam aſpicere, & ne videat, chirothecâ eam induet?

Iulianus & Pelagiani, qui cenſebant nullo peccato membra

genitalia eſſe dehoneſtata, & à Deo ſic olim in primis parentibus condita, ideoque negabant inhoneſta; comparabant ea ceteris membris, ut ventri, clunibus, femoribus &c. quæ etiam contegere ſolemus. *Sic enim noſtra membra ſunt formata*, ait Iulianus, *ut alia verecundiâ, alia libertate gauderent.*

S. Auguſt. lib 4 c.16. contra Iul.

Sed per Hiſtoriam Geneſis eum premit & reprimit Auguſtinus. Si enim non major inhoneſtas in genitalibus, quàm in alijs membris, quæ verecundia quædam tegit, non libertas oſtendit; cur primi parentes, eo ſpecialiter aſpectu confuſi erubuerunt, & folijs ficulneis obtexerunt? Deinde ſi ſic formata ſunt, ut ab hominibus tegerentur, cur ante peccatum non texerunt, & nuditatem ſuam agnoverunt? An fortaſſe innocentia illa erat impudens? Atqui *duas ſimul habitantes*, ait Auguſtinus, *quarum altera eſt optima, altera eſt peſſima, velut inter ſe convenientes atque concordes, innocentiam ſcilicet & impudentiam, nullus pictor pingere, nullus Poëta canere auderet.*

Lib. 5. c.2. contra Iul.

Verùm non impudentiam, ſed inſcitiam in cauſa fuiſſe, cur ſe non tegerent reſpondet Iulianus. *Nam ad ſolertiæ humanæ operam, ut ſe tegerent*, ait, *pertinebat, quæ nondum in illis erat.* Quod meritò deridet Auguſtinus. Inde enim *fit conſequens*, inquit, *ut ante peccatum inertes, peccato autem factos credas eſſe ſolertes.* Nam illicò poſt peccatum, *conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata*; quaſi jam primùm ſolertiam & artem conſuendi adepti, ſi antea putaverint partes illas debere tegi. Cur enim non texiſſent, ſi artem conſuendi folia, aut quocumque alio tegumento velandi habuiſſent? Fuiſſe autem tam ſtupidos & infantes, ut hoc facere neſcirent, ſtupidum & ſtultum eſt exiſtimare.

Gen. 3.

Itaque certiſſimò ex Scriptura colligitur, & pudoris, & pudenda tegendi non aliam cauſam, quàm peccatum fuiſſe; & veriſſimè Iuliano Auguſtinum dixiſſe, *De illa confuſione primorum hominum non potes invenire, quid dicas.*

Lib. 5. c. 8. contra Iul.

Sed multa alia membra à nobis teguntur, etiamſi non ea ex peccato erubeſcamus, inquit Iulianus. Nec tantùm, ut à frigore & injurijs aëris ea defendamus, ſed tanquam injucunda aſpectu; ſicut locus per quem alvi fæces egerimus. Vnde

Balbus,

Balbus (cujus auctoritate ſe fulcit Iulianus) apud Ciceronem dicit, *in corpore noſtro loca digeſtionis remota fuiſſe à ſenſibus.* Quòd verùm, inquit Auguſtinus, *quia ſenſus noſtros ea quæ digerimus, non alliciunt, ſed offendunt. Propterea pars qua egeruntur, naturaliter alijs partibus altrinſecus prominentibus occultatur.* Cic. lib. 2. de nat. Deor. Aug. ibid.

Verùm licet pars iſta infimæ ſedis, velut inamœna, propter ſordes quæ per eam tranſeunt, in vallem recondatur; *alia ſunt,* reponit Auguſtinus, *quæ horrorem ingerunt ſenſibus, quòd deformia ſint; alia quæ pudorem mentibus, etiamſi formoſa ſint. Quia illa offendunt delectationem, commovent autem iſta libidinem, vel libidine commoventur.* Lib. 4. c. 12. contra Iul.

Breviter igitur, aliâ de causâ genitalia, & aliâ partes quædam aliæ teguntur. Proprium & peculiare genitalibus eſt, eſſe inhoneſta, ac pudenda, & ideo tegenda; quia motus eorum, perinde atque ipſa concupiſcentia quâ commoventur, ex peccato effrenis & contra rationem contumax factus eſt. Inordinatum enim & turpe eſt in anima rationali, tales motus dominæ rationi non ſubeſſe. Ratio quippe naturalis dictat, deberi imperium in concupiſcentiæ, & in iſtos, quos ipſa in genitalibus excitat, motus. Vnde indignatur, & inobedientiæ illorum eam pudet, & ipſa membra tanquam pudenda abſcondit, in quibus illa inobedientia exercetur. Nec tantùm tempore illo quo fervet rebellio, ſed etiam quando reſêdit. Præſertim, quia breves dare ſolet inducias. Libido enim pro cujuſque hominis complexione, *nunc remiſſioribus, nunc concitatioribus motibus inſtigare non ceſſat,* inquit Auguſtinus. Sic Princeps, ubi leges & imperia ejus à rebellibus ſubditis contemnuntur, iraſcitur non tantùm rebellioni, ſed omnibus etiam inſtrumentis quibus rebellio uti ſolet; nec indignatio ceſſat, etiam intervallo temporis, quo pax & tranquillitas redijt. Lib. 3. c. 16 contra Iul.

Hic autem inſtinctus naturæ rationalis, quaſi dolentis & erubeſcentis ſe dejectam imperio, per omnes nationes, etiam quæ de lapſu primi hominis nihil ſciunt, tranſit: comparatque eum Auguſtinus cum inſtinctu naturali, quo membra ejuſdẽ corporis pro ſe invicem ſunt ſollicita. *Contributum eſt divinitùs,* inquit, *ſenſui naturali, ut pro invicem ſollicita ſint membra, & quod* Lib. 4. c. 16. contra Iul.

 dehone-

dehoneſtavit concupiſcentia, contegat verecundia. Et S. Thomas, ubi
1. Cor. 12. Apoſtolus ait, Deum *inhoneſtis* membris *abundantiorem tribuere honorem*, veſtiendo & tegendo illa curioſiùs quàm cetera; explicat Deum id non aliter facere, quàm *ex quodam divino*
Iob. 33. *inſtinctu; ſecundum illud Iobi: Aperit aures virorum, & erudiens eos*
Ibid. *inſtruit diſciplina.* Et ipſe Auguſtinus iterum: *Honeſtas ergo adhibetur inhoneſtis, cùm rationalis naturæ ſenſu ipſo verecundante velantur.* Senſus enim iſte, aſſenſus eſt & inſtinctus naturalis rationis; tam occultus nobis, quàm innumeri alij ſimiles, qui ſentiuntur faciliùs, quàm explicantur. Huic tamen obſcuritati faculam petere potes à Cajetano 1. p. q. 82. a. 4. Non enim aliud eſſe videntur, quàm veluti ſcintillæ quædam à naturali lumine intellectûs emicantes, quas Deus etiam ſuſcitat peculiari illâ providentiâ, qua naturam hominis intelle-
Lib. 1. c. 16. ad Boniſ. ctualem gubernat. *Hoc enim pudoris genus*, ait Auguſtinus, *hac erubeſcendi neceſſitas certè cum omni homine naſcitur, & ipſis quodammodo naturæ legibus imperatur.*

Non tamen ſic naſcitur, quaſi pueri ſtatim illam erubeſcendi neceſſitatem intelligant; ſed ubi ratio ex illo primæ ætatis ſomno evigilaverit. Nam lex naturæ quæ eam imperat, per rationem, debiti ſibi dominatûs diſpendia occulto inſtinctu quaſi ſentientem, debet cognoſci.

In Adamo & Eva hunc ſenſum faciliùs explicamus: quia utrumque ſtatum experti erant, ex quo, & in quem deciderant; nobis verò loco experientiæ, datus eſt à Deo conſentaneus naturæ lapſæ inſtinctus, quo ratio (quæ naturaliter in homine principatum amat) concupiſcentiæ & genitalium
Lib. 2. c. 22 de pecc. merit. inobedientiam averſatur. Pulchrè Auguſtinus: *Animam rationalem naturali verecundia nunc pudet, quòd in carne, in cuius ſervitutem jus poteſtatis accepit, neſcio qua infirmitate efficere non poteſt, ut ſe nolente non moveantur membra, & ſe volente moveantur. Quæ propter hoc in quovis caſto, meritò appellantur pudenda; quòd adverſus dominam mentem, quaſi ſuæ ſint poteſtatis, ſicut libitum eſt, excitantur: idq́; ſolum juris in his habent frena virtutis, ut ad immundas & illicitas corruptiones ea pervenire non ſinant.*

Vnde patet ratio, cur, ut initiò objectum fuit, potiùs hæc membra,

membra, quàm manum, quâ etiam nefanda interdum patrantur, occultemus. Nam manui, ut obnoxio mancipio, voluntas imperat, & quod manus patrat, voluntas fieri mandat; eſtque cauſa ejus magis quàm ipſa manus. Vnde ſibi imputet, & ſi pudendum eſt, ſui potiùs quàm manûs, pudere eam debet. Partes verò obſcœnæ ſunt inſtar animalculi diſtincti, quod homini adhærens, ut ex Ariſtotele ſuprà dicebamus, ſuis quaſi legibus, & motibus proprijs vivit, nec curat imperium dominæ rationis, quæ in homine præſidet & regit.

Verùm ſuis verbis hoc dicat Auguſtinus. Quærens enim, quid cauſæ ſit, *Cur iræ aliarumq́ affectionum opera in quibuſque dictis atque factis, non ſic abſcondit verecundia, ut opera libidinis quæ fiunt genitalibus:* Reſpondet, *Quia in ceteris, membra corporis non ipſa affectiones, ſed cum eis conſenſerit, voluntas movet, quæ in uſu earum omnino dominatur. Nam quiſquis verbum emittit iratus, vel etiam quenquam percutit, non poſſet hoc facere, niſi lingua & manus, iubente quodammodo voluntate moverentur; quæ membra etiam cùm ira nulla eſt, moventur eâdem voluntate. At verò genitales corporis partes ita libido ſuo juri quodammodo mancipavit, ut moveri non valeant, ſi ipſa defuerit, & niſi ipſa vel ultrò, vel excitata ſurrexerit.* Lib. 14. c. 19. Civit.

Vno igitur verbo, cenſet Auguſtinus non adeò turpem eſſe motum, aut manum irati ferientis, quàm genitale & commotionem genitalis; quia voluntas potiùs quàm paſſio manum illam movet; genitale verò paſſioni ſolùm obedit, ſurdum ad imperia voluntatis. Sed quid ſi lingua, aut manus interdum mentem præcurrat, & feriat verbo aut verbere antequam voluntas imperet?

Reſp. motus illos membrorum externos à vigilantibus, vix ſine voluntatis expreſſo, licet tubulento imperio exerceri. Si tamen interdum aliter, & evolant ante expreſſum voluntatis imperium, ut motus primo primi ſolent; mox tamen eos voluntas ad obedientiam revocat, ut voluntati obnoxij & ſubditi ſimpliciter dici poſſint; nec inde ipſi aut membra quibus exercentur, inſigni aliquâ infamiâ notari debent, ob quam ea oporteat inſtar pudendorum obvelare.

Hoc quoque obſcœnitatem genitalis membri auget, quòd

Venereæ libidinis inſtrumentum; quæ inter omnes libidinis
Lib. 4. c. 5. contra Iul. ſpecies *præ ceteris turpis eſt*, inquit Auguſtinus: *cui niſi reſiſtatur, horrenda immunda committit.*

Deinde voluptates illæ tactûs, infimæ ſunt inter ſenſibiles, & maximè beſtiales ac inimicæ rationi; quam in actu Venereo, teſte S. Auguſtino & Cicerone, ſic voluptas illa totam demergit, & in lutum ſuum ſepelit, ut nihil homine dignum cogitare valeat, ſed in brutum quodammodo transformet.

Lib. 14. c. 16. Civit. Sed meliùs & explicatiùs hoc iterum dicet Auguſtinus: *Hæc libido ſibi non ſolum totum corpus, nec ſolùm extrinſecùs, verùm etiam intrinſecùs vendicat, totumq; commovet hominem, animi ſimul affectu cum carnis appetitu coniuncto atque permixto; ut ea voluptas ſequatur, qua maior in corporis voluptatibus nulla eſt: ita ut momento ipſo temporis quo ad ejus pervenitur extremum, penè omnis acies & quaſi vigilia cogitationis obruatur.* Res profectò fœda, & niſi poſteritatis neceſſitas excuſaret, ab homine longiſſimè fugienda, ut non in uno loco Auguſtinus docet.

1. Cor. 6. Vnde Apoſtolus, *qui fornicatur*, inquit, *in corpus ſuum peccat*, quia nempe peccato illo, humanæ figuræ & temperiei corpus contumeliâ afficit, dum illud in brutum quodammodo deformat. Sicut enim corpus bruti animam ejus irrationalē in carnem ſuam ſubmergit; ita etiam fornicatoris corpus animam rationalē, dum ſine ratione mentem ita dejicit, & quaſi amentem facit. Vnde Hippocrates congreſſum Venereum μικρὴν ἐπιληψίαν, *parvam epilepſiam*, ſeu morbum caducum appellabat.

S. Anſel. c. 10. de concept. virg. Hinc Deus, ut iſtam fœditatem ab innocentiæ ſtatu propulſaret: *Cum fecit Adam*, ait S. Anſelmus, *fecit in eo naturam propagandi, quam ſubjecit eius poteſtati, ut ea uteretur pro ſua voluntate, quamdiu ille vellet ſubditus eſſe Deo, non ut illa uteretur beſtiali vel irrationali voluptate, ſed humana & rationali voluntate.*

Tertium hoc ad infamiam accedit: quòd peccatum originis, exitialis illa humani generis labes, illo membro in poſteros propagetur. Ideo enim *ibi ſuccinxit ſe Adam folijs inutilibus*, ait S. Ambroſius, *ubi futura generationis, non fructum futurum, ſed quadam peccata ſignaret.* Et ei acclamans, ac Iulianum inclamans Auguſtinus: *Habeſne ad iſta quid dicas? Ecce unde illa con-*
Lib. 2. c. 6. contra Iul.

fuſio,

ſuſio, ecce unde contextio & ſuccinctio foliorum. Ecce unde in poſteris originale peccatum. Et breviſſimè idem Chryſoſtomus: *Folijs ficus erant operti, tegentes ſpeciem peccati.* Hinc ergo pœna peccati originalis, ſive concupiſcentię adverſus rationem rebellio in eo membro maximè apparere debuit. Bellè iterum Auguſtinus: *Pudet hujus libidinis humanam ſine ulla dubitatione naturam, & meritò pudet. In ejus quippe inobedientia, qua genitalia corporis membra ſolis ſuis motibus ſubdidit, & poteſtati voluntatis eripuit, ſatis oſtenditur, quid ſit hominis illius primæ inobedientiæ retributum. Quod in ea parte maximè oportuit apparere, qua generatur ipſa natura, quæ illo primo & magno in deterius eſt mutata peccato.* Lib. 14. c. 20. Civit.

Denique membrum illud turpe & velandum eſt, non ſolùm quia effrenitas ejus ex peccato originali venit, & peccatum illud ad poſteros traijcit; ſed etiam quia libidinem aliorum movet, & ad actualia libidinis peccata excitat. Hoc etiam ſuprà, ſæpè dixit Auguſtinus. Lib. 4. c. 21. contra Jul. &c.

Et hac de cauſa non tantùm membrum ipſum genitale, quod à ſe infame eſt, ſed partes etiam vicinæ quæ ab ipſa ejus vicinia quodammodo infamantur, contegi debent. Centrum enim, ut ſic dicam, turpitudinis in ipſo genitali eſt; ſed circumferentia ſurſum uſque ad umbilicum, deorſum ad genua protendi videtur. Omnes enim corporis partes eâ circumferentiâ comprehenſas homines, & præſertim feminæ, propter alienam libidinem vitandam, ſtudioſè velare ſolent. Statim enim atque femur ſupra genua, aut venter infra umbilicum incipit nudari, homo alterius ſexûs, ad partes genitales & turpitudinis centrum, obſcœnâ & præcipiti imaginatione ſolet excurrere.

Vnde facilè jam ſolvitur argumentum obijcientium Auguſtino: quòd non tantùm partes genitales in quibus ſolis eſt effrenis ille libidinis motus, ſed etiam femora ac venter aliæque conterminæ partes velentur.

Nam turpitudo ipſa membri genitalis eſt hujus velaminis cauſa; quoniam obſcœnitate ſuâ vicinas quoque partes quodammodo aſpergit. Nam vicinarum partium aſpectus Venerem eodem ferè modo excitat, quo genitalium aſpectus;

unde

Sanch. lib. 9 d. 46. n. 22. Matri.

unde etiam Caſuiſtæ par in utroque peccatum conſtituunt. Aſpectus enim partium propinquarum, ut antè dixi, ad genitalia ipſa rapit aut abducit infirmi hominis cogitationem.

Nudatio verò partium remotiorum, ut pectoris, dorſi, crurum, aut lacertorum, non tantam indecentiam habet, nec perinde alterius ſexûs libidinem movet. Mammillarum tamen nudarum oſtentatio in puellis, per Magiſtratus Eccleſiaſticos & ſeculares meritò reprimi deberet. Multi enim adoleſcentes, præſertim initiò & antequam conſuetudo eos duraverit, ſcandalum ex infirmitate patiuntur, & exardeſcunt in concupiſcentiam putridæ illius & fucatæ carnis.

Sat multos fomites concupiſcentia cum qua naſcimur, nobis ſuggerit, ſine externis iſtis illecebris.

ARTICVLVS XIV.

Qua ratione fœtus in utero conformetur.

Poſtquam viri & feminæ ſemina in utero confuſa & permixta fuerint, calore & occultis facultatibus uteri incipiunt in unam maſſam fermentari & coagulari, & ne diffluant, membranâ quadam involui. Suſcitatur quoque vis in ſeminibus latens, ut opus conformationis incipiat; quam uteri actionem Medici propriè conceptionem vocant. *Neque enim ſeminis attractio, neque retentio, conceptio eſt*, inquit doctiſſimus Fernelius; *tametſi id ratio nominis videtur indicare.* Quando enim ſemina biduo aut triduo retenta effluunt, non dicitur conceptio facta, nec ante ſeptimum diem, inquit Ariſtoteles, dicuntur aborſus, ſive irriti conceptus, ſed effluxiones.

Fernel. lib. 7. c. 8. de hom. procreat.

Eſt ergo conceptio, ait Fernelius, *propria & peculiaris uteri actio, qua ſeminis poteſtas exſuſcitatur, & inſitum ſibi munus reipſa obit & exequitur.* Ineſſe verò utero vim peculiarem ad miſcenda & excitanda utriuſque parentis ſemina, inde liquet; quia ſi in aliam corporis capacitatem eodem calore præditam injiciantur, computreſcent, nec ad conceptionem pervenient. Vnde ſtultum & falſiſſimũ eſt, quod jactant quidam Chymici, ſe per

ſeminum

ſeminum, imò aliarum materiam commixtionem, fornacum ſuarum tepore, in alembico poſſe puellum concipere, formare, & generare. Donec enim faciant, & Chymicum iſtum puſionē nobis oſtendant, chymericum putamus. Theologi tamen noſtri aliter uſurpant conceptionem, dum diſputant, an Chriſtus, aut Virgo mater concepta fuerit cum peccato originis. Nam conceptio ipſis idem eſt, ac animatio humani corporis, quæ eſt finis conceptionis, & potiùs generatio, quàm conceptio proprij apud Medicos nominis.

In conceptione hac Medica excitatur σπινθηρισμὸς, ſive ſcintilla illa admirabilis, deliteſcens in ſpiritibus ſeminis, ut ſe per materiam craſſiorem diffundat, eam inflet, & in membra ſua diſtinguere incipiat. Res prorſus ſtupenda, quomodo virtus creata, tot membra tam affabrè formare, tam appoſitè inter ſe conjungere, in venas, arterias, nervos tanta arte perforare, & univerſa accommodatiſſimè ad uſum poſſit fabricare. Vt veriſſimè Sapiens dixerit, nos *Ignorare, qua ratione* Eccle. 11. *compingantur oſſa in ventre prægnantis.* Et Galenus: *Invenire facultatem quæ talia efficiat, humani ingenij non eſt.* Galen. lib. 15. de uſu. part.

Vnde ſubtilitas Scoti nullam aliam cauſam hujus admirandi opificij, quàm Deum invenire potuit. De qua re Lib. 1. diffusè diſputavimus. Et diximus, vim creatam formatricem ineſſe ſemini, quæ per inſtinctum à Deo ſibi datum, ad omnium ingeniorum ſtuporem, ea ſub Deo operatur. Et Deum ideo magis admirandum eſſe, qui non tantùm manu ſua ſolus poſſit talia facere, ſed infimis etiam creaturis virtutem coëfficiendi imprimere. Non oportet igitur cauſam ſecundam efficientem hîc negare. Nam apertè Ariſtoteles ait: *Principium & efficiens rei quæ gignitur, ſemen eſt.* Ariſt. lib. 1. c. 1 de partib. Et egregiè Tertullianus: *Omnem hominis in utero ſerendi, ſtruendi, fingendi paraturam aliqua utique poteſtas divinæ voluntatis miniſtra modulatur.* Tertull. c. 37. de anim.

Licet autem S. Auguſtinus quandoque ſoli Deo videatur hanc membrorum paraturam tribuere, tamen alibi explicat ſe loqui de Deo *creatore & conditore.* Creatrices verò aut conditrices negat eſſe cauſas creatas, licet ſub imperio & manu Dei fabricent etiam & moliantur. *Si enim*, inquit, *urbem* Lib. 12. c. 25 Civit.

 Romam,

Romam, & Alexandriam non fabros & architectos, ſed Reges quorum voluntate, conſilio, & imperio fabricata ſunt, illam Romulum, iſtam Alexandrum habuiſſe dicimus conditores; quanto potiùs non niſi Deum debemus conditorem dicere naturarum: qui neque ex ea materia facit aliquid quam ipſe non fecerit, nec operarios habet, niſi quos ipſe creaverit; & ſi potentiam ſuam, ut ita dicam, fabricatoriam rebus ſubtrahat, ita non erunt, ſicut antequam fierent, non fuerunt.

Propter ergo illam principalem & eſſentialem dependentiam omnis creati eſſe à Deo, dicitur ſolus conditor & creator omnium rerum, SS. Patrum phraſi. Aliàs etiam apertè ait, *vim mirabilem ſeminum, & mirabiliorem quâ efficiuntur* & *ſemina, inditam corporibus humanis, & quodammodo intextam.* Ac deinde, Deum *facere, ut numeros ſuos explicent ſemina, & à quibuſdam latentibus atque invisibilibus involucris, in formas viſibiles hujus quod aſpicimus decoris evolvant.*

Lib. 22. c. 24 Civit.

Et S. Hieronymus elegantiſſimè. *De acino vinacij diſſeramus,* inquit ad Io. Ieroſolymitanum. *Granum parvum eſt, ita ut vix duobus digitulis teneri poſſit. Vbi ſunt radices? Vbi radicum, & trunci, & propaginum tortuoſa perplexio? Vbi pampinorum umbracula, & uvarum pulchritudo, futura vina parturiens? Aridum eſt quod tenetur, & penè vix cernitur. Sed in ſicco illo grano, potentiâ Dei, & occultâ ratione ſementis* (ecce, ut præter Dei potentiam, occulta ratio conformatrix in ſemine vitis) *ſpumantia vina fundentur.*

Cap. 9. contra Io. Ieroſoly.

Ergo in ſeminibus agnoſcunt cauſas ſecundas efficientes, quæ numeros quos virtute continent, in ordinatiſſimam illam membrorum arboris, aut animalis paraturam & ſuppellectilem explicant. Vnde alibi Auguſtinus: *Alius eſt rerum modus, quo illa herba ſic germinat &c. Horum modorum rationes, non tantùm in Deo ſunt, ſed ab illo etiam rebus creatis indita atque concretæ.*

Lib. 10. c. 17 de Geneſ.

Virtus ergo conformatrix ſemini concreta, ſtatim atque ſemina utriuſque ſexûs fermentata & contemperata ſunt, opus ſuum aggreditur. Et quia ſemen partibus heterogeneis conſtat, quarum aliquæ oſſibus, aliæ nervis &c. fabricandis ſunt magis idoneæ; ideo ab invicem eas ſeparat, & unamquamque ineffabili ſolertiâ, ſuo loco diſponit & ordinat.

Hinc Fernelius & multi Medicorum exiſtimant ſemen ex

omnibus

omnibus membris decidi, & unamquamque ejus guttulam, à parte unde deciditur, cum imagine illius partis ad teſtes defluere, ut ibi reſidua ejus cruditas percoquatur. Nam propter ideam ſeu imaginem, quam ab unaquaque parte corporis decepſit, videtur, poſtquam actione uteri fermentatum fuerit, propriâ quaſi ſponte in varias particulas diſcedere, ut ſingula locum ſibi competentem in ſtructura novi animalis occupent. Fallor, aut hoc me docuit S. Auguſtinus: *Semen in matre*, ait, *per certos numeros temporum, in locorum numerum coaptatur, ut ſuas regiones quæque membra occupent: & ſi modum parilitatis ſervaverint, luce coloris adjunctâ, naſcitur corpus quod formoſum vocatur.* Lib. de vera relig. c. 40.

Simile quid propemodum in magnete cernimus; qui vertices ſuos ita ſponte ordinat, ut unus ad Septentrionem, alter ad Auſtrum ſpectet.

Sed non ideo neceſſe eſt fingere ſemen ab omnibus partibus defluere. Quomodo enim parentes qui tibiâ unâ, aut utraque carent, prolem bipedem generarent; quomodo Iudæus apella filium præputiatum, ſi ſemen pedis, aut præputij filij, à pede, aut præputio parentis debet neceſſariò decidi?

Hinc Ariſtoteles ſententiam iſtam, quæ ſemen ab omnibus partibus defluere dicit, longiſſimè refellit. Nam aliàs, inquit, ſemen etiam arboris à radice, à trunco, à ramis omnibus decidi oporteret; cùm tamen novella arbuſcula eundem numerum ramorum, quem arbor mater habuit minimè obſervet. Deinde à fructibus arboris matris nihil deciditur, ait; & nihilominùs fructus arboris filiæ, ſimiles ſunt fructibus maternis. Ariſt. lib. 1. c. 18 de generat. animal.

Non eſſe verò neceſſe, ut ſemen arboris, ideam futuri fructûs à fructu matris accipiat, inde evidenter patet; quia ſurculus arboris (etiam quæ nunquam fructus ullos tulerit) arbori alterius ſpeciei inſitus, fructus tamen arboris ſuæ ſpeciei conformare novit.

Quod ergo S. Auguſtus narrat: *Fundanum Carthaginis Rhetorem, cum ipſe ex accidenti vitio luſcus eſſet, luſcum filium procreaſſe,* miraculi inſtar id fuit, & ab imaginatrice fortaſſe matris; non quia ſemen oculi in filio, ab oculo parentis proficiſci debuerit. Lib. 6. c. 6. contra Iul.

 Aliàs

Aliàs omnes luſci, aut exoculati filios oculis orbos gignerent.

Lib. de vera relig. c. 40. Quòd verò idem Auguſtinus ait, ſemen *ſive convenientiâ duorum corporum* (ut in concubitu) *ſive tali aliqua phantaſmate* (ut in pollutione) *commotum, per genitales vias ab ipſo vertice defluere in infima voluptate*; à veteribus quibuſdam Medicis accepit, & præſertim Pythagorâ; qui ſemen σταγόνα ἐγκεφάλου *ſtillam cerebri* appellabant. Quia enim ſemen albedine cerebri colorem refert, putaverunt totum inde defluere.

Sed certum jam eſt, materiam ejus ex hepate & corde per venas & arterias ſeminales deſcendere, & ex ſanguine & ſpiritu à teſtibus in illum alborem decoqui. Docti tamen Medici, inter quos Andr. Laurentius, *ſpiritus aëreos tenuiſſimos, pernicitate veloces, per univerſum corpus oberrantes, ob eam, quam cum inſitis habent, familiaritatem, ſingularum partium ideam præ ſe ferentes, & vim earum formatricem deferentes, ab omni corpore ad teſtes influere* exiſtimant. Sed profectò, ſi hoc verum, ſequitur iterùm, à parentibus membro aliquo truncatis mancos ſemper fœtus generari. Spiritus enim per corpus oberrans, ideam & vim formatricem oculi ad teſtes deferre non poteſt, ſi parens oculum nullum habeat.

Andr. Laurent. lib. 8. q. 4. Anat.

Deinde, unde, quæſo, ſpiritum & ideam membranarum ſecundinarum ſemen acccipit; quas tamen, non minùs quàm partes fœtûs, vis conformatrix ad involuendum fœtum, fabricat? Cùm enim nec in patre, nec in matre, ante inchoatam generationem, ſint ullæ ſecundinæ, iſtæ non poſſunt ſuos ſpiritus aut ſui ideam mittere ad teſtes.

Tertiò, quis credat, radices, truncum, tot ramos, & ingentia quercûs unius brachia, & innumera quibus comitur folia, per tam aſtrictam ligni duritiem, ad minimum glandis germen, ſpiritus & ideas omnium tranſmittere, ut inde nova quercus poſſit conformari? Denique vias & canales in animalibus ſignare deberent, quibus ſpiritus illi confluerent in teſtes. Non enim aliæ viæ apparent, niſi venæ & arteriæ ſeminales, quæ materiam ſeminis, id eſt, ſanguinem & ſpiritum vitalem, ad teſtium officinam vehunt.

Verius igitur eſt, teſtes quaſi compendium quoddam

totius

totius animalis eſſe, & virtutem habere alterandi ſeminis pro omnibus partibus fabricandis; ibique ſemen *totius animalis latentes numeros accipere*, ut eleganter loquitur Auguſtinus. Lib. de vera relig. c. 40.

Sic etiam glans compendium eſt univerſæ quercûs, totamque tam vaſti corporis ramorum ſupellectilem, virtute in ſe continet, & vim omnium conformatricem ſemini minimo, quod intra ſe complectitur & concoquit, imprimit. Vt proinde, veluti hepar pro alendis omnibus partibus, ſanguinem coquit; cor omnibus vegetandis, ſpiritum vitalem format; cerebrum pro omnibus movendis & ſenſificandis, ſpiritum animalem aptat; ita teſtes, pro omnibus partibus fœtûs conformandis, ſemen cum virtute ſua conformatrice (ſive unica ea ſit, ſive diſpertita in plures ſingulorum membrorum artifices) inſitâ ſibi facultate excoquunt. Mira profectò & ineffabilis hæc teſtium potentia, qua virtutem tam admirabilem, ingenioſam, & omnium ingeniorum acies ludibrio quodam eludentem, ſemini imprimit.

Quod obſtupeſcens, & Philoſophorum ac Medicorum acumina irridens Chryſoſtomus: *Semen illud iactum, unde conceptus es*, inquit, *quomodo in oculos, quomodo in aures, quomodo in manus, quomodo in cor, quomodo in tot ac tam varia compoſitum & figuratum eſt? An non mille ſunt in corpore diſcrimina ſchematum, magnitudinis, qualitatum, ſituum, virtutum, harmoniarum? Nervi, & venæ, & carnes, & oſſa, & pelliculæ, & arteriæ, & cartilagines, & quæcumque alia iſtis plura, quæ Medici ſtudioſè rimantur, quæ naturam noſtram continent, idq; ab illo unico ſemine nata?* Videtur ergo totalis forma ſeminis compoſita eſſe ex pluribus formis heterogeneis, quarum una, per qualitates inſtrumentales ſibi accommodatas oculum, altera aurem, alia manum &c. conformat. Hoc enim tantùm; confuſè & generaliter de re iſta admiranda, dici poteſt; cetera abditiſſima ſunt in naturæ & divinæ ſapientiæ arcanis. Ac ſanè pleraque naturæ opera etiam talia ſunt, ſi quis non in ſuperficie tantùm, ſed ad fundum uſque inſpicere velit. Chryſ. hom. 7. in 2. Theſſal.

ARTICVLVS XV.

An unum membrum citiùs altero conformari incipiat,

AMbigunt quoque Philoſophi ac Medici, an vis conformatrix omnium ſimul membrorum conformationem inchoët, an ab una parte, ut retia conficiuntur, ad ceteras ſucceſſivè & catenatim procedat. Orpheus enim canit, inquit Ariſtoteles, ὁμοίως γίγνεσθαι τὸ ζῶον τῇ τοῦ δικτύου πλοκῇ *animal gignitur, ſicuti contexitur rete.* Vnde à corde inchoari conformationem Empedocli credidit Ariſtoteles; quia rudi tunc adhuc Anatomiâ, *cor principium venarum, & primariam officinam ſanguinis eſſe* putavit.

Ariſt. lib. 2. c. 1. de partib.

Hinc Galenus, refutato Ariſtotele, cùm ab hepate potiùs oriri venas, & inde ſanguinem fluere exiſtimaret, hepar primum conformari dixit. Et huic opinioni *omnes ferè Medici adhærent*, inquit Valleſius.

Hippocra. lib. 1. de diæt.

Verùm alijs & nobis longè magis placet ſententia Stoicorũ & divini ſenis: *Omnes partes ſimul delineari & augeri, non alias priùs, aliàs poſteriùs.* Vis enim illa plaſtica, per univerſam utriuſque ſeminis maſſam, vectore ſpiritu diffuſa, ſtatim opus univerſum, cum admirabili omnium futurarum partium proportione aggreditur. Ac primùm ne maſſa diffluat, membranâ illicò circundat; deinde verſus centrum converſa, tres bullas pellucidas, pro totidem principalibus partibus, cerebro, corde, hepate, excitat; & ſimul nervorum, venarum, arteriarum, & breviter omnium viſcerum & partium prima ſtamina & lineamenta ducit.

Simul quoque vaſa umbilicalia formantur (ſive vena una & arteriæ duæ) quibus embryo ſanguinem matris per umbilicum ſugere debet. Sed ne nimis citò affluens ſanguis inceptum opus interturbet, & futuri hominis texturam in molam confundat; non attrahitur maternus ſanguis, niſi ubi partes ſpermaticæ, & quidquid ex ſpermate utriuſque parentis contexitur, fermè ſit conformatum. Nam ſæpe, per abortum embryo

embryo totus ſemineus expellitur, qui in aquam frigidam merſus, & condenſatus, omnium ſpermaticarum partium rudem effigiem exhibet. Sanguis verò deinde adducitur, ut ſanguineæ partes inde coagulentur, & nervorum ac filamentorum ſpatia carne repleantur.

Veruntamen licet omnes partes ſimul inchoëntur, non tamen ſimul omnes abſolvuntur, ſed prout neceſſitas, aut materiæ oportunitas unam præ alterâ maturari juſſerit. Vnde *ungues, pili, cornua, roſtra & calcaria avium, ac alia eiuſmodi quæ ex ſuperfluo alimenti gignuntur*, inquit Ariſtoteles, poſteriùs, & ubi animal nutriri cœpit, conformari tantùm incipiunt. Ariſt. lib. 2. c. 6. de generat. anim.

Hæc autem de partium omnium ex primo ſemine ſimultaneâ conformatione, veterum Stoicorum, & recentiorum Medicorum certior, & experimentis magis probata doctrina eſt. De qua proinde nimis timidè noſter Lipſius: *Stoicos noſtros*, inquit, *quis, in re iſta, adiuvat? Neſcio, & vereor ut inſpectio & experimenta damnent.* Imò verò Vir Eruditiſſime, embryonum abortivorum inſpectio, & neotericorum Medicorum experimenta non damnant, ſed adjuvant validiſſimè. Ex quibus etiã intelligitur, quàm infirmiter Ariſtoteles & Galenus conjectent, ſtructuram fœtûs à corde, vel hepate inchoari; quaſi fœtus in prima illa ſui conformatione, officinâ ſanguinis indigeat: cùm ſanguis tunc nullus adhuc operi intertexi debeat, nec affluere eò poſſit, niſi poſtquam vena & arteriæ umbilicales fuerint conſtructæ, & venæ ac arterijs uteri materni applicitæ. I. Lipſ. lib. 3. diſſ. 6. Phyſiol.

Hoc tamen Ariſtoteli & Galeno dandum exiſtimo. Citiùs quàm recentiores putent, cor & hepar, ac antè ingreſſum animæ rationalis, ex ſanguine conformari. Nam principalibus iſtis partibus & organis nobilis illa anima videtur indigere, & eas præſupponere, ut valeat informare ſuum corpus. Deinde, ut Galenus & omnes fatentur, virtus conformatrix ſtatim in principio operis, venam & arterias umbilicales orditur, & quantum poteſt, detexere properat. Dubium autem non eſt, quin mox ubi vaſa iſta abſoluta ſunt, ſanguinem matris ſugant. Ex ſanguine autem iſto primùm omnium hepar & cor coagulari,

inter omnes conſtat. Anteà verò in embryone purè ſemineo, venæ, arteriæ, ligamenta, fibræ illorum viſcerum tantùm inerant, tanquam ſtamina ex parte ſeminis glutinosâ contextæ quorum vacua ſpatia affluxu deinde ſanguinis replentur, ut univerſum hepatis, & cordis parenchyma, ex omnibus ſemineis fibris, & ſanguineis partibus ſimul concreſcat. Vnde in fœtu quodam quadraginta dierum, Fernelius *hepar rubrum, amplum, & recèns concreto ſanguini perſimile*, ſe advertiſſe ait; licet cetera *omnia alba, fibroſa, & ſeminis æmula, nullo carnis, aut ſanguinis rubore perfuſa eſſent.* Igitur exiſtimo, ante adventum animæ rationalis, ac ſub anima ſenſitiva viali præcedente, embryonem excordem non eſſe; velut non eſt in brutis, quando ultima anima ſenſitiva vegetativæ ſuccedit.

Fernel. Lib. 7. c. 10. Phyſiol.

Ante verò affluxum ſanguinis, non alitur in utero ſemineus embryo, ſi Laurentio & quibuſdam Medicis credimus (aut certè, ut Fieno noſtro, & nobis videtur probabilius) alitur ex ſemine, cui innatat, & præcipuè materno, quod mole virile ſemen vincit, etſi calore & energiâ vincatur.

Creſcit quippe ſemineus embryo; ergo nutritur. Nam magnitudo ejus prima hordei molem non excedit; & tamen Laurentius ſæpe ſe obſervaſſe narrat, *fœtum quadraginta dierum, longitudinem digiti auricularis exceſſiſſe.*

Tunc autem fœtus ferè adhuc totus ſemineus eſt, quantum judicio oculorum poteſt intelligi, & Hippocrates etiam docet; qui primam & ſemineam ſtructuram (quanquam ſanguinis aliquid intertextum eſſe, ante hoc tempus, ad hepatis & cordis, ut antè dixi, fabricam exiſtimem) in maſculo intra trigeſimum tantùm diem, in femella intra ſecundum & quadrageſimum vult abſolvi. Quia enim femina viro frigidior, lentiùs etiam conformatio ejus procedit; vi illâ architectrice virilis ſeminis laborante, & ferè, ut ſic dicam, ſuffocatâ in copioſiore ſemine femineo, quod vincit, & ſexum fœtûs ad ſe trahit.

Lib. 7. c. 4. Hiſt. anim.

Præclarè enim Ariſtoteles: *Cùm fœtus in utero formatur, femina tardiùs quàm mas perfectionem quarumcumque partium recipit, & ſæpius in decimum menſem, quàm mas protrahitur. Sed cum in*

lucem

lucem prodierit, femina ocyùs quàm mas & accreſcit, & ætate floret, & ſenectute deficit. Hinc pubertas puellis duodecimo ætatis anno, maſculis tantùm decimo quarto contingit, calore juvenili in largiori feminarum humido ſe magis dilatante, & incrementa feſtinante.

Sed nonne ſententia illa, de omnium partium ſimul conformatione, Philoſophiæ Iobi, inquies, videtur repugnare? Ait enim ad Dominum, *Nonne ſicut lac mulſiſti me?* Ecce hominis ſeminatio: *Et ſicut caſeum me coagulaſti?* Ecce fermentatio in utero: *Pelle & carnibus veſtiſti me.* Ecce textura corporis, à cute & circumferentiâ exoriens: *Oſſibus & nervis compegiſti me.* Ecce progreſſus operis verſus centrum. Iob. 10.

Sed profectò S. Iobo mens non fuit, partium humani corporis ſeriem enumerare eo ordine, quo natura & Deus eas architectantur. Aliàs pellem & carnes ante oſſa & nervos, hoc eſt, veſtem ante id quod veſte amicitur, minimè poſuiſſet. Pellis enim & carnes, omnium Medicorum ſententiâ, poſt oſſa & nervos conformantur.

Vnde Ezechiel contrario, & magis naturali ordine: *Oſſa arida audite. Dabo ſuper vos nervos, ſuccreſcere faciam ſuper vos carnes, & ſuperextendam in vobis cutem.* Sed neque hic etiam ſignificare voluit, partem unam corporis reſurgentis formari ante aliam; ſed imitatur Geometras (ut in ſimili ait Ariſtoteles) qui diſcipulis volentes oſtendere trianguli ſtructuram, unam lineam ante alteram deſcribunt, etiamſi triangulus non priùs ex illa, quàm ex iſta componatur. Ezech. 37. Ariſt. lib. 1. c. 10. Cæli.

ARTICVLVS XVI.

Quando fœtus in utero animetur.

THomas Fienus Academiæ noſtræ nuper Archiater toto Libro contendit, animam rationalem tertio, aut citiùs, à concubitu die, in materiam humani fœtûs immitti, & ſibiipſi domicilium corporis architectari. Sed amicum Libro 1. rejecimus; quia nobis amicior veritas fuit. Non bellè quoque ſacris Canonibus, SS. Patrum decretis, & Theologicæ praxi hæc opinio conſentit. Apertè etiam à

S. Anſel. c. 7 de concept. virg.

S. Anſelmo refellitur. Nam *quòd mox ab ipſa conceptione*, inquit, *ſemen rationalem animam habeat, nullus humanus ſuſcipit ſenſus*. Quid ita? *Sequitur enim*, ait, *ut quoties ſuſceptum ſemen humanum, etiam ab ipſo momento ſuſceptionis, perit antequam perveniat ad humanam figuram, toties damnetur in illo anima humana; quoniam non reconcilіatur per Chriſtum: quod eſt nimis abſurdum.*

Atqui hoc dicit illa opinio. Effluxiones nempe omnes ſeminis fermentati, quæ inter tertium & ſeptimum diem excidunt, animatas eſſe animâ rationali, ante omnem humani corporis inductam figuram: ac proinde innumeras quotidie animas per meretricum, aliarumque effluxiones, ſine baptiſmo perire.

Non ergo verum eſt, ſtatim atque viri & feminæ ſemina, actione mutuâ, & uteri, intra duos aut tres à concubitu dies, fuerint permixta & fermentata, animam rationalem, primam omnium induci, ut membra ſibi & facultatum inſtrumenta architectetur; ſed hæc ab alijs formis imperfectioribus & vialibus ei præparantur, ut Libro 1. ſatis fusè diſſeruimus.

Itaque fermentato, & actuato ſemine, ut loquuntur Medici, illicò ſeminei ſpiritus materiam craſſiorem utriuſque ſeminis, ad animam vegetativam, alterando & conformando, diſponere aggrediuntur. Quia verò materia illa tota humida & fluxa eſt, maximè ad ſiccitatem & conſiſtentiam quandam concretionemque partium debet alterari. Spiritus enim ſeminei ignea ſiccitate eo fine præditi ſunt. Deinde admirabili illâ virtute plaſticâ & conformatrice materiæ teneræ & obſequenti prima figurarum & membrorum lineamenta inducere incipiunt. An autem in hoc opere ideas quaſdam membrorum vis illa conformatrix quaſi aſpiciat, Medici multi affirmant; negare tamen malim. Nam intelligi non poteſt, quem uſum ideæ illæ habeant; cùm vis conformatrix nullo intellectu, aut imaginatione, qua aſpiciat illas ideas, ſit prædita. Inutile ergo videtur ſemen tot ideis & exemplaribus partium replere (quod Laurentius & Fienus faciunt) ſed ſufficit, tale eſſe ingenium illius virtutis; nec cauſam ulteriorem magis petendam eſſe, quàm quare ſol illuminet, aut ignis calefaciat.

Fortaſſe igitur vì quadam quaſi magneticâ trahit, repellit, & lo-

& localiter ſic ordinat ſeminis partes, ut in talem figuram torqueantur; aut certè etiam diſpoſitionem quandam notarum nobis vel ignotarum qualitatum talem inducit, unde talis ſitus partium reſultet & ipſa materia quaſi ultrò in illam, aut illam membri figuram ſe induat.

Certé tamen, ſicut anima rationalis, aut irrationalis, nutriendo membrum, & alimentum ei mirâ arte circumfigurando, nullam ideam inſpicit, ſed ſine ſenſu, per naturalem inſtinctum hoc facit; ita neque prima vis conformatrix ullis ideis indiget. Hinc patet, non rectè à Fieno explicari, cur anima rationalis recenti & informi ſemini infuſa, ipſum ad ſimilitudinem patris vel matris conformet; quia, inquit, ſecundum hujus aut illius parentis ideam in opere ſuo ſe dirigit. Hujus enim ſimilitudinis cauſa à ficticijs ideis peti non debet, ſed à virtute conformatrice, ut bene Galenus; quæ nunc in ſemine patris, nunc in ſemine matris eſt efficacior. Licet enim in pari mole, paterni ſeminis ſpiritus calidior & actuoſior ſit; ſpiritus tamen materni ſeminis multitudine & copiâ paternum vincere, & figuram fœtûs ad ſimilitudinem matris detorquere poteſt.

Neque verum exiſtimo, quod credit Fienus: circa ultimos tantùm geſtationis menſes, ſimilitudinem illam parentum induci. Sed ſtatim inter prima conformationis initia, in ipſis rudibus lineis & filamentis embryonis, fundamenta futuræ ſimilitudinis jaciuntur; ſecundum quorum configurationes, flexus & modos, vacua ſpatia poſtea carne replentur, & tandem ſimilitudo tota completur.

Quo verò præcisè tempore embryo animetur, obſcurum eſt. *Adeò enim ſenſim ab inanimatis ad animata*, ait Ariſtoteles, *natura tranſit, ut continuatione ipſa lateat eorum confinium, & medium utrinſque ſit extremi.* Vnde præciſum articulum temporis deſignare, quo anima vitalis vegetativa, formæ inanimæ ſeminis ſuccedat, eſt perquàm difficile. Ariſt. lib. 8. c. 1. Hiſtor. anim.

Famoſum eſt apud omnes Medicos illud Hippocratis experimentum, in geniturâ Pſaltriæ: quæ ſeptimo à concubitu die juſſa ſaltare, excuſſit quippiam ſimile ovo crudo ſine teſta, ſed interiore tantùm & molli membrana veſtitum; in Hippocrat. lib. de nat. pueri.

quo humor pellucidus & rotundus, cui fibræ albæ ac tenues interſperſæ viſebantur. Igitur intra ſeptem primos dies nondum embryo, ſed ſemen adhuc informe eſt, levi tantùm & primo conformationis rudimento tenuiſſimè inumbratum.

Vnde quæ intra ſeptimum diem excidunt *ἐκρύσεις effluxiones* ſunt, inquit Ariſtoteles; quæ verò deinde intra quadrageſimum, *ἐκτρωμοὶ abortus* vocantur. Abortus enim non vocantur, niſi ſemen utcumque conformatum, liquiditaſq; ejus in rudimentum quoddam membrorum & embryonis concreta ſit, & ſatis conſpicua. [Ariſt. lib. 7. c. 3. Hiſtor. anim.]

Ante ſeptimum igitur diem nondum animatæ effluxiones illæ videntur, ſed toto tempore illo virtus conformatrix veluti hirundo quædam, in informi luto laborat; ut nidum & domicilium primæ animæ vegetativæ viali præparet.

Non dudum verò poſt diem ſeptimum, & fortaſſis intra ipſum ſeptimum, aut etiam paulo antè (nam res iſta variat, prout virtus ſeminis actuoſior fuerit, aut remiſſior) anima prima vegetativa è potentia materiæ educitur. Cujus ingens & probabiliſſima conjectura eſt, ſi non fallit nos Hippocrates, dum narrat, *genituram ſeptimo die habere quæcumque corpus habere debet*, id eſt, prima & tenuiſſima omnium partium ſpermaticarum filamenta, ut Medici interpretantur, oculis etiam utcumque conſpicua; ſi aquæ frigidæ ad condenſationem, immergantur. Nec tantam rudimentorum intra ſeptimum diem accelerationem valde mirabitur, ſi quis naturæ celeritatem in alijs ſimilibus operibus cogitet. Nam plurima animalia inſecta & imperfecta, non tantùm ut fungi, una nocte, ſed pænè momento conformantur. Et nos olim in Meteorologicis quoſdam teſtes oculatos retulimus, qui ex gutta aquæ pluvialis in ferventem terræ puluerem cadente, ranunculum morâ ferè imperceptibili formari & omnibus ſuis membris exprimi vidiſſe ſe jurabant. Quibus etiam conſentit Auguſtinus. *Ranas*, ait, *repentè ex una pluvia, terra generat.* [S. Aug. lib. 6 c. 8. contra Fauſt.]

Fortaſſe autem poſt alteram hebdomadam, id eſt, circa diem decimum quartum, in fœtu humano anima ſenſitiva vialis ſuccedit, ſi talem aliquam admittere oportet; quod poſtea

diſputa-

diſputabimus. Solet enim natura in multis operibus ſuis per hebdomadas procedere, Deum quaſi imitata, qui Mundi opificium hebdomade dierum complevit. Gen. 2.

Vnde Fernelius teſtatur, die *decimo quinto conſpicuas eſſe partes, ſubſtantiâ & ſitu diſcretas.* Vel certè, non niſi exactâ tertiâ hebdomade, hoc eſt, circiter primum & vigeſimum diem, anima ſenſitiva inducitur; præſertim in femellis, quorum architectura, propter ſeminis frigus, lentiùs procedit. Fernel. lib. 7. c. 10. Phyſiol.

Non eſt autem differendus animæ ſenſitivæ in fœtum ingreſſus uſque in tempus quo prægnans motum illius animalem percipere incipit. Aliàs non niſi quadrageſimo ſecundo die, aut etiam tertio menſe, imò interdum ſolùm quarto, anima ſenſitiva adveniret. Nam *ſive mas, ſive femina geritur,* inquit Fernelius, *aliæ prægnantes ſemper die quadrageſimo ſecundo, aliæ menſe tertio, aliæ nonniſi medio prægnationis curſu fœtum loco dimoveri ſentiunt. Eadem quoque prægnans,* addit, *aliàs ſecundo & quadrageſimo die, aliàs quarto menſe primos motuum inſultus obſervat; cùm quaſi volitantis muſcæ excuſſionem, vel titillationem percipit.* Hæc igitur titillatio non eſt ſignum geniti jam primùm animalis, ſed ſatis ad motum validi, ſiccatis utcumque nervis & alijs inſtrumentis motùs. Ipſe tamen Fernelius, non ante diem trigeſimum ſextum, animam ſenſitivam ſuccedere vegetativæ credit. Ita enim accipio quod ait, *ſenſûs facultate fœtum illuſtrari circa diem ſextum & trigeſimum.* Meo animo, nimis tardè. Nam circa hos dies omnia ad introductionem animæ rationalis ſunt præparata; nec opus eſt animam ſenſitivam pro tantillo, aut nullo tempore inter vegetativam & rationalem interjecto, intercedere. Quo verò tempore anima rationalis corpori inſinuetur, innumerabiles & longè diſſidentes Medicorum ac Philoſophorum ſunt ſententiæ. Ibid. c. 11. Ibid. c. 10.

Stoici exiſtimant non in utero, ſed *effuſo iam partu*, ut ait Tertullianus, advenire. Credunt enim, carnem in uteri fornace fumantem debere contactu & rigore externi aëris refrigeſcere, velut ferrum candens immerſum aquæ, ut humanam animam ſuſcipiat. Stoicos Baldus, Decius, & alij quidam IC. ſecuti videntur, qui docent *nondum natum, non eſſe hominē re, ſed* Tertull. c. 25. de anima. l. eum inter. C. de fidei com. liber.

 ſolùm

Navarr. c. Si quis necand. *ſolùm ſpe*, ut refert Navarrus, damnans tanquam fidei Catholicæ contrarium: & *multa ſolet Baldus dicere in ſuperficie pulchra*, inquit, *quæ tamen ſunt in receſſu dolanda*. Et ſanè Virgo non concepiſſet Deum in utero, nec Deipara eſſet, ſi anima Chriſti demum inſinuata eſt corpori poſt partum. Verbum enim divinum corpus illud non aſſumpſit, niſi anima rationali animatum.

Beda Io. 2. Beda, Henricus, Medina & compluſculi Theologi, diebus quadraginta ſex hominem putant ædificari in utero, quot Iudæi annis dicunt ædificatum ſuum templum Io. 2. *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc*. Quod S. Auguſtinus etiam refert tanquam à Philoſophis quibuſdam aſſertum. S. Auguſt. lib. 83. q. 56

Tradunt, inquit ibidem Beda, *naturalium Scriptores, formam corporis humani tot dierum ſpatio perfici. Quia primis ſex à conceptione diebus, lactis habet ſimilitudinem; novem ſequentibus convertitur in ſanguinem; deinde duodecim ſolidatur; reliquis decem & octo firmatur uſque ad perfecta lineamenta omnium membrorum. Et hinc jam reliquo tempore, uſque ad tempus partûs augetur*. Numeri verò iſti colligunt 45. Cui dies unus, inquit, adijciendus eſt, quo fœtus capere incipit incrementum.

En fabulæ & ſomnia quorundam illius ævi Philoſophorum, de converſione ſeminis in ſanguinem. Deinde de *templo hoc*, id eſt tertiæ & Herodianæ ædificationis, quod oculis cernebant, verba illa Iudæorum probabiliſſimè accipiuntur: quod tamen adhuc tunc poſt quadraginta ſex annos inchoati operis, & dudum poſtea uſque ad Neronis tempora, quantum ad aliquas porticus & cohærentia membra ædificabatur, ut ex Ioſephi Hiſtoria colligi poteſt. Aliàs principales partes, ſacrificijs & cultui divino deputatæ, ſolis novem annis cum dimidio, ut idem eſt auctor, ædificatæ & conſummatæ fuerant. Ioſeph. lib. 20. c. 8. Antiq.

Medin. 3. p. q. 33. Immeritò igitur Medina illam hominis in utero matris 46. dierum ædificationem, *veram Philoſophiam* appellat.

Alij diebus quadraginta maſculum, feminam octoginta formari docent. Colligunt hoc ex purgatione puerperæ, quæ ſeptem & triginta tribus, id eſt quadraginta diebus lege Levitici, ſi maſculum pepererit; ſi feminam, quatuordecim Levit. 12.

& ſexa-

& ſexaginta ſex, hoc eſt octoginta diebus, jubetur *manere in ſanguine purificationis ſuæ.* Nam Hippocrates tempora purgationis ſanguinis, humorum, ſecundinarum, & omnium excrementorum uteri poſt partum, ferè congruere ait cum temporibus, quibus maſculus aut femella conformantur & figurantur in utero. Si ergo tota purgatio à partu maſculi, cùm longiſſimè, ad quadraginta dies; à partu femellæ, ad octoginta extenditur: ergo maſculus quadraginta, femella octoginta diebus conformata fuit.

Verùm Hippocrates & Ariſtoteles negant eſſe perpetuum, ut purgationum tempora temporibus conformationum congruant. *Eſt enim hoc, & non eſt*, ut Laconiſmo ſuo & breviſſimè dicit Hippocrates. Deinde longiſſimam purgationẽ, poſt partum maſculi trigeſimo die, poſt partum feminæ, quadrageſimo ſecundo plerumque finiri docet. Vnde potiùs ſequitur, quod ſtatim dicturi ſumus, maſculum trigeſimo, feminam quadrageſimo ſecundo abſolvi. Deus autem lege illa Levitici partui maſculi quadraginta purgationis dies (unde totidem ſunt à Nativitate Chriſti ad Purificationem Virginis) octoginta verò partui femellæ conſtituit, ut tempus longiſſimum, ad quod unquam tenuiſſimæ purgationis reliquiæ pervenire poſſunt, comprehenderet. Alias enim vix, & ferè nunquam ad tot dies purgationes illæ protelantur. Etſi interim hoc verum ſit: puerperas à partu feminino diutiùs purgari; quia feminæ humidiores ſunt & magis excrementoſæ, quàm maſculi.

Inter tot igitur variantes & diſſidentes de tempore formationis fœtûs ſententias, nihil adhuc certius video, quàm quod divinus ſenex, ut Medici ſui eum vocant, olim dixit: Maſculum triginta diebus, *τὸ μακρότατον, ut longiſſimè,* feminam ut tardiſſimè, quadraginta diebus conformari. Hippocrat. lib de nat. pueri.

Huc enim, aut circiter, omnium ferè recentiorum Medicorum experimenta conveniunt. Vt mirum ſit, Ariſtotelem tam longè ab Hippocrate, cui in talibus ſe adjungere ſolet, diſceſſiſſe; ut dicat, ſi femineus fœtus per abortum *intra tertium menſem eruperit, ἀδιάρθρωτον, inarticulatum* & informem *ἐπὶ τὸ πολὺ ut plurimum*, apparere; qui autem *quatuor menſium eſt*, nondum

nondum quidem, *citò* tamen *reliquam articulationem accipere*. Incredibile enim eſt feminam tam tardè poſt maſculum, & triplo aut quadruplo tardiùs conformari. Cum tamen ipſe Ariſtoteles ibidem affirmet, *maſculum qui quadrageſimo die excidit, ſi in aquam frigidam mittatur, apparere magnitudine formicæ majuſculæ, & omnia membra diſtinctè, uſque ad genitalia, & oculos, ut in ceteris animalibus, prægrandes*. Et nuper virum fide dignum narrantem audivi, vidiſſe ſe abortum quem mater 39. dierum eſſe dicebat, magnitudine minimi digiti, ita omnibus membris expreſſum, ut etiam unguiculi apparerent.

Ariſt. lib. 7. c. 3. Hiſtor. animal.

Quomodo igitur fieri poſſet, ut maſculus non longè citiùs, quàm femella in lucem prodiret; ſi die quadrageſimo, aut antè, ſit exactè omnibus membris ſuis & numeris abſolutus, femina autem poſt quartum ſolum menſem illam perfectionem attingat? Et tamen in omni genere animalium maſculi ad partum feſtinare vix ſolent ante femellas. Gallina enim uno incubatu gallinas ſimul excludit cum gallis; ſus eodem partu ſuculas effundit cum porcellis: & in ſpecie humana, mater gemellos diverſi ſexûs enititur, inter quos femella etiam non rarò ante marem exit. Omnium tamen confeſſione, maſculi ſtructura ab uberiore & magis artifice calore celeriùs perficitur, licet femina non tardiùs ad partum veniat; quia ubi omnibus artubus ſemel expreſſa fuerit, citiùs maſculo, non tantùm extra uterum, ſed in utero ſua incrementa rapit.

Quomodo deinde non longè citiùs mas quàm femina, in utero matris movetur, ſi tot diebus, imò menſibus, ante feminam omnibus ſuis membris ſit expreſſus? Et tamen *certè*, inquit Fernelius, *ſive mas, ſive femina geritur, aliæ prægnantes ſemper die quadrageſimo ſecundo, aliæ menſe tertio &c. loco dimoveri fœtum ſentiunt*.

Fernel. lib. 7. c. 11. Phyſiol.

Si autem maſculus proximè à quarti ſeptenarij fine, id eſt, circiter diem trigeſimum, femina ſexto ſeptenario exeunte, hoc eſt, die quadrageſimo ſecundo, ut Hippocrati & nobis placet, perfectam undique humani corporis plaſticam & effigiem habet; nihil profectò cauſæ jam eſt, cur animæ rationalis adventus differatur in longius. Figura enim corpuſculi indi-

indicat ceteras materiæ diſpoſitiones adeſſe, quas anima humana poſtulat. Hinc Canones, & jura civilia homicidij reos habent, qui *παιδίον ἐξεικονισμένον puellum effigiatum* humanâ effigie, aut medicamentis abigunt, aut in utero occidunt. De qua re, & verſione illa ſeptuaginta Interpretum Exod. 21. *Si puellus effigiatus fuerit, dabit animam pro anima*, ſatis diſſeruimus Lib. 1.

c. Moyſes 32. q. 2.

l. Cicero D. de pœnis.

Deinde Ritualia Sacramentorum baptizari jubent omnes infantes, etiam abortivos, ſi vivant & *humanam habeant ſpeciem*; tanquam ſi externa hominis ſpecies certum ſit animæ rationanalis argumentum.

Videtur autem à Conditore ſapientiſſimè proviſum, ne ante perfectam hominis effigiem, anima rationalis informe ſubiret corpuſculum. Nam aliàs innumeræ animæ, in Chriſto non renatæ, perirent, ut cum S. Anſelmo antea monebamus. Et Hippocrates narrat, *meretrices publicas, ubi cum viris rem habuerunt, ſcientes quando conceperint, mox conceptum intra ſe perimere.* Eâdem providentiâ factum, ut, Ariſtotele teſte, plerique abortus ante diem quadrageſimum accidant, id eſt, ante animæ rationalis creationem, & ingreſſum in materiam nondum omnibus ſuis membris & numeris abſolutam; ne tot, inquam, homines interficiantur, quot feminæ abortiunt.

Hoc tamen dubitationem facere poteſt, quòd Fernelius, Laurentius, Fienus, & ferè Medici recentiores, ſtructuram iſtam maſculi fœtûs die trigeſimo, & feminini die quadrageſimo ſecundo, femineam tantùm eſſe dicant. *Hactenus, enim,* inquit Fernelius, *ſola exiſtit ſolidarum partium conformatio ex puro ſemine; quod quantulumcumque initio conceptum à parentibus, id nihil auctum, nihil amplificatum, ſatis eſt partibus omnibus confirmandis.* Igitur nec hactenus aut hepar, aut cor, aut cetera parenchymata, ſanguineæque partes conformatæ ſunt; cùm nondum per umbilicum ſanguis maternus in viſcera infantis attractus ſit, ex quo partes illæ, omnium conſenſu, concreſcere debent.

Fernel. lib. 7. c. 10. Phyſiol.

An ergo anima rationalis corpus illud purè ſemineum, adhuc excors poterit informare? Quàm ergo longè aberravit

Ariſtoteles, quando dixit, cor animalis primum vivere, ultimum mori! Certè non primum vivit, ſi cerebrum, nervi, venæ, arteriæ, & univerſæ partes ſemineæ animentur, antequàm parenchyma cordis fabricetur. Antea quippe nervi, & fibræ quædam ſemineæ, tanquam ſtamina & fila aranearum, loco cordis tantùm erant, quorum ſpacia & intervalla, ad fabricam perfecti cordis, materno ſanguine replenda & infercienda ſunt. Quis autem credat, animam rationalem, ante cordis, id eſt nobiliſſimi viſceris, & fontis vitæ totius ſtructuram, corporis domicilium ſubire? Certè non credo.

Vnde fortiter aſſero, maſculum trigeſimo die, femellam quadrageſimo ſecundo non eſſe excordes; aut ſi tunc corda eorum nondum perfecta & fabrè ſatis facta ſunt, aliquot dies expectari oportere (nec enim tempus hoc, omnium conſenſione, conſiſtit in indiviſibili) donec cordis & hepatis, quæ maximè vitalia viſcera ſunt, parenchymata concreverint, & numeris ſuis abſoluta ſint. Circa verò dies illos abſolvi, patet illuſtri Fernelij experimento, qui in fœtu quadraginta dierum abortivo, *hepar rubrum, amplum, & recèns concreto ſanguini ſimile*, ſe notaſſe narrat.

Galen. lib. de fœt. format. Et ante ipſum Galenus: *In aborſibus fœtuum ſupra triginta dies*, inquit, *propè inter ſe ſita manifeſtè apparent tria hac animalis membra, hepar, cor, cerebrum; atque maius utriſque alijs hepar.* Additque adverſus Ariſtotelem, cum aſſenſu ſuorum Medicorum, hepar ocyùs quàm cor abſolvi; quia *celerrimam*, inquit, *generationem hoc viſcus ex ſanguine habet, ut pote quòd ſubſtantiam ipſi quàm ſimillimam poſſideat.* Nihil enim aliud videtur eſſe hepar, quàm duriuſculè concretus ſanguis.

ARTICVLVS XVII.

An inter animam vegetativam embryonis, & rationalem, neceſſe ſit animam ſenſitivam intercedere.

S. Th. lib. 2. c. 89. contra Gent. PLurimi id exiſtimant, & S. Thomas apertè. *Anima vegetabilis*, inquit, *quæ primò ineſt, cùm embryo vivit vitâ plantæ, corrumpitur, & ſuccedit anima perfectior, quæ eſt nutritiva & ſen-*

& ſenſitiva ſimul. Et tunc embryo vivit vitâ animalis. Hâc autem corruptâ, ſuccedit anima rationalis ab extrinſeco immiſſa, licet præcedentes fuerint virtute ſeminis.

Colligunt verò ex Ariſtotele, qui non tantùm animam θρεπτικὴν *vegetativam*, ſed etiam αἰσθητικὴν *ſenſitivam* præcedere dicit. Οὐ γὰρ ἅμα γίνεται ζῶον καὶ ἄνθρωπος, οὐδὲ ζῶον καὶ ἵππος. *Non enim,* inquit, *ſimul fit animal & homo, neque animal & equus.* Additque, *eandem eſſe rationem de quocumque alio animali.* Ariſt. lib. 2. c. 3. de gener. animal.

Vnde docere videtur, non tantùm ante animam rationalem hominis, ſed etiam ante ſenſitivam equi, ante ſenſitivam bovis, canis &c. præmittendam aliam ſenſitivam vialem, quæ ad ultimam, ſpecificam, & permanentem ſenſitivam equi, bovis, canis &c. materiam præparet. Quæ tamen animarum ſenſitivarum multiplicatio videtur ſuperflua; cùm ab anima vegetativa ad ſenſitivas ſpecificas equi, bovis &c. proximè, nullius aliûs animæ ſenſitivæ interjectu, tranſiri poſſit.

Non enim, ut opinor, anima ſenſitiva vialis ſuccedere animæ vegetativæ poteſt, niſi poſt hepatis, cordis, cerebri conformationem. Atqui hæc conformatio tunc demum abſolvitur, quando anima ſenſitiva ſpecifica equi, bovis &c. imò rationalis, in fœtum poteſt & debet induci.

Nam in fœtu humano, ut antè diſſeruimus; ſi maſculus eſt circa diem trigeſimum; ſi femina, circa quadrageſimum ſecundum, hepatis & cordis ultima ſtructura perficitur; & tunc tamen domicilium eſt ſatis ad animæ rationalis ſuſceptionem inſtructum, ut ex Hippocrate docebamus. Quid igitur opus, aut quis uſus præmittere ei ſenſitivam irrationalem? Quid ibi agat? An ut habitaculum animæ rationali conſtruat; quod jam ſatis ab anima embryonis vegetativa eſt factum?

Non ut conſtruat, ſed ut poliat & perpoliat, fortaſſe inquient.

Sic ſanè in veri ſpeciem reſponderi poteſt; ſed quæ tamen fortè evaneſcet, ſi res intrò & ſub cute ſua inſpiciatur. Non enim propriè eſt ullius animæ ſenſitivæ officium, membra conformare, aut perpolire; ſed membris factis & perpolitis uti, ac operationes ſuas ſenſitivas, id eſt motum localem animalē,

& functiones ſenſuum, per ea, tanquam inſtrumenta, exercere. Vnde anima ſenſitiva, ut talis, perinde ac rationalis inquilina tantùm eſt, non architectrix humani corporis. Duo verò ſunt alij artifices & architecti, nempe ſpiritus ſeminis, & anima vegetativa; quæ opus à virtute conformatrice ſeminis inchoatum ſuſcipit, & appoſito ſingulis membris, ipſiſque configurato alimento, omnia in majus provehit, perficit & polit. Igitur non opus ulla anima viali ſenſitiva, quæ rationali locum & domicilium præparet, cùm illud virtus ſeminis, & deinde anima vegetativa totum abſolvere valeant.

Andr. Laurent. lib. 8. c. 13. Anat. Deinde idem ex molis, & humani partûs erroribus oſtendi poteſt. Molæ enim *vacua ſunt omni animali motu; neque enim mola movetur, niſi ad uteri motum*, inquit Laurentius, & Medici paſſim, quos longo ordine apud Schenkium videre licet. Et tamen, ſi anima ſenſitiva inter vegetativam & rationalem interjici neceſſariò deberet, molæ, & alij irriti partus, ante animæ rationalis introductionem intercepti, animâ ſenſitivâ viali animati quandoque apparerent; quod refellunt experientia & Medici. Nam levis quarumdam molarum palpitatio, non ab anima ſenſitiva, ſed à ſpiritibus molæ incluſis excitari videntur; veluti etiam bovis recenter mortuæ carnes à ſimilibus ſpiritibus ſubſiliunt & moventur.

Si objicias, animalia bruta, quæ Medici Itali, per deriſum, *fratres Lombardorum* vocant, naſci interdum ex puerperis, loco humani partûs: ergo anima ſenſitiva rationem antecedit.

Reſp. Anima ſenſitiva iſtorum Lombardorum non eſt vialis ad animam rationalem, ſed eſt anima ultima & ſpecifica alicujus monſtri, ex ſemine humano & ſpurcitijs uteri, fermentati. Virtus enim conformativa humani ſeminis impedita & interpellata, à ſcopo ſuo delirat, & cùm hominem formare incœperit, deviat, & finit in brutum. Vnde villis, unguibus, roſtro, monſtra illa interdum armata ſunt; ut illud Zelandicum, quod narrat Lemnius à ſe viſum, *adunco roſtro, longo teretique collo, vibrantibus oculis, cauda acuminata, eximia pedum agilitate, conclave ſtridoribus implens, atque ultro citroq; diſcurrens.* Lemn. lib. 1. c. 8. de occult. Quæ profectò operationes, ab illius animæ ſenſitivæ operationibus

tionibus, quæ materiam ad animæ rationalis ſuſceptionem præparare debet, longiſſimè abſunt. Anima igitur ſenſitiva vialis, ut ſuperflua, expungenda videtur. Quod Medici illi fortaſſe ſignificant, qui nullum tempus illi animæ ſenſitivæ conſtituunt, ſed ſimulatque fœtus humanus ſentire incipit, animam rationalem intraſſe conjectant; quaſi animæ ſenſitivę tantùm gradus cum gradu rationali in eadem anima conjunctus, non aliqua anima ſenſitiva diſtincta, tunc inducatur.

Ad quartum & quadrageſimum diem, inquit Lemnius, *cæteræ partes conformantur, fœtuſque vitalis eſſe ac ſentire incipit, licet ob imbecillitatem aut non moveatur, aut tanta debilitate, ut geſtans id ſentiſcere nequeat. Hoc itaque tempore anima rationalis uterum ſubire creditur, ac naturales facultates ſeu potentias vi ſua imbuere, totumque opificium perficere.* Ecce, quomodo fœtum ſimul *incipere ſentire, & animam rationalem uterum ſubire* dicat. Ibid. c. 10.

Nec repugnat fortaſſe Ariſtoteles, ſed tantùm vult operationes animales in fœtu humano præcedere rationales; quod alibi diſertè. *Vt corpus*, inquit, *in generatione antecedit animam, ſic pars irrationalis antecedit eam partem quæ habet rationem. Patet id in pueris, quibus ſtatim ira, & voluntas, & concupiſcentia exiſtit: at ratio & mens procedente ætate in illis fieri natæ ſunt.* Ariſt. lib. 7. c. 15. Polit.

Vbi ait, in pueris *partem irrationalem antecedere eam partem quæ rationem habet*, quia operationes puerorum initiò irrationales ſunt, & paulatim, diducente & explicante ſe ſcintilla rationis quæ in corpuſculo latebat, rationales efficiuntur.

In eandem ſententiam duci poteſt Galenus, dum refutat opinionem, qua cum Ariſtotele docuerat, *cor, tanquam quoddam generationis fundamentum, formari circa primos geſtationis dies: quia*, inquit, *reliquis omnibus Medicis & Philoſophis complacitum eſſe reperi, fœtum uſque ad manifeſtam effigiationem, ſimiliter ut plantas gubernari; ac proinde cor in principio inutile eſſe.* Si ergo fœtus *uſque ad manifeſtam effigiationem*, excors eſt, & non ut animal, ſed ut planta gubernatur; igitur ab anima vegetativa immediatè ad rationalem tranſitur; quandoquidem tam Medici, quàm ſacri Canones ex manifeſta hominis effigiatione colligant animæ rationalis præſentiam. Galen. lib. de format. fœt.

Vt tamen nihil diſſimulem, S. Thomæ opinio retineri poteſt, ſi dicas, gradum vegetativum incluſum in anima ſenſitiva viali, eſſe altiorem & nobiliorem, quam ſit in anima primâ purè vegetativâ embryonis; & eſſe neceſſarium, breviſſimo ſaltem tempore ante animæ rationalis adventum, ut per illum humana complexio abſolvatur, & occultæ fortaſſe quædam qualitates introducantur, quibus materia ad humanam animam ultimò diſponatur.

Tales enim occultas qualitates, præter quatuor primas, doctiſſimi quique Medicorum admittunt; nec aliter explicari poſſe credunt, cur uni animali cicuta, aranea, bufo &c. ſit venenum mortiferum, alteri non. Apparet igitur, malignam veneni qualitatem occultæ diſpoſitioni unius animalis repugnare, alterius minimè.

Vnde & in brutis fortaſſe anima ſenſitiva vialis retineri etiam poterit, quæ occultas qualitates introducat, quibus anima ſenſitiva ſpecifica ultima (exempli causâ, capreæ, aut coturnicis) adverſus venena quædam muniantur, quibus animalia iſta veſci & pingueſcere ſolent.

Quanquam tamen profectò occultarum iſtarum qualitatum quędam rudimenta ſeminibus illorum animalium à principio inſint, ut doctiſſimi Medicorum mecum exiſtimant. Vnde illa fortaſſe ſatis excitari, & perfici ab anima vegetativa viali poſſunt; ut neceſſe non ſit, ad eum finem, alteram animam vialem ſenſitivam ipſi ſuccedaneam dare, ante ultimæ animæ introductionem.

Fernel. lib. 7. c. 5. Phyſiol.

Multi quoque cenſent, qualitates animantium occultas, non ab anima vegetativa, ſenſitiva, aut rationali; ſed à formis quibuſdam inanimatis, ut carnis, oſſis, nervi, cordis, hepatis, ventriculi &c. dependêre. Varias enim formas ſubſtantiales heterogeneas, ut vocant, ſingulis membris & partibus animalium inculcant. Quorum tamen Philoſophiam Lib. 1. non probavimus.

ARTICV-

ARTICVLVS XVIII.

Quænam cauſa principalis efficiens introductionis animæ in materiam fœtus.

HÆc quoque quæſtio rixas inter Philoſophos ſerit. Virtus enim conformatrix, & alterativa fœtûs non videtur eſſe, niſi cauſa inſtrumentalis, ſive ad educendam è potentia materiæ animam mortalem plantæ & bruti, ſive ad uniendam materiæ animam immortalem hominis. Eſt enim virtus illa tantùm accidens, quod ignobilius eſt ſubſtantiâ animæ, aut modo ſubſtantiali unionis, quo anima rationalis corpori ſuo fibulatur & nectitur.

Quærenda ergo eſt cauſa alia principalis, quæ effectũ illum nobilitate ſuperet, aut adæquet. Cùm enim omnium Philoſophorum conſenſu, cauſa principalis effectum ſuum continere debeat, ut illum quodammodo ex ſe profundere poſſit; neceſſe eſt, ut perfectio effectûs in perfectione cauſæ includatur; quod fieri non poſſe videtur, niſi perfectio cauſæ æqualis ſit, aut amplior quàm perfectio effectûs. Vnde neque forma ſubſtantialis ſeminis, animam catuli, aut bovis producere, ut cauſa principalis, poterit; quia forma ſeminis imperfectior eſt quàm anima parentum, à qua in teſtibus actione æquivocâ producta fuit: ergo etiam imperfectior quàm anima fœtûs, quæ perfectione animam parentum adæquat.

Hinc nec ad cæli formas recurrere poſſumus; cùm cæli ſint inanimes, & proinde formæ eorum, excellentiâ vincantur non tantùm à brutorum, ſed etiam à plantarum formis,

Subtilis Scotus inter has anguſtias compreſſus, ait animam matris eſſe cauſam principalem generationis fœtûs. Nam licet pater abſens, imò fortè mortuus ſit; mater tamen embryonem utero fovens, propinquiſſima eſt; ut facilè intelligi poſſit, quomodo ejus anima quæ uterum informat, in inſtanti ſubſtantialis generationis, animam fœtûs bruti è potentia materiæ educat, aut animam infantis hominis, materiæ uniat. Scot. 3. d. 4.

Nec

Nec deeſt ei vis activa ad illum effectum; cùm in nutritione ſui proprij corporis, anima bruti particulas animæ ſibi ſimiles in materia alimenti producat; anima verò rationalis novis unionum nexibus ſe replicet & extendat.

Quod à ſimili confirmari poteſt. Nam actio uteri in ſemen utriuſque parentis, & embryonem qui inde fermentatur, ſimilis quodammodo eſt chyloſi qua ventriculus chylum, aut chymoſi qua jecur chymum concoquit. Igitur veluti anima ventriculi poſt prævias diſpoſitiones, formam chyli, & anima jecoris formam chymi (id eſt formas quatuor humorum, qui in chymo continentur) producit; ita & anima uteri materni, poſtquam ſemina ſatis fermentaverit & percoxerit, primò animam vegetativam vialem, deinde ſenſitivam producet; ac denique in humano fœtu, animam rationalem divinitus creatam, corpuſculo ſuo, injectâ unionis fibulâ, alligabit.

Et augetur hæc veriſimilitudo. Quia fœtus adhæret matri, ut fructus arbori: fructus autem animam ſuam ab anima arboris accipit; ergo & fœtus ſuam ab anima matris.

Fateor ſanè, primâ ſpecie probabiliſſimè iſta diſſeruntur. Sed ecce, ſi altiùs inſpectes, quæ difficultates ſe objiciant.

Nam in primis, communis Philoſophorum ſenſus eſſe videtur, feminam in animalibus eodem fermè modo generare in utero prolem, quemadmodum terra in ſe conformat & generat plantam. Sed forma terræ (utpote ſimplicis & omnium ignobiliſſimi elementi forma) animam plantæ, ut cauſa principalis producere non valet; igitur neque neceſſe eſt, ad animam matris recurrere, quæ animam prolis vel producat, vel corpori ſuo ſubſtantialiter uniat.

Deinde quænam eſt cauſa principalis, in omni avium genere, producens animam pulli? An fortè anima volucris, quæ incubat ova? Non credo. Quomodo enim anima vilis gallinæ, quæ aquilina, aut pavonina ova interdum fovet, nobilem aquilæ, aut pavonis animam poteſt educere? Deinde *ova Ægypti, fimo obruta, pullaginem*, inquit Ariſtoteles, *procreant.* Atqui hîc nulla mater eſt, quæ ea ova poſſit animare. Livia Auguſti uxor *ovum incubanti gallina ſubductum nunc ſua, nunc miniſtra-*

Ariſt. lib. 6. c. 2. Hiſtor. animal.

Sueton. Tiber. c. 14.

miniſtrarum manu per vices, eòuſque fovit, quoad pullus inſigniter criſtatus excluſus eſt: an ergo anima Liviæ Auguſtæ, aut miniſtrarum, pulli animam valuit procreare? Etſi enim anima rationalis nobilior ſit quàm gallinacei; non tamen quidlibet nobilius poteſt ſtatim ſine diſcrimine ignobilius producere. Aliàs anima humana aſinum, bovem, & quamlibet beſtiam poſſet generare.

Vnde nec fratrum Lombardorum, nec Satyrorum, & monſtrorum, quæ in uteris feminarum interdum fabricantur, irrationales animæ, ab anima rationali uteri procuduntur.

Terra quoque pluvijs, uligine, & ſpurcitijs fermentata ranas, ſerpentes, mures, & tot animalia ſine alio ſemine, & extra maternos uteros gignit; quis ergo uterus hîc earum animarum erit artifex?

Ad hæc, omnium ferè plantarum ſemina ſolo terræ & ſolis fotu animantur; forma tamen terræ, imò ſolis & cæli vulgò ignobilior, quàm viliſſimæ plantulæ animula reputatur.

Antequam dicam quod ſentio, hoc raptim fundamentum ſubijcio. Cauſam primam Deum paulò intimiùs & penetrabiliùs, ut ſic dicam, in effectus cauſarum ſecundarum influere, quàm quidam hodie Philoſophi exiſtiment.

Deus enim *operatur omnia in omnibus*, inquit Apoſtolus. Quod interpretans ibi S. Thomas, *ſicut prima cauſa*, inquit, *creans omnes actiones*. Et *ne tamen aliæ cauſæ*, ait, *videantur eſſe ſuperfluæ*, *ſubdit* (in omnibus) *quia in cauſis ſecundarijs prima cauſa operatur.* 1. Cor. 12

Operatur, inquam, actiones earum ac terminos actionum *creans*; id eſt, per eſſentialem aliquam, & profundiſſimam, ut ita dicam, dependentiam è nihilo ſuo extrahens. Niſi enim tali influxu & dependentiâ cauſam ſecundam adjuvaret, hæc nunquam effectûs ſui, qui antea nullibi & nihil erat, exiſtentiam attingere, & ex nihilo ſuo attollere poſſet.

Hinc Philoſophi olim, qui aut Deum, aut ejus cum cauſis ſecundis concurſum ignorabant, nihil etiam novum in Mundo fieri, ſed omnium effectuum exiſtentiam in materia, aut alibi deliteſcere exiſtimaverunt. Omnis enim effectûs creati exi-

ſtentia eſt per ſe, eſſentialiter, & indiſpenſabiliter ab aliqua exiſtentia immutabili dependens, non tantùm in facto eſſe, ut loquuntur, ſed maximè in fieri; quando nempe, è nihilo ſuo proximè extrahitur, & à non eſſe ad eſſe transfertur.

S.Th.lib.3. c.89.contra Gent. Sic veriſſimum eſt, quod Philoſophi diviniores olim, & S. Thomas ait, *Omnem virtutem activam naturæ comparari ad Deum, tanquam instrumentum ad primum & principale agens.* Nam omnis cauſa ſecunda, etiam illa quam cauſam principalem ſecundam appellamus, Dei eſt inſtrumentum adjuvantis & elevantis ipſam, ut effectui, qui de ſe nihil eſt, exiſtentiam dare poſſit. Nam ſicut exiſtentia effectûs eſſentialiter poſtulat exire in lucem per Dei productionem; ita, ſi cauſa ſecunda huic operi ſe immiſceat, poſtulat ut inſtrumentaliter tantùm & ſub manu Dei adjuvantis & principaliter extrahentis, ac ipſam actionem cauſæ ſecundæ ſuſtentantis, hoc faciat. Eadem mens videtur eſſe S. Auguſtini, quando toties negat

S. Auguſt. lib.12.c.25. Civit. cauſas ſecundas creare, aut condere effectus ſuos, & dare *ut naturæ omnino ſint.* Vnde *feminam*, inquit, *ſui puerperij creatricem appellare non debemus.* Quippe *naturam illam quæ gignitur, tam ipſa non fecit, quàm nec ipſa ſe fecit.*

Hic ergo primus & generalis modus eſt, quo cauſa prima *vehementiùs agit*, quàm ſecunda, ut loquitur S. Thomas.

Secundus modus vehementiùs agendi eſt, *Cùm actio princi-*

S.Th. ibid. *palis agentis pertingit ad aliquid in operato*, ait idem Sanctus, *ad quod non pertingit actio inſtrumenti.* Et exemplo rem declarat: *Sicut vis vegetativa*, inquit, *ad ſpeciem carnis producit, ad quam non poteſt producere calor ignis, qui eſt eius inſtrumentum; licet operetur diſponendo, reſolvendo, & conſumendo.* Similiter, addit, *actio Dei producit animam humanam, quam virtus ſeminis producere non poteſt, ſed diſponit ad eam.*

Nec tantùm in hominis generatione, ſed & multorum aliorum animalium, ac omnium plantarum, quæ vel ex ſemine, vel ſponte naſcuntur, actio cauſæ primæ ad effectum aliquem penetrat, quò actio inſtrumenti penetrare non valet. Nec hoc facit Deus, defectũ cauſę ſecundę principalis propriè ſupplendo, ut quidam loquuntur, ſed ex proprio cauſæ primæ officio.

officio. Effectus enim talis nullam cauſam ſecundam principalem, ſed inſtrumentalem tantùm habet, per quam, ſub vnica principali generaliſſima Dei omnipotentia, in lucem exire poſtulat. Si enim tales effectus cauſam principalem creatam flagitarent, ſapientiſſimus univerſi Conditor, qui *omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuit*, cauſas illas principales ubique, aut pluribus locis diſpoſuiſſet, ut illi effectus per ipſas in lucem prodire poſſent; nec opus eſſet tam ſæpe ad cauſam primam, tamquam ſupplentem defectum ſecundarum, recurrere. Eſt enim mali & turbati regiminis ſignum, quando inferiorum defectus paſſim per ſuperiora corrigi, aut ſuppleri debent. Sap. 11.

Igitur aio, omnium in primis plantarum ſemina terræ mandata; item quæcumque è terrâ cæleſtibus influentijs fermentatâ, ſponte naſcuntur, à Deo ſolo, ut cauſa principali, animari. Idem dicito de animalium inſectorum volucrum, aut involucrium infinitis fermè ſpeciebus, quæ ex putri, aut exhalationis vaporiſque permixtione oriuntur. Horum enim univerſim nec in terra, nec in aquis, nec in aëre, ulla cauſa principalis aſſignari, & diſponi bellè & convenienter potuit, quæ materiam ab inſtrumentis creatis præparatam animaret. Nam forma cæli, terræ, ac omnium elementorum ignobilior eſt animâ vegetativâ, aut ſenſitivâ, quæ in fine alterationis & actionis inſtrumentorum, introduci debet.

Diſpoſuit igitur in univerſo Deus cauſas inſtrumentales alterantes & conformatrices, ut cælum, terram, ac elementa, quæ materiam generationi talium viventium fermentarent ac præpararent; ipſe verò, naturâ rerũ & univerſi Oeconomiâ hoc flagitante, cauſæ principalis munus ſolus in ſe ſuſcepit, & in ejuſmodi effectus duplici modo *vehementiùs*, ut loquitur S. Thomas, & penetrabiliùs, quàm inſtrumentum creatum, *agit:* quia & in ipſa alteratione & conformatione, actionem inſtrumenti ſuſtentat & adjuvat, ut proprium effectum ſuum è nihilo extrahere valeat; & inſuper penetrat in effectum alium ulteriorem, quæ eſt anima animalis aut plantæ, quam inſtrumentum principaliter attingere non valet.

Idem prorſus ſentio de omnibus animalibus, quæ ex cete-

rorum animalium ſudore, aut vitioſâ putredine, ſive in ſuperficie corporis, ſive in viſceribus conformantur.

Nec enim exiſtimo animam noſtram rationalem habere vim naturalem producendi animas pulicum, ſyronum, lumbricorum, aut fratrum Lombardorum, muſtelarum & ſimilium monſtrorum, quæ aliquando in uteris feminarum naſcuntur.

De toto deinde avium genere, quæ ovis incubatu, aut aliter fotis excluduntur, idem omnino judicium.

Gallinæ quippe incubantis anima non poteſt animam pulli pavonis, cujus ovis incubat, producere, nec curruca animam cuculi, nec anima picæ animam pulli gallinacei, quem hîc in horto Clar.mi I. C. Io. Bapt. Seſtich à pica fotum & eductum nuper riſimus.

Si autem pica gallinacei animam fabricare, ut cauſa principalis, non poteſt, metuo ne non ſui generis etiam pulli animam valeat excudere. Eodem enim prorſus modo pica gallinæ & ſua ova fovet, & ſimili calefactatione ad utriuſque conformationem & generationem concurrit. Hoc eſt, excitando virtutem maſculini & feminini ſeminis, quæ in ovis latet.

Vnde ſi ova ſint pavonina, virtus ſeminis, pullum pavonis, non gallinæ, quæ fortè incubat, conformabit. Quod argumentum eſt, alterationem & conformationem materiæ, principaliùs fieri virtute ſeminis, quàm à calore gallinæ incubantis.

Deinde calefactio iſta gallinæ non magis eſt actio vitalis, quàm illa quâ nos manu aliquid apprehenſum calefactamus. Anima enim noſtra calefactioni rerum, quæ extra corpus noſtrum ſunt, non ſe immiſcet, ſed illam actionem totam calori, qui temperat carnem, committit. Vnde Liviæ Auguſtæ anima non magis vitaliter in calefactionem ovi, unde pullum excluſit, influebat, quàm fimus, aut fornaces Ægypti, à quibus Ariſtoteles & alij narrant, pullorum cohortes facillimo negotio excludi.

Suet. c. 14. Tiber.

Si verò anima incubantis gallinæ non influit vitaliter & ſecundùm

ſecundùm ſe in alterationem ovi, ſed ſolus ejus calor id facit; profectò vix crediderim, in fine alterationis, & ultimæ diſpoſitionis ad animam, productionem animæ pulli phyſicè ab ea attingi. Nam, juxta communem & veriorem Philoſophiam, nullum naturale agens agit in remotum, niſi priùs per totum medium actionē ſuam ſpargat & exerceat. Ageret verò anima avis incubantis intra ovum immediatè ut in diſtans, ſi animam pulli produceret, & nihil tamen in corticem ovi intermedium; quandoquidem ad calefactionem corticis & ſpatij medij uſque ad germen unde pullus pullulat, ipſa nihil efficiat.

Tranſeamus jam ad animalia vivipara, quæ fœtus ſuos intra ſuos uteros fermentant & gignunt. Hîc ſine dubio, major in ſpeciem probabilitas eſt, animam fœtûs ab anima matris produci. Videtur enim, quòd quemadmodum ventriculus in chylum, jecur in chymum, cor in ſpiritus vitales, cerebrum in ſpiritus animales actione vitali agunt, ut Medici cenſent; ita uterus in ſemen & materiam fœtûs, alterando & fermentando ipſam. Vnde actionem ſuam uſque ad productionem animæ fœtûs continuare poterit; ubi tota alteratio abſoluta & ultima diſpoſitio inducta erit. Ita enim aget in diſtans, ut etiam in venas & arterias umbilicales, quibus fœtus ab utero dependet, ac per ſecundinas omneſque membranas fœtum involventes, vitaliter aliquid, uſque ad centrum & corpuſculum fœtûs, agat.

Sic in animalium ſaltem viviparorum generatione, locum non difficilem, opinor, inveniet opinio Scoti, qui conjectat, animam matris eſſe cauſam principalem animæ fœtûs; præter hominem, cujus anima à Deo creari debet.

Sed tamen dum etiam cogito, Ariſtotelem & S. Thomam nolle feminas activè ad generationem concurrere, ſed omnem activitatem à ſemine maſculino eſſe, avertor nonnihil ab ea ſententia.

Nam ſi ea vera eſt, omne animal viviparum plus activitati matris quàm patri debebit; cùm ab illa non tantùm diſpoſitiones accidentales, ſed formam ipſam & animam accipiat. In partu autem humano, etſi animam mater non creabit,

unionem tamen ejus ſubſtantialem cum corpore, principaliter efficiet. Deinde cùm vis, aut voluptas (quod Plinius in Africæ regionibus ſolemne eſſe dicit) animalia diverſæ ſpeciei inter ſe miſcet; ut ex equa & aſino naſcatur mulus, ex cane lupoque crocuta, ex homine & bruto Satyrus &c. crediſne, animam mediæ illius ſpeciei ab anima matris (ut animam muli ab anima equæ) produci? Ego certè nondum credo. Sic enim animam equæ infinitarum animarum diverſæ ſpeciei effectricem dicere oporteat; prout aut aſinus, aut camelus, aut bos &c. cum equa coire, & ſemina coagulari contigerit.

Res verò adhuc certior eſt, quando femina à maſculo nobilioris ſpeciei, ut pardalis fortè à leone concipit. Tunc enim anima fœtûs (quia aliquid de generoſitate paternâ etiam accipit) nobilior eſt animâ matris. Si autem tunc in iſtis naturæ adulterijs, materna anima non efficit animam fœtûs, profectò magnum argumentum eſt, quòd nec efficiat, quando fœtum legitimum ex maſculo ejuſdem ſpeciei concipit.

Videtur igitur, quòd ſicut avis incubans & fotu ſuo ſemen ovo incluſum ad opus tantùm excitat, non animam pulli fabricat; ita animalium viviparorum uterus accidentalibus alterationibus, ſopitam quaſi ſeminum virtutem expergiſci faciat, & calore influentijſque ſuis adjuvet ad opera quæ vim ſeminum non ſuperant; animam verò fœtûs non efficiat.

Sit igitur actio uteri in fœtum vitalis, & qualis actio ventriculi in chylum; ejus tamen tantùm officium eſt, ſuſcitare ſemina utero incluſa, ut in alteratione & conformatione fœtûs officio ſuo fungantur. Deinde ut ſeminum actiones facultatibus utero proprijs incitet ac promoveat, quouſque ſeminũ virtus ire poteſt; id eſt, citra animæ productionem, quæ perfectior & altior eſt, quàm ut à ſeminibus attingi valeat.

Anima tamen ventriculi formam chyli, veluti anima jecoris formam ſanguinis, anima cordis formam ſpiritûs vitalis, anima cerebri formam ſpiritûs animalis, ut cauſa principalis producit; quia omnibus iſtis formis nobilior eſt, & quia illæ ſunt formæ viales, quibus alimentum ad ultimam concoctionem,

nem, & nutritionem ſui corporis præparat, aut quibus idoneum ad operationes ſuas vitales & animales inſtrumentum ſibi fabricat.

Vterus verò circa fœtum nullum ſimile officium exercet. Nec agit partes cauſæ principalis, ut ventriculus, jecur, cor, cerebrum, ſed cauſæ tantùm miniſterialis, reſpectu virtutis conformatricis quæ latet in ſemine, & miniſterio uteri excitanda eſt ad ſuum opus. Nulla autem ſimilis cauſa in materia chyli, ſanguinis, ſpiritûs vitalis, aut animalis deliteſcit, quam ventriculus, jecur, cor, cerebrum excitare debeant; ſed tota actio qua materiæ tales excoquuntur, ab anima & facultatibus talium viſcerum effluit.

Vnde nec ſequitur, quòd ſi anima bovis, in nutritione ſui corporis, partem animæ ſibi ſimilis producit, etiam animam ſui fœtûs producere poſſit. Nam animæ vegetativæ propria actio & officium eſt, ſe & corpus ſuum per incrementa dilatare, ac perficere. Sed ad propagationem ſuæ ſpeciei aliter operatur. Præparat enim in utroque animalium ſexu materiam, imprimendo ei in officinâ teſtium, admirabilem illam vim conformatricem; ac deinde, ubi ſemen ad uterum pervenerit, fovendo ipſum & virtutem in ipſo latentem excitando, non producendo ſecuturi fœtûs animam: quod Dei potiùs opus eſt, ut exemplo plantarum, & omnium animalium quæ terrâ mariq́ue extra uterum gignuntur, ſatis, ut puto, eſt probatum.

In generatione verò hominis, Deus & animam à materia independentem creat, & inſuper materiæ eam unit.

Henricus tamen Gandavenſis exiſtimat, eam à Deo præſentem materiæ tantùm creari, unionem verò deinde ad materiam ab anima ipſa, quaſi per reſultantiam effici; quemadmodum in nutritione hominis accidit, cum ſe anima in materiam alimenti replicat & quaſi tranſilit.

Sed aliam in nutritione, aliam in generatione natura Oeconomiam ſervat, ut proximè diximus. Deinde ſi primam fibulam & unionem ſui ad corpus ſuum anima rationalis fabricare poteſt; igitur homo per animam ſuam ſeipſum quaſi generat;

nerat; quod negat Ariſtoteles. Denique anima ſeparata à corpore, niſi Deus hoc impediat, in uterum prægnantis redire, & ſe in momento ultimæ diſpoſitionis, materiæ reünire, & novo corpore induere naturaliter poterit; ut ſit jam ſecundùm animam Pythagoras, qui in bello Troiano Euphorbus fuit. Ex toto præcedenti diſcurſu patet, quàm non de nihilo S. Auguſtinus & SS. Patres, omnium viventium animationem tribuant Deo. *Quis animat quæque viva naſcentia*, interrogat ille, *niſi qui & illum ſerpentem* (ex virga Moyſis) *ad horam, ſicut opus fuerat, animavit?* Nec tamen ſolam ſeminum animationem, ſed etiam conformationem, & totam plaſticam Deo aſcribunt; licet ſecundum *ſeminales rationes*, quas in ſeminibus ab initio à ſe conditas invenit, in unoquoque operetur; ut *de grano tritici non naſcatur faba, vel de faba triticum, vel de pecore homo, vel de homine pecus*. Deus quippe eſt cauſa principalis, cujus manus ubique, etiam *inter ſecretas ventris anguſtias*, ut ait Hieronymus, *ſemper operatur, ut idem ſit corporis creator & animæ*. Quia videlicet nulla ratio ſeminalis, nulla vis conformatrix poteſt quidquam creare, id eſt, è nihilo extrahere, niſi adjuvetur ab Omnipotente illa manu. *Multi deformes, multi morbidi, horridi monſtroſiq́ue naſcuntur*, ait Iuliano Auguſtinus; *nec ideo totam illam ſubſtantiam, omneſq́; partes eius, & quidquid in ea ſubſtantialiter exiſtit & vivit, potuit creare, niſi unus bonus & verus Deus*. Vbi verba iſta, *& quidquid in ea ſubſtantialiter exiſtit & vivit*, legentis attentionem pauliſper morari debent. Significant enim, fieri non poſſe, ut minima ſubſtantiæ, id eſt, eſſentiæ cujuſvis particula creetur, ſive de nihilo ad eſſe tranſeat, ſine immediata Omnipotentis manu. Longè aliter quàm quidam hodie Philoſophi, qui docere audent, Cauſis ſecundis, divino ſaltem privilegio communicari poſſe (quod Durandus factum olim putavit) ut ſine concurſu cauſæ primæ agant. Quod graviſſimi & in Philoſophia & in Theologia erroris ab Auguſtino & SS. Patribus damnandum non dubito. Si enim actio ignis v.g. à concurſu cauſæ primæ poteſt abſolvi, quidni & ignis etiam ipſe: ut tota cauſarum ſecundarum catenatio per ſe jam exiſtat ſine dependentia à Creatore?

S. Aug. lib. 3 c. 8. Trin.

Idem lib. 9. c. 17. de Geneſ.

S. Hieron. ad Pammach.

Lib. 6. c. 10. contra Iul.

Nimis

Nimis magni æſtimant, & nimis magnas faciunt res creatas qui ſic philoſophantur; cùm tamen non tam res, quàm rerum tenuiſſimæ ſint umbræ, quæ in actiones ſuas vix ſe explicant ac movent; adeo imbecilles ſunt & caducæ: ideoque perpetuò potentiori manu tenente & ſuccollante indigent,

Hinc, *ſi bonitas operationis divinæ*, inquit Auguſtinus, *ſubtrahatur formandis promovendiſq́ ſeminibus, & vivificandis quibuſque viventibus non ſolùm gignenda non aguntur, ſed ad nihilum penitus etiam genita rediguntur.* S. Aug. lib. 6 c. 29. contra Iul.

Et alibi: *Dei occulta potentia cuncta penetrans incontaminabili præſentiâ, facit eſſe quidquid aliquo modo eſt, in quantumcumque eſt: quia niſi faciente illo, non tale, vel tale eſſet, ſed prorſus eſſe non poſſet.* Lib. 12. c. 25 Civit.

Et quia Deus deſtinato conſilio ita principaliter concurrit cum cauſis ſecundis, ut earum etiam velit effectus & defectus (niſi malitia moralis admiſceatur) ideo S. Auguſtinus phraſin Philoſophorum improbat, qui monſtra *errores naturæ* ſolent appellare.

Ex opificis tanti manibus, inquit, *tam multa non ſolùm vitioſa, verùm etiam monſtroſa procedunt, ut naturæ à nonnullis appellentur errores. Qui cum operantem vim divinam, & quid cur faciat, indagare non poſſint, fateri eos pudet neſcire quod neſciunt.* Idem lib. 5 c. 15. contra Iul. Nam licet natura inſtrumentalis & vis ſeminum impedita, errare & delirare à recto dici poſſit in formatione monſtri; natura tamen principalis, quæ Deus eſt, non errat, ſed facit, & vult facere quod facit, ob finem plerumque ignotum hominibus. Vnde aliter longè cum virtute ſeminum errante, & cum voluntate peccante concurrit. Nunquam enim dicet Auguſtinus, Deum *facere*, aut *ex manibus Dei procedere* opus malæ voluntatis; ſicut de monſtris jam ſtatim dixit. Permittit enim ſolùm non vult errores voluntatis; vult, non ſolùm permittit, errores conformatricis.

Vnde Philoſophia quorundam, qui concurſum cauſæ primæ comparant vento, quo eodem quis rectà, vel obliquè navigare poteſt; aut ſpiritui organorum, quo Organiſtes ad harmonicos, aut diſcordes ſonos uti poſſit; non eſt, ſine dubio Auguſtiniana, nec altiſſimum illum divinæ operationis &

 providen-

providentiæ modum attingit, quo ſe Dei voluntas & actio in omnes effectus creatos, uſque ad ultimas radices, profundiſſimè inſinuat & inſerit: licet nec malum velit, nec libertatem agendi cauſarum liberarum evertat.

ARTICVLVS XIX.

Vnde difficultas & dolor humani partûs.

POſtquam humanus fœtus novem circiter à prima conceptione menſium ſpatio, *in obſcuris & humentibus locis vitam ſine reſpiratione duxit*, δίκην ἰχθύων τοῖς ὑγροῖς ἐμφερόμενος, *more piſcium, humidis innatans*, ut ait S. Baſilius; (S. Baſil. in pſal. 14.) anguſtiarum tandem uteri pertæſus, & reſpirationis, plenioriſque alimenti appetens, calcitrare incipit, & diſruptis ſecundinis ac membranis quibus involvebatur, adjuvante uteri impulſu & matris nixu, maximo miraculo in lucem egreditur. Miraculum dico, quia Medici ſic appellant; qui poſtquam divinam ſapientiam in conformatione, & nutricatione ejus in utero admirando ſe defatigaverunt; ubi ad partum ventum eſt, planè obſtupeſcunt. Neſciunt enim, quâ viâ per tam arctas colli uteri fauces, per tam anguſtum inter oſſa coxendicum iter, puer tam craſſulus, ſine fractione, ſine magnitudinis penetratione, poſſit tranſire & erumpere in lucem.

(Avic. lib. 3. ſen. 21.) Sed audiamus illos *Cum ſeparatur fœtus*, inquit Avicenna, *aperitur uterus apertione tali, cuius ſimilem efficere non valet in alia hora. Et neceſſarium eſt, ut ſeparentur quædam iunctura, & ſuſtententur adiutorio Dei excelſi, præparante vel diſponente ad illud, deinde reducente eas ad continuationem naturalem.* Et Abenzoar ait, *haud* (Andr. Laurent. lib. 8. c. 33. Anat.) *facilè quidquam aliud in rerum natura magis mirandum.* Et recentior alius, *admiranda quidem ſunt*, inquit, *naturæ in embryonis formatione, vitâ, & nutritione opera; ſed extremus eiuſdem in fœtus ex-* (Fernel. lib. 7. c. 11. Phyſiol.) *cluſione conatus omnem admirationis captum excedit.* Et de Galeni admiratione Fernelius: *Quo pacto*, ait, *os uteri tantopere dehiſcat, ut per id fœtus elabatur, neſcit Galenus, nec aliud quàm admirari poteſt.* Sed

teſt. Sed loquere ipſe tu Galene nobis.

Quòd os matricis, inquit, *quo tempore femina in utero gerit, adeò conſtrictum ſit, ut ne ſpecilli quidem cuſpidem in matricis collum immittere queas; cùm autem tempus pariendi appetit (ſcilicet cùm fœtus iam ita perfectus eſt, ut per os nutriri poſſit) adeò aperiatur & dilatetur, ut integrum animal reddat; quonam pacto id accidat, mirari quidem poſſumus, intelligere non item.* Galen. lib. 15. de uſu part.

Sed altera æqualis, aut major admiratio; quomodo oſſibus matris puer circumſeptus, inter oſſis ſacri & oſſium ilium ac pubis anguſtias, in lucem ſine rupturâ elabi poſſit.

Arabes cum Hippocrate putant oſſa pubis aut coxendices parientibus oportere divelli; quod & experimentis Sever. Pineus, & Ambroſ. Paræus probare conantur. Paræ. lib. 23. c. 13. Chirurg.

Per uteri dehiſcentis oſculum, inquit Paræus, *dum fœtus aërem perſequitur, in caput pronus fertur, ſicque naſcitur & naturæ ordine in lucem prodit; magno tum ſuo, propter corpuſculi mollitiem, tum matris, propter cervicis uteri nervoſæ, & oſſium ilium ab oſſe ſacro, quà via fœtui pateat, divulſionem, dolore. Alioqui niſi eiuſmodi oſſa divellerentur, qui non modò gemelli duo mutuo complexu ſibi cohærentes, ſed vel unicus fœtus tam anguſto colli uteri ductu prodire & emergere poſſet?*

Et addit. *Id ita eſſe non ratio modò, ſed & experientia verum perſuadet. Puerperas enim ſtatim à partu diſſecui, in quibus animadverti oſſa ilium ab oſſe ſacro, digiti intervallo diſtracta. Quin etiam pleriſque parientibus, quæ me auxilij gratiâ in tam difficili conatu advocarant, ſubiectâ coccygi manu, certò & auribus hauſi, & contactu percepi crepitantium, vi divulſionis, oſſium ſtrepitum. Sed & narrarunt mihi honeſtiſſimæ matronæ multæ, ſe aliquot ante partum diebus, eorum iam ſe diſtrahentium fragorem cum dolore percepiſſe. Multis etiam poſt partum diebus, coccygis regio oſſiſque ſacri (quam renum regionem nominant) ſic pleriſque dolet, ut naturâ ſolutam oſſium ilium continuationem reparare haud valente, in reliquum vitæ claudicent.*

De oſſe verò pubis idem Auctor alibi: *Oſſa pubis parturientibus aperiri dicuntur. Quanquam mihi ea de re nondum conſtare potuerit.* Lib. 5. c. 34.

Attamen Veſalius, Fernelius, Laurentius, alijque eam aut

oſſis ilium, aut oſſis pubis divulſionẽ fieri poſſe fortiter negant. *Vt ingenuè dicam quod ſentio*, ait Laurentius adverſus Pineum, *ilium & pubis oſſa in partu dearticulari poſſe non puto: ita enim uniuntur, ut nullo impetu divelli poßint. Quòd ſi divulſionem ſemel paſſa fuerint, quo medio copulabuntur? Quo glutino unientur? Nova enim ſynchondroſis fieri non poteſt.*

Andr. Laurent. lib. 8. c. 33. Anat.

Dat tamen opinioni adverſæ nonnihil: *Si aliquantulum*, inquit, *dehiſcere velis, cum Hippocrate, non repugnabo.* Et ſanè, quomodo tam tenellum, totum carneum, & quaſi exoſſe infantis corpuſculum duriſſima illa & arctiſſimè devincta matris oſſa, ſuo tranſitu valeat diſcludere?

Placet igitur hîc noſtri Veſalij ſententia, qui per diſcrimen aliquod, quo natura feminas paulò aliter quàm viros circa regionem illam conformavit, quæſtionem iſtam expedit. Nam *mulieres*, ait, *in hoc oßium coalitu peculiare ſibi vindicant, quòd in ipſis non tam longâ lineâ, quàm in viris, committuntur, Deinde coxendicis oßium infimæ partes, dextram dico & ſiniſtram, in mulieribus mutuò longè magis diſtant, quàm viris. Præterea infimæ pubis oßium partes invicem ſub ipſorum connexu diremptæ, multo etiam mulieribus quàm viris ſejunguntur & diſtant. Adeò ut in mulierum oßibus vacua ſedes inter coccygis os & internas regiones infimarum partium coxendicis oßium, multo amplior quàm in viris occurrat. Hacq; differentia eſt tam inſignis, ut vel ipſa abundè doceat, pubis oſſa in partu non recludi.*

Veſal. lib. 1. c. 29.

Sed & hoc facilitatem tranſitûs adjuvat, quòd expertiſſimi Medicorum cenſent, *Oßis ſacri extremum cartilagineum (coccygem vocant) totum retrahi, & fœtui impetu exeunti ita cedere, ut ſpatium amplius relinquatur. Vnde gravidæ in ipſo partu, de coccygis & oßis ſacri frequẽtiùs, quàm de oßis pubis dolore conqueri obſervãtur.* Deinde cranium puelli adhuc molle & velut papyraceum eſt, ut experientia & Ariſtoteles teſtantur. Hinc fit, ut anguſtiarum compreſſioni nonnihil cedat; reliquumque deinde corpus cereum & flexile, facilè ſequatur quò caput præceſſit. Naturali enim partu infans ἐπὶ κεφαλὴν, *in caput* prodit, ut Ariſtoteles poſt Hippocratem dicit. Cùm enim totum pueri corpus ab umbilico tanquam ſtaterâ, ut ait Hippocrates, ex fornice uteri matris dependeat, & partes ſuperiores graviores ſint inferioribus, ſoluto

Andr. Laurent.

Ariſt. lib. 7. c. 10. Hiſtor. Animal.

ſoluto umbilico, caput deorſum cadit, & per uteri cervicem exit. Vnde, *In pedes procedere naſcentem, contra naturam eſt*, inquit Plinius. *Quo argumento eos appellavêre Agrippas, ut agrè partos. Qualiter M. Agrippam* (Auguſti Cæſaris generum) *ferunt genitum. Neronem quoque* (illius M. Agrippæ pronepotem) *pedibus genitum, parens eius ſcribit Agrippina. Ritu naturæ, capite hominem gigni mos eſt, pedibus efferri*, ad rogum, aut ſepulchrum: quia mors vitæ naſcenti eſt contraria. Difficillimus autem *ægerrimuſq; Agripparum partus habetur, quia brachijs plerumque diductis retineri ſolent, ægriuſque tunc mulieres enituntur*, ait ex M. Varrone Agellius. Plin. lib. 7. c. 8. Agell. lib. 16. c. 16.

Res igitur tandem eò tota redit, ut dicamus puerum capite prono per uteri cervicem ſibi aperire viam; quia cervix illa, ſicut uterus totus, ex nervis talibus contexta eſt, qui & contrahi arctiſſimè, & latiſſimè diduci poſſunt. Sic retia colligi & expandi, ſic veſicam in arctum corrugari, aut tumidiſſimè inflari videmus.

Nec oſſa etiam quibus uterus circumvallatur, ita ſepiunt vias, ut nullus detur puero exitus. Laxitas enim inter oſſa feminarum amplior eſt, ut ex Veſalio audivimus, & extremitas oſſis ſacri, quę vocatur coccyx, cartilaginea facta eſt, ut reflecti ac retrocedere, & fœtui exitum molienti, viam nonnihil laxare poſſet.

Quòd verò Hippocrates, Avicenna, Paræus, Pineus de divulſione oſſium pubis, aut ilium ab oſſe ſacro narrant, verum habere potuit in difficillimis & enixiſſimis partubus; quia mater fortaſſe nimis arcta, aut fœtus nimis benè habitus, aut grandiuſculus erat.

Nam aliàs contrà, viæ pariendi quibuſdam ſunt tam laxæ, ut ferè ſine dolore & ſenſu, partus ipſis excidant. *Gravidis Braſilianis*, narrat Maffeus, *haud ita multus in partu dolor. A puerperio facto puerpera confeſtim exſurgit, ac domeſtica obit impigrè miniſteria. Ejus loco (quod vix credat quiſquam) in aliquot dies, velut æger decumbit maritus. Hic officij cauſâ ab amicis & propinquis inviſitur, huic ſorbitiuncula dantur ad refovendas vires, huic de gentis more, bellaria & delicata munuſcula deferuntur.* Similem puerperij Comœdiam Maff. lib. 2. Hiſtor. Indic.

narrant de Tabarenis Aſiæ minoris populis.

Alij etiam Thracum, Scytharum, Cantabrarum, Celtiberarum facillima puerperia. *In Liguria quoque & Illyrico*, ait Alexander, *mulieres tam patientes laborum ſunt, ut poſt puerperium minimè decumbant: prægnanteſq́ inter opus enixos pueros domum referre tradunt; quos non peperiſſe, ſed inveniſſe credas.* Certè ego quoque novi in Belgio noſtro quandam ruſticulam, quæ gemellos publicè & obiter in platea enixa, cum ipſis recurrens domum, cùm rivulum quendam ante fores ſuas nudis pedibus fortè tranſuadaret, tertium etiam effudit; quem ſupparo & ſinu eodem exceptum, cum duobus alijs fraterculis domum retulit.

Alex. ab Alex. lib. 2. c. 25.

ARTICVLVS XX.

An in ſtatu innocentiæ feminarum partus ſine dolore eſſe potuerit.

QVæ jam de dolore partûs diſſerui, nimis explicata & curioſa pro Theologo quiſpiam exiſtimabit. Sed datâ operâ id à mè factum, ut facilius quibuſdam Medicis & Philoſophis S. Auguſtini & Eccleſiæ doctrinam perſuaderem, quæ dolores partûs inter pœnas peccati originalis ponit. Evæ enim poſt peccatum dictum eſt, *In dolore paries filios.* Sed quî fieri potuiſſet, ut ante peccatum ſine dolore parerent? Certè enim feminarum viſcera eodem modo, atque nunc poſt lapſum fuiſſent conformata, & infantes æquè craſſuli, per eaſdem anguſtias in lucem erepſiſſent.

Gen. 3.

S. Auguſtinus, approbante S. Thomâ, uno verbo modum indicat; quia *ad pariendum non doloris gemitus*, inquit, *ſed maturitatis impulſus feminea viſcera relaxaſſet.* Si enim inter has naturæ lapſæ ærumnas, quædam feminæ tam faciles habent partus, ut noviſſimè narrabamus; facilè intelligi poteſt, quomodo ſpecialis illa circa creaturam rationalem innocentem Dei providentia procurare valuerit, ut laxatis ſenſim, ope Angelicâ aut Divinâ, maternis viſceribus, maturi partus levi impulſu, &

S August. lib. 14. c. 26. Civit.

ſu, & ſponte quodammodo exciderent. Nulla quippe femina tunc arcta, nullus in tota corporis humani conformatione naturæ error accidiſſet. Nulli quoque Agrippæ, aut perverſi partus, ſed omnes capite antè & naturaliſſimo modo in lucem emerſiſſent. Si verò coccyx nonnihil reflecti, ſi ilium os ab oſſe ſacro, ſi oſſa pubis à ſe invicem disjungi, aut paulisper dehiſcere oportuiſſet; humores, & ſi quæ aliæ cauſæ nervorum & vinculorum emollientes adhiberi poterant, ut tam molliter fieret, quàm ad vitandum dolorem puerperij neceſſe eſſet. Vnde *nunc maturitas pariendi,* inquit Lud. Vives, *extendit atque aperit oſſa pectinis (pubis* credo dicere voluit *) quæ alio tempore vix disjungeret ſecuris validè impacta; ſed nunc cum ingenti cruciatu, tunc ſine dolore.* Quanquam quod de apertione oſſium pectinis ait, Artic. proximo, cum doctioribus Medicis rejecerimus. Vives in S. Aug. lib. Civit.

Iuvant quoque hanc doctrinam brutorum non adeò difficiles partus; quamvis quadrupedia ſimili ferè modo, ac feminæ noſtræ circa uteri anguſtias, conformata ſint.

Gallinæ quoque ſat grandia ova, dehiſcente ſine dolore utero, pariunt. Nec enim enitendo, clamore aut alio ſigno ullum doloris ſenſum oſtendunt. *Ova* tamen *naſci mollia veriſimile eſt*, ait Cardanus, *aliter læderent aves.* Sed refellunt eum noſtræ ancillæ, quæ ova gallinarum partui proxima, in utero jam indurata manu ſe palpare fatentur. Card. lib. 7. c. 39. Variar.

Si denique Luna plena, fundendo humores & vias lubricando, partus lubricos & faciles reddit, ideoque olim à Romanis puerperis ſub nomine Iunonis Lucinæ invocata fuit; quanto magis eadem, & majora adjumenta, Angelorum aut Dei ſapiens providentia, Paradiſi puerperis præſtare valuit? Neque hoc violentum, ſed felici ſtatui debitum quodammodo fuiſſet; veluti etiam arcêre feras beſtias, ne homini necem, vulnera, dolorem inferrent, ejuſdem providentiæ opus erat. Tam certus autem hujus ſententiæ ac veritatis fuit S. Auguſtinus, ut alicubi fidenter dicat: *Non reſiſtit his verbis divini Libri, quæ poſui de labore hominis, & parturitione mulieris, niſi qui prorſus alienus à fide Catholica, eiuſdem litteris adverſatur.* Sed quia Gen 3. S. Aug. lib. 2. c. 53. de pecc. merit.

experientiâ

experientiâ probari non poteſt, inquit alibi, homines quidam ad ejus rei fidem duri ſunt. Si tamen in omnibus experimentum, aut humanam rationem poſtulamus, nulla, aut pauciſſima fidei myſteria credemus.

Addit tamen quippiam Auguſtinus, quod pauci credunt, & *admirationem habet majorem, quàm fidem*, ait Pererius. Nempe, in ſtatu innocentiæ *potuiſſe utero coniugis ſalvâ integritate feminei genitalis, virile ſemen immitti; ſicut nunc poteſt eâdem integritate ſalvâ ex utero virginis fluxus menſtrui cruoris emitti. Eâdem quippe viâ poſſet illud inyci, quâ hoc poteſt eyci.* Vnde Pererius, *Auguſtino equidem*, inquit, *non aſſentior; ſed puto ſignaculum virginalis integritatis etiam tunc per actum generationis apertum iri.* Apertio quippe iſta naturalis eſt, quæ etiam in ceteris animalibus obſervatur.

Bened. Pere. lib. 4. q. 4. in Gen. S Aug. lib. 14. c. 26. Civit.

Sed neſcio, an Pererius ſatis perceperit Auguſtini mentem. Non negat enim Auguſtinus relaxanda viſcera virginum in congreſſu maritali; ſicut eadem relaxanda dixit in partu, ſine corruptione integritatis ullius membri ac doloris ſenſu. Explicat enim ſe alibi. *Eodem modo*, inquit, *non eſſet dolor & cruor virginis concumbentis, quo modo non eſſet etiam matris gemitus parientis.* Cruentam igitur virginis læſionem & violentam ac doloriferam clauſtri virginalis divulſionem tantùm negat, non aperturam, quæ fieret *ſine ardoris illecebroſo ſtimulo, cum tranquillitate animi & corporis nulla corruptione integritatis, cùm maritus infunderetur gremio uxoris.*

Cap. 35. de pecc. orig.

Lib. 14. c. 26. Civit.

Vnde S. Thomas, 1. p. q. 98. a. 2. ad 4. doctrinam illam Auguſtini, de incorruptione virginalis integritatis probat; cùm tamen apertè alibi dicat, *in primo* innocentiæ *ſtatu, ſoluta fuiſſet integritas carnis, cui præponderaſſet fecunditas prolis.*

In 2. d. 20. a. 2. ad 1.

Solutum ergo, non fractum fuiſſet clauſtrum virginitatis, quidquid illud ſit. Nec ſimilitudo ſanguinis menſtrui, quam adhibet Auguſtinus, undique par & æqualis eſſe debet; quaſi verò non laxiore aperturâ in virili congreſſu, quàm in fluxu menſtrui cruoris, opus eſſet. Sed in hoc ſolùm ſtat & conſentit comparatio: quòd ſicut ſine fractura dolorifera clauſtro cruor ille effunditur; ita ſine eâdem virile ſemen infunderetur.

deretur. Quod facillimè comprehendi poteſt, ſi attentè legantur, quæ de hymene, ſive clauſtro & ſignaculo virginitatis diſſerunt Medicorum Expertiſſimi. Negant enim jam plerique omnes membranam aliquam talem, ad uteri collum tranſverſam, in virgine rumpi, ut veteres fabulati ſunt; ſed anguſtias tantùm oportere diduci. Quod quomodo in ſtatu innocentiæ, ſine dolore, aut ullo fortaſſe ſanguinis virginalis effluxu, divinâ, aut Angelicâ manu fieri potuerit, quis tam hebes, ut non valeat intelligere? Veluti enim divina providentia Angelos ferarum beſtiarum frenatores, & adverſus tot alia pericula tutelares diſpoſuiſſet; ita aliquos tanquam *Hymenæos*, aut *Virginenſes*, ut S. Auguſtinus appellat, primæ maritali conjunctioni fortè appoſuiſſet. Nam *Partulas & Lucinas* (addo ego Hymenæos) *nos officia divina, Angelos credimus*, ait Tertull.

S. Auguſt. lib.6.c.9. Civit.

Tertull. lib. de anima c. 37.

Sed ne fallere videar, Medicos Anatomicos de hymene iſto potiùs audiamus. *Putant ferè omnes Medici*, ait Laurentius, *membranam reperiri, nunc in medio ferè cervicis ductu, nunc immediatè poſt ὄυρηθραι, eamq́; tranſverſim ſitam, quam hymenem, aut hymenæum vocant. Eam exiguo foramine in medio perviam, alij cribri inſtar perforatam, ut fluentibus menſtruis pateat aditus, exiſtimant: Diſrumpi autem & lacerari primo concubitu; proptereaq́; interſeptum virginale, clauſtrum virginale, cuſtodiam virginitatis dicunt.*

Andr. Laurent. lib.7. c ult. Anat.

Ipſe verò diligenti obſervatione, in plurimis omnis ætatis virginibus negat ſe tale quid inveniſſe. *Figmenta ergo ſunt*, inquit, *quæ de tranſverſa illa membrana & perforata ſcripſerunt multi. Nam cùm natura nihil fruſtrà moliatur, quis foret illius uſus?* Addit deinde, quòd ſi talis interdum adnaſcatur (qualem multi ſe vidiſſe teſtantur) *fuiſſe præter naturæ inſtitutum, & organicum morbum ex vitioſa conformatione.*

Et Paræus. *Quibuſdam virginibus*, ait, *in cervicis uteri orificio membrana reperitur, hymen veteribus dicta, quæ quia viri congreſſum arcet, ſterilitatis cauſam mulieri infert. Hanc plerique, non vulgares modò, ſed & docti Medici virginibus omnibus, tanquam virginitatis clauſtrum, ineſſe dicunt. Sed illam ego, cùm in pleriſque virgunculis omnis ferè ætatis, à trimatu ad duodecimum uſque annum, quarum mihi ex Noſocomio Pariſienſi plena copia erat, ſtudioſè exquirerem,*

Ambroſ. Paræ. lib. 23. c. 42.

non potui reperire. Addit tamen ſe ſemel tantùm, in virgine ſeptemdecim annorum, *membranam ejuſmodi nervoſam, tenuiſſimam, medio ſed exiguo foramine perviam, qua menſes diffluere poſſent,* reperiſſe. Verùm, hoc rarum, & errorem organicum virtutis conformatricis fuiſſe, cum Laurentio, Columbo, & plurimis hodie Medicorum cenſet. Eſt igitur hymen in quibuſdam virginibus, quod *membrana ligamentalis*, ſive filum linguę ſubnaſcens, in quibuſdam pueris balbutientibus; id eſt, naturæ error.

Vnde cùm in ſtatu innocentiæ nulli ejuſmodi organici morbi, & conformatricis errores in corpore humano accidiſſent; nulla quoque unquam excreſcentia hymenis, virginalis uteri aditum ſepiviſſet, quæ in primo congreſſu rumpenda eſſet.

Si autem Veſalio, Viero, Fallopio, ac alijs daremus, in omnibus virginibus talem hymenem à naturâ non errante, ad ornamentum quoddam, aut virginitatis tutelã, conformari; negaret tamen fortè S. Auguſtinus membranam iſtam, per congreſſum in ſtatu innocentiæ rumpendam fuiſſe: quia non effreni libidinis impetu, ſed tranquillæ voluntatis imperio fieret tantùm id quod neceſſarium foret; ut attrahente partim utero, partim infundente marito, genitale ſemen per hymenis foramen quo excidunt menſes, ad cavitatem uteri perveniret. Attamen in partu nihilominùs hymen diffringendus erat, quando proles per uteri cervicem in lucem exit. Solius enim Matris Domini privilegium eſt, ut ſine dilatatione, ſine obſtantium laceratione, divinus ejus partus tranſierit.

PROBLE-

PROBLEMATA

De

Alimento, accremento, decremento humani corporis.

PRoblemata quædam, tanquam præcedentium Capitum Analecta hìc ſubijcere, nec injucundum, nec inutile fortaſſis erit.

I.

Quid dicere voluit Cajetanus, quando Auguſtæ Vindelicorum, de Luthero è colloquio recedente, ad adſtantes converſus dixit: *Iſte homo ovis recentibus indiget?*

An fortè ova recentia ſtultitiæ & intemperiei cerebri mederi exiſtimavit? Nam ex talibus ovis in teſtâ ſuâ leviter & ad tremorem ſolùm decoctis, ruberrimus & ſaluberrimus gignitur ſanguis, qui atræ bilis & inſaniæ minimum admixtum habet.

II.

An probabile, quod ait S. Thomas: Verum aurum habere virtutem lætificandi cor, quâ *aurum*, inquit, *per Alchymiam ſophiſticatum* caret? An ergo aurum, tam indomitum ignibus metallum; à calore tamen naturali in ſubſtantiã viventis, & in ſpiritus vitales cor hilarantes converti poteſt? An potiùs, quia influentiâ quadam ſalutari ſpiritus vitales cordis afflat? Contra enim deliquia cordis, & cardiacos affectus, annulos aureos digitis ſolitos inſeri, poſt Agellium aſſerit Lemnius. Quid etiam aliud voluit Scaliger, dum ait, Auri ſcobem ideo interdũ præſcribi à Medicis, *ut eius ſplendore reficiantur ſpiritus?* Hac, credo, quoque imaginatione Illuſtriſſimus Concilij Sanctioris, ſub Sereniſſimo Principe Alberto, nuper Præſes Io. Richardotus, tempore prandij ac cœnæ, nummorum aureorum cumulum ſub aſpectũ ſuum apponi jubebat, ut Clar. Academiæ noſtræ Archiatrum Thomam Fienum ſæpè narrantem audivimus.

S. Tho. 22. q. 77. a. 2. ad 1.

Lemn. lib. 3 c. 6. occult.

III.

Nuganturne, an ſeriò dicunt Scaliger & Riolanus, *Laniones conſulere ovibus, dum eas quotidie in uſus noſtros iugulant?* Quidni autem ſeriò? Nam res creatæ perfectionem ſuam aſſequuntur, dum ad finem cui conditæ ſunt, perducuntur. Oves autem & boves ac pecora campi in alimentum hominis creata ſunt.

Non ergo omnino inſipienter Eccleſiaſtes quidam clamabat nuper: *Si perdices loqui poſſent, à filijs Dei ſe comedi velle, dicerent; imò ultrò & certatim in prædeſtinatorum culinas devolarent.* Vt nempe in ſubſtantiam talium corporum converſæ, impaſſibilitate, claritate, ceteriſque glorioſi corporis dotibus æternùm in cælis fruerentur. Cui menti ſublimis Contemplator Io. Thaulerus accedit: *Non poſſunt creaturæ*, ait, *nobiliori modo in ſuam originem redire, quàm in corpore ſancto, cui in cibum uniuntur.*

Thauler. ſer. 1. in Vigil. Paſc.

IV.

Quare Medici, aut dæmon non poſſint vitam noſtram in æternū, aut in ætatem primorū hominum ante diluvium producere? Dæmonem enim id poſſe affirmat Mart. Delrius, ſed à Dei providentiâ inhiberi. Nonne enim Medea ſuis veneficijs Æſonē in juventutē recoxit? Artem quoq; illam prorogandæ in perpetuum vitæ, ſe calluiſſe Paracelſus & Campanella nuper jactaverunt. Et multi fortè credidiſſent, niſi ambo nondum ſenes extincti eſſent. An ergo fortè novæ ſiderum conſtellationes dæmonum & Medicorum artes eludunt? Hoc enim credit Franc. Victoria. *Deus providentiâ ſuâ ita diſpoſuit*, inquit, *ut primis illis temporibus eſſent conſtellationes cæleſtes ſalubriores & efficaciores ad vitam hominis propagandam, & ut alimenta eſſent majoris vigoris, & etiam medicina, & aër, & aqua, & alia quæ conſervant vitam mortalium.*

Delr. lib. 2. c. 23. Magiæ.

Victor. Relect. de Magia.

Attamen, nonne cælum & ſidera hodie eadem quæ tempore Mathuſalam? Nonne conſtellationes & cœtus Planetarum Fixarumque ſalutares, periodis ſuis redeunt? Nonne aër, aqua, terra, maria, venti, montes, valles, ſine inſigni, quæ hîc

æſtimari

æſtimari poſſit, mutatione eadem ſunt?

Cur deinde arbor vitæ dæmonis arte reſuſcitari non valeat? Sed unde tamen illius arboris ſemen, aut ſurculum haberet? Fortaſſis igitur nullum in cauſis naturalibus remedium invenit dæmon, quo humidi radicalis fluxum & conſumptionem retineat. Nam primum & ſinceriſſimum humidum fit ex parentum ſemine, in eum finem à natura elaboratiſſimo. Quod verò deinde ex alimentis & ſanguine accedit, impurius eſt. Augeturque in dies impuritas, dum ſanguis in humidum illud fatiſcens, qualitatibus ſuis ipſum perpetuò inquinat. Hinc ergo calor naturalis pluribus inquinamentis & fuliginibus involutus, ut impuro oleo paſta lampas, maligniùs ardet, ac tandem ſuffocatur, aut expirat.

Poteſt igitur dæmon ad 200. aut 300. annos vitam hominis bene nati & temperati fortaſſis extendere, in æternum non poteſt. Sed tamen nec illud permittit Deus; ſicut nec ut Magos & Veneficas ſibi devotas, tot theſauris ſub terra marique jacentibus ditare valeat. Quis enim filiorum hujus ſeculi diabolo ſervire non velit, ſi 200. 300. annorum vitam ab eo impetrare poſſit?

Olim verò ante terram diluvio corruptam, plantæ earumque fructus, animalia quoque ijs paſta, ſucci melioris erant, & humani corporis radicale humidum ſinceriùs & diutiùs reparabant.

V.

Nonne qui cibo ac potu ultra naturæ vires abſtinent, ſeipſos directè interficiunt?

Sanè Cajetanus & Covarruvias id affirmant. Vnde negant eum qui inediá à Iudice mori juſſus, poſſe reſpuere cibum, ſi ei clanculò offeratur. *Nam nolle uti alimento*, ait Cajetanus, *eſt occidere ſeipſum, non minùs, quàm gladio ſe tranſverberare.* Et hoc magis explicans Covarruvias: *Vtitur enim*, ait, *actu ad mortem immediato, & ex natura ſua ad eam directo ac ordinato.* Cajet. 2.2. q. 69. a.4. Covar. lib. 2 c. 2. Var.

Conſentiunt illi, qui Carthuſianum homicidam ſui futurum aiunt, ſi carnes oblatas non edat, ubi nulli alij cibi ſuppetunt. Nonne tamen Victoria, Sotus, & alij magis ingenioſè philo-

ſophantur, qui dicunt, tales magis pati, quàm ſibi inferre necem.

Non enim oportet inediam gladio, quo quis ſibi tranſadigit coſtas, comparare; ſed cum patientiâ, qua quis ſe ab altero ſinit transfigi. Calor quippe naturalis & agentia alia, humidum radicale ſiccantia, propriè hominem interimunt. Alimenta verò tanquam vallum & mœnia hoſtibus objiciuntur, ad ſupplementum ſtragis, quam continuâ diu noctuque oppugnatione agentia illa faciunt.

Alimentis igitur abſtinere, nihil eſt aliud, quàm labentia mœnia non reparare, & ſinere ſe ab hoſte interfici.

VI.

Cor. Celſ. lib. 1. c. 4. Quid ſibi vult Cor. Celſus, dum ſtudioſos quibus caput imbecillum, vetat *ſcribere, legere, voce contendere, utique poſt cœnam: poſt quam*, ait, *nec cogitatio quidem ijs ſatis tuta eſt*. Vultne igitur nos, ut ſtipites, aut ſtatuas mutas, ſine ſenſu & cogitatione à cœna permanere? Si enim loquimur, aut ſenſibus utimur, oportet etiam cogitationem aliquam miſcere.

An ſolùm anxiam, aut intentam ſtatim à cœna vel prandio cogitationem intutam eſſe valetudini, voluit dicere? Quales præcipuè quæ de figuris mathematicis, aut illis diſciplinis ſunt, quæ imaginationis operâ plurimùm utuntur.

Experimento enim conſtat, intentâ imaginatione cerebrum (quaſi ſpiritus qui in cellulis ejus ſunt non ei ſufficiant) alios è ventriculo, ad quem via latiſſima patet, confertim attrahere. Suis verò orbatus ſpiritibus, & calore qui cum ijs avehitur, ventriculus frigidiùs concoquit. Deinde vis motiva, qua ſe ipſum ventriculus reſtringit, & conſtringit chylum, per imaginationis intentionem relaxatur; ut patentiore jam viâ calorifici ſpiritus avolent, & ventriculi parietes à chyli compreſſione revulſi, laxiùs & languidiùs in ipſum agant.

S. Thomas verò non credit actionem caloris ventriculi, per cogitationes mentis aut phantaſiæ, quadam naturali immediatâ ſympathiâ directè impediri; quia calor ille & anima ventriculi cum ipſo, ut agentia merè naturalia operantur.

VII. An

VII.

An credibile, quod narrat Plinius, *Antoniam Druſi nunquam expuiſſe?* Plin. lib. 7. c. 19.

Simile quid de Conſtantio Cæſare, & ſucceſſore ejus Iuliano Apoſtatâ alij referunt. Marcellin.

An quia quorundam cerebrum, ut cælum Ægyptium, ſine imbribus & deſtillationibus eſt? Habent enim

Quidam corpora ſicciora cornu, Catull.
A queis ſudor abeſt, abeſt ſaliva,
Mucuſque, & mala pituita naſi.

An potiùs, quia cerebri ſentinam non per os aut nares forâs, ſed per œſophagum in inteſtina exonerabant?

Sic enim celebris nuper apud nos Medicus Thomas Fienus, nunquam ſolitus expuere: non quia ſputorum materia ei deeſſet, ut fatebatur, ſed quia datâ operâ glutiebat, & derivabat in ventriculum.

Sputorum verò iſtam continentiam omnibus ipſe ſuadebat; tum quia civilior & honeſtior ſputandi conſuetudine; tum quia plurimùm facere credebat ad eam, quam in ſe expetum quia plurimùm facere credebat ad eam,quam in ſe expertus fuerat (sic) —

Sed tamen ne vereantur iſti. Nam nihil, aut minimum eſt, quod ex crudis illis cerebri mucis & deſtillationibus attrahunt venæ meſenterij, totumque in inferiorem alvum & foricas emittitur.

VIII.

Cur inter militares Romanorum olim pœnas fuit miſſio ſanguinis, qua Duces jubebant, *ignominiæ causâ*, ait Agellius, *militi venam ſolvi, & ſanguinem mitti?* Rationem verò huius pœnæ in veteribus memorijs ſe reperiſſe negat Agellius. Agell. lib. 10. c. 8.

An ergo, quia ſani non ſunt, & miſſione ſanguinis indigent, quicumque delinquunt, ut ipſe Agellius meditatur?

An

An potiùs, *ut ſanguinem, quem cum gloria, pro patria fundere milites noluerant, cum ignominia amitterent*, quod M. Ant. Mureto placet?

Quod tamen Lipſio noſtro diſplicet; quia pro furto, ait, etiam militi ſanguis mittebatur.

An igitur, quia miles extrema & mortem commeritus (*quam cùm clementia remiſiſſet, ſpeciem tamen eius uſurpabat in pauculo ſanguine fundendo*) ut Lipſio magis viſum?

Sed quid dicimus, ubi non tantùm extrema meritis, ſed alijs etiam non tam magna peccantibus, ignominia iſta infligebatur?

An ergo denique, ſignificare voluerunt, militem degenerem, ſanguine (in quo vigor & generoſitas corporis ac animi) indignum eſſe? Simili enim ferè de cauſa, inter militum ignavorum animadverſiones, *hordeum pro frumento* datum legimus; quaſi jumentis, nec communi hominum cibo dignis. Suetonius de Auguſto: *Cohortes ſi quæ ceſſiſſent loco, decimatas hordeo pavit*. Suet. Augusti c. 24.

IX.

Quid ſibi vult Poëta Theocritus, cùm Helenam feminarum formoſiſſimam, & decennali Ilij obſidione dignam, ſic depingit?

Pinguis, procera, ſicut procurrit ſulcus in agro,
Aut in horto cupreſſus, aut in curru Theſſalus equus. Theoc. Idyll. 18.

An veteres habitum corporis pinguem & opimum, proceritatem uniformem & arduam, in feminarum pulchritudine præferebant?

Sulcus enim in agro, aut cupreſſi truncus in horto, uniformi longitudine tenditur, Theſſalus & generoſus equus arduo capite graditur. Talem etiam ferè Penelopen Homerus, & Dianam ipſe, ac Virgilius delineat.

——— *Illa pharetram*
Fert humero gradienſq; Deas ſupereminet omnes. Virg.

Sic ſacer Canticorum ſponſus arboream proceritatem in ſponſa ſua laudat: *Statura tua aſſimilata eſt palmæ*. Et ut uniformi gracilitate erectam deſcriberet, *Virgulam fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarij, per deſertum aſcendentem* facit. Cant. 7. Cant. 3.

Igitur

Igitur non macræ & ligneæ, non breves, non mammoſæ aut ventroſæ, non incurvicervicæ, formoſæ olim habebantur. Vt non de nihilo antiquus Laberij de uxore deligendâ verſus:

Non mammoſa, non annoſa, non biboſa, non procax. Laber. in Mimo.

X.

Nonne temerarius Contemplator Io. Thaulerus, cùm neminem, ante annum ætatis quadrageſimum verè ſpiritualem & cæleſtem effici poſſe, tam audacter dixit?

Faciat homo, ait, *quidquid poteſt, omnem impendat operam, non tamen ad veram pacem pertinget, nec verè eſſentialiter cæleſtis homo efficietur, donec annum ætatis quadrageſimum impleverit.* I. Thauler, ſer. 2. de Aſcenſ. Dom.

Nonne enim multæ animæ Sanctæ, ante annum ætatis quadrageſimum morte interceptæ hinc emigraverunt?

Forte tamen illud Thauleri paradoxũ hanc non improbabilem rationem habet: Quòd ætas infra quadrageſimum annum nimio adhuc calore mobilis, verſatilis, & inquieta, turbulentis affectibus & imaginationibus pacem & tranquillitatem illam conturbet, quam anima verè ſpiritualis & Deo unita habere debet. *Omnia nimis agunt juvenes.* Et ut aqua ventis agitata, imaginem ſolis; ſic illi activitate ſuâ radios divinæ lucis confundunt, ne cæleſtis imago in anima conformari ac imprimi valeat. Ariſtot.

Homo igitur inſtar arboris eſt, cujus fructus, id eſt cogitationes & affectus, vere & æſtate nimis crudi & virides; ætatis verò autumno, qui anno quadrageſimo incipere ſolet, maturantur. Ab hoc enim circitèr anno calor humani corporis notabiliter refrigeſcere, declinatio in ſenectutem ſentiri, prudentia tam civilis quàm Oeconomica augeri; & inde parſimonia, ac cura rei familiaris attentior eſſe incipit. Hinc admirabile illud Galeni pronunciatum: *Qui in adoleſcentia aſſueverunt pecuniam amare, fieri non poteſt, ut cùm ad annum quadrageſimum pervenerint, ſeipſos corrigant.* Auara enim iſta ultra quadrageſimum annum ætas avaritiam juventutis inſuper excipiens, habitum in pravum ita indurat, ut fiat incorrigibilis. Galen. lib. de curand. affect.

Quidam tamen in juventute, citra autumnum ſuum præ-

coces, anno ætatis trigeſimo, temperie quadragenarij, imò quandoque quinquagenarij, & ſenes ante tempus ſunt. Denique gratia Dei interdum legem communem non ſervat, ſed electos ſuos perficere properat, aut rapit adhuc virides, ne malitia intellectum mutet.

PROBLEMATA

De Generatione.

I.

QVare veteri Græcorum adagio, Ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα, *Heroum filij noxa?*

Sic de Cimonis, Periclis, Socratis, Alcibiadis filijs narrat Ariſtoteles. Vnde *veluti fato quodam evenire*, ait Demoſthenes, *ut à viris egregijs filij improbi naſcantur.*

Spart. in Sept. Severo. Spartianus verò Imp. Diocletiano narrat, pleroſque doctrinâ aut ſapientiâ præſtantes viros, *aut ſine liberis interyſſe, aut tales liberos habuiſſe, ut melius fuerit, de rebus humanis ſine poſteritate diſceſſiſſe.* Et in Romulo, Numâ, Camillo, Scipionibus, Catonibus, Iulio & Auguſto Cæſaribus, Trajano, M. Aurelio, Sept. Severo, Homero, Demoſthene, Cicerone, Virgilio, Terentio, Plauto exempla ponit. Et nos, ſi vellemus, hunc catalogum facilè inſigniter auctum iremus.

An igitur ingenij vigor in parentibus, quod ſanguinis ſubtiliſſimum eſt, ne in ſemen abeat, abſumit? An potiùs ſtudiorum & virtutum neglectus hoc facit; dum claritate, aut opibus relictis quiſque talium parentum filius ſatis ſe illuſtrem, aut potentem ſine ſupervacuo labore, credit? Fallor, aut hoc Ariſt.lib.2. c.15.Rhet. indicat ſubtilis Ariſtoteles, dum *virorum generoſorum, ut Alcibiadis & Dionyſii ſenioris filios, in mores inſanos; gravium verò & ſtabilium ingeniormm, ut Cimonis, Periclis, Socratis progeniem, in ſocordiam degenerare*, dicit.

Semina enim paternarum virtutum, ubi vitiorum inſtrumenta à parentibus relicta ſunt, in vitia degenerant proxima illorum

illorum virtutibus. Inſania autem filij Alcibiadis, paternæ animoſitati; ſocordia filij Socratis, gravitati & modeſtiæ patris proximè adſidet.

II.

Quomodo verum, quòd Sapientiſſimi quidam produnt, Philoſophicam cibi potûſque abſtinentiam magis acuere, quàm retundere Veneris aculeos?

Abſtinentiam Philoſophicam vocant, qua Philoſophi Ethnici, non à carnibus & ovis alijſque quæ materiam ſementinam habent, abſtinentes, temperatè tamen omnibus illis, propter valetudinem corporis, & ingenij aciem, utebantur.

An ergo vulgaris iſta Philoſophorum temperantia libidinem incendit, *quia per eam recta corporis valetudo acquiritur, & validior redditur natura noſtra*, ut doctiſſimus & πολυμαθὴς Didac. Covarruvias dicit? Covarr. lib. 4. c. 20. Var.

An potiùs, radicem ejus rei altiùs ſcrutando: quia moderatus carnium boni ſucci, ovorum, & id genus ſementinorum uſus (addito etiam modico ad irrigandum vino) naturalem ventriculi, hepatis, cordis, ceterarumque officinarum corporis noſtri calorem relevat & acuit? Hac enim ratione, officina quoque ſeminis, calore & temperie ſuâ naturali elaboratiſſimum, & multo ſpiritu prolifico turgidum, ex materiâ à ventriculo, hepate, corde optimè antè excoctâ ac præparatâ, ſemen cudit. Quod deinde ad paraſtatarum cataractas tranſfuſum, multo, irrequieto, & elimatæ temperiei ſpiritu pruriens, paraſtatas inſigniori voluptatis ſenſu vellicat, & ad erumpendum ſollicitat.

Hinc enim contrariâ ratione, Ariſtoteles ebrioſorum ſemen οὐ γόνιμον, *non genitivum*, ſed infecundum eſſe dicit. Ariſtot. Probl. Sect. 3.

Et Sennertus, ex Oporino Paracelſi familiari, Paracelſum vini ebrioſiſſimum, adeo tamen mulierum abſtinentem fuiſſe narrat, *ut cum nulla unquam illi rem fuiſſe* credat. Sennert. lib. de Conſenſ. c. 4.

III.

An per cauſas naturales fiat priapiſmus ille, qui in inguinibus mortuorum quandoque apparet? Alex. Ben. lib. 24 c. 19 de morb. curand.

Alexander Benedictus à cauſa naturali eſſe credit. *Mi-*

rum eſt, inquit, *quod in caſtris vidimus ad Tarum in agro Parmenſi, in pugna adverſus Gallos. Nuda erant cadavera paſſim, per ripas fluminis iacentia, quorum inguina ſupra modum magnitudinis intenta erant: Solis (ut puto) vapore, ac heſterno imbre, quo corpora perfuſa fuerant.*

Sed quid dicimus, quando illæ, aut ſimiles cauſæ nullæ adſunt? Certè enim ſine tali profuſo imbre, nuper An 1635. poſt ſolutam die 4. Iulij Lovanienſem obſidionem, milites ſeptem ſub arbore una (incertum, an ex Gallorum, an Batavorum exercitu fuiſſent) vulneribus aut morbis exanimatos, à Chirurgo quodam repertos audivimus, quibus pudenda tali priapiſmo ſtarent.

Quandoque etiam (& exempla ſcimus) ijs hoc evenit, qui extra ſolem & imbrem, domi in lectulo ſuo extinguuntur.

Fernel. lib. 6. c.13 Patholog. An ergo probabilior illa cauſa, quam Fernelius affert? *Cauſa eſt*, inquit, *flatulentus ſpiritus pudendi arterias fiſtuloſumq́ nervum affatim implens. Is autem vel ex craſſo viſcoſoq́ humore, caloris inopiâ ſuſcitatur, vel ex genitalis ſeminis ubertate atque redundantiâ. Hoc mali genus inſolens admodum eſt.* Addit tamen, *in ingulato quodam, biduo ab exceſſu è vita*, aliquando viſum fuiſſe.

Galen. lib. 6. de locis affect. Galenus verò ait, Cantores & Athletas, qui vocis, aut virium causâ, à prima adoleſcentia Venere abſtinent, minimè hoc malo tentari; eos autem qui Venereis diu aſſueti, ſanguinem ac materiam ſeminis ſæpe attrahendo, vaſa dilataverint, magis obnoxios eſſe. Vnde non erit jam fortè, quòd Alex. Benedictus de cæſis illis in pugna Tarenſi tantopere miretur. Galli enim illi milites, quorum cadavera ad Tarum fluvium, An. 1495. ſe vidiſſe narrat, Neapoli, & mercibus Neapolitanis, id eſt lue Venereâ onuſti, in Galliam cum Rege ſuo Carolo VIII. revertebantur, & multâ ac fœdâ Venere priapiſmi iſtius cauſam fortaſſe dederant. Qui enim ex Gallico exercitu in illa pugna ceciderant, *inconditam fermè lixarum multitudinem* fuiſſe narrat Iovius. Fuerint igitur ex illis de quibus Phil. Cominæus, qui pugnæ interfuit: *En noſtre oſt y eut grande ſequelle de paillars & paillardes à pied.* In noſtro, ait, exercitu, longum ſcortorum & ſcortatorum peditum agmen erat.

Nec Galli Batavique qui Lovanium noſtrum Anno 1635. obſidio-

obſidione cinxerunt, in oppido vicino Thenenſi paucis diebus antè expugnato, valde caſtè, ſed effreni etiam in virgines ſacras libidine egerant.

Non ergo fortè de nihilo vulgus exiſtimat, Deum iſtâ priapiſmi infamiâ, in mortuis oſtendere velle antecedentia adulteria & ſacrilegia vivorum. Qui enim uxores alienas, aut virgines Deo dicatas temerare audent, habenas laxare, & libidinem latiùs in omnes paſſim feminas ſpargere ſolent.

Tales autem, propter largum materiæ ſeminalis & viſcoſorum humorum, ut à Galeno & Fernelio audiebamus, in vaſa patentia affluxum, in corpore etiam mortuo (modò tamen ſit à vitâ recens) ejuſmodi quandoque priapiſmo tentantur.

Dei autem providentia ſic cauſas naturales diſponit, ut ipſæ effectus tales raros & prodigioſos edant, quando terrori mortalium id expedit. Simili enim modo, Cometarum, & variorum apparentium in ſublimi cauſas ita regit, ut effectus ſuos pariant, quando bellis, peſte, fame, & id genus flagellis caſtigationi mortalium imminet, ut olim in Meteorologicis noſtris dicebamus.

IV.

An fabulæ ſint, quod tamen multi narrant, de feminarum in viros metamorphoſi?

Præter vetera Plinij & aliorum exempla, addi poſſunt ex memoria recentiori non pauca. Vnicum narrabo. Plin. lib. 7. c. 4.

Anno 1619. *ad ſacram Pœnitentiariam*, ait Fillucius, S. D. N. Papæ Pœnitentiarius, *data eſt ſupplicatio pro quodam, qui cùm per* 15. *annos vixiſſet in Monaſterio Monialium, die quadam, cùm maximè conatus eſſet ut pondus quoddam elevaret, emiſit extra vas femineum genitalia viri membra. Et cùm ea de cauſa dimiſſus fuiſſet è Monaſterio, petebat diſpenſari in voto caſtitatis, ad effectum contrahendi matrimonium.* Simile exemplum Michael Montanus refert. Filluc. de Cenſur. tract. 19. c. 6.

An ergo feminæ omnes quibus virilitas obtigit, fuêre tales qualis iſta: nempe androgynæ, in quibus virilia membra in abdito laterent, & poſtea eruperint? Quod ſentit Andr. Laurentius. Andr. Laurent. lib. 7. q. 8.

Veruntamen, quare feminina viraginis alicujus conformatio non uſque ad virilitatem, annorum aliquantorum lapſu, proficere poteſt? In fœtu enim perfecto vis formativa non illicò extinguitur aut ceſſat, ſed ad dentium (trigeſimo quandoque etiam ætatis anno) & aliarum nonnumquam partium conformationem, aut reformationem pergere ſolet. Nam ut ait D. Thomas, *Virtus formativa quæ in principio eſt in ſemine, manet adveniente etiam anima rationali; ſicut & ſpiritus, in quos ferè tota ſubſtantia ſpermatis convertitur, manent. Et illa quæ priùs fuit formativa corporis, fit poſtmodùm corporis regitiva. Sicut etiam calor qui fuit diſpoſitio ad formam ignis, manet formâ ignis adveniente, ut inſtrumentum formæ in agendo.* Cui Philoſophiæ conſentienter Io. Freitagius, docet *ſpiritum ſeminalem propriè eſſe humidum radicale & calidum innatum, undequaque perfuſum.* Et ante eum Fernelius negat ſpiritum illum artificem avolare, ſed in totam vitam permanere.

S. Tho. q. 3. a. 9. de Potent.

Freitag. diſp. 4. de Parad. Sennert.

Fernel. lib 7. c. 9. de hom. procreat.

Quid ergo vetat, raro quodam eventu, virtutem maris conformatricem, à feminina temperie, aut aliâ causâ interpellari, ut in feminæ effigiem degeneret, & poſtea reſumptis viribus, trans feminam eat, & virum effigiet? Hac enim, ut puto, ratione quandoque fit, ut gallina in gallum gallinaceum tranſeat; quod in veterum memorijs ſcriptum S. Auguſtinus dicit. Maſcula enim illa ſcintilla, quæ in ſemine galli latet, per gallinæ conformationem ad gallinaceum tandem pervenit, & totum gallinæ corpus maſculo calore accendit. Hinc emicant calcaria, criſta ſurgit, pectus & animus erigitur, vox & cantus gallulaſcit.

S. Auguſt. lib. 3. c. ult. Civit.

Vt mares autem in feminas deformentur, non eſt ſimilis ratio; nec fabulatori Ovidio de Tireſia credo, nec iſtud Virgilio,

—— *juvenis quondam, nunc femina Caneus.*

V.

Cur canes execti fiunt ingenioſiores?

Hoc enim Veſalius, & experientia affirmat.

Valleſ. lib. 5. c. 13.

An quia ſpiritus vitales, qui in materiam ſeminis abſumebantur, cerebro, ad imaginationis & ingenij celeritatem, in

cane

cane caſtrato famulantur? Quod probabilius, quia canis animal Venereum & ſeminis multi faber eſt.

Aut fortaſſe, quia nimius calor, & cholera canina, quæ volatiles & vagas imaginationes excitabant, caſtratione refrigerantur, & temperantur ad prudentiam. Sic pueris cholericæ complexionis, ſi exſecentur, creſcit cum frigoris & melancholiæ mixturâ prudentia & ingenium. Vnde ſunt, qui Eunuchum, non ab εὐνὴν ἔχειν, à *cuſtodiendo* dominæ ſuæ *lecto*; ſed ab εὖ νοῦν ἔχειν, *bona mente*, & ingenio derivent. Niſi Iul. Scaligero aſſentiri mavelis, qui Eunuchis tributam *bonam mentem* ait; quia antiqui amaſios, amentes & inſanos eſſe dicebant: quales non ſunt, *coacti non amare capones.* Scal. Exerc. 277. Martial.

VI.

Toſtatus Merlinum, celebrem in Anglia vatem, ex dæmone incubo & feminâ ſuccubâ natum eſſe credit: an etiam accredimus?

Pererius abnuit; quia dæmon, cùm non ſit veri ſeminis à ſe genitivus, à viro excipere illud debuit. Spiritus autem ſeminis prolificus tenuiſſimus eſt, inquit, & ubi vaſis genitalibus effunditur, illicò exſpirat. Perer. lib. 8. diſp. 3. in Geneſ.

Sed Medici ſpiritum illum magis pinguem, nec tam tenuem & exſpirabilem faciunt, ut à S. Thoma, Fernelio, & Freitagio proximè audivimus. Aliàs enim nec feminæ uterus ſpiritum tam aëreum & volatilem compeſcere, & ad conformationem partium fœtûs applicare poſſet. Si igitur in fervida iſta uteri fornace contineri & quieſcere poteſt; ſanè ratio non videtur, cur à dæmone tantiſper coërceri nequeat ne evolet, donec in feminam (quod celerrimè facere poteſt) transfundat. Præſertim, cùm omnes ſagæ dæmonibus ſuccubæ fateantur (& Pererius poſt Cajetanum etiam teſtatur) corpora dæmonum incuborum ſemper eſſe frigidiſſima (ut pote elementari tantùm frigore condenſata) adeoque frigoris ſui periſtaſi non parùm idonea, ut volaticos (etſi tales eſſent) ſpiritus ſeminis compeſcant. Vnde S. Thomas hoc fieri poſſe admittit. Quo tamen caſu, *prolis pater*, ait, *non eſt dæmon incubus, ſed ille ex cujus ſemine generatur.* Cajet. 2. 2. q. 95. a. 3. S. Thom. Quodl. 6. a. 18.

VII. Nonne

VII.

Nonne Turcæ magis ſapiunt quàm nos, qui claritatem natalium, nullo in gradu & prærogativâ ad aſcenſum honorum & dignitatum habent?

Excepto enim uno Domûs Ottomannicæ ſanguine (quem, ad evitandas turbas & bella civilia Imperio ſervant) ceteræ dignitates virtuti cujuſque aut ingenio tribuuntur. Ad hunc enim finem, parvuli Chriſtianorum è Provincijs tributarijs rapti, in Regia Imperatoris, quam *Serrail* vocant, ſine ullo natalium delectu, educantur; ut perſpectâ cujuſque virtute ac indole, per varias militiæ, aut Reip. Præfecturas & officia diſtribuantur.

Hanc verò è Philoſophia meliori rationem ſe habere dicunt: Quòd animæ à parentibus in filios non traducantur, ſed à Deo ſolo creentur. Vnde minimum & viliſſimum eſt, quod à parentibus habemus. Qua contemplatione Plotinus Philoſophus Platonicus parentes ſuos, aut patriam nominare dedignabatur, ut in vita ejus Porphyrius ſcribit. Nec temperatura corporis, unde indoles & ingenium fluit, eſt ſemper optima, quæ à parentibus nobilioribus venit. Imò, ſicut agricolarum & mechanicorum corpora plerumque ſaniora ſunt; ita ſemen ſincerius. An ergo de nihilo, & adulatoriè ad Druſum Germanicum cantillat Poëta Lyricus:

Fortes creantur fortibus, & bonis.
Horat. *Eſt in juvencis, eſt in equis patrum*
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam?

Certè enim Pericles & Alcibiades aquilæ, filios columbas, & hic ipſe Druſus Germanicus Claudium Cæſarem (neſcio an corvum, an bubonem dicere velim) progenuerunt.

An potiùs iſtos qui ſic degenerant, naturæ errores vocare malumus? Nobilitas enim, modò ad labores impigra, & ex præſcripto Medicorum ſobriè vivat, ſalutares & generoſos ſpiritus propagini ſuæ infundere ſolet: qui ſi educatione & virtutum ſtudijs exerceantur, filios regenerant genitoribus ſimillimos.

PHILO-

PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ
DE ANIMA
LIBER TERTIVS.
De Anima ſenſitiva.

ANima ſenſitiva eſt, quæ ſenſuum omnium tam externorum, quam internorum, & appetituum inde conſequentium operationes fundit.

Talem nullam terræ & elementis, item lapidibus, metallis, vel arboribus ineſſe, adverſus Pythagoricos, Manichæos, Copernicanos, & Campanelliſtas Lib. I. probavimus. Brutis verò & hominibus ineſſe, experientia & ſenſus ipſe probat.

Sed in hominibus anima ſenſitiva non eſt à rationali divulſa, ſed in unam formam cum eâ concreſcit, includiturque in ipſâ, ſicut trigonus in tetragono, ut Ariſtoteles eleganter olim dixit.

Eſt ergo anima ſenſitiva hominis, gradus tantùm inferior animæ rationalis, quoad operationes proprias, profundiùs quàm mens & apex ipſe animæ rationalis, corpori immerſus. Quidam tamen brutorum etiam animas non eſſe à ratione ſeparatas, ſed ſuperiori cuidam rationalitatis gradui, quemadmodum animas ſenſitivas hominum, conjunctas eſſe exiſtimant. Quod jam in iſto Libri III. limine diſputare oportet.

CAPUT I.

Quid Philoſophi quidam de animabus brutorum ſenſerint.

INter veteres, Pythagoras, Anaxagoras, Plato, Plutarchus, inter novitios Michael Montanus, Stephanus Paſquierus, Bodinus, Valla, Campanella, & alij animas brutorum ratione & diſcurſu uti, non ſecus ac homines, exiſtimaverunt.

Nec de veteribus illis adeo mirum: nam Pythagoras & Plato animas hominum, in morte nudas non remanere, ſed in varia corpora beſtiarum, pro moribus quos in vita humana coluiſſent, tranſmigrare docebant; ac proinde animas quæ nunc ſunt brutorum, olim hominum fuiſſe, & cùm corporibus brutorum depulſæ fuerint, non interire, ſed in alia hominum, aut brutorum corpora tranſire & tranſanimari.

Beſſar. lib. 2 c. 7. contra calum. Plat. Quanquam tamen doctus ille Card. Beſſarion Platonem ſuum ab hoc errore vindicet; quia in Timæo animas brutorum mortales eſſe diſertè aſſerit. Cùm igitur, inquit Beſſarion, ſceleratorum hominum animas in corpora beſtiarum transfundi Plato dicit, non vult ex anima humana tanquam parte eſſentiali, beſtiam componi; ſed duas animas corporibus illis ineſſe; unam mortalem, quæ eſt forma bruti & operationum vitalium in illo corpore fons & principium; alteram immortalem, quæ in illo carcere animato pœnas luit. Hôc fermè modo, in corporibus Energumenorum, præter animam rationalem, quæ eſt humani corporis forma, dæmonium aliquod mixtim inhabitat. Quem Beſſarionis commentarium ſi recipimus, Pythagoram quoque in eandem ſententiam trahere oportebit: nam Timæus, qui de μετεμψυχώσει *tranſanimatione* humanarum animarum in corpora brutorum, iſta apud Platonem diſſerit, ſectâ Pythagoricus fuit.

Verùm Plutarchus, in diſciplina Platonis exercitatiſſimus, ac in pleriſque Platonicus, aliorſum Pythagoræ & Platonis mentem accipit.

Plutar. lib. 5 c. 20. de plac. *Pythagoras & Plato,* inquit, *docent animas animaliũ quæ vocantur irratio-*

irrationalia, eſſe re verà rationales. Non poſſe tamen uti ratione, propter intemperiem corporis; & quia carent eloquentia, qua conceptus mentis explicent, ut apparet in ſimijs & canibus.

Sed & Galenus Platonizans, *rationem intus deliteſcentem* in brutis agnoſcit.

S. Chryſoſtomus autem credit, Diabolum tranſmigrationem illam animarum Platoni, & Philoſophis alijs perſuaſiſſe, ut imprimeret ipſis capitalem iſtum errorem, animas brutorum nihil ab animabus hominum diſtare. *Per Philoſophos enim*, inquit, *hoc ſemper egit Diabolus, ut oſtenderet noſtrum genus nihil à brutis differre; quando nonnulli in opinionem tam abſurdam venerunt, ut animalia rationis expertia dixerint rationalia eſſe, & animas noſtras in muſcas, canes, & animantia bruta tranſmigrare.* Chryſoſt. homil. 4. in Acta.

Poſteà verò, ubi hic error vanitate & abſurditate ſua evanuit, docuit Philoſophos, non rationalitate & immortalite animas hominum & brutorum, ſed mortalitate pares eſſe; quæ etiamnū hodie opinio apud Atheos & Epicureos durat.

ARTICVLVS I.

Quibus argumentis, quidam animas brutorum rationales eſſe contendant.

OMnia ferè argumenta ab experimentis, quibus bruta ingenium, prudentiam, ratiocinationem, diſciplinæ capacitatem oſtendunt, petuntur.

Nam Plinius elephantis *intellectum patrij ſermonis, & imperiorum obedientiam, officiorumq́; quæ didicere memoriam, amoris, & gloriæ voluptatem* tribuit. Plin. lib. 8. c. 1.

Olim ſub Cæſaribus in Theatris, ad tibiæ cantum compoſito gradu ſaltare, & choreas ducere docti. Imò (quod fidem omnem ſuperat) per funes extentos, cum ſeſſore ſuo funambuli viſi ſunt. Suet. c. 6. Galbæ

Et tot alia ingenij elephantorum exempla in Epiſtolam unam bene longam congerit, & ita admiratur noſter Lipſius, *ut ratione ſe omnino carere*, fateatur, *ſi prorſus illi.* I. Lipſ. Epiſt. 50. Cent. 1. Miſcell.

Plutar. lib. de prudent. animal.

Plutarchus etiam equos, imò boves in Theatris tripudiantes ſe vidiſſe ſcribit.

De ſimijs, cercopithecis, & canibus exempla ſunt protrita.

Phædimus apud Plutarchum narrat, vidiſſe ſe in navi quondam canem, qui in vas anguſti oris, oleo ſemiplenum, lapides mitteret, ut oleum ſurſum extumeſceret, quatenus linguâ attingere, & allambere poſſet. Vnde penetrationem corporum naturaliter impoſſibilem eſſe, & unum ab alio extrudi, ac leviora gravioribus ſidentibus ſuperferri, intelligere videbatur.

Plutarchus integrum vulpeculæ Thraciæ ſyllogiſmum nobis figurat.

Vulpes enim, ait, in Thracia, antequam concretos gelu fluvios tranſeant, aurem glaciei admovent. Et ſiquidem aquæ ſublabentis ſonitum exaudiant, illicò regrediuntur. Sin minùs, tranſeunt intrepidè; intelligentes glaciem ſatis denſam, & ponderis ferentem eſſe. Vnde neceſſe eſt, inquit, hunc ſyllogiſmum componere: *Aqua quæ ſonitum edit, movetur: quæ movetur non eſt conglaciata: quæ non eſt conglaciata eſt liquida: quæ liquida eſt, non poteſt corporis mei pondus ferre; ergo non oportet progredi, ſed pedem referre.*

Syllogiſmus quoque diviſivus canis Chryſippi per veterum Scholas olim ambulavit. Qui leporem ſequens, cùm ad quadrivium fortè perveniſſet, & quam viarum lepus arripuiſſet, ignoraret; argumento à ſufficienti diviſione, veritatem conjectavit. Nam trium viarum initia olfactans, cùm nullum feræ odorem percepiſſet, ſine alio olfactu, in quartam viam ſe conjecit. Quaſi ſecum ſic ratiocinatus. Non hàc, non iſtàc, non illàc tranſivit; ergo quartam viam arripuit.

Sed ſtupore præcipuo me implet canis ille Blaſij Monluci, Franciæ, ſeculo lapſo Mariſchalci, civitatis Senenſis in Italia tunc pro Rege ſuo Gubernatoris. Canis enim iſte, ut Belleforeſtus narrat, in civitate à Cæſarianis diu obſeſſa, exercitum canum ſui generis conflaverat, & quotidie ad mœnia & propugnacula educebat, cuſtodias & vigilias certis ſtationibus diſponebat; & omnia diſciplinæ militaris officia, non pro cane, ſed pro

Bellefor. lib 3. c. 2. Hiſtor. prodigioſ.

ſed pro homine & duce belli expertiſſimo obibat.

Dicam & ego, quod non in quadrupede, ſed volucre nuper cum admiratione vidi. Vivarium erat gelu concretum, & circa ripas corniculæ corvique conchas quæritabant, quas roſtro & unguibus diductas aperirent, & carnium incluſas pulpas ligurirent.

Sed ecce, cùm corniculam quandam cum conchâ ſuâ pertinaciter clauſâ diu & fruſtrà luctantē vidiſſem; illa ingenio & arte opus eſſe, quando vires deeſſent, ſecum reputans; raptam unguibus in ſublime concham, bis, ter, quaterque in ſubjectam vivarij glaciem, duro ſatis & ſonante impetu dejecit: donec laxatis pauliſper valvulis, reliquum roſtro perficeret, & eximeret prædam. Quod factum cùm in cornicula iſta ſubridens admirarer, ecce corvus advolans, & quaſi mihi etiam vellet artem ſuam probare & ingenium, rapit alteram concham in altum, & corniculæ imitatione, toties dejjcit & repetit, donec valvulæ ad rapinam aperirentur. Vt jam ſanè credere inicpiam, quod de Æſchylo Poëta Tragico aliquando legere memini: talis conchæ, aut certè teſtudinis majoris deciduo in caput ejus ictu, exanimatum fuiſſe.

Cùm enim, inquiunt, capite calvo, & ad ſolem ſplendicante, fatigatus in agro ſterteret, aquila cum teſtudine unguibus raptâ fortè ſupervolans, rata caput ejus, ſaxum eſſe, teſtudinem librato ictu in illud dejecit, & ſauciavit ad mortem.

Quid ergo iterùm hîc dicemus? Nonne aves iſtas ingenij intellectûs, & ratiocinationis jam manifeſtas eſſe? Cur enim conchas in ſublime raptas in glaciem aut ſaxa præcipitant? Nonne ut frangant, aut aperiant? Igitur cognoſcere utilitatem medij ad talem finem, & ſic ratiocinari videntur: Delapſus & alliſio conchæ ad rem duram, frangit, aut aperit eam; ergo idoneum medium eſt ad extrahendam & devorandam ejus carnem.

Et in hac naturali ratiocinatione (ait apud Plutarchum Gryllus, qui inter ſocios Vlyſſis, à Circe in porcum tranformatus fuerat, & hominis ac bruti conditionem ſe expertum dicit) beſtiæ feliciores ſunt hominibus: quòd non in Scholis

ſub ferula Magiſtrorum, multo labore & ærumna, diſcere ſyllogiſmos ſuos & conſequentiarum nexus debeant; ſed menti ſuæ impreſſos à natura habeant.

Vi etiam quadam veluti divinâ intelligendi imminentes cæli converſiones, & tempeſtatum articulos, ſupra omnes Ephemeridum calculatores, pollent bruta, docentque agricolas.

Virg. Georg. 1.

—— Hinc ille avium concentus in agris,
Et læta pecudes, & ovantes gutture corvi.

Et Amyclas nauta apud Lucanum, diſſuadens Cæſari Hadriæ trajectum, à piſcibus & avibus edoctus, nec vanè, ſurrecturam mox tempeſtatem prædixit:

Luc. lib. 5.

Non placet incertus, qui provocat æquora, delphin,
Aut ſiccum quòd mergus amat, quòdq́ ausa volare
Ardea ſublimis, pennæ confiſa natanti,
Quòdq́ caput ſpargens undis, velut occupet imbrem,
Inſtabili greſſu metitur littora cornix.

Chryſoſt. homil. 4. in Acta.

Vnde *Philoſophi quidam,* ait Chryſoſtomus, *omnem rationalem ſcientiam brutis cum homine communem facientes, etiam futurorum præſenſionem & religionem apud illa eſſe prædicant. Corvus, inquiunt, novit Deum, & cornix, & prophetiæ donum habent, futuraq́ prædicunt.*

Denique equi, boves, canes, vulpes, inquit Plutarchus, in rabiem aguntur, id eſt, mente excidunt; igitur mentem antè habuerunt. Quod etiam ex hominis inſani & canis rabidi ſimilitudine licet intelligere. Vterque enim charorum & familiarium memoriam amittit, deſertâ hominum ſocietate, per ſilvas & avia ſe proripit, & indiſcreto in amicos an inimicos impetu, omnes paſſim dentibus invadit.

Deinde, nonne virtutes ſigna ſunt mentis & rationis? addit Gryllus. Sed virtutes ſunt in brutis; igitur & mens & ratio.

De virtutibus autem beſtiarum, fortitudine, temperantia &c. variè diſſerit, & in iſtis beſtias ſupra etiam homines ponit. Fortitudo enim beſtiarum uſque ad extremum ſpiritum invicta depugnat, nec proſtrata hoſti unquam jugulum præbet, aut ſupplex fit.

Cùm tamen gladiatores in Arena, ſæpe abjecto ferro & animo, vulnus adverſarij ultrò recipere, aut miſericordiam victoris implorare videamus.

De temperantia verò, beſtiæ in cibo nullis utuntur ſuperfluis condimentorum illecebris. Venere autem ad ſpeciei dumtaxat propagationem, & certis tantùm anni temporibus, nec in maſculi libidinem ardet unquam maſculus. Quæ omnia, maximo generis noſtri dedecore, longè ſecus ſe habent in hominibus. Vnde hæc & paria, grunnitu ſuo, & Plutarchi eloquentiâ differens Gryllus, reverti in hominem, unde in porcum à Circe fuerat converſus, ſe velle negat.

Talia, & adhuc longiùs Stephanus Paſquierus, in Epiſtola ad Adr. Turnebum, diffundit. Et ſuavis Mich. Montanus: *Et quis ſcit*, ait, *An quando colludo cum mea fele, ego me cum ipſa potiùs, quàm ipſa mecum ſe recreet, meq́ utatur, tanquam inſtrumento ſuæ voluptatis?* Deinde. *Sicuti homines venantur lepores & cervos*, inquit, *ita tigres, leones, & lupi hominum venationem agunt. Sunt ergo beſtiæ hominibus pares.* Mich. Montan. lib. 2. c. 12.

Adduntur & Reipublicæ formicarum, & apum exempla. *Nam apes*, ait Campanella, *habent regem, obedientiam, excubias, fabros, ſervos, magiſtros operum, ſacerdotes (qui ſunt fuci) & tanta arte cellas fabricantur, ut noſtras ſuperent.* Campanel. lib. 2. c. 23. de ſenſu.

Deus te ſervet, bone Campanella, qui fucos, apum ſacerdotes eſſe dicis. Quia, credo, mel non colligunt fuci, ſed ligurtunt; quemadmodum in lege veteri & novâ ſacerdotes & Levitæ meſſem in horrea non congregant, ſed decimas tamen comedunt.

Poſtremò, in rei totius complementum, Scriptura ſacra in teſtem vocatur. *Nam providentiam formicarum*, inquit Campanella, *admiratur Salomon, & ad Scholas ipſarum nos mittit. Vade ad formicam ò piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam.* Prov. 6.

Iobum quoque interrogat Deus, *Quis dedit gallo intelligentiam?* Gallus enim, inquit Paſquierus, *manè evigilat, & veſperi dormitum concedit cum ſole, & certis diei ac noctis articulis, cantu eum adorat.* Iob. 38. Steph. Paſquie. Epiſt. ad Turneb.

Denique, anima brutorum in Scriptura ſacra, ſpiritus vocatur

Gen. 6. vocatur, non minùs quàm anima hominis. *Interficiam omnem carnem*, ait, *Dominus, in qua ſpiritus vitæ eſt*. Igitur omnium beſtiarum quæ diluvio perierunt, animæ ſpirituales ſunt, & conſequenter tam immortales, quàm humanæ. S. Auguſtinus quoque, & S. Bernardus, qui phraſim Scripturæ in ſuam eloquentiam libenter rapiunt, nomen *ſpiritus*, animæ bruto- S.Aug.lib.3 c.15.contra Maxim. rum etiam tribuunt. *Diverſæ naturæ ſunt*, inquit Auguſtinus, *ſpiritus hominis, & ſpiritus pecoris, & tamen uterque eſt ſpiritus.* Et S.Ber.ſer.5 in Cant. Bernardus: *Simul*, inquit, *vivificare, & vivere deſinit ille ſpiritus, quando moritur pecus.*

ARTICVLVS II.

Animæ brutorum irrationales, & merè ſenſitivæ ſunt.

POſſum de ratiocinatione iſta, quam beſtijs illi Auctores aſſingunt, dicere quod de Anaximandro olim Ariſtoteles, Ariſt.lib.2. c.13.de cœlo. Κομψῶς μὲν, οὐκ ἀληθῶς δέ, *eleganter quidem, ſed non verè.*

Negamus igitur beſtias verâ ratione, ſed ſimilitudine tantùm quadam rationis præditas eſſe. Quod ipſæ etiam illis ipſis actionibus ſatis produnt, propter quas alij rationem ipſis inferunt. Nam etiam in illis, agendi modum & cogitandi valde reſtrictum & anguſtum habent, ut rectè Simplicius notat; Simpl.lib.3 tex.57. de anima. cùm tamen vera ratiocinatio & diſcurſus latiùs debeat exſpatiari.

Videte enim pauliſper nobiſcum mores beſtiarum. Omnes ejuſdem ſpeciei, ut ad finem aliquem perveniant, uno eodemque medio & modo uti conſueverunt. Aviculas accipiamus in exemplum. Vniverſæ unius ſpeciei hirundines, ad generationem & educationem pullorum, nidos ex luto, eâdem formâ conſtruunt, & ex tectis, aut feneſtris domorũ in propatulo ſuſpendunt. Omnes paſſeres latebras præferunt, & in abdito tectorum, aut cavis arborum, plumas tantùm & ſtramenta in nidos concinnant. Omnes philomelæ è muſco arborum, & ſetis animalium, circumjectis arborum folijs, in ipſa ſuperfi-

cie terræ

tie terræ inter dumos nidulantur. Omnes acanthides laneos lares hirtæ arboris ramo intexunt. Omnes linariæ lanam etiam in materiam rapiunt, ſed in ruborum, aut dumorum opacitate nidos abſcondunt. Omnes verò galguli eos inſtar corbium, è ramo arboris ſuſpendunt. Omnes turdi & merulæ fundo oblimato muſcum circumædificant. Omnes picæ ſpinis circumſepiunt. Et aliæ aves, quas longo ordine recenſere poſſem, & in pueritia calidus auceps adnotavi, omnes ejuſdem generis unicam architectandi artem norunt.

Vnde autem tanta paritas, & uniformitas? Sine dubio, quia rationem medij & finis non cognoſcunt; neque inter varias ædificiorum formulas hanc vel iſtam in ideam futuri operis aſſumere, & materiam illi fini idoneam eligere poſſunt. Vnde falſum omnino eſt, quòd à fine ad media, aut ratiocinando, aut appetendo progrediantur. Aliás enim cùm innumeræ ſint nidorum formulæ, ad pariendum & fovendum ova perinde idoneæ, quædam hirundinum ejuſdem ſpeciei (nam domeſticæ illæ nigræ bifidâ caudâ, & ripariæ à parietarijs & vulgaribus ſpecie diſſident) aliam interdum formam, & materiam operi ſuo ſeligerent; ut inter homines, Belgas, Germanos, Italos, Hiſpanos, Francos, aliter aliterque architectantes cernimus. Quia igitur brutæ animantes nullam artem architectonicam, defectu rationis & ratiocinationis, diſcere poſſunt, Natura, id eſt Deus, unam artem, quam omnes ejuſdem ſpeciei ſequantur, ijs impreſſit. Simile argumentum ex hominis nuditate, & naturali brutorum indumento rapere poſſumus.

Quid enim cauſæ putamus, cur animalia bruta pilos, villos, plumas, teſtas, & id genus à natura habeant; homo verò totus inveſtis & nudus in lucem expellatur? An, quia fortaſſe natura homini triſtis noverca, ceteris animantibus blanda mater fuit, ut Plinius conqueritur?

Quàm fallitur! Mater enim omnibus fuit; ſed ſagax & prudens, quæ ſecundum uniuſcujuſque indigentiam, divitias filijs diſpenſavit. Quia igitur bruta ratione carebant, nec naturalis eorum ſtoliditas apprehendere poterat proportionem certi

veſtimenti ad corpus ſuum, nec ex qua materia illud eſſet conficiendum; ideo neceſſe fuit, ut tanquam pueris, aut mente captis, natura veſtem ipſis conficeret, ne frigore, & iniquitate cæli ſtatim enecarentur, & naſcerentur fruſtrà. Homini verò, vice indumenti, rationem dedit, ut formam quamcumque collibitam, & materiam ad illam idoneam ſibi deligeret.

Secundò, ſi bruta rationem, etiam loquelam haberent, qua mentis ſuæ conceptus evoluerent. Communicatio enim quâ creaturæ rationales invicem miſceri, & tractare poſtulant, exigit loquelam qua ſermocinari, & ſecreta ſuæ mentis dare & reddere valeant. Natura autem in neceſſarijs non avara, ſed liberalis eſt. Vnde Angelis & hominibus, quia ratione præditi erant, loquelam dedit, quâ cum ſuo quiſque congenere ſermocinaretur. Hinc Scripturæ ſacræ Latinus Interpres τὰ ἄλογα ζῶα, *animalia irrationalia* vertit, *animalia muta*. Et vox Græca utrumque ſignificat; quia irrationalium proprietas eſt, mutum eſſe. Hoc tamen argumentum bonus Campanella eludere conatus eſt. *Iumenta & aves ſe invicem vocitant*, inquit; *ergo diſcurſus habent. At nos ipſarum linguam non percipimus; quoniam nec Polonorum, aut Indorum percipimus. Omnes enim ſuo pronunciant quiſque modo. Canes tamen nobiſcum viventes, & ſimia bene addiſcunt linguam noſtram: nam in alias delati regiones, linguam accolarum non intelligunt. Vidi Neapoli canem Polonum nil percipere linguam Neapolitanam, niſi loquentes Polonicè. Verùm pronunciare quod volunt, nequeunt; quoniã non habent organa ſimilia noſtris: ſicut nos non poſſumus uti tubâ, ut citharâ, nec cornu edere campanæ ſonum. Pſittaci tamen palatum concavum habentes, ſicuti homo, bene diſcunt verba multa humana. In mari quoque inveniuntur piſces homines prorſus. Et in Olanda* (Hollandia, vult dicere) *& Luſitania viſi ſunt omnes humanas functiones obire. At linguam non diſcunt, ut loquantur; nam extra aquam parùm vivere poterant.*

S. Iud. Epiſt.

Campanel. lib. 2. c. 23. de ſenſu.

Sed ſomnia iſta ſunt. Et Sirenes, ac Nereides illæ in littus Hollandicum aut Luſitanicum ejectæ, ſive in Peloponeſo, ut nuper Lib. I. cap. 111. a. 1. narrabamus, captæ, non homines fuerunt, ſed piſces irrationales & à natura muti, ut poſtrema corporis pars, quæ in caudam & piſcem diſinebat, ſatis probaverunt.

Nec.

Nec Campanella canem unquam vidit, qui linguam Polonicam totam intelligeret, ſed fragmina & ſibilos quorundam tantùm verborum, quæ ventrem, aut officiola quædam canina ſpectant. Imò ne quidem fando unquam audivit, canem fuiſſe, qui duas ſyllabas articulatè poſſet pronunciare. Pſittaci verò, graculi, & picæ aliquot ſententias garrire interdum, longâ plerumque magiſtrorum inculcatione diſcunt: ſed dant ſine mente ſonos, nec iſto garritu imaginationis ſuæ conceptum manifeſtare intendunt, quia neſciunt quid dicant.

Aſſerere autem totum animalium brutorum genus loqui non poſſe, non mentis & rationis, ſed inſtrumentorum defectu, eſt naturam, quaſi in neceſſarijs deſit, damnare; cùm potiùs *quod optimum* & accommodatiſſimum *eſt unicuique, ſoleat facere*, & providere. Ariſt lib 2. c. 14. de partib.

Nec ex paucis hominibus mutis, quos naturæ error, vel morbus elingues fecit, argumentum ad bruta trahere oportet. Quia non tantùm unus aut alter equus, bos, canis &c. accidente aliquo caſu, loquelâ carent, ſed tota univerſim ſpecies: manifeſto indicio, id eſſe omnibus naturale; ac proinde non deberi ijs à natura facultatem loquendi: ſi autem non loquendi; ergo nec ratiocinandi. Nam ſicuti nomen Græcum λόγος & rationem & ſermonem ſignificat, quia rationem in animalibus ſermo ſequitur; ita ἄλογοι, duplici quoque ſignificatu, tam quod ratione, quàm quod ſermone caret, appellatur; quia carentia rationis & carentia ſermonis indiviſibili inter ſe nexu ſemper copulari poſtulant.

Inarticulato tamen garritu, mugitu, aut aliâ inconditâ voce, famem aut ſitim, gaudium aut dolorem, & alias animæ ſuæ paſſiones produnt; non tamen animo eas enunciandi; ſed ſicuti infantes noſtri ſolent, per quendam naturæ inſtinctum & ſympathiam, qua unus motus, veluti catenâ quadam, alterum trahit.

Tertiò, omne animal cognoſcit ſibi naturaliter conveniens & diſconveniens; ergo ſi bruta ratione prædita ſunt, cognoſcent quid honeſtum, quid turpe. Nam honeſtum omni naturæ rationali convenit, & turpe diſconvenit. Huic deinde

cognitioni etiam appetitum rationalem accommodatum habebunt, quo honeſtum amplecti, & turpe reſpuere valeant. Igitur liberum arbitrium ijs inerit, & virtutis ac vitij, meriti ac demeriti capacia erunt. Vnde & Paradiſum pro columbis, anſeribus, & innocuis animalibus, Infernum pro accipitribus, milvis, & tot rapacium tyrannis præparare oportebit.

Denique, non magis licebit boves, & oves in menſas noſtras, quàm homines occidere. Nec profectò de brutis animantibus ad Noë dixiſſet olim Deus: *Omne quod movetur & vivit erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.* Gen. 9.

Et quid denique per conſequentias rem iſtam tractamus, cùm Spiritus ſanctus apertè vocet *Irrationabilia pecora, naturaliter in captionem?* 2. Pet. 2.

Pſal. 31. Monet quoque alibi, *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Error igitur hæreticus eſt, brutis intellectum & rationem aſcribere.

Arist. lib 1. c. 1. Metaph. Lib. 7. c. 13. Polit. Eadem denique Ariſtotelis & ſaniorum Philoſophorum ſententia fuit. *Alia animalia*, inquit, *phantaſijs & memorijs vivunt, parumque experientiæ habent; hominum verò genus arte & ratiocinationibus.* Et alibi diſertiſſimè: *Alia animalia maximè vivunt ſecundum naturam, parùm verò ſecundum mores; homo autem & ſecundum rationem. Solus enim rationem habet.*

ARTICVLVS III.

Argumenta Plutarchi, Vallæ, Bodini, Campanellæ, & aliorum, quibus animas rationales brutis inſerunt, diſſolvuntur.

OMnes iſti Philoſophi ſimilitudine veri decepti, imaginem à reipſa diſcernere non valuerunt. Vnde Ariſtoteles perſpicacior, non ſcientiam & prudentiam in brutis, ſed ὁμοιότητας *imagines* ſolùm ſcientiæ & prudentiæ, ac morum humanorum quædam tantùm ἴχνη *veſtigia* agnoſcit. Vnde beſtias incontinentes eſſe negat; quia concupiſcentia in ipſis rationem, qua carent, non oppugnat, multo minùs expugnat, quod in incontinente tamen fieri debet. Et hinc (Arist. lib. 8. c. 1. Hiſtor.; Arist. lib. 7. c. 5. Ethic.)

etiam

etiam S. Auguſtinus adverſus Iulianum & Pelagianos toties concupiſcentiam eſſe malam in pecoribus negat, quia adverſus ſpiritum non concupiſcit; ſed à natura ipſis data eſt, ut ſpiritum ipſorum delectet.

Quidquid verò ſcientiæ, prudentiæ, & induſtriæ apparuit in omnibus exemplis, quæ Artic. ſuperiori deduximus, opera imaginationis, & ſenſuum interiorum ſunt, non veræ intelligentiæ & rationis. Dicit unico verbo S. Auguſtinus, cùm ait, *Feras non habere ſcientiam, totamq; illam velut imaginem ſcientiæ, quam miramur, vim eſſe ſentiendi.* S. Aug. lib. de quant. anim. c. 28.

Sed claritatis ergò, duo genera actionum diſtinguenda ſunt, in quibus beſtiæ ingenium, ſcientiam, & ſolertiam oſtendere videntur. Quaſdam enim, nemine docente, à natura inſitas habent, alias diſciplinâ & exercitatione addiſcunt.

Quæ à natura inſitæ ſunt, eodem ſemper modo fiunt, quia natura eadem ſemper manet. Et pleræque tales in executione & applicatione quorundam mediorum conſiſtunt, quibus ad finem à natura intentum breviſſimâ aut commodiſſimâ viâ perveniunt. Fines autem beſtiarum ſunt delectatio in cibo, potu, Venere, & alijs corporis ſui commoditatibus, quæ ad individui conſervationem, vel ad ſpeciei propagationem pertinent; & contrariarum incommoditatum evitatio. Breviter enim & ſcitè D. Auguſtinus: *Appetere voluptates corporis, & vitare moleſtias, ferina vitæ omnis actio eſt.* Et alibi ait, *Iumenta movere membra ſub ſarcinis naturali appetitu ſuæ voluptatis, & devitatione moleſtiæ.* S. Aug. lib. 1 c. 8. de lib. arb.

Ad hos autem fines aſſequendos (quia naturalis quædam eorum veluti beatitudo in illis conſiſtit) natura media quædam, per inſtinctum naturalem eas docuit. Vocatur autem inſtinctus, quia per illum beſtiæ inſtigantur & impelluntur à natura ſua in quaſdam actiones; non autem ſeipſas movent per rationem & libertatem voluntatis. Movere enim ſe non dicuntur, niſi ratio oſtendat, non tantùm quò, ſed etiam quare, ſive quo fine eò vadant. Bruta autem licet cognoſcant bonum ſenſibile ad quod eorum appetitus inſtigatur; non tamen ſciunt, quare actionem illam exerceant, & an hoc ſit Lib. 3. c. 3. Trin.

medium ad aſſequendum alterum, tanquam illius medij finem: ſed ubique in ſingulis actibus ſuis ponunt finem ſui progreſsûs, ſine relatione ad aliquid ulterius. Interea tamen natura, quæ eſt ipſis loco rationis, catenam aliquam actionum nectit, quæ ad finem à Natura illa intelligente, id eſt Deo præſtitutum, appetitum bruti perducit.

Sunt ergo beſtiæ inſtar hominis cæci, qui ab alio ſic ducitur, ut neſciat quò vadat; ſed ei ad ſingulos paſſus dicitur, pedem ibi ponas, & facit; incurioſus & ignarus, quò ſeries iſta rerum exitura ſit.

Ex hac doctrina ſequitur, quod S. Auguſtinus & S. Thomas docent, bruta propriè non uti medijs ad aliquem finem, etſi poſſint aliquo modo dici frui fine; nec tamen, ut finis, ſed ut bonum eſt. Sed Magiſtrum audiamus: *Frui quidem cibo, & qualibet corporali voluptate non adeò abſurdè exiſtimantur & beſtiæ; uti autem aliqua re non poteſt, niſi animal quod rationis eſt particeps. Scire namque quò quidque referendum ſit, non datum eſt rationis expertibus; ſed neque ipſis rationalibus ſtultis. Nec uti quiſque poteſt ea re, quæ quò referenda ſit, neſcit, nec quiſque poteſt ſcire, niſi ſapiens.*

S. Aug. lib. 83. q. 30.

Igitur bruta illa Artic. præcedenti, quorum ſyllogiſmi & diſcurſus à fine ad media ire videntur, re verâ non ratiocinantur, nec propter rationem medij & finis inter duo extrema apprehenſam, ab uno ad aliud per conſequentiam intermediam (quam non intelligunt) progrediuntur; ſed appetitus eorum, comitante imaginatione, ab amore unus ad amorem alterius, à naturâ inſtinctu quodam propellitur; ut tandem in fine totius catenæ actionum, per media (quæ tamen neſcit eſſe media) pertingat ad finem.

Verùm, quia natura non eodem modo, nec per eoſdem, ut ſic dicam, paſſus, imaginationem & appetitum beſtiarum perducit ad finem; ideo aliquæ alijs ingenioſiores, & magis verſutæ eſſe dicuntur. Sic elephantes, ſimiæ, vulpes, canes plus ingenij ceteris habere perhibentur; quia non unâ & rectâ viâ, ſed per varias, & ſinuoſas quaſi ſemitas, ac circulares flexus, verſus finem à natura inſtigantur. Hoc enim ad varietatem & decorem univerſi; deinde ad hominis uſum, aut delectationem

tionem pertinebat, cui omnia animantia creata ſunt.

Thraciam enim vulpem, cujus ſyllogiſmum nobis concinnat Plutarchus, capiamus in exemplum. Ipſa hieme, cùm omnia concreta ſunt gelu, venatum exit. Fluvium, quem aquâ currente mobilem antè viderat, & jam adhuc meminit, ſtare videt. Inſtigatur à natura, ut aurem glaciei apponat. Si ſonitum fluentis aquæ, ſibi notum audiat, terretur & refugit; quia imaginatio hoc eſſe terribile & periculoſum, alio naturæ inſtinctu ei ſuggerit.

Hoc autem totum ſine vero ſyllogiſmo, ſed per perpetuos & catenatim ſibi cohærentes naturæ inſtinctus, fieri poteſt; quod tamen homo ratiocinatione, & comparatione mediorum ad finem perficeret.

Nam aliàs, ſi ex tam ordinata actionum ſerie, cognitionem medij & finis, & ab uno eorum ad alterum, verum diſcurſum & ratiocinationem colligere liceret; profectò in arboribus quoque, & rebus inſenſibilibus, ratio & ratiocinatio ineſſet. Illa enim alimenti per radices telluri infixas attractio, concoctio, & diſpenſatio per univerſum arboris corpus, cum admirabili omnium partium proportione; foliorum & florum extruſio, fructuum educatio, & tota illa animæ vegetativæ in nutricatione ſui corporis Oeconomia, non minùs ingenij & admirationis habet, quàm omnium vulpium, ſimiarum, canum ambagioſæ imaginationes & aſtutiæ.

Deinde, quid virtute conformatrice ingenioſius? Non exiſtimo in divino illo cæleſtium ſphærarum & aſtrorum horologio, plus ingenij & admirationis eſſe, quàm in organica iſta unius animalis, aut plantæ conformatione. Et tamẽ ſine ratiocinatione, à virtute ſeminis inanimâ, aut certè ab animâ quidem, ſed operationem ſuam tamen non intelligente.

Quod profectò exemplum non videtur aſpexiſſe doctiſſimus Medicus Franc. Valleſius, quando tam affirmatè dixit, *Rationem aliquam ineſſe brutis negare non poſſumus, citra protervìam.* Non tamen, inquit, quaſi circa quidlibet ratiocinari poſſint, ſicut homines; *ſed tantùm circa quiddam, quò naturali quodam inſtinctu feruntur.*

Valleſ. c. 55 Philoſ. ſacræ.

Sed

Sed ſi naturali inſtinctu eò feruntur, jam ceſſat ratiocinationis neceſſitas; niſi virtutem arboris conformatricem, aut nutritivam ratiocinatione etiam indigere velimus, ad operis tam ingenioſi fabricationem.

Ariſt. lib 7. c. 5. Ethic. Vnde brutis ratiocinationem, etiam ex terminis ſingularibus (nam univerſale apprehendere nequeunt, ut Ariſtoteles fatetur) & ſenſibilibus negamus. Rationem quippe veræ conſequentiæ, ne quidem inter tales terminos, imaginatione aſſequi valent.

S. Tho. 1. p. q. 78. a. 4. ad 5. Hoc enim S. Thomas ſoli cogitativæ & memorativæ hominis docet eſſe proprium: & hoc, inquit, *non per id quod eſt ſenſitivæ partis, ſed per aliquam affinitatem & propinquitatem ad rationem univerſalem, ſecundum quandam refluentiam. Et ideo*, addit, *non ſunt aliæ vires, ſed eædem, perfectiores quàm ſint in alijs animalibus.*

Lib. 2. c. 4. a. 3. Meteor. Quantum verò ad illud, quod de præſenſione pluviæ & tempeſtatum addebatur, in Meteoroligicis olim à nobis explicatum eſt. Nec enim aves, & quadrupia tempeſtates præſentiunt ratiocinando, & ex effectu, aut alio ſigno, conjectando cauſam; ſed humore aliquo rorido molliter, ante pluviam, in aërem inferiorem & corpora illorum animalium deſidente, titillantur, & in crocitationes, ac voces illas pluviæ præſagas, aut motus laſcivos inconditoſque erumpunt, unde homines (non ipſæ beſtiæ, quæ ſignificationes non intelligunt) futura præſagiunt.

De ceteris verò beſtiarum actionibus, quæ non à natura inſitæ & concatenatæ, ſed per diſciplinam hominum, uſu & exercitatione acquiſitæ ſunt, dico, nec eas verâ ratiocinatione ſtructas & inter ſe colligatas eſſe.

Card. lib. 10 Subtil. Vide enim modum inſtituendi canes apud Cardanum; omnes eorum artes amore boli, è ventre eliciuntur, aut flagris imprimuntur. Adeoque veriſſimum apparet, quod antè ex

Lib. 3. c. 3. Trin. S. Auguſtino afferebamus: Beſtias omnia agere *naturali appetitu ſuæ voluptatis, & devitatione moleſtiæ*. Et alibi: *Appetere*

Lib. 1. c. 8. de lib. arb. *voluptates corporis, & vitare moleſtias, ferinæ vitæ omnis actio eſt*. Vt proinde Poëta tenebroſus veriſſimè cecinerit:

Quis

Quis expedivit pſittaco ſuum χαῖρε,
Picaſq́; docuit noſtra verba conari?
Magiſter artis, ingeniq́; largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces.

Non igitur honeſti, aut rei indifferentis contemplatione, ſaltus & tripudia ſuâ docentur canes, ſed voluptate ventris, aut flagrorum, & mali metu.

Facile verò jam eſt intelligere, quomodo ſine verâ ratiocinatione, ſed ſolo naturæ, quo ad voluptatē aguntur, inſtinctu, in ejuſmodi geſticulationes, & alia quę miramur contorqueri & formari poſſint. Viſo enim bolo è manu inſtitutoris dependente, illicò inhiant; & quia meminerunt, poſt tripudia, aut alios corporis gyros, ſolere ipſis projici, excitatur in eorum memoria, per naturalem ſympathiam & ſine ſyllogiſmo, ſpecies tripudiorum, ſequiturque mox judicium phantaſticum, quo tripudiandum eſſe judicant: non propter utilitatem talis medij ad illum finem, ſed quia voluptatem eſcæ tripudio tam arctè conjunctam, & velut eandem imaginantur, ut medium à fine non diſtinguant.

Quando verò bonitas finis abſens eſt, ejus tamen recordantur; atque ita per imaginationem medium fini iterum copulant, nec unum ab altero ſeparant, ut per verum & rationalem diſcurſum ab iſto ad aliud argumentando pervenire valeant. Nec exiſtimo Mariſchalci Monluci canem, de cujus militari diſciplina, Artic. ſuperiori, facta mentio, ſublimiori quàm ventris ſui fine, belli illa ſimulacra luſiſſe. Si tamen Belleforeſti illa fabula non eſt. Nam Monlucus, ſui & rerum ſuarum minimè parcus admirator, quique illam Senenſem obſidionem exactiſſimo, etiam uſque ad minutiſſima, Commentario deſcripſit, de cane illo ſuo tam militari & imperatore ſilet. An. 1555.

Neque ſimius denique ille Paræi, appellatus *Magiſter Ioannes fac totum*, aliud, credo, quàm gulam ſuam, aut aliam belli corporis ſui delectationem, aut moleſtię vitationem ſpectabat. Iuvabit illius ſimij hiſtoriolam ad leporem & recreatiunculam Lectoris, ab Ambroſ. Paræo huc transſcribere.

 Memini

Paræ lib. 1. c. 34. Chirurg.

Memini vidiſſe, ait Paræus, *in ædibus Ducis Somei, prægrandem ſimium & moroſum. Cui, quòd multis moleſtus eſſet, manus abſciſſæ fuerant, ſibi curationem admoveri paſſus, cùm vulnera cicatrice obducta fuiſſent, mitior evaſit ac docilior. Ergo veſte viridi amictus, ex cingulo quo præcinctos lumbos habebat, conſpicillorum thecam, par cultellorum, & puerile ſudariolum appenſa gerebat. Culinæ præfecto in diſciplinam traditus; quòd in foci angulo domicilium ſibi delegiſſet, multa ludicra & feſtiva edoctus. Siquando à doctrina, præceptiſq; aberraret, dicto citiùs, in ejus dorſum lumboſq; convolabant verbera, de quotidiano victu multa detrahebantur; quòd, ut ait Perſius,*

Magiſter artis, ingenique largitor venter.

His artibus brevi tantum profecit, ut omnibus ſuæ ætatis ſimijs, ingenij gloriâ facilè antecelleret. Nulluſq; peritior haberetur ſaltando, tripudiando, ad palum excurrendo, corpus per magiſtri crura incredibili agilitate tranſmittendo. Omnia denique ſtrenui ſimij opera faciendo.

Fercula reverenter admodum cum corbulonibus & ſportarijs deferebat, lances & catinos linctu emundabat, & alia infinita obſequia præſtabat; ſic ut vulgò, Magiſter Ioannes fac totum *diceretur. A prandio & cœna in cathedra ſedens concionatorem agebat, oculos cælum verſus, ſuſq; deque rotabat, manuum truncis pectora cum multo planctu percutiebat, preces obmurmurabat cum ſonoro dentium ſtrepitu. Infinitos denique alios ludos edebat: rectus ſemper, ob truncas & abſciſſas manus, incedens, niſi quando feſſus, clunibus inſidere cogeretur.*

Horum, & innumerabilium aliorum dociles ſunt ſimij, & quædam aliæ beſtiæ. Nec tamen ideo rationales ſunt, quia omnia ſine ratiocinatione & intellectu fieri poſſunt. Nam, ut fatetur Paræus, flagris & verberibus in illas formas & ſchemata à præfecto culinæ contortus formatùſque fuerat ſimius iſte. Vnde cùm ſaltationes & Comœdias ſuas agere juberetur, non erat longo ſyllogiſmo opus, ut ſe ad agendum reſolveret; quia ceſſationem ſuam dolori verberum conjunctam, ex memoriâ præteritæ ſuæ inſtitutionis, imaginabatur, & ex fugâ doloris in imperatos motus & tripudia ſe impigrè conijciebat; quandoquidem in talibus motibus remedium doloris expertus eſſet, & ſine ullâ interjectâ argumentatione, iſta expe-

experientia & conſuetudo nexum & velut catenam quandam feciſſet inter fugam verberum, & appetitum tripudiandi, aut alias actiones à magiſtro imperatas exercendi. Propter enim hunc nexum, fuga verberum poſt ſe actiones illas naturaliter trahebat.

Eodem modo amentes, & pueri ante uſum rationis, per naturæ inſtinctus, ab una actione ad alteram ei connexam protruduntur, non ratione & imperio ſe agunt.

Denique Scripturæ ſacræ loca, in fine Artic. præcedentis citata facilè explicantur, licet nullus rationis uſus in brutis admittatur. Sapiens enim pigrum ad Scholam & ſapientiam formicæ mittit, ut ipſe per rationem imitetur, quod illa per ſolum naturæ irrationalem inſtinctum facit. Vnde in formicâ nulla propria ſapientia eſt, ſed ſapientiæ tantùm imago. Prov. 6.

Similiter nec in gallo vera periodorum ſolarium intelligentia eſt; ſed certis diei, aut noctis intervallis ad cantandum excitatur inſtinctu naturæ, non intellectu horæ, ſicut intelligit vigil qui nocturnas horas è turri Eccleſię, ſonitu tubæ indicat. A quânam verò aliâ causâ priore inſtinctus ille naturę expergefiat, ut gallum cantûs ſui admoneat; quidam ad influentiam ſolis recurrunt, ego Lib. II. Cap. III. Artic. III. cauſam propinquiorem indicavi: nempe articulos temporum, quibus in corpore ipſo galli abſolvitur varia cibi potûſque, per chyloſin & chymoſin concoctio. Mutatio quoque auræ multum in hoc valet, facitque ut horologia iſta ruris, maturiùs aut ſeriùs cantent. Iob. 38.

CAPVT II.

De ſenſu in genere.

ANimæ ſenſitivæ naturales facultates ſunt ſenſus. Senſus autem nihil aliud eſt, quàm potentia cognitiva organica. Dividitur in externum, & internum. Senſus externus eſt, qui ad exteriorem corporis ſuperficiem organum ſuum habet: internus verò, qui intus reconditum.

Numerus ſenſuum externorum paſſim ſtatuitur quinarius; internorum eſt incertus. De quo poſtea diſputatio erit.

ARTICVLVS I.

Quot ſunt ſenſus externi.

S. Aug. lib. de quant. anim. c. 23.

VVlgus etiam ſenſus externos quinque nominat. *Partitio enim iſta*, inquit S. Auguſtinus, *vetuſtiſſima eſt, & ferè concionibus celebrata.* Experientiâ quippe conſtat, quinque eſſe genera ſenſibilium qualitatum, quas ſenſu percipimus: colores, ſonos, odores, ſapores, & qualitates primas elementares. Nec tamen univerſas unico ſenſu, ſed diverſis nos percipere experimur. Non enim ſonitum campanæ per oculos, ſicuti album & nigrum per ipſos cognoſcimus.

Advertimus quoque organa eſſe quinque, non plura nec pauciora; quæ natura tanquam quaſdam exploratorum ſpeculas, circa ſuperficiem corporis diſpoſitas fabricat, ut anima res externas noſcitet. Igitur totidem ſunt ſenſus, qui ſpeculas illas, per modum exploratorum inſident, & proſpiciunt foràs. Viſûs ſpecula eſt oculus; auditûs, auris; odoratûs, naſus; guſtûs, lingua; tactûs, caro nervoſa.

Inter hos verò ſpeculatores, quidam ex longinquo ſpeculantur, ut viſus & auditus: & iſti acutiores & perfectiores ceteris exiſtimantur. Alij ex proximo, & contiguo tantùm, & ut expergiſcantur, titillari quodammodo debent, ut tactus & guſtus. Quintus qui reſtat odoratus, medio modo ſe habet, & licet non ex longinqua diſtantia, ultra tamen contactum ſui corporis, objectum ſuum agnoſcit.

Vnde uniuſcujuſque ſensûs conditioni objectum proprium ſe accommodat. Nam color & ſonus ex longiſſimo ſpatio ſpecies ſuas ad viſum & auditum traijciunt, ut eos ad functiones ſuas impellant & excitent; aliorum objecta ex contiguo, aut vicino tantùm ſpeciem mittunt. Hujus autem diſcriminis finis, eſt neceſſitas aut commoditas animalis.

Rationes Ariſtotelis & aliorum, quibus ex diverſitate mediorum

diorum, per quæ trajiciuntur ſpecies, vel ex elemento, quod in unoquoque organo videtur abundare, numerum quinariũ ſenſuum colligunt, Topicæ & veriſimiles tantùm ſunt; nec ſolidè probant, non eſſe poſſibilem ſenſum aliquem ſextum, quo qualitates quædam aliæ corporales, ſed occultæ (quales in medicamentis, & venenis Medici agnoſcunt) percipi valeant.

Quia tamen perfectiſſimum omnium animalium homo, non plures in ſe ſenſus externos, quàm quinque experitur, ſignum eſt, ſextum aut impoſſibilem, aut ſuperfluum eſſe. Deus autem *omnia in menſura, numero, & pondere diſponens*, ſicut non deeſt in neceſſarijs, ita non abundat in ſuperfluis; *ſed æterna eius lege iuſtum eſt*, ut ait S. Auguſtinus, *ut omnia ſint ordinatiſſima.* Sap. 11. S. Aug. lib. 1. c. 6. de libero arb.

Nec tamen omnia animalia omnes quinque ſenſus habent, ſed illa quæ perfecta vocantur, ut homines, canes, equi, boves, leones &c. quibus, præter quinque externos, interni etiam omnes ſenſus inſunt. Cùm enim animal ſit eſſentialiter corpus ſenſitivum, quodnam animal perfectum potiùs dici convenit, quàm illud quod perfectè, id eſt, cunctis tam externis quàm internis ſenſibus eſt ſenſitivum?

Vnde animal imperfectum nequaquam confundi debet cum animali inſecto, vel cum eo quod ex putri naſcitur; etſi nonnulli ſic loquantur. Nam ἔντομον *inſectum*, ſeu incîſum animal vocatur, quod ex multis particulis inciſim, & quaſi annulatim compoſitum eſt, ut apes, & veſpæ; quæ tamen omnes ſenſus fortaſſe habent. Mures verò ex putri generari poſſunt: & quis tamen ſenſus ijs deeſt? Imò murem tam diſciplinabilem ſe vidiſſe narrat Albertus Magnus, ut ad imperium domini, pedibus primoribus, tempore cænæ, teneret candelam. Diſciplinabilia autem ſunt perfectiſſima animaliũ.

Talpa verò inter perfectum & imperfectum animal eſt velut medium. Habet enim quodammodo, & non habet viſum. Nam natura ab oſtreis, cochleis, & limacibus viſu carentibus, per talpam aſcendit ad ea quæ viſu pollent. Rudimentum enim quoddam oculorum in talpa cernere licet, craſsâ membranâ tectum, ut Ariſtoteles ait, ne ſuffodiendo terram, eos Ariſt. lib. 4. c. 8. Hiſtor. animal.

 offendat,

offendat. Nec enim omni viſûs luculà carere inde apparet; quòd ſi ſub dium è terra emerſerit, latebras ſuas trepidè requiritet, confuſus lumine ſolis, & ut Cacus ille Virgilianus,

Virgil. Æneid. 8. *Inſperatâ deprenſus luce repentè.*

Omne verò animal, ex ſenſibus externis tactum ſaltem, & ex internis imaginativam habet; quâ appetitum ſenſitivum ad cibi ſaltem appetentiam, tali quali judicio phantaſtico moveat.

An autem in omni animali, præter tactum, guſtus etiam additus ſit, dubitant Philoſophi. Ego propior ſum affirmantibus; quia nullum animal ſolo tactu videtur cibum utilem ab inutili, ſine guſtu poſſe ſatis diſtinguere.

Igitur, ſicuti omne animal aliquo foramine, aut meatu alicubi foratum eſt, per quem cibus ad interiora tranſmittitur, ut ibi concoquatur; ita vero ſimiliter in primo talis meatûs veſtibulo, tanquam janitor & explorator, poſitus à natura eſt guſtus, qui alimentum ſalutare intromittat, aut noxium reſpuat. Hoc enim ſapientia ſummi opificis & naturæ conditoris videtur poſtulare. Nec refert, quòd etiam plantæ videantur inter alimenta nocua & innocua diſtinguere, cùm unum radice ſuâ attrahant, alterum quodam quaſi faſtidio negligant; quia quod plantæ mero inſtinctu naturæ, ſine ſenſu, in talibus faciunt, hoc animalia mediante ſenſu ſolent efficere. Ideo enim animalia ſunt, & in gradu naturæ proximo quidem, ſed eminentiori quàm plantæ.

ARTICVLVS II.

Quotuplex ſit objectum ſenſûs.

OBjectum ſensûs in genere Ariſtoteles duplex conſtituit: ſenſibile per ſe, & per accidens. Et ſenſibile per ſe, rurſus in ſenſibile proprium, & ſenſibile commune ſubdividit.

Senſibile per ſe eſt quod ſecundum ſe proximè à ſenſu attingitur. Hoc verò ſemper eſt accidens quoddam. Sola enim accidentia

accidentia ſpeciem & imaginem quandam ſui in organum ſensûs effundere valent, quo ſenſum ibi excubantem, ad operationem ſenſitivam excitent. Sine magna enim ratione quidam dubitant, an ex ipsâ etiam immediatè, quæ accidentibus ſenſibilibus ſubeſt, ſubſtantiâ non emicent, & in medium ſpargantur quædam *ſenſibus noſtris improportionata* ſpecies, quæ nudæ ſubſtantiæ imaginem Angelis repræſentent. Lud.Molin. 1. p. q. 55. a. 2. d. 2. membr. 4.

Ex utrâ enim parte ſubſtantiæ corporeæ funderentur illæ ſpecies? Non ex materia prima phyſica; quia activa non eſt. Non etiam ex forma ſubſtantiali; quia nec ipſa immediatè actione in ſubjectum externum tranſeunte agere poteſt, ſed ut ſummum, in ſuo ſuppoſito, per actionem reſultantiæ naturalis, ſuas proprietates primùm producit, aut amiſſas reparat. Sic enim in forma aquæ experimur: quæ nullum ſubjectum externum immediatè frigefacit (aliàs aqua calefacta vicinum aërem etiam frigefaceret) ſed tantùm ad frigus amiſſum, per naturalem dimanationem, primùm ſe reducit, & deinde mediante frigore, vicina frigefacit.

Senſibile per ſe aliud proprium (quod unico ſenſu externo percipitur: ut color, ſonus &c.) aliud eſt commune, quod pluribus ſenſibus ſentitur. Talia Ariſtoteles quinque enumerat; motum, quietem, numerum, figuram, & magnitudinem. Ariſt. lib 2. c. 6. de anima.

Hæc autem non ſpecie aliquâ ſibi peculiari organa ſenſuum impellunt, ſed ſpeciem ſenſibilis proprij tantùm modificant, faciuntque ut alio modo potentiam ſenſitivam moveat, & anima aliquam varietatem in tali ſenſibili proprio advertat. Nam aliter ſenſus & anima afficitur, quando equum album currentem, & quando quietum; quando numerum ſeu gregem ovium, & quando unicam ovem; quando turrim rotundam, & quando quadratam; quando magnum gigantem, & quando parvum pygmæum videmus. Nam modus objecti ſimilem modum ſpeciei imprimit. Rotundæ enim albedinis ſpecies in oculo eſt rotunda.

Pluribus autem ſenſibus iſtiuſmodi ſenſibilia poſſe ſentiri patet. Nam figuram rei rotundæ, aut motum, & quietem tam

viſu

viſu quàm tactu percipimus. Non tamen neceſſe, ut omnia ſenſibilia communia omnibus ſenſibus ſentire poſſimus. Quis enim ſoni, aut rei ſonantis figuram auditu cognoſcit? Sufficit igitur, ut ſenſibile appelletur comune, ſi duobus ſaltem ſenſibus attingi & ſentiri poſſit.

Inter verò ſenſibile proprium & commune Ariſtôteles hoc diſcrimen ponit. Quòd circa ſenſibile proprium ſenſus nunquam erret; circa commune autem quandoque errare poſſit. Vnde definit ſenſibile proprium: *Quod alio ſenſu ſentiri non poteſt, & circa quod error fieri nequit.* Quam ſententiam varijs interpretationibus vexant Commentatores. Sed Philoſophus mentem ſuam ſatis aperit, dum addit: *Viſus enim non* Ariſt. ibid. *errat, quòd color ſit, neque auditus, quòd ſit ſonus.*

Nunquam ergo errat viſus apprehendendo eſſe colorē, quod color non eſt; cùm circa id quod color non eſt, verſari, & illud apprehendere non poſſit. Omnis enim actio viſûs in aliquem colorē, ſub proprio & adęquato objecto viſûs contentū, cadere debet: ac proinde non eſt ſimilis ſagittæ, quæ aliquando à toto ſcopo ſuo aberrat. Circa verò ſenſibile per accidens, & circa ſenſibile per ſe commune, errare ſenſus poteſt. Nam quando navigamus in flumine, ripæ moveri & retrocedere nobis videntur; cùm tamen nullo agitentur motu, ſed quieſcant. Igitur à toto illo ſenſibili communi, quod eſt quies, aberrat viſus, cujus loco alterū ſenſibile commune, nempe motum ſubſtituit.

Similiter circa numerum totaliter errat, quando ex longinquo ſeriem columnarum videt, nec earum intervalla diſtinguere valet. Tunc enim judicat eſſe unum continuum murum ex omnibus columnis concretum; atque ita pro numero unitatem, id eſt numerum planè nullum, ſubſtituit.

Non ſic autem circa totum colorem errare poteſt: etſi colorem unum pro alio quandoque ſubſtituat; ut cùm album ex longo intervallo, nigrum aut cæruleum ei apparet.

Sed nec circa quodlibet ſenſibile commune viſus in totum errare poteſt. Non enim circa magnitudinem. Quandoquidem omnis viſio fiat per pyramidem, ut loquuntur Optici, cujus baſis ſit in objecto, & conus in oculo: baſis autem

pyrami-

pyramidis neceſſariò ſub aliqua magnitudine & extenſione apparere & videri debet.

ARTICVLVS III.

Diſputatio antiqua inter Peripateticos, Academicos, & Epicureos de errore ſenſûs.

ALio modo, quàm hîc Ariſtoteles, errorem ſensûs acceperunt illæ Scholæ Philoſophorum, qui poſt mortem ejus, tantâ concertatione diſputaverunt: An ſenſus ſemper, an nunquam, an aliquando ſolùm, & aliquando non erraret. Nam ſecundum ilios, ſenſum circa ſenſibile ſuum proprium errare, non eſt, extra ſphæram objecti ſui proprij & adæquati evagari & exerrare, quod fieri non poteſt; ſed eſt, circa aliquod particulare ſenſibile proprium errare, unum pro altero accipiendo; ut quando viſus album judicat eſſe nigrum. Vel intra idem ſenſibile commune manendo, unam figuram accipit pro altera; ut turrim rotundam pro quadrata, remum curvum pro recto &c.

Hæc autem olim inter Peripateticos, Academicos, & Epicureos, de ſenſuum certitudine, & incertitudine diſputatio celeberrima fuit.

Epicurei volebant ſenſus nunquam falli, ſed omnia ſic eſſe, quemadmodum ſenſibus apparerent. Vnde ſolis diametrum negabant eſſe majorem pedali, quia viſus non longiorem eſſe renunciat. Hinc Seneca: *Solem, quem toto Orbe terrarum maiorem probat ratio, acies noſtra ſic contraxit, ut ſapientes viri* (Epicurei) *pedalem eſſe contendant.* Quorum ſtultiſſimam opinionem Lucretius Philoſophus & Poëta Epicureus multis verſibus cantat & decantat. Seneca lib. 1. c. 4. Nat.

Academiæ verò novæ ſectatores, quorum princeps Arceſilas, nihil in ſenſibus eſſe certi dicebant, quoniam nunc hòc nunc alio modo viſa renunciant. Nam columbæ collum variè inflexum alios ac alios colores demonſtrat, & remus in aqua curvus apparet, qui extra aquam rectus. Atque ita à ſen-

ſibus exorſi, cetera omnia in ſimilem fluctum & dubitationem mittebant, nihilque certi & comprehenſi in rebus humanis habebant. Vnde ſapientem oportere ſemper ſuſpenſo eſſe judicio, nec ullibi in aſſenſum ſe debere demittere dicebant, ne fortè fallerentur, & errore contenebrarent & macularent humanæ mentis nitorem. Adverſus quos S. Auguſtinus, *In initio meæ converſionis*, inquit, *tria confecimus volumina, ne impedimento nobis eſſent, quæ tanquam in oſtio contradicebant.* *Et utique*, addit, *fuerat removenda invenienda deſperatio veritatis, quæ illorum videtur argumentationibus roborari. Apud illos ergo error omnis putatur eſſe peccatum, quod vitari non poſſe contendunt, niſi omnis ſuſpendatur aſſenſio. Errare quippe dicunt eum, quiſquis aſſentitur incertis, nihilque certum eſſe in hominum uſu, propter indiſcretam ſimilitudinem falſi, etiamſi quod videtur, fortè ſit verum, acutiſſimis quidem, ſed impudentiſſimis conflictationibus diſputant.*

S. Aug. c. 20 Enchirid.

Ac inter hos Academicos ſe profitetur Cicero, cùm ait: *Non ſumus ij, quibus nihil verum eſſe videatur, ſed ij, qui omnibus veris falſa quædam adjuncta eſſe dicamus, tantâ ſimilitudine, ut in ijs nulla inſit judicandi & aſſentiendi nota.*

Cic. lib. 1. de nat. deorum.

Quare verò S. Auguſtinus huic Philoſophiæ tam ſeriò ſe opponere voluit? Ait ibidem: *Quia apud nos juſtus ex fide vivit. At ſi tollatur aſſenſio, & fides tollitur; quia ſine aſſenſione nihil creditur.*

Vnde Peripatetica, & Chriſtiana Philoſophia, inter Epicurum & Academicos novos media incedens, quædam certa, quæ merentur aſſenſum, quædam incerta & probabilia tantùm eſſe concedit. In ſenſus quoque errores quoſdam cadere, ut cùm remus in aqua inflexus videtur, qui in aëre & oculis, & tactu deprehenditur eſſe rectus. Item cùm in collo columbæ ad ſolem inflexo, varij apparent colores, ſive in luminis ſolis, ſive in diverſis plumulis varietas iſta depicta ſit.

Verùm omnes iſti errores facilè deprehendi & judicio intellectûs corrigi poſſunt, ſi mutatâ diſtantiâ objecti, aut variato medio, vel alijs circumſtantijs, quæ videbantur impedire judicium ſenſûs, eidem objecto repetitis vicibus ſenſus admoveatur. Aut ſi ſit ſenſibile commune, circa quòd error

accidit, adhibendo in conſilium alterum ſenſum, ſub quem illud ſenſibile etiam cadit. Vt in exemplo remi, aut baculi qui in aqua incurvus viſui apparet, error duplici modo corrigi poterit. Primò, ſolo viſu, mutando medium per quod baculus videbatur, ſive ex aqua eum extrahendo in aërem, & periclitando, an per aërem illa curvitas apparitura ſit, quemadmodum apparebat per aquam. Secundò, relinquendo in aqua, ſed adhibito ſenſu tactùs, & manu palpando, an deprehendemus curvum.

Vnde L. Lucullus apud Ciceronem adverſus Academicos differens: *Non hoc loco expectandum eſt*, inquit, *dum de remo inflexo, aut de collo columbæ reſpondeam. Non enim is ſum, qui quidquid videtur tale dicam eſſe, quale videatur. Epicurus hoc viderit, & multa alia. Meo autem judicio ita eſt maxima in ſenſibus veritas, ſi ſani ſunt ac valentes, & omnia removentur quæ obſtant & impediunt. Itaque & lumen mutari ſæpe volumus, & ſitus earum rerum quas intuemur, & intervalla aut contrahimus, aut diducimus, multaque alia facimus, uſquè eò, dum aſpectus ipſe fidem faciat ſui judicij. Quod idem fit in vocibus, in odore, in ſapore; ut nemo ſit noſtrûm, qui non ſenſibus ſuis cujuſque generis judicium requirat acrius. Adhibitâ verò exercitatione & arte, ut oculi picturâ teneantur, & aures cantibus; quis eſt qui non cernat, quanta vis eſt in ſenſibus? Quàm multa vident pictores in umbris, in eminentiâ, quæ nos non videmus? Quàm multa quæ nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati: qui primo inflatu tibicinis, Antiopam eſſe aiunt, aut Andromacham, cùm id nos ne ſuſpicemur quidem?* Cic. lib. 4. Acad. quæſt.

Et de hac erroris ſenſuum, per alios ſenſus, & per rationem emendatione S. Auguſtinus: *In omnibus corporalibus viſis*, inquit, *& aliorum ſenſuum conteſtatio, & maximè ipſius mentis atque rationis adhibetur; ut quod in hoc rerum genere verum eſt, inveniatur, quantum inveniri poteſt.* S. Aug lib. 12. c. 25. Geneſ.

Hoc quoque adnotandum: nullum proprium errorem eſſe in ſenſu, præſertim externo. Non enim propriè judicat hoc eſſe illud, ut v. g. remum, quem in aqua videt, eſſe fractum, aut curvum; ſed ſimplici cognitione, ſecundum formam imaginis quæ organo imprimitur, apprehendit, & eam apprehenſionem

henſionem primùm imaginationi, ac deinde intellectui renunciat. Quod tantùm eſt officij ejus; judicium verò, an ita ſit, an non ſit, tribunali intellectûs relinquit. Fallere tamen intellectum ſenſus dicitur, quia ipſi (ni ſibi circumſpiciat) eſt occaſio erroris. Vnde *ſi quis remum frangi in aqua opinatur*, ait S. Auguſtinus, *& cùm inde aufertur, integrari, non malum habet internuntium, ſed malus eſt judex. Nam ille* (oculus internuntius) *pro ſua natura non potuit aliter in aqua ſentire, nec debuit. Si enim aliud eſt aër, aliud aqua, juſtum eſt, ut aliter in aëre, aliter in aqua ſentiatur. Quare oculus rectè videt. Ad hoc enim factus eſt, ut tantùm videat. Sed animus perverſè judicat.*

S. Aug. lib. de vera relig. c. 33.

ARTICVLVS IV.

An ſenſus per irradiationem defluant à cerebro, an ſuis quiſque organis ſtabiliter inſideant.

MAgna hîc inter Philoſophos & Medicos rixa hodie adhuc fervet.

Philoſophi contendunt, ſenſus eſſe potentias animæ, organis ſuis ſtabiliter infixas, quæ, modò ſpeciem ab objecto externo impreſſam acceperint, valeant (concurrente tamen animâ organi) cognitionem ſenſitivam elicere. A ſpiritibus verò animalibus, qui è cerebro per nervos ſenſorios in organa defluunt, nihil aliud ſenſibus conferri, quàm commodã aliquam organi temperiem, quâ faciliùs & expeditiùs functiones ſuas obeant. Vnde ſpiritibus iſtis, inquiunt, longâ operatione conſumptis, aut levitate ſuâ effugientibus, ſequitur potentiæ defatigatio.

Sed iſti Philoſophiæ, primâ fronte tam probabili, nunquam potui acquieſcere; ingenti ſemper ſuſpicione ſollicitatus & ſuſpenſus, longè majorem eſſe functionis ſenſitivæ à ſpiritu animali dependentiam, quàm iſta opinio explicet, aut poſſit explicare.

Si enim ſpiritus animalis ſolùm ad hoc valet, cogitabam, ut organum potentiæ calefactet, aut aliter foveat commodam ad ſentien-

ſentiendum temperiem; quare obturato nervi meatu, quo ſpiritus à cerebro defluit, v. g. in viſûs organum, tam ſubitò omnis viſio extinguitur? Quare anima organi, cum potentia ſua viſiva, & ſpecie viſibili ab objecto, oculo aperto impreſsâ, videre aliquamdiu non poteſt? Temperies enim oculi naturalis non diſſolvitur, ſed eadem manet, & animam organi in materia illa, tanquam naturalis ejus diſpoſitio, fovet. Organa autem ſic ſunt naturaliter temperata, ut eadem diſpoſitio quæ informationi animæ, etiam functioni potentiæ quæ in organo eſt, ſubſerviat.

Si verò aliquod inſuper fomentum à ſpiritu cerebri recipere debeat, ut acriùs & citra defatigationem potentia functiones ſuas obeat; quare intercluſo omni ſpiritûs commeatu, non languidè ſaltem, & ut in defatigatione ſolet, videre, aut alio ſenſu uti non valemus?

Deinde non apparet, quomodo temperies illa (quæcumque illa ſit) à ſpiritu invecta organo, tantâ neceſſitate ad viſionem requiſita ſit. Nam influxum activum nullum in illam habet, ſed ſolùm ita organum temperat, prout conſervationi animæ, & potentiæ in tali organo expedit. Si ergo abſente ſpiritu, anima nihilominùs & potentia viſiva in organo permaneant, modò accedat ſpecies viſibilis, omnia jam eliciendæ viſionis principia adſunt, etiamſi anima & potentia non illam perfectiſſimam temperiem in organo habeant, quam flagitant, ut ipſis optimè ibi ſit.

Sed nõne etiam oculo ſenis ſimile accidit? Siccitas enim illa, & contractio membranarum oculi ſenilis, facultati viſivæ diſconveniunt, & functionem ejus obnubilant. Videt interim ſenex, aut ſolis, aut conſpicillo adjutis oculis. Cur igitur in caro, epilepſiâ, apoplexiâ, in ſomno naturali, aut ſecto nervo, omni intercluſo ſpirituum meatu, non tantumdem videre poſſumus? Poſtremò, diverſorum ſenſuum organa non eâdem temperie gaudent: nam oculus humore abundat, organum auditûs oſſeâ ſiccitate ferè riget: quomodo ergo idem, & in eadem cerebri officina ad unam eandemque temperiem excoctus ſpiritus, omnia organa recreare, & uni unam, alteri

 alteram

alteram qualitatem contrariam tribuere poterit?

Simile argumentum de facultate loco motivâ fieri poteſt. Si enim ſpiritus in nervos motorios influens, ſolummodo temperiem convenientem fovet; quare in paralyſi, obſtructis nervorum illorum canalibus, potentia tamen loco motiva membri, ad quod ſpiritus non pervenit, ſaltem languidum, & quaſi hominis defeſſi motum operari nequit?

Itaque Medici ejuſmodi ſymptomatum experientiâ, aliiſque argumentis paſſim docent, vim ipſam ſenſitivam, aut certè ultimum ejus complementum, per irradiationem quandam à cerebro per nervos, in organa ſenſuum defluere: quâ irradiatione prorſus impeditâ, neceſſe ſit operationes ſenſuum extingui.

Galen. lib. 1 de ſympt. cauſis. Principem eorum Galenum, ſi lubet, audiamus. *Cerebrum*, inquit, *non ut ſit ſentiendi inſtrumentum, ſed ut ſenſuum inſtrumentis vim ſentiendi largiatur, à natura inſtitutum eſt. Nam quòd ſingulis animalis partibus, per nervos ſentiendi facultatem tranſmittat, liquidò patet, ubi nervus, aliquis eſt diſſectus.*

Siquidem pars ea in quam nervus, ille diſtributus & inſertus eſt, protinus ſenſum amittit. Taceo, ſenſus inter dormiendum, aut otioſos omnino eſſe, aut debiliter agere: quia tunc exigua facultas à cerebro in reliquas partes defluit.

Lib. 7. de placit. Hinc alibi, ſpiritum animalem non quidem eſſe animam, ſed tamen primarium animæ inſtrumentum, probans: *Cùm igitur coniunctis cerebri ventriculis*, inquit, *(quorum diviſio motum & ſenſum abſtulerat) paulò pòſt rurſus ſentiat & moveatur animal; dicendum eſt, in ipſius quidem cerebri corpore animam habitare; primum autem eius inſtrumentum, tum ad univerſos animantis ſenſus, tum ad motus voluntarios, eſſe animalem ſpiritum. Qui quidem ſi animæ ſubſtantia eſſet (quod aliquis poſſet exiſtimare) ſimul cum eo, dum evacuatur, periret anima: cujus contrarium contingit. Nam evacuatus, donec recolligatur, ſenſu motuque, non vitâ deſtituit animal.*

Io. Argent. lib. 2. de ſomno & vigil. Inter verò Medicos unus ferè Io. Argenterius, licet ſpiritum animalem Galeni & ceterorum rideat ac rejiciat, cerebri tamen in organa ſenſûs & motûs, irradiationem admittit, quæ imitetur *ſplendorem ſolis, qui in terram demittitur, & in ſuperiora*

elemen-

elementa ſpargitur abſque ullo corpore, quod ille ſecum advehat.

Quia enim in nervis nulla apparet manifeſta cavitas, negat ſpiritum animalem per ipſos tanquam canales, devehere poſſe facultatem ſenſificam ad organa ſenſuum; ſed eam per nervorum ſoliditatem, ſine ſpiritûs vehiculo irradiari; quemadmodum ſolis ſplendor & radij penetrant per vitrum.

Ceteri tamen filij Medicorum ſuum Galenum, adverſus Argenterij contradicendi pertinaciam defendunt. Et Andr. Laurentius certamen finiens: *Concludamus ergo*, inquit, *animalem quendam eſſe ſpiritum, qui in plexibus rudimentum, in finibus perfectionem acquirat: indeq́, per totam cerebri ſubſtantiam ad functiones principes* (ſenſuum internorum) *& in medullam ſpinalem ac nervos, ad ſenſum & motum diffundatur.* Andr. Laurent. lib. 10. q. 9. Anat.

Et in hanc, aut vicinam ſententiam Theologorum vertex & Coryphæus S. Auguſtinus mihi præire videtur.

Non eſt contemnendum, inquit, *quod Medici non tantùm dicunt, verùm etiam probare ſe affirmant. Quamvis omnis caro terrenam ſoliditatem in promptu gerat, habet tamen in ſe & aëris aliquid, quod in pulmonibus continetur, & à corde per venas, quas arterias vocant, diffunditur: & ignis fervidam qualitatem, cuius ſedes in iecore eſt; verùm etiam luculentam, quam velut eliquari ac ſupervolare oſtendunt in excelſum cerebri locum, tanquam in cælum corporis noſtri. Vnde & radij emicant oculorum, & de cuius medio, velut centro quodam, non ſolùm ad oculos, ſed etiam ad ſenſus ceteros, tenues fiſtulæ deducuntur; ad aures ſcilicet, ad nares, ad palatum, propter audiendum, olfaciendum, atque guſtandum; ipſumq́, tangendi ſenſum, qui per totum corpus eſt, ab eodem cerebro dirigi dicunt per medullam cervicis, & eam quæ continetur oſſibus, quibus dorſi ſpina conſeritur; ut inde ſe tenuiſſimi quidam rivuli, qui tangendi ſenſum faciunt, per cuncta membra diffundant.* S. Aug. lib. 7. c. 13. de Geneſ.

Et poſtea: *Quoniam pars cerebri anterior, unde ſenſus omnes diſtribuuntur, ad frontem collocata eſt, atque in facie ſunt ipſa velut organa ſentiendi, excepto tangendi ſenſu, qui per totum corpus diffunditur (qui tamen etiam ipſe ab eadem anteriore parte cerebri oſtenditur habere viam ſuam, quæ retrorſus per verticem ad medullam ſpinæ, de qua loquebamur paulò antè, deducitur) unde habet utique ſenſum in* Lib. 7. c. 17. de Geneſ.

tangendo

tangendo & facies, ſicut totum corpus; exceptis ſenſibus videndi, audiendi, olfaciendi, qui in ſola facie prælocati ſunt:) ideo ſcriptum arbitror, quòd in faciem Deus ſufflaverit homini flatum vitæ, cùm factus eſt in animam vivam.

Lib. 12. c. 19 de Geneſ. Et alibi: *Cùm oculi dolent, vel extincti ſunt, quia non eſt cauſa in ſede cerebri, unde ipſa dirigatur intentio ſentiendi, tamen fiunt eiuſmodi viſiones* (phantaſticæ) *quàmvis cernendis corporalibus obſtaculum exiſtat à corpore. Magis enim cæci aliquid dormientes, quàm vigilantes vident. Dormientibus quippe conſopitur via ſentiendi, quæ intentionem ad oculos ducit.*

Epiſtol. 3. ad Voluſ. Et alio loco: *Deus ex puncto, & quaſi centro cerebri, ſenſus omnes quinaria diſtributione diffudit, & corde, membro tam exiguo, vitalem motum, per corporis cuncta diſpenſat. His atque eiuſmodi rebus inſinuans magna de minimis, qui non eſt parvus in parvis.*

Licet verò ea, quæ jam ex Anatomicorum ſui temporis, de origine tactûs ex medullâ ſpinæ dorſi, narrat Auguſtinus, diligentiori poſteriorum experientiâ refellantur; quin tamen vim quandam cerebri in organa ſenſuum externorum irradiativam agnoverit, ex mentione ejus toties repetitâ, nullum eſt dubium.

Quo autem modo illa irradiatio fiat, res eſt omnium tenebroſiſſima, nec Medici aliter ferè, quàm per ſimilitudines, & comparationem cum ſolis & ſiderum illuminatione, clarificant.

Franc. Valleſ. lib. 2. c. 24. Controv. *Galenus toties, ut pigeat repetere*, ait Valleſius, *animalis ſpiritûs meminit, & illuſtrationis, & animalis influxûs in inſtrumenta.* Quâ verò ratione Philoſophicâ id fiat, explicatum non invenio.

Valleſius quoque rem totam expedit hoc exemplo. *Quod dico, hoc eſt: Non mitti à cerebro facultatem oculis tantùm viſoriam, & auribus tantùm auditoriam, ſed utriſque ſenſoriam. Senſoria verò eadem, cùm mittatur utramque in partem, continet viſoriam, & auditoriam. Exerit verò hanc hic, illam vim illic, ob differentiam organorum. Velut profectò ſol non aliud lumen, aut alias vires mittens huc aut illuc, hic hordeum, illic triticum gignit, pro differentia materiæ varias exerens vires. Nihilominus diverſæ actiones diverſarum facultatum ſunt.*

Franc.

Franc. Aguilonius ad Philoſophiam profundiorem rem iſtam deducens: *Hoc animali ſpiritui tribuendum videtur*, inquit, *quod ſolis radio. Uti enim ſol æſtivo tempore rebus omnibus, quas brumæ algor torpentes ac velut emortuas reddidit, vitam quodammodo reſtituit, novamq́, agendi vim confert, ob id ſolùm, quòd ſuo calore eas ad agendum aptiores efficiat; ita animalis ſpiritus vivifico ac ſalutari calore partes omnes, quibus aſſiſtit, fovet, atque inſitas rebus facultates excitat, efficaceſq́, ac promptas reddit.*

Franc. Aguilon. lib. 1. Prop. 25. Optic.

Sed hoc antea rejecimus; quia non omnia ſenſuum organa eâdem qualitate gaudent & recreantur. Deinde tantùm abeſt, ut viſus calore foveatur, & videndi acies eo excitetur, ut potiùs contrario frigore gaudeat; exemplo coquorum, & quicumque circa ignem frequentes, quibus acies oculorum hebetari, & caligare ſolet. Alia, de virtute generativa & nutritiva plantarum, eſt ratio. Nam iſtæ calore naturali, ut inſtrumento, utuntur, ideoque calore ſolis adventitio adjuvari & excitari poſſunt.

Denique ſpiritus animales non ita fervent, ut omnia ſenſuum organa calefacere valeant. Imò in cerebro (quod Hippocrates μητρόπολιν τοῦ ψυχροῦ *metropolin frigoris* appellat) potiùs refrigerantur ſpiritus vitales, qui ex ardenti cordis officina in cerebri gelidam transfuſi, ex vitalibus in animales temperantur.

Itaque ante omnia, contra Medicos quoſdam, conſtituo: Non totam vim ſentiendi à cerebro in vacua organa ſenſuum externorum transfundi, ſed ſingulis organis ſtabiles potentias ſenſitivas, ut rectè probat Aguilonius, inſidere; quæ tamen ad operationem ſenſitivam cum anima organi, non ſufficiant, niſi aliqua cerebri irradiatione, per nervos ſenſorios illabente, adjuventur.

Ratio eſt, quia facultas ſenſitiva, quæ operationem vitalem exercet, debet eſſe in ſubjecto animato; ut anima, tanquam ſubjectum ſaltem inadæquatum, mediante ipsâ operationem vitalem immanentem recipiat, ut Lib. 1. cap. VI. Art. V. diſſerebamus. Spiritus autem animalis, plurium Philoſophorum & Medicorum judicio, eſt inanimatus. Igitur

 propriam

propriam facultatem vitalem vehere ad organa ſenſuum non poteſt.

Deinde potentiæ vegetativæ, & concoctrices alimenti fixè inhærent ſingulis membris, ad quæ ſpiritus naturalis per venas; & ſpiritus vitalis per arterias appellit; ergo & in organis ſenſuum ſunt potentiæ ſtabiles, quæ ibi affluxum ſpirituum animalium expectant, à quibus excitentur, & adjuventur ad operationes ſenſitivas; veluti potentiæ vegetativæ à ſpiritibus naturalibus & vitalibus adjuvantur. Deinde ſi nullæ aliæ eſſent facultates ſenſitivæ, præter virtutem illam influentem à cerebro, quæ ſpiritu animali vehitur, organa ſenſuum in ſomno ſenſibus & facultatibus ſuis vacua eſſent, nec viſus in oculis, nec auditus in auribus ineſſet; quandoquidem obſtructis nervorum ſenſoriorum meatibus, nulla eo tempore irradiatio & influxus à cerebro in organa ſenſuum perveniat. Cùm tamen *naturalis illa vis quaſi judiciaria quæ auribus adeſt, non deſinat eſſe in ſilentio, nec nobis ſonus eam inſerat*, ait S. Auguſtinus, *ſed ab ea potiùs, ſive probandus, ſive improbandus excipitur.* Quod autem dicit de ſilentio, quando etiam vigilans nihil audit, quia nullus ſonus aures ejus ferit; diceret quoque, ni fallor, de ſomno.

S. Aug. lib. 6. c. 2. de Muſic.

Tunc, inquam, vim illam judiciariam etiam auribus adeſſe, licet ſopitam, & quæ ad opus excitari debeat, non tantùm à ſpecie ſoni (quæ fortè aures dormientis etiam impellit) ſed à ſpiritu animali, ſive à virtute irradiativâ, quam ſpiritus animalis organo auditûs invehit.

Denique vis iſta irradiativa, vecta ſpiritu qui in cerebro excoquitur & elimatur, eadem eſt pro omnium ſenſuum operationibus; igitur ut in oculo viſionem, in aure auditionem operetur, debet ab alia potentia in illo organo jugiter excubante, ad unam potiùs, quàm ad aliam operationem determinari. Nam à figura organi, aut à qualitatum primarum, vel ſecundarum temperie aut mixturâ, talis determinatio fieri nequit; cùm iſtæ organi qualitates, vel activæ non ſint (ut figura) vel non eâ actione, quæ in talem functionem vitalem valeat influere.

Igitur

Igitur veluti in Mundo magno, ſol ſiderum Rex & Imperator ex varijs aſpectibus corpora Planetarum & fixarum radijs ſuis ferit, & Influentias eorum evocat & exſtimulat; ita in animalis Microcoſmo, vis illa cerebri irradiativa, tanquam ſol quidam, facultates ſenſuum externorum, ſuis organis tanquam epicyclis infixas, ex certis intervallis irradiat, & ad operationes ſuas excitat. Et veluti lumen ſolis, quamvis unius qualitatis & eſſentiæ, varias tamen ſiderum aliorum Influentias, unamquamque ad longè diverſam operationem (ſi Aſtrologis credimus) adjuvat; ita unus idemque ſpiritus animalis, à cerebro in organa ſenſuum effuſus, varias & diſtinctæ ſpeciei eorum operationes perficit.

Quia enim ſpiritus ille in ijſdem cerebri ventriculis & officinis excuditur, unicam etiam temperiem, ut Medici paſſim docent, non aliam pro viſu, aliam pro auditu &c. accipit: ſed diverſitas operationum in organis viſûs, & auditûs, ex diverſitate potentiarum quæ in oculo, & aure fixam reſidentiam habent, provenit. Vnde ſpiritus ille animalis eſt inſtar ſpiritûs aërei, qui muſicis organis folle inſpiratus, unicus tamen tam varios harmonicos ſonos edit, quia alio ac alio modo in fiſtulis frangitur, modulationemque ac varietatem inde rapit.

Verùm tamen ſimilitudinibus iſtis claudicantibus res tam impedita & recondita, nondum ſatis expeditur.

Itaque in primis aio: In arce cerebri, & quaſi cælo corporis humani, eſſe re verâ facultatem quandam, quæ non propriam quidem lucem, ut ſol in magno Mundo, ſed aliquam virtutem analogam ſpiritibus animalibus ibi fabricatis infundat, & per canales aut tenuiſſimos nervorum poros, ſpiritibus plenos radiando, uſque ad organa quinque ſenſuum eam continuet; quo ferè modo ſol luminis & radiorum ſuorum lineas à cælo per aërem ad terram uſque continuat.

Hæc verò facultas irradiativa vel in anterioribus cerebri ventriculis, ut Medici tempore S. Auguſtini exiſtimaverunt; vel certè in medio ventriculo, & cerebri quaſi centro; vel deniq; in quarto & poſtremo occipitis ventriculo, inter cerebellum & initium medullæ ſpinæ cervicis, ubi ſpiritus animales

 putantur

putantur defæcatiſſimi. Perfectio enim eorum interioribus ventriculorum fornacibus inchoata, in hac tandem poſteriore abſolvitur. Audiamus Medicum non malum.

Andr. Laurent. lib. 10 q. 8. Anat. *Locus generationis ſpirituum animalium multiplex eſt*, inquit Laurentius adverſus Argenterium. *Præparatur namque in plexibus, & ſuperioribus* (qui etiam anteriores vocantur) *cerebri ventriculis. Excoquitur in tertio; perficitur in poſteriore: tandemque & in nervos, & in totum cerebri corpus diffunditur.*

Vnde enim, & in nervos ſpinæ dorſi, ad motum localem animalem, & in nervos ſenſorios à cerebro propagatos, ad operationes ſenſuum, commodius effundi ſpiritus poteſt, quàm ex ſinu illo ultimi ventriculi, in quem cerebellum & initium ſpinæ dorſi concurrunt? Aut in qua potiùs cerebri ſede virtus illa irradiativa locari poteſt, quàm in poſtrema & ultimæ perfectionis officina; ut ex eadem ſcaturigine & ipſa irradiatio, & ſpiritus irradiationis vehiculum profluant?

Alij tamen Medici in tota cerebri ſubſtantia: quidam, & maximè Fernelius, non in cerebri medulla conſtituunt, ſed in meninge tenui, ſive membranâ medullam proximè involvente, quam Arabes Piam matrem appellant. Quò etiam valde inclinat Valleſius.

Valleſ. c. 66 Philoſ. ſacr. *Vitta aurea vocatur meninx tenuis*, ait, *ſive cerebri involucrum. Ea enim, ut vitta quadam, totum cerebrum ambit, conſtringit, & continet. Vocatur verò ea, non ob colorem, aurea, ſed ob utilitatem, quaſi pretioſa. Eſt enim adeo, ut multi Medicorum cenſeant, non ſine magnis argumentis, ad illam potiùs, quàm ad cerebri ſubſtantiam pertinere ſentiendi principium.*

Ab Ariſtotele autem parum hîc præſidij expectare debemus, qui in corde, non in cerebro, principium ſentiendi, & originem nervorum poſuit; rei Anatomicæ ſatis rudis, *quiq́ hominem ſua ratione & ingenio potiùs conſtituiſſe videtur, quàm vidiſſe unquam, qualis ſit à natura factus*, inquit alicubi Argenterius. Et alius. *Scripſit Ariſtoteles*, ait, *Libros de generat. de partibus, & de hiſtoria animalium; ſed multa ex aliorum potiùs, quàm ex propria ſententia enunciavit: neque enim hominum corpora ſecuiſſe veriſimile eſt. Non enim in his, quæ ſenſibilia ſunt, ita erraſſet.*

Argent. lib. 2 de ſomno & vigil.

Andr. Laurent. lib. 1. c. 12. Anat.

 Verùm

Verùm, licet nec ab Ariſtotele, nec etiam à Medicis poſterioribus, qui per ſectiones, in omnes cerebri ſinus & latebras, αὐτοψίαν & curioſitatem ſuam miſerunt, adhuc ſciamus cubile illius irradiativæ virtutis, in arce tamen cerebri cubare non dubitamus.

Deinde hoc utcumque affirmare poſſumus: Illam irradiationem per corpus rarum & diaphanum tranſmitti oportere. Ideo enim humor, aut vapor aliquis opacus in nervum opticum deciduus, viam obſtruit, ne radius ille ad oculum trajici poſſit. Sic in cæcitate illa, quam Medici *guttam ſerenam* nuncupant, accidit. Sic etiam in ſomno, quando cerebri rores depluunt in ſenſorios nervos. Nam *dormientibus conſopitur vis ſentiendi, quæ intentionem ad oculos*, & alios ſenſus *ducit*, inquit S. Auguſtinus. S. Auguſt. lib. 12. c. 19 de Geneſ.

Tertiò, ut irradiatio in organum ſensûs perveniat, non eſt ſemper neceſſe ſpiritum animalem continuò fluere à cerebro ad organum, ut irradiationem eò deferat. Poſt primum enim ſpiritûs defluxum, ubi in nervo optico ſpiritus jam quieſcit, videre tamen perſeveramus, & radius à cerebro ad oculum per ſpiritum in meatu nervi ſtagnantem, quemadmodum radius ſolis per aërem immotum, trajicitur.

Quartò, intentio illa ſentiendi, ut appellat S. Auguſtinus, videtur eſſe qualitas aliqua inſtrumentaria, quam virtus irradiativa, per ſpiritum, tanquam per medium, uſque ad organum continuat. Nec hîc quidquam inſolens eſt, aut novum. Nam magnes virtutem quandam velut intentionalem per medium aërem inviſibiliter ſpargit, quâ mediante, tanquam inſtrumento, ferrum procul à ſe diſtans ſollicitat, & ad ſe trahit. Sic etiam torpedo piſcis virtutem fundit, qua piſcatoris manum obſtupefacit, *& in limo ſe occultans, piſcium qui ſecuri ſupernatantes obtorpuêre, corripit*, ait Plinius. Et multis alijs naturæ exemplis oſtendere poſſumus, tales virtutes tenues, ſubtiles, & intentionales, per medium à varijs cauſis effundi, & præmitti, ut cauſa principalis, per illas, tanquam per manum, aut baculum, effectum aliquem in remoto attingat. Plin. lib. 9. c. 42.

Non malè igitur Valleſius iſtam irradiationem ſpiritibus

impreſſam comparat illuminationi ſolis, qua lumine per medium ſparſo, terram calefacit, & mediante calore, unà cum virtute conformativa, quam invenit in ſemine, hordeum, aut triticum conformat & gignit. Nam ſimili ferè modo, potentia cerebri irradiativa intentionalem illam qualitatem ſpiritibus imprimit, ut actione per medios ſpiritus uſque ad organum ſensûs continuata, ibi tanquam in terra ſua, concurrente ſimul ſenſu & ſpecie ſenſibili, conceptum ſenſitivum formet & gignat.

An autem potentia ipſa in cerebro reſidens, proximâ cauſalitate in actionem ſensûs externi influat; an verò totam ſuam cauſalitatem inſtrumento ſuo, ſive qualitati impreſſæ ſpiritui committat, utrimque ambigi & diſputari poteſt. Ego propius verum eſſe exiſtimo, ut potentia irradiativa, ex arce ipſa cerebri, proximâ & à ſe effluente cauſalitate, effectum illum in diſtanti attingat.

Cauſam enim principalem poſſe effectum in loco diſtanti, phyſicâ cauſalitate attingere, ſi aliquid ſpargat & agat per medium, ſatis in Philoſophia eſt receptum. Ignis enim ex aliquo aëris intervallo, ex ſtuppà alium ignem generat, & ex longiori adhuc intercapedine naphtham celerrimè corripit & inflammat.

Plin. lib. 2. c. 105.

Sed quid opus cauſas ejuſdem effectûs cumulare, inquies, cùm anima cum potentia ſua in organo reſidente, ad eliciendam viſionem, aut quamlibet aliam ſenſionem ſufficiat?

Reſp. Non ſufficit. Aliàs nec ſpecie ſenſibili eſſet opus. Natura talis effectûs à tot cauſis, nec paucioribus emanare poſtulat. Cur enim ſimiliter non contendis, non neceſſariam eſſe actionem ſolis, ſed à ſola virtute ſeminali hordei, aut tritici, fruges iſtas poſſe gigni? Voluit ergo Deus in hoc noſtro Microcoſmo imaginem magni Mundi, brevi & admirabili compendio conſtruere: ut ſicuti ſole opus fuit ad conformandos terræ viventes conceptus; ita facultas irradiativa cerebri tanquam cæli noſtri, ad formandos ſenſuum externorum vitales conceptus neceſſaria eſſet. Tam multas cauſas natura & eſſentia rei flagitat: quid vis amplius? Eſſentiæ non datur ratio.

Spiritus

Spiritus autem animalis unus & idem, ex eadem cerebri officina manans, non tantùm omnibus ſenſuum operationibus, ſed etiam motui voluntario facultatis progreſſivæ ſervit & ſufficit: veluti idem aër telluri circumfuſus, ad ſolis & omnium ſiderum Influentias in terram deducendas eſt ſatis; etiamſi Influentiæ illæ in maximè varios deſinant & terminentur effectus. Nam, *ut idem malleus ad varia opera fabrilia; ita in re natura idem ſpiritus ad multa valet*, ut ait Ariſtoteles. Ariſt lib. 5. c ult. de generat. animal.

Doctiſſimi etiam Medicorum, eundem eſſe cenſent ſenſorium & motorium ſpiritum, & prout à nervis ſenſorijs aut motorijs, ad ſenſitivas vel motivas facultates deducitur, his vel illis indifferenter auxiliari.

Diſertè Valleſius: *Unicus eſt aut ſpiritûs animalis, aut illuſtrationis influxus. Nempe per hunc omnes vires facultatis animalis naturâ influunt. Tamen hac illuſtratione in oculo viſio, in auditu auditio fit. Quia oculus eſt inſtrumentum comparatum ad videndum, nequaquam ad audiendum &c.* Et poſtea: *Sed neque mens humana, aut ratio capit, aliter fieri. Nam oporteret multiplices ſpiritus in cerebro ipſo generari, alios ad oculos, ad aures alios, alios ad reliquos ſenſus, alios præter hos, ad motûs inſtrumenta demandandos: & hos omnes in certa quadam proportione. Et eſſe interim dæmonem quendam, qui magna deliberatione hos hàc, illos illàc, & quò oporteret, utroſque mitteret. Quod, ut in ſpiritibus contingeret, quantumvis abſurdè; tamen in illuſtratione fieri nequaquam poteſt. Quippe quæ non hàc aut illàc mittitur, neque per motum diſtribuitur, ſed ex fulgidi corporis luce neceſſariò in quamvis partem capacem ſplendoris repentè producitur.* Valleſ. lib. 2 c 24. Controv.

Et ſpiritum eundem eſſe ſenſorium & motorium evidenti exemplo demonſtrat Clar. noſter Plempius. *Nam unus & idem ſpiritus*, inquit, *in uno modò efficit tantùm ſenſionem in hac parte, modò motionem inſuper in illa parte nervi. In ramo v. g. ſextæ conjugationis ad ſtomachum miſſo, efficit ſolam ſenſionem; in ramo ejuſdem conjugationis ad laryngem pertinente, efficit etiam motum. Similiter in uno ramo quintæ conjugationis efficit auditionem, in altero ejuſdem conjugationis ramo ad linguam & muſculos temporales miſſo, facit motionem.* Vop. Plem. lib. 2. c. 3. Fund. Med.

Quomodo verò cerebrum hos ſpiritus in organa ſenſuum & facul-

& facultatis loco motricis à ſe effundat, res valde obſcura eſt.

Quidam per ſyſtolen, qua cerebrum ſe comprimit, fieri credunt. Certis enim experimentis Medici jam didicerunt, cerebrum perpetua ſyſtole & diaſtole comprimi & dilatari, imagine ſimili, & pari rythmo cum corde.

Verùm, tam exigua & velut formicans eſt iſta contractio & dilatatio cerebri, ut, an ulla ſit, Medici nō ignobiles ambigant. Majori igitur vi expultrice eſt opus. Cerebrum ergo ſpiritus illos, ut nutritioni ſuæ ſuperfluos (quemadmodum ventriculus chylum, hepar ſanguinem venoſum cum ſpiritu naturali, cor ſanguinem arterioſum cum ſpiritu vitali, teſtes ſemen cum ſpiritu ſpermatico) à ſe repellit: niſi quòd iſta cerebri expulſio, & ſpiritùs animalis verſus oculos, aures &c. aut verſus facultatē motricem directio (prçſertim quando attentè aliquid ſentire, aut membra movere volumus) magis appetitùs naturalis imperio ſubſit, quàm expulſiones illæ ventriculi, hepatis &c. quæ ſunt merè naturales. Inſtrumenta autem quærant Anatomici.

Spiritus autem iſte animalis è cerebri ſinibus in nervos evomitur, non ut locali motu organa potentiarum, etiam facultatis loco motivæ impellant (quia non tanto impetu eunt & arietant, ut molem corporis ſuo impulſu progredi faciant) ſed ut ſint ſubjectum, & veluti pons, quo illuſtratio & virtus cerebri ad organa ſenſuum deſcendat, & per quem etiam contrà, ſpecies externorum objectorum organis ſenſuum impreſsæ, ſuperiùs aſcendant, & ad cerebrum commeent.

In nervos autem motorios ideo effunditur, ut ad ſenſum tactûs, quo illi nervi pollent, illuſtrationem deferat, & inſuper ad potentiam loco motricem, quæ in ijſdem nervis reſidet. Hæc verò potentia motrix, ab eadem cerebri Influentiâ excitata & adjuta, impetum dat proximis membris, ac deinde alia membra, totumque corpus in ſequelam trahit.

Si quid tu melius meditatus es, da, quæſo te, nobis, & utrâque manu arripiemus. Abditiſſima enim nobis ſunt, quæ tam propinqua nobis, & quæ in nobis ipſis geruntur, imò quæ nos ipſi gerimus. In luce ſcientiæ rerum iſtarum homo olim eſt conditus, ſed peccato in tenebras iſtas & ignorantiam

decidi-

decidimus. Iam enim *plurima Dei opera ſunt in abſconſis, & pauca videmus operum eius.* Infinita enim Dei ſapientia tam inenarrabili ingenio illa *omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuit;* ut S. Auguſtinus clamet, Fauſtum & Manichæos cor & oculos non habere, qui ex iſta organorum, partiumque unius animalis diſpoſitione, officiorumque conſpiratione, etiamſi non ad fundum, ſed in ſuperficie tantùm intellectâ, non videant Deum & ſummum rerum omnium Opificem auctorem eſſe. *Quid in ipſa carne,* inquit, *vitalia viſcera totius formæ convenientia, membra operandi, vaſa ſentiendi, locis atque officijs ſuis cuncta diſtincta, & concordi unitate contexta, moderatione menſurarum, paritate numerorum, ordine ponderum; nonne indicant artificem ſuum Deum verum, cui verè dictum eſt: Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti? Si ergo cor non perverſum atque corruptum vanis fabulis haberetis, inviſibilia ejus etiam per iſta, quæ in hac infima & carnali creatura facta ſunt, intellecta conſpiceretis.*

Eccl 16. & 43.

Sap. 11.

S. Auguſt. lib 21. c.6. contra Fauſt.

Vt autem aliquam admirabilis hujus opificij divini, & ſpirituum per tot organorum tubos diſcurrentium, & virtutem animæ diſpenſantium, imaginem adumbraret Tertullianus: *Specta portentoſiſſimam Archimedis munificentiam,* inquit: *Organum hydraulicum dico. Tot membra, tot partes, tot compagines, tot itinera vocum, tot compendia ſonorum, tot commercia modorum, tot acies tibiarum, & una moles erunt omnia. Sic & ſpiritus, qui illic de tormento aquæ anhelat, non ideo ſeparabitur in partes, quia per partes adminiſtratur, ſubſtantiâ quidem ſolidus, operâ verò diviſus. Non longè hoc exemplum eſt à Stratone, & Æneſidemo, & Heraclito. Nam & ipſi unitatem animæ tuentur, quæ in totum corpus diffuſa, & ubique ipſa, velut flatus in calamo per cavernas, ita per ſenſualia varijs modis emicat, non tam conciſa, quàm diſpenſata.*

Lib. de anima c. 14.

Sed iſta portentoſiſſimæ Archimedis machinæ comparatio quotâ *animantis machinæ* (ut Columella animal appellat) partem ſimilitudinis attingit? Infinitò enim amplius ingenij, & ſolertiæ incomprehenſibilis in Dei quàm mortalis hominis operibus. Alias quaſdam quæſtiones, quæ hîc diſputari poſſent, ut: An ſenſus in functionibus ſuis, ſpeciebus & imaginibus objectorum neceſſariò uti debeat: An medium inter objectum &

potentiæ organum interjectum neceſſarium ſit &c. in ſingulorum ſenſuum tractatibus meliùs & diſtinctiùs explicabimus.

CAPVT III.

De objecto viſûs.

INter ſenſus externos princeps eſt viſus. Quia verò definitur, Senſus externus perceptivus coloris; & objecta ſunt priora potentijs, tanquam ſcopi in quos potentiæ & earum actus diriguntur; idcirco de colore ante viſum & actum videndi, agere oportet.

ARTICVLVS I.

Quid lumen?

COlor generaliter, eſt qualitas tertiæ ſpeciei viſibilis. Sub ſe colorem ſpecialiter dictum & lucem comprehendit. Sic de luce tanquam colore loquitur S. Auguſtinus, cùm eam *reginam colorum* appellat.

S. Auguſt. lib. 10. c. 34. Confeſſ.

Lumen & lux ſæpe uſurpantur pro ſynonymis, quia ejuſdem naturæ & ſpeciei eſſe creduntur. Qui tamen ſcrupuloſiùs loquuntur, lucem vocant qualitatem illam fixam in corpore luminoſo, lumen verò in medio diaphano. Vnde in ſole, & igne eſt lux, lumen autem in aëre ab ipſis illuminato.

Ariſt. lib. 2. c. 7. de anima.

Lumen definit Ariſtoteles actum diaphani, ſive perſpicui, qua ratione perſpicuum eſt. Id eſt, Lumen eſt forma quæ in corpus diaphanum recipitur, ſecundum ipſam diaphaneitatem, tanquam potentiam ſuſceptivam luminis. Quanquam perſpicuitas potiùs videatur eſſe qualitas quædam diſponens corpus, ut intrinſecùs recipere lumen poſſit, quàm potentia paſſiva luminis, quæ illuminabilitas potiùs appellari debet. Perſpicuitati autem opponitur opacitas.

An lumen ſit qualitas, an corpus olim dubitatum eſt. Paſſim jam poſt Ariſtotelem, S. Thomam, & Scotum, dicimus eſſe

eſſe qualitatem; licet Gallorum pænè doctiſſimus Adr. Turnebus fortiter reſiſtat. Credit ipſe lumen eſſe corpuſculorum quorundam ſplendentium effluvium, quod à ſole effluens poros & canaliculos aëris interdiu replet ac inflat, noctu verò vacuos & conniventes deſerit. Naturam enim non adeò horrere vacuum putat, quin minuſculum aliquod libenter admittat.

Sed profectò, ſi lumen corpus eſſet, non in momento, ſed tempore ſucceſſivo, à cælo ad terram deflueret: quod falſum eſſe Vitello & Perſpectivi demonſtrant: veriſſimumque quod ait S. Thomas, *eodem inſtanti quo illuminatur Luna à ſole, illuminari aërem à luna.* Quod tamen falſiſſimum foret, ſi lumen ſolis debeat motu locali ſucceſſivo ad lunam uſque diffundi, & inde à luna ad aërem redire. Vacuum deinde quo Turnebus aërem, ad tranſitum luminis, perforat, olim exploſum eſt tot experimentis contrarijs. S.Tho.1.p. q.63. a.5.

Denique non ſolum aër, aqua, & corpora illa fluida luminis intrinſecùs capacia ſunt, ſed etiam vitra, & cryſtalli, quæ minimè poroſa ſunt: eo argumento, quòd voces per media vitra, minùs quàm per ferrum & corpora maximè opaca, exaudiri poſſint. Si igitur lumen corpus eſt, non aliter per vitri craſſitiem transfundere ſe poterit, quàm per penetrationem dimenſionum, quæ naturaliter eſt impoſſibilis.

An autem lumen ſit qualitas ejuſdem naturæ cum ſpecie viſibili lucis, in ambiguo eſt. Nos ſubtili Scoto aſſentimur, qui affirmat. Lux enim ſolis non eget alia ſpecie viſibili, ut ab oculo cernatur, quàm radijs illis luminoſis, quos per ætherem & aërem ad oculum noſtrum trajicit. Deinde radij luminis eodem modo, & genio à luce jaciuntur, & reflectuntur, quo ſpecies viſibiles à colore. Fruſtrà igitur & ex ſuperfluo aliæ ſpecies viſibiles lucis finguntur, diſtinctæ à lumine. Si objicias, lumen in aurora, aëre, & nubibus videri; ſpeciem autem viſibilem coloris, eſſe tantùm rationem & cauſam videndi colorem, ipſam verò non videri: falleris. Scot.2. d.13

Species enim viſibilis coloris, per anguſtum foramen in conclave obſcuratum immiſſa, non ſecus oculis aſpicitur,

 quàm

quàm lumen auroræ, Iridis, aut nubium, ut poſtea demonſtrabimus.

Nec refert etiam, quòd lumen ſit calorificum, ſpecies autem ſenſibiles videantur ſolùm actionis intentionalis, non actionis realis eſſe principium. Nam poſtea quoque oſtendemus, non tantùm ſpeciem viſibilem lucis, quod eſt lumen, ſed etiam ſpecies aliorum ſenſibilium objectorum realem actionem poſſe exercere. Vel certè, licet ſpecies aliæ intentionales fortè non alterarent aërem reali, ut loquuntur, alteratione; hoc tamen peculiare dicemus eſſe lumini, cujus eſſe non eſt purè intentionale, ſed mixtum, ut rectè Cajetanus dicit. Ceteræ verò ſpecies à multis creduntur purè intentionales, nec ad aliam actionem idoneæ, quàm ad intentiones vitales, quibus potentiæ cognitivæ in objecta ſua tendunt & feruntur.

Quid enim ſit, *habere eſſe intentionale*, optimè uno verbo expedit Scotus: *Eſt eſſe per ſe*, inquit, *rationem tendendi in objectum*. Nam *hoc*, ait, *ſufficit ad rationem intentionis*. Indeque concludit, lumini non repugnare, ut res ſit, & ſimul intentionis rationem induat.

ARTICVLVS II.

Quid color?

Plat. in Timæ. Scalig. Exer. 325.

MIratus eſt olim Plato humani ingenij hebetudinem, quod naturam colorum, quos oculis tam clarè cernimus, penetrare non valet. Et Scaliger: *Quid ſit color, haud facile eſt definire. Latet enim natura hæc, ſicut & aliæ rerum ſpecies, in profundiſſima caligine inſcitiæ humanæ*. Et tantundem dicere poſſumus de ipſa luce & lumine, quæ tam validè oculos noſtros feriunt, nec tamen, quid ſint, intellectu ſatis percipimus.

Ite jam ergo mortales, & de ingenij acumine vobis placete. Ite hæretici, & iſtâ hebetudine in res divinas penetrate. Quæ ante pedes jacent non capitis, quomodo quæ ſupra cælos ſunt comprehendere vultis?

Ariſtote-

Ariſtoteli omnem colorem è qualitatū primarum mixtione oriri placet. Sed quomodo igitur quæ temperamentis qualitatum primarum longiſſimè diſſident, uno colore tinguntur? An fortaſſe nivem, lac, calcem, farinam, ſaccharum, chartam, arſenicum, lilia, temperamenti unius eſſe dices, quia omnia ſimili & indiſcreto candore perfuſa videmus? Nonne etiam pleraque genera herbarum, temperamentis toto cælo diſtantia, virore tamen propinquiſſima ſunt? Deinde ſi color, & ſapor ex ſolis temperamentis reſultant, cur plantæ & mixta unius coloris, ſaporem etiam eundem non habent? Non nego tamen primas qualitates aliquid diſpoſitionis remotæ ad reſultantiam colorum conferre; atque ideo colores, qualitatum ſecundarum nomen poſſe recipere.

Fernelius autem, ut citiſſimè omnibus difficultatibus ſe expediat, ait colorem non ex temperamento, ſed qualitate corporum occultâ reſultare. Plato verò, cui aſſentior, eſſe φλόγα τῶν σωμάτων ἀποῤῥέουσαν *flammulam è corporibus emanantem*. Veluti enim in Iride, aurora, nubibus, & priſmatibus, ex luminis & opacitatis mixturâ, varij colores reſultant; ita ex flammulæ, ſive luminis cujuſdam languidi, & umbroſæ opacitatis mixtione, colorum innumera ποικίλματα, ſive *varietates* temperantur. Vnde idem Plato, *nihil ſine igne videri* dicit, hoc eſt, ſine luce quadam ignea, quæ aut pura eſt, aut opacitati mixta, colores facit.

Nec in ea ſententia ſolus Plato, ſed Ariſtoteles, S. Thomas, veteres Thomiſtæ, ut Thomas Hurtadus bellè demonſtrat. Quid enim evidentius iſtis S. Thomæ verbis, ubi veros in Iride colores eſſe probat? *Principium veri coloris in actu*, inquit, *eſt perſpicuum aliquo modo terminatum in ratione materiæ, & lumen ibi exiſtens actu, in ratione formæ. Sed iſta ambo ſunt in Iride, ſive in eo in quo apparet Iris. Ergo ſequitur, quòd cùm in Iride ſint actu omnia principia veri coloris, ſint ibi veri colores. Licet color ibi habeat eſſe debile, quia principia ejus non ſunt ita permanentia, ſicut in corporibus mixtis terminatis; in quibus principia coloris conſequuntur principia intrinſeca corporis mixti.* Quæ verba S. Thomæ *ſi vidiſſent ſapientiſſimi Patres Carmeli, non dubito*, inquit Hurtadus,

Th. Hurtad controv. 1. membr. 9. §. 6. Præcurſ. Philoſ. S. Tho. lib. 3. Meteor.

quin intellectum ad eam ſententiam defendendam applicaſſent. Viderat autem illa, credo, Capreolus, & poſt eum Soncinas, cùm *lucem formale albedinis* appellavit.

Capreol. 2. d. 14.

Et nónne etiam alibi S. Thomas aërem & nubes abſolutè colorari dicit? *Aër*, inquit, *in ſua raritate manens non retinet figuram, neque colorem; quando tamen condenſatur, & figurari & colorari poteſt, ſicut patet in nubibus.* De propria autem coloratione, ſicut figuratione, loqui eum apparet.

S.Th. 1. p. q.51. a. 2. ad 3.

Igitur colores illi punicei, virides, purpurei, & tot aliorum mixturæ, qui ex luminis in priſmatis, & triangularibus vitris refractione reſultant, veri & ejuſdem naturæ cum ceteris coloribus erunt. Probatque eruditus Belga Anſelm. Boëtius in Iride gemmâ, & cryſtallo hexagonâ, quæ licet abſolutè diaphanæ ſint, nec colorem ullum à ſe habeant, *tamen ex luminis refractione in multiplices ſuperficies*, poſſunt varios colores gignere. *Quomodo autem id fiat*, inquit, *difficile eſt aſſequi. Experientia tamen ex luminis reflexi cum umbra varia mixtione id fieri docet. Difficultatem hanc intellectui parit umbra, quæ cum nihil ſit aliud quàm privatio, poſitivum tamen aliquid efficere poſſit. Sed à ſenſu recedendum non eſt*, inquit, *licet intellectus id non capiat.*

Anſel. Boëtius lib. 1. c. 15. de gemmis.

Sed tamen profectò incredibile eſt quod interſerit, umbram aliquid poſitivum efficere; & potiùs aſſerendum, ſolum lumen, non umbram ei permixtam, eſſe quidquid poſitivum eſt in colore.

Hoc tamen rectum, & in favorem ſententiæ S. Thomæ & Hurtadi, quod addit: *Qui nullos colores in Iride eſſe, ſed tantùm apparere arbitrantur, colorum naturam non rectè comprehendunt.*

Quid igitur? inquies. An omne quod videtur eſt lumen? Omnino. Cur enim non tantùm cum S. Thoma & Ariſtotele, ſed cum S. Paulo affirmare auſim, *Omne quod manifeſtatur, lumen eſſe?* Quemadmodum enim lux ad ſolem, ad ignem, ad lampyrides, & ad quædam alia corpora lucida ſe habet, in quibus fixa permanet; ita color ad flores, plantas, lapides, & cetera corpora colorata, quibus cum mixtura opaci incorporatur. Sicut deinde lux per medium diaphanum, ſive perſpicuum,

Epheſ. 5.

lumen

lumen ſuum radiat; ita color ſuam ſpeciem. Hoc ſolo diſcrimine, quòd lux non indigeat antecedente illuminatione, ut diaphanum moveat, ſed movendo ipſum, illuminat & immediatè à tenebris ad lumen transfert; color verò niſi per medium actu illuminatum ſpeciem ſui non trajicit. Vnde Ariſtoteles colorem definit, *Motivum diaphani actu.* Nam actus, ſive forma quâ diaphanum ſic actuatur, ut ipſum proximè actu idoneum reddat, ut à ſpeciebus colorum moveatur & depingatur, eſt lumen.

Vt autem res tota à radicibus exponatur, generatio colorum nullo probabiliori modo expediri poteſt, quàm Theophraſti in Libro de coloribus, & præceptoris ejus Ariſtotelis in Libro de ſenſu. Nempe, ex varia commixtione diaphani & opaci, in corporibus terminatis reſultare quandam luculam, magis claram, aut umbroſam, prout plus diaphani, aut opaci in ea permixtione fuerit. Luculam iſtam vocamus colorem. Qui non aliter à coloribus Iridis, & ijs quos apparentes appellamus, diſtinguitur, quàm quia hic habet eſſe permanens, *& principia ejus,* ut ſtatim aiebat S. Thomas, *ſequuntur principia intrinſeca corporis mixti:* præcipuum verò principium colorum Iridis & ſimilium, ſit lumen ab extrinſeco irradiatum, & opaco nubis permixtum. Pro diverſo autem ſitu oculi, variat Iridis ille color apparentiam; quia mixtura opaci & luminis, ac reflexio ad oculum, ſimul cum motu oculi variantur.

Hinc ſi ad Iridem cornibus terram attingentem accedere velis, fugere ante te videtur, & cum ad locum perveneris, ubi cornua ejus terræ contigua videras, nullum ampliùs ibi colorem, ſed aërem tantùm liquidum aſpicies. Et inde natum eſt, ut colores illi apparentes & phantaſtici appellentur; licet verorum colorum principia, ſed in alio corpore obtineant.

Hinc intelligitur altera definitio coloris, quam Ariſtoteles, naturam definiti profundiùs, quàm Libro ſecundo de Anima, penetrans, nobis in Libro de ſenſu & ſenſili concinnavit: *Color eſt diaphani in corpore terminato extremitas.* Definitio ſanè, ut mihi videtur, à paucis intellecta. Diaphanum enim interpretantur aërem, aut aquam, aut ſimile aliud corpus planè diaphanum, Ariſt. c. 3. de ſenſu.

medium

medium inter oculum & objectum coloratum. Quod à mente Ariſtotelis maximè eſt alienum. Nam diaphanum de quo loquitur, eſt *in corpore terminato*, ſive cujus diaphaneitas non eſt tanta, ut viſum tranſmittat, ſed opacitate admixtâ ita ſe reſtringit & terminat, ut viſui tranſitus non pateat. Cetera verò diaphana, ut aërem, & alia per quæ ſpecies viſibilis & viſus tranſit, diaphana ἀόριστα *interminata* vocat.

Vnde in eo diſtinguit lumen à colore, quòd lumen ſit ἐν ἀορίστῳ διαφανεῖ *in diaphano interminato*, ut aëre, aqua &c. color verò ἐν πέρατι *in extremitate* diaphani terminati. Colorem enim proximè viſibilem, & ex ſumma cute corporum terminatorum, ſive opacorum efforeſcentem, tantùm definit: licet admittat eandem eſſe naturam coloris, quo tingitur corpus ἔξω καὶ ἔνδον *exteriùs & interiùs.*

Definitio autem eſt cauſalis. Nam *color*, inquit apertè, *eſt in corporis extremitate, non ipſa corporis extremitas.* In definiendo tamen voluit phraſin Pythagoræ imitari, qui dicebat, colorem eſſe corporis colorati ἐπιφάνειαν *ſuperficiem.*

Quomodo? inquies. Admittitne ergo Ariſtoteles, in pariete, aut lapide colorato aliquam diaphaneitatem, ſeu perſpicuitatem?

Ariſtotel. ibidem.

Omnino admittit. Et audi ipſum. *Quod autem dicimus diaphanum*, inquit, *non eſt proprium aëris, vel aquæ, nec alicujus ſic dictorum corporum* (quæ nempe ſimpliciter diaphana appellantur) *ſed eſt quædam communis natura & virtus, quæ ſeparata quidem non eſt, in his verò & in alijs corporibus; in his quidem magis, in illis verò minùs.*

In omnibus ergo corporibus coloratis, quæ terminata & abſolutè opaca denominantur, eſt quædam permixta perſpicuitas, ſi alba, aut colore quocumque medio tincta ſint, exceptis ſolùm ijs quæ nigerrima & ſummè opaca ſunt. Sententia igitur Ariſtotelis aperta eſt: colorem in corporibus opacis naſci ex mixtura alicujus majoris aut minoris perſpicuitatis cum opaco; ſimili modo quo colores nubium apparentes, ex mixtione luminis cum opacitate nubiloſâ. Audi enim eum iterùm. *Manifeſtum, quòd idem & ibi (* in corporibus diaphanis, quando

quando lumine colorantur) *& hîc* (in corporibus opacis propriè coloratis) *ſuſceptivum coloris eſt.* Quodnam verò eſt illud commune δεκτικὸν τῆς χρόας *ſuſceptivum coloris*, in corporibus diaphanis & opacis? Nempe diaphanum aliquod omnibus commixtum. Addit enim: *Diaphanum ergo ſecundum quod ineſt corporibus (ineſt autem plus aut minùs) in omnibus colore facit participare.*

Quid magis διαφανῶς & perſpicuè potuit dici? Nec magis mirum, in auro, argento, lapidibus, ac omnibus univerſim coloratis, aliquid diaphani & tenuis perſpicuitatis eſſe admixtum, quàm humiditati aquæ (quæ à Peripateticis creditur non eſſe ſumma) aliquid ſiccitatis, & ſiccitati ignis aliquid humiditatis. Sic igitur ex ſententia Platonis, Ariſtotelis, & Theophraſti, ſtatuendum videtur: Colorem eſſe quandam lucem corporis colorati, ſed impuram, propter mixturam opaci in eodem corpore. Albedinem verò inter omnes colores plurimum lucis, minimum opaci habere, etiamſi tantum habeat, ut res albæ, v. g. calx, aut nix tranſitum occludant lumini. Ceteri verò colores plus aut minus internæ lucis participant, quo propiùs aut longiùs diſtant ab albedine. Nigrum verò, quod nihil omnino lucis incorporatum habet, propriè coloratum non eſt. Vnde Ariſtoteles ait, τὸ μέλαν ϛέρησιν εἶναι τοῦ λευκοῦ, *nigrum eſſe privationem albi*; & paulo antè nigredinem ad albedinem ſe habere, quemadmodum tenebræ ad lumen. Perfectæ autem tenebræ carent omni luce, ſuntque mera privatio luminis, & re verâ nihil. Vnde nec videntur conceptu poſitivo viſivo, ſed anima dicitur eas videre, quia oculis apertis experitur ſe nihil videre. Ariſt. c. 3. & 4. de ſenſu.

Egregiè enim noſter Auguſtinus: *Tenebræ nihil ſunt aliud quàm lucis abſentia: quæ oculis non videndo diſcernuntur, ſicut ſilentium auribus non audiendo. Non quia tenebræ ſunt aliquid, ſed quia lux non eſt.* S. Aug. c. 31 contra Epiſt. fundam.

Refellit tamen, hanc nigredinis cum tenebris ſimilitudinem Io. Buridanus, quia *lanarum nigræ nullum colorem bibunt*, ut ait Plinius. Biberent autem aviditſſimè, ſi nigredo eſſet albedinis, aut luminis mera privatio. Nonne enim videmus, Io. Burid. in Lib. de anim. Plin. lib. 8. c. 48.

quàm promptè & avidè aër nocturnus, qui ſolâ privatione luminis nocte nigreſcebat, manè auroræ ruborem rapiat?

Sed profectò, mi Buridane, non eadem tenebroſi aëris, & nigræ lanæ, in raptu aut potu colorum, eſt ratio. In lana enim nigra eſt poſitiva quædam obſtinatæ opacitatis & inimica luci omnium colorum, diſpoſitio; quæ nequaquam eſt in aëre.

Hinc ſequitur, à nigredine nullam propriè ſpeciem viſibilem exilire; non magis quàm à tenebris profundæ noctis, aut profundiſſimi putei, in quem cùm fortè deſpicimus, nihil amplius videmus, quàm ſi clauſi eſſent oculi.

Non-ens enim nihil poſitivum poteſt producere. Pinguntur tamen in fundo oculi ſuo modo tenebræ, veluti umbras corporum in ſole ambulantium pingi videmus picturâ mobili, in terra, vel in charta alba, oppoſita foramini conclavis obſcurati. Quod autem quidam aiunt, umbras illas depingi, quia aliquid vicini luminis admixtum habent, per quod viſibiles fiant, nullius eſt momenti. Quo enim umbræ minùs luminoſæ ſunt, eo perfectiùs & inſigniùs depinguntur; unde ſi nihil omnino luminis permixti haberent, inſigniores & nigerrimæ apparerent.

Hoc quoque ſpecies viſibiles poſitivas nigredinis ſatis refellit: Quòd ſi aliquæ tales eſſent, non poſſent in ſuperficie corporum candidorũ dilui à lumine ſolis. Vnde ſpecies nigricantes hominis nigri, inter parietes albos interdiu ambulantis, apparerent & ambularent cum ipſo in parietum ſuperficiebus. Sol enim lumine ſuo umbras tantùm, non poſitivam nigredinem, aut poſitivas ſpecies extinguere, aut offuſcare valeret.

Ideo autẽ nigredo apparet eſſe color realis & poſitivus, quia inſtar albedinis, aut cujuſvis alterius coloris poſitivi, radiare videtur, & radij (tales quales mittit) reflectuntur, refringuntur, & omnes formas & leges radiorum poſitivorum ſubeunt. Sed quàm tamen hoc argumentum ſit fallax, inde patet; quia umbrarũ etiam radij (quas nemo eſſe entia privativa dubitat) omnes eaſdem reflexionum & refractionum leges recipiunt. Imò, quod eſt admirabiliſſimum, umbræ ambulantium in ſole, non

non minùs quàm veri colores, in conclavi obſcurato depinguntur, nec tranſitu per aërem forìs luminoſum ſic diluuntur, ut intereant.

Ex his patet, albedinem & nigredinem non opponi re verâ contrariè, ſed afferri à Philoſopho ſolùm ut ſimilitudinaria exempla, quia exemplorum, ut dici ſolet, non requiritur veritas. Et *Ariſtoteles conſuevit maximè in Libris Logicalibus*, ait S. Tho. *ponere exempla quæ probabilia erant ſuo tempore, ſecundum opinionem aliquorum Philoſophorum.* Tranſitur tamen non inſtantaneè, ſed ſucceſſivè ab albedine ad nigredinem; quia colores non mutantur, niſi ſucceſſivâ alteratione inter qualitates primas, quibus perſpicuum & opacum variantur; ex quibus colores omnes, tanquam ex proximis diſpoſitionibus, reſultare videntur. S. Tho. 1. p. q. 48. a. 1. ad 1.

Quænam verò ſit cauſa efficiens phyſica reſultantiæ colorum, res obſcuriſſima eſt, & fortè inter eas de quibus dicat ſapiens, *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.* Plurimarum enim rerum naturalium ſuperficies tantùm nobis oſtendit Deus, quas ſi in profundo ſcrutari velimus, fundum non inveniemus. Hoc autem ad humilitatem noſtram, ne in acumine noſtro nimiùm nobis placeamus, ſed potentiam & inſcrutabilem ſapientiam Dei, etiam in iſtis ante oculos, ut apparet, tam expoſitis, admiremur & laudemus. Articulo tamen ſequenti dicis ergô aliquid dicemus.

ARTICVLVS III.

An in tenebris ſint colores.

TAnquam Poëta, & non ex vero, aiunt paſſim Philoſophi, cecinit Virgilius:

Eſt iter in ſilvis, ubi cælum condidit umbrâ Æneid. 6.
Iupiter, & rebus nox abſtulit atra colorem. Et alter: Ovid.
Iam color unus ineſt rebus, tenebriſq́ teguntur
Omnia.

Sed Cardanus ſine fictione Poëtica ait, nivem quidem albam

Card. lib. de gem. & color.

eſſe etiam nocte ſub dio, quando tenui ſiderum fulgore perſtringitur; *at in conclavi tenebroſo non videri, ſed nigram eſſe, ut reliqua omnia.*

Et ſanè, ſi res revocetur ad limam, non erit tam abſurdus, quàm apparet primà fronte, qui dixerit, à nocte auferri & extingui colores rerum, ſicut ipſa extinguit diem & ſolis lumen. Imò Albertus rerum naturalium ſcientiâ verè Magnus, *opinionem vulgi* appellat, quæ tenebris colores tegi, non auferri exiſtimat.

Cenſet igitur, nec ipſe ſolus, colorem aliud non eſſe, quàm lumen ſolis, ignis, aut alterius luminoſi, *diffuſum ſuper perſpicuum terminatum.*

Variatur tamen, & in puniceum, viridem &c. colorem lumen in ſuperficie coloratorum tranſmutatur, propter diverſitatem diſpoſitionum corporis quod lumine perfunditur. Cur enim in tenebris non appareret color, inquit Albertus, præſertim albus, ſi inſtar lucis, in ſuperficie parietis albi lucet? Deinde, ſi colores in profundo corporum latent, quare interdiu ſe non manifeſtant, & in aſpectum erumpunt; ſicut lux ſolis, aut flammæ, non è ſuperficie tantùm, ſed ex profundo talium corporum nobis lucet?

Bened. Epiſt. ad Philibert. Pingonium

Vicinus huic opinioni eſt vir Matheſeos & Philoſophiæ conſultiſſimus Io. Bapt. Benedictus, qui lumen ſolis penetrare aliquouſque infra ſuperficiem corporum coloratorum, & eorum colore infici ac colorari credit. Vnde objectum viſûs, inquit, *non eſt color qui eſt in corpore colorato, ſed lumen ab eodem corpore reflexum, & corporis colore tinctum.*

Sed fortaſſe veriùs, & Alberto viciniùs dixiſſet, nullum in corporibus hærere colorem, ſed lumen extrinſecum illabi opaco infra ſuperficiem, & ex permixtione ejus colorari, ſicut coloratur ex mixturâ opaci nubium. *Neque enim te ignorare volo*, inquit Benedictus, *lumina reflexa colorata non reflecti à puris propriiſq; ſuperficiebus corporum coloratorum; eo quòd pauca corpora tam opaca reperiantur, ut immediatè lumen à ſuperficie propriè reflectant; ſed lumen penetrat aliquantulum dicta corpora, & illorum colore afficitur: ubi verò non penetrat, non coloratur colore corporis illius.*

Si

Si ergo radius ſolis penetret etiam intra minimæ profunditatis opacum, jam intelligi poteſt, mixturam luminis cum ejuſmodi opaco ſufficere ad colorandam ſummam quaſi corporis illius cutem. Nam, an interiùs & profundiùs corpora ſint colorata, nullo ſenſu deprehendi poteſt. Si enim melonem dividas, videbis quidem in ipſis cæſuræ duabus ſuperficiebus colorem rubeum; non tamen, qui antea ibi erat, inquient, ſed qui reſultat ex lumine ſolis, aut candelæ, ad quod interanea tui melonis aſpicis.

Sed probabilius cum Ariſtotele exiſtimo, corpora non tantùm ἔξω *exteriùs*, ſed ἐντὸς *interiùs* etiam eſſe colorata, & colorem eſſe non extrinſecum & tranſitorium ſolùm, ſed intrinſecum & permanens quoddam lumen. Nam non tantùm in ſuperficie & ſumma cute, ſed etiam in profundo principia colorum deliteſcunt. Ea ſunt, ut Ariſtoteles, & Theophraſtus antea nos docuit, diaphanum quoddam tenue, & opacum quibus corpora colorata, etiam ad centrum uſque pervaduntur ac perſuaduntur. Ariſt. c. 3. de ſenſu.

Ex his, quaſi colorum proximis diſpoſitionibus, emicant & diffunduntur, credo, per totum corpus colores. A qua verò cauſa phyſica efficiente? Nunquam in puteo Democriti, id eſt, divinę ſapientię arcanis, fui, ut hoc dicam. Fortaſſe perſpicuitas eſt qualitas poſitiva, & vim habet efficiendi colorem. Nam opacitatē hoc poſſe, vix credere poſſum. Hæc enim non aliud eſſe videtur quàm tenebræ & umbra quædam, orta ex eadem diſpoſitione, ex qua oritur nigredo; vel aliquando ex locali ſitu & diſpoſitione partium continui, hebetantium lumen & impedientium ne tranſeat per corpus quod vocatur opacum.

Quod exemplo glaciei, vitri, & cryſtalli diſcere licet. Nam tria hæc corpora diaphana ſunt, quando partes eorum continuantur, & æquabiliter diſponuntur. Si verò comminuantur, alba inſtar farinæ aut ſalis apparebunt, & tam opaca, ut nullum lumen jam valeat penetrare. Qua de cauſa? Quia, opinor, ſingulæ illius farinæ atomi ſuis ſuperficiebus diſtinctis jam terminantur, quibus lumen repercutiunt, & innumeris repercutionibus ſic debilitant, ut vires ad penetrandū ei defi-

ciant. Albedo verò illa glaciei confractæ non aliud eſſe videatur, quàm lumen ſolis extrinſecum, quod per reflexiones datas & acceptas in ſingulis particulis multiplicatur, & in candorem illorum effloreſcit.

Deinde licet opacitatem qualitatem poſitivam eſſe daremus, tamen non niſi nigredinem, & fuſcum, ceruleum, ceteroſque colores atros, non autem albedinem, aut flavum, puniceum, & alios ſuo lumine ardentes producere poſſet.

Sed neque perſpicuitas, ut equidem exiſtimo, colores producere valet. Cur enim aliàs nocturni aëris, aut nubium perſpicuitas, ſine extrinſeco lumine ſolis, non efficeret colorem, & aëra tingeret, aut nubes? Certè enim perſpicui & opaci in illis corporibus ſæpe mixtura ſufficiens eſt ad coloris generationem, ſi non abeſſet cauſa efficiens.

Deinde, fortaſſe nec perſpicuitas eſt ſemper qualitas poſitiva activa, quæ colorem, aut aliam qualitatem poſſit generare; ſed aliquando ſolùm eſt continuitas & æquabilitas quædam ſitûs partium, quæ ſubjectum ſuum ad intrinſecùs admittendum & recipiendum lumen diſponit.

Anſel. lib. 1 c. 14. de gemmis. Hoc enim ſentit eruditiſſimus Anſel. Boëtius, Belga Brugenſis, Medicus olim Cæſareus. *Continuitatem diaphaneitatis cauſam eſſe*, inquit, *ea expreſſe oſtendunt, quæ diaphana cum non ſint, talia redduntur, ſi id adveniat quod partes diſcretas continuet, hoc eſt, uniat abſque diſcretione. Vnde charta ſimplex, opaca cum ſit, affuſo oleo calido diaphana & tranſparens redditur.*

Igitur, ut cæcus de coloribus, ſic cogito, & conjecto.

Sicut à forma ſubſtantiali ſolis & ignis, & quorundam aliorum corporum in tenebris lucentium, lux tanquam naturalis proprietas reſultat, præſuppoſitâ aliquâ perſpicui & opaci in illis corporibus mixturâ; ita à corporum mixtorum formis reſultant colores: maximâ autem ac fermè innumerabili varietate, propter numeroſiſſimè variantem perſpicui & opaci mixtionem.

Vnde veluti corpora mixta, ex quatuor elementis conſtant; ita formæ mixtorum aliquid de virtute quatuor formarum elementarium participant. Vim efficiendi opacitatem (eo

modo

modo quo effici poteſt) habent à forma terræ; vim efficiendi perſpicuitatem, à formis aëris & aquæ; vim efficiendi colorem (aut lucem potiùs incluſam in colore) à forma ignis.

Formæ igitur lilij, aut roſæ, quatenus aliquid igneitatis in ſe habent, colorem illum candidum, aut rubicundum in corpus ſuum effundunt; quemadmodum forma ignis illuminat ignem ſuum luce uberiore, quâ vincere etiam poſſit noctis caliginem; aut forma *carbunculi* gemmam ſuam, *cuius fulgor nocte non vincitur.* S. Aug. lib. 2. c 10. de Geneſ. contra Manichæ.

Putabit verò quiſpiam, non ſolùm formas mixtorum, ſed etiam formas elementorum vim habere producendi proprium colorem: cùm tamen pura elementa ullo vero colore tincta eſſe neget Ariſtoteles. Aqua enim ſpumans albeſcit, & nix tam candida quid ſubſtantialiter aliud eſt quàm aqua?

Attamen non credo aquam à ſua forma poſſe dealbari. Perſpicuitatem habet à ſua forma, non albedinem. Candor autem ſpumæ eſt lumen ſolis, ſpumeis bullis aëre plenis infuſum, & ſic tingens. De nive idem exiſtimant nonnulli. Sed fortaſſe verius eſt quod ait S. Thomas: *Albedinem in nive ſequi principia eſſentialia ſubjecti; & ideo nivem non poſſe fieri nigram.* S.Tho. 1.p. q 9. a. 2. Vnde præter lumen extrinſecum affuſum à ſole, nix ab intrinſecis principijs eſſentialibus candorem aliquem habet, id eſt, à forma ſua ſubſtantiali, non elementi aquæ, ſed corporis cujuſdam mixti; præſertim quantum ad ſpiritus, quibus tota undique turget, & in quibus candor ille præcipuè lucet. Nec enim, quia nix in elementum aquæ tam facilè convertitur, ſignum eſt formam aquæ in ea manſiſſe. Nam multa mixta liquida facilè aqueſcunt, & tranſmutationes ſubſtantiales ſtrenuè agiliterque eunt redeuntque ſæpe inter eadem extrema.

Color ergo non eſt, ut cenſebat Albertus, ſolis aut ignis tantùm lumen, ſuperficiem corporum opacorum illuminans, ſed eſt interna & fixa quædam lucula, quæ à formis ſubſtantialibus naturaliter manat, ſicuti à forma ignis & ſolis lux infinitò pænè uberior & plenior. Vnde tenues illæ colorum luculæ non habent ſatis virium, ut per tenebras noctis radient,

dient, aut ſaltem tam efficaciter, ut imagines ſuas in oculis noſtris ſenſibiliter efforment. Vnde *neſcimus*, ait Keplerus, *an colores de profunda nocte luculas non ſpargant ſuas*. Ex profundo etiam corporum opacorum, eâdem de causâ, interdiu non radiant colores, quia ibi ſunt tenebræ, per quas, ſpecies ſuas uſque ad aërem illuminatum foràs trajicere non poſſunt. Et ſic ad argumenta Alberti ſatis puto eſſe factum.

Breviter ergo, ſicut ad generationem colorum Iridis, auroræ, & nubium, præter perſpicui & opaci mixtionem, quam nubes à ſe habet, requiritur lumen ſolis extrinſecùs illabens; ita quoque ut color in corpore mixto generetur, non ſufficit perſpicui & opaci mixtura, ſed forma ſubſtantialis mixti accedere debet, quæ ſua igneitate illuminet, id eſt coloret tam intrinſecùs quàm extrinſecùs corpus mixtum.

Sed ecce ſtatim denſum ſe mihi objicit obſtaculum. Si enim in profundo glebæ auri, aut argenti ſit tanta opacitas, ut radius ſolis non valeat niſi ſummam vix cutem penetrare, quomodo poteſt forma ſubſtantialis auri flavo colore totam illam maſſam illuminare? Si perſpicuitas interior non ſit tanta, ut ullum extrinſecum, etiam acerrimum ſolis lumen valeat penetrare, quâ ratione tenuis ille formæ auri fulgor univerſum uſquequaque auri corpus poteſt pervadere?

Vt reſpondeam, velim primùm cogites, inter corporum opacitatem & denſitatem latum eſſe diſcrimen. Aqua enim eſt longè denſior quàm nubes, & tamen minùs opaca. Vitra, cryſtalli, adamantes, & tot lapides pellucidi, denſiſſimi ſæpe ſunt, & tamen minimè opaci. Sic ergo ferè de auro exiſtima. Corpus denſiſſimū eſt, & tamen aliquid internæ perſpicuitatis habet, cui tanquam diſpoſitioni, forma ſubſtantialis auri rubentem illam aurei coloris luculam poteſt infundere. Non ſufficit tamen perſpicuitas tantula, ut tranſitum aperiat externo ſolis lumini. Quomodo igitur, inquies, aperit formæ auri?

Reſp. Non aperit propriè; quia forma illa colorificum & auratum ſuum radium non trajicit ab una parte glebæ aureæ in alteram.

Attende quid velim. Pars illa formæ auri, quæ informat

ducat

ducati Hiſpanici ſuperficiem capitibus Regum inſignitam, non trajicit radium coloris uſque ad oppoſitam ſuperficiem, cui Inſignia Regni Caſtellæ impreſſa ſunt; ſed unaquæque particula formæ auri colorat ſolùm particulam materiæ ſibi adæquatam, & cui intimè infuſa eſt per quandam penetrationem. Vnde non jaculatur radium ſuum colorificum in diſtans, ſed ſolùm effundit colorem & tincturam ſuam in ſinum ſuum, ſive potiùs, in ſinum materiæ eundem illum quem ipſa forma auri informat. Ad hoc autem longè minor perſpicuitas, quàm ad trajectum luminis, ſufficit. Aliqua tamen requiritur, ne nimia opacitas luculam coloris ſuffocet, & in nigredinem prorſus extinguat.

ARTICVLVS IV.

An color ſpecie diſtinguatur à luce.

LIcet dixerimus, colorem ſic ſe ad corpus mixtum habere, quemadmodum lux ad ſolem, aut ignem ſe habet; dubitatio tamen reſtat, utrum color ſit qualitas ejuſdem, an diverſæ ſpeciei à luce.

Plerique videntur imaginari, colorem eſſe qualitatem magis mortuam, & alterius longè rationis ac ſpeciei à luce. Colligunt ex effectibus, quia lux eſt calefactiva & rarefactiva, non color.

Deinde ſi color eſſet lux quædam, cur albedo parietum denſiſſimâ nocte non aſpergeret aliquo candore totum cubiculi aërem? Certè enim lampyrides & noctilucas, inter tenebras noctis lucere in agris videmus, etſi ſcintillæ tantùm, & veluti puncta ſint languidi luminis. Oculi præterea multorum animalium ſic nocturnum aërem illuminant, ut venari, & prædas agere, ac cernere inter tenebras poſſint. Videbat quoque internoctu Tiber. Cæſar, & Aſclepiodotus tantum luminis ex oculis fundebat, ut ſine alia lucerna, nocte libros legeret. Si igitur albedo lux eſt, cur inter ampliſſimos & candidiſſimos parietes, noctu totus cubiculi aër non eſt illuſtris?

 Sed

Sed tamen hæc argumenta non evincunt, quin colores poſſint dici luces quædam languidæ, & in opaco ſuo ſemiſuffocatæ; quemadmodum Iridis, auroræ, & crepuſculorum puniceus, viridis, purpureus colores, ſine dubio, ſunt vera ſolis lumina, licet ferè extincta in nubibus. Cùm ergo corporum mixtorum colores ex ſimillimis cauſis, id eſt, ex perſpicuo & opaco oriantur, unius eſſentiæ cum luce eſſe videntur.

Deinde ſpecies viſibiles colorum eodem prorſus modo, quo radij luminoſi per medium diaphanum jaciuntur, reflectuntur; imò dilutis à majori lumine umbris, quibus implicitæ à coloribus ſuis effunduntur, in puros luminis radios quaſi transformantur.

Hæc enim unica cauſa eſſe videtur, cur parietes albi interdiu non appareant paſſim ſpeciebus vicinorum colorum depicti; ſicuti in conclavi obſcurato, paries albus, aut charta, è regione foraminis depingitur. Species quoque albedinis perinde viſum diſgregant, & afficiunt oculum, ſicut radij lucis.

Non igitur de nihilo S. Thomas olim dixit, *Hypoſtaſin coloris eſſe lucem, & colorem nihil aliud eſſe, quàm lucem incorporatam*: quod Thomas Hurtadus animosè & ſubtiliter defendit. Atque apertè etiam ſequitur ex opinione illa S. Thomæ, qua Art. 11. colores Iridis veros eſſe colores, nos docuit. Certè enim hos colores, eſſe lumina, nemo infitias it. Et quid etiam aliud eſt carbunculorum color quàm lumen? Et tamen ſi umbrâ perfundatur, in purpuram declinat. Nam qui *ſub cælo flammei, umbrante tecto videntur purpurei*, ait Plinius.

Tho. Hurt. controv. 1. memb. 5. §. 6. Præcurſ. Philoſ.

Plin. lib. 37. c. 7.

Sulphuris quoque, & vini ardentis flamma, cerula fit umbrarum admixtione.

Sed color, inquiunt, non calefacit, ſicut lux ſolis.

Simili argumento Iul. Scaliger probat lucem noctilucarum, & inſectorum quæ in tenebris ſplendent, non eſſe ejuſdem facultatis & naturæ cum luce ſolis.

Quaſi verò à luce etiam noſtrarum lucernarum, longè uberiori, ſentiamus nos calefieri. Omnis enim lucernarum aut ignium calor, magis à calore igneo, quàm à luce venit. Cur deinde

deinde eodem ratiocinio non colligit Scaliger, lumen ſolis hibernum ſpecie differre ab æſtivo?

Requiritur ergo certa menſura & multiplicatio luminis, & radiorum quidam faſcis, ut ſenſibilis calor inde poſſit effluere.

Quis quoque novit, an colores qui plurimum habent lucis, ut albus, puniceus, ſanguineus. &c. aliquid juvent ad calefactionem? Certè aliqui ſe expertos dicunt, veſtem albo ſuffultam magis calorem fovere. Vnde hoc autem, niſi quia fortè albedo ſpiritibus qui corpore expirant, & ſuffulturâ veſtis retinentur, aliquod auxilium, & vim tenuem calorificam addit? Ea quoque de cauſa cucufas, ſive calottas capitis cocco plerique apud nos ſuffulciunt, quia, credo (& videor experiri) color ille ardens nonnihil tenuis & blandi caloris putatur continere. Certè tamen colores illi lumini ſolis additi adjuvant vim cale & rare faciendi. Ideo enim, ubi nix cecidit, tepeſcit aër, & remittitur frigus. Et nonne notum illud Dionyſij tyranni, & à Galeno narratum exemplum, qui tenebris carcerum diu incluſos, ſubitò in aulam candore parietum & ſplendore ſolis illuſtriſſimam educebat, ut ſic excæcaret?

Et addit, milites Xenophontis pænè oculorum lumina perdidiſſe, dum nimis diu per nives iter faciunt. Nonne etiam ubi ſternutare volumus, nares patulas, non ad ſolem ſolùm, ſed ad parietem inſigniter candentem convertimus, & inde nares ad ſternutandum incitari ſentimus? Quamobrem? Quia ſanè ſpecies viſibiles albedinis, inſtar cujuſdam luminis, aliquid ad rarefactandos cerebri humores, & titillandas nares conferunt.

Albedo igitur ſplendorem ſolis, ad calefactandum, rarefaciendum, exſiccandum ſatis potenter quandoque adjuvat. Et nonne nos ipſi experimur, quantâ visùs & oculorum noxâ, inter nives à ſole illuminatas ambulemus? Quanta in oculis caligo, ubi deinde domum obſcuriorem intramus?

Hoc quoque in comperto eſt. Res pleraſque albas, ut cretam, calcem, ſaccharum &c. ſpiritibus fulgentibus ſcatere. Vnde (ut ſæpè, & cum admiratione expertus ſum) ſi quis cultellum ſacchari glebæ in tenebris affricet, luminum fulgetra

perpetuò excutiet, nullo pæne irrito ictu.

Ceterùm, in hac ſententia fatendum eſt, omnes colores, quantum eſt ex parte lucis quam continent, eſſe unius ſpeciei, & differre ſolùm majori aut minori opacitate; veluti color purpureus, viridis, & puniceus in Iride.

Dicuntur tamen colores iſti differre ſpecie, ſicut temperamenta quatuor primarum qualitatum; quæ licet ex iiſdem qualitatibus conſlentur, temperamentum tamen v. g. cholericum dicitur diverſæ ſpeciei à ſanguineo; quia una ſpecies qualitatis eminet in uno, altera in altero. Sic fortè S. Thomas colorem pallidum, in quo plus opaci ineſt, dicit ſpecie diſſidere ab albo. Perinde videlicet ac tepidum à calido. Nam alicubi ait pallidum ita ſe habere ad extremos colores, ſicuti tepidum ad calorem & frigus. *Media*, inquit, *conficiuntur ex extremis, & ideo virtute continentur in eis: ſicut tepidum in calido & frigido, pallidum in albo & nigro.* Tepidum autem certè ex calido & frigido formaliter compoſitum eſt.

S. Tho. 1. 2. q. 52. a. 2.

Idem 2. 2. q. 179. a. 2.

Nigredo, tamen ſi nigerrima ſit & omnem prorſus lucem excludat, nuda privatio eſt, ut antè monebamus. Cùm verò S. Thomas adhuc inter colores poſitivos eam recenſet, nigredinem in qua non omnes reliquiæ lucis extinctæ ſint, credo intelligit: aut certè Ariſtotelem ſuum, ſicut Ariſtoteles vetuſtiores imitatur.

Si quis denique pertinaciter extorquere velit, coloribus includi quandam quidem lucem, ſed alterius rationis & ſpeciei à luce ſolis aut ignis, non uſque ad rixas contendam, modò quoque adfateatur, luces lampyridum, lignorum putrium, ſquamarum piſcium, & ſpirituum animalium, quibus oculi quorundam hominum & animalium ſcintillant, non eſſe unius ſpeciei cum luce ſolis. Sed tamen quid opus tot luces ſpecie diſtinguere, cum nullum argumentum id evincat?

Dices, luces lampyridum &c. à luce ſolis offuſcari, ne videantur, colores verò ab eadem potiùs illuſtrari, ut videantur. Vnde oportet fateri, luculas illas quæ noctu tantùm ſunt conſpicuæ, interdiu abſorberi à luce ſolis majore, tanquam teruncium à divitiis Crœſi, ut Cicero loquitur, quod latet

Cic. lib. 4. de fin.

latet quidem in majori cumulo, tamen divitiarum pars eſt. Sic ergo lux lampyridum ejuſdem ſpeciei cum lumine ſolis erit, & in unum totum cum eo coaleſcet, cujus ipſa pars ſit. Nihil verò ſimile apparet in colore. Non enim abſorbetur à lumine ſolis, ſed diſtinctim ac ſeparatè ab eo, in ſuperficie corporis opaci cernitur.

Hæc aliquem ſanè movere poſſunt, qui pauca, non omnia circumſpicit. Quæro enim à te, cur lumen aëris claro die non offuſcat colores Iridis, qui ſine dubio, ſunt ejuſdem ſpeciei cum lumine ſolis in aëre?

Reſpondebis, quia opacitas nubis quæ illos colores aſtringit, non diſſolvitur à lumine aëris. Idem tibi repono. Viror, inquam, prati nõ offuſcatur à majori lumine quo ſol aërem & ipſum pratum illuminat; quia non ſolvitur illo lumine opacitas prato inhærens, & lucem intrinſecam in virorẽ aſtringens. Secus verò de ſpeciebus viſibilibus viredinis, & cujuſlibet alterius coloris. Quia enim umbræ, quas ſecum vehunt, diluuntur à lumine ſolis, ideo nec in aëre, nec in ſuperficiebus ſolidorum corporum depictæ apparent; ſed lux earum offuſcatur à majori lumine, quemadmodum lampyridum, & lucernarum etiam noſtrarum luces.

Ecce igitur, ſi argumentum offuſcationis validum eſt, ut lampyridum, lucernarum, & ignium noſtrorum luces probentur eſſe unius ſpeciei cum lumine ſolis; quomodo etiam eodem argumento ſpecies viſibiles colorum, quoad luces quas intra ſe alligant, comprobentur non differre ſpecie Logicâ ab eodem lumine ſolis. Si autem ſpecies viſibiles colorum non differunt à lumine, nec different etiam colores à luce. Scio tamen, multis falſum, aut mirabile hoc viſum iri. Cùm quibus, ut ante dixi, non pertinaciter pugnabo; modò dent mihi, lucem coloratam collocari ſaltem ſub uno communi genere lucis; quod deinde in ſolis & ſiderum, ignis, carbunculorum, noctilucarum, &c. ac poſtremò in colorum luces, tanquam in ſpecies ſuas dividatur. Quotieſcumque etiam videbitur ei mirum, luculam coloris interceptam in viredine prati, non differre ſpecie à lumine ſolari; ſtatim cogitationem

vertat ad virorem Iridis, quem omnes fatentur, eſſe ipſum radium ſolis demerſum & ſemiextinctum nubium opacitate. Deinde cogitet nullum hîc videri à nobis in corporibus opacis colorem, cui ſimillimus ex mixtura luminis cum opaco nubis formari non poſſit; & fortè admiratio minuetur, aut evaneſcet.

ARTICVLVS V.

An color videatur in ſolis corporum opacorum ſuperficiebus.

Nihil eſt magis vulgare, quàm ſic loqui: ſuperficies corporum dealbari, colorari, & in ſuperficiebus colores aſpici, tanquam in ſumma corporum cute. Sed (quis crederet?) dum cogitationem huc demittimus, puteus Democriti eſt, nec in tota hac viſûs & viſibilium materia, mihi quidquam ferè eſt magis reconditum & obſcurius. Vt jam Platoni credere incipiam, qui colorum ſcientiam difficillimam omnium eſſe pronunciat. Nam in primis, nullas exiſtimo in corporibus eſſe mathematicas ſuperficies, lineas, & puncta, ut nuper in Labyrintho noſtro oſtendimus, & Mathematicorum doctiſſimi mecum ſentiunt. Turbant quippe, non juvant compoſitionem continui indiviſibilia illa infinita, continuantia, aut terminantia partes. Imò ſubtiliſſimi impoſſibilia eſſe fortiter aſſeverant.

Plat. in Timæ.

Deinde, demus ſanè ejuſmodi ſuperficies & involucra corporum; ſi tamen attentè & acutè inſpiciamus, quid illæ ſint, colorum capaces eſſe negabimus. Cogita enim, quæſo, mecum, ſuperficiem mathematicam non eſſe ſic tenuem, ut eſt tenuiſſima & ſubtiliſſima tela aranearum, per quam omnia pellucent & infrà apparent; ſed eſſe in infinitum tenuiorem, & ſecundum profunditatem, prorſus indiviſibilem; cùm tamen telæ araneæ profunditas, quantulacumque eſt, verſus profundum ſit diviſibilis in infinitum.

Quomodo igitur per illam infinitã ſuperficiei mathematicæ tenui-

tenuitatem non pellucebit color corporeæ quantitatis qui infra ſuperficiem eſt? Quomodo etiam illa parietis v. g. ſuperficies quidquam opacitatis & tenebrarum retinere poteſt, quo colorem ſuum in albedinem, rubedinem, viredinem, aut in alios colores declinet & aſtringat? Tota enim lumine externo ſolis perfuſa eſt, & in eodem prorſus ſpatio penetratur & conſiſtit cum ſuperficie aëris, qui parietem attingit. Si ergo totus aër uſque ad ſuperficiem ſuam ultimam incluſivé, qua parietem contingit, ſit lumine ſolis perfuſus, ſuperficies quoque parietis, quæ in eodem adæquaté ſpatio eſt cum ſuperficie contigui aëris, neceſſariò eodem lumine perfundetur. Non poteſt ergo in illa ſuperficie color eſſe, ſed ſi quidpiam in ea appareat, lumen ſine mixtura opacitatis erit, non autem color.

Deinde punctorum, linearum, ſuperficierum indiviſibilium in quantitate fabricatores, proportionalia etiam indiviſibilia in qualitatibus quantitati inhærentibus conſtruunt; ut in quantitate perfectâ corporeâ inhæreat albedo perfecta & corporea, in terminis autem quantitatis, termini albedinis. Vnde in extima ſuperficie parietis non erit niſi ſuperficialis terminus albedinis, naturâ & ſpecie ab albedine corporeâ differens; ſicuti ſuperficies quantitativa à quantitate corporea ſpecie differt. Non ergo completā & propriam albedinem, ſed terminū ſolum albedinis cernimus, cùm parietē album aſpicimus. Denique multi nimiùm craſſa & ruſtica imaginatione decipiuntur, dum ſuperficies extra partes corporum quas circumdant, extare, & inſtar cutis aut pellis ſuperponi imaginantur. Vnde ſicuti pellis animalis cernitur, non carnes & oſſa quæ ſub pelle latent; ita putant illi colores in ſuperficiebus tantùm videri, latentibus aliarum partium coloribus, quaſi à ſuperficie, tanquam pelle quadam contegantur.

Sed tam pinguis & obeſa cogitatio ad Mathematicam & Philoſophicam ſubtilitatem debet extenuari.

Perpende, inquam, mecum, ſuperficiem mathematicam omni profunditate & craſſitie deſtitui; unde ſi proximè partes ſui corporis contingat, neceſſum eſſe, ut per ſe primo, & ita

ita intimè attingat, ut intra ſpatium proximæ partis deſcendat ac penetret. In ſententia enim Ariſtotelis, & omnium Mathematicorum veriſſima, indiviſibile proximè additum indiviſibili, aut diviſibili non facit majus & extenſius. Non enim jam hallucinationem Democriti, & Epicuri moror, qui non ſolùm contra rationem, ſed contra ſenſum (ut in Labyrintho noſtro ſatis demonſtravi) omnia ultimò ex punctis indiviſibilibus componunt.

Si ergo ſuperficies parietis extra ſitum partium illius corporis nullo pacto eminet, profectò albedo partium quibus illa ſuperficies inſeritur, tam vicina erit oculo, quam albedo ſuperficialis, quâ dicitur ſuperficies quantitativa depingi. Igitur ratio nulla eſſe videtur, cur cum albedine ſuperficiali, albedo corporearum etiam partium à nobis non conſpiciatur. Nam, ut antè monui, ſuperficies, infinitâ ut ſic dicam, ſuâ tenuitate non poteſt ita tegere proximas partes corporeæ albedinis, quin per ſuperficiem pelluceant, & in aſpectum veniant.

Si verò ita eſt: igitur ad videndum parietis colorem ſuperficies non eſt neceſſaria; cùm non ſola ſuperficialis albedo, ſed etiam corporea, & intra profundum recedens, cernatur.

Sed vide jam impedimentum ferè impenetrabile, quod ſe in hac via objicit.

Vel enim lumen ſolis ſuperficiem parietis illuminans, intra corporis profunditatem deſcendit, aut in ſuperficie hæret. Si intra, cur non diſſolvit opacum, & colorem in purum lumen evaneſcere facit? Si non intrat, quomodo color qui eſt in profundo, ſpeciem ſui per partem profunditatis non illuminatam trajicit? Sume enim cruſtulam quantumvis tenuiſſimam parietis, ſuam tamen profunditatem habet, & pars ejus profundior ſpeciem ſui coloris, per aliam partem extimæ ſuperficiei viciniorem, mittere debebit: quod tamen facere non poterit: quia pars iſta opaca eſt & colorata, nec illuſtrata lumine ſolis; ac proinde medium inidoneum, per quod ſpecies viſibilis trajici poſſit.

Hæc ſunt ingenij humani ludibria, quæ hebetudinem ejus oſtendunt, & opera Dei, etiam quæ tam propinqua ſenſibus

noſtris,

noſtris, eſſe inſcrutabilia, nec poſſe ullâ fortaſſe humanæ mentis acie penetrari.

Vix ergo video effugium, niſi per illud, quod ſuprà Art. III. dicebat Ioan. Bapt. Benedictus: *Pauca corpora reperiri tam opaca, ut immediatè lumen à ſuperficie reflectant, ſed lumen aliquantulum illa corpora, & colores eorum afficit.* Quod tamen etiam diximus eſſe Ariſtotelis. Io. Bapt. Bened. Epiſt. ad Pigon.

Vbi autem lumen nullo modo penetrat, negat colorem illorum corporum propriè videri, ſed lumen tantùm externum, quod reflectitur, & lucet extra ſuperficiem.

Quia igitur corpora opaca colorata aliquid perſpicuitatis habent, ex qua eorum color originem ducit, non eſt fortè mirum, quòd radij ſolis tenuiſſimè & intra minimam profunditatem penetrare valeant, & colorem tenuiſſimæ cruſtæ v.g. parietis illuminare, ut color vires ſuas cum externo lumine conjungere poſſit, & ſic adjutus ſpeciem viſibilem coloris ejaculari.

Probabiliſſimum enim eſt, lumen externum non tantùm ex parte medij, ſed etiam, & maximè, ex parte objecti neceſſarium eſſe, ut colores agere valeant & ſpecies ſuas exſpergere.

Quod & probant Perſpectivi; *Niſi enim ab illuminata ſuperficie*, ait Maurolycus, *lux ipſius ſuperficiei colori ſimilis radiaret, rerum ſpecies ſub proprio colore ad oculum non pervenirent. Quare viſus nihil ſub proprio colore apprehenderet.* Vnde hoc theorema conſtituit: *Omnis à pura luce illuminata ſuperficies ſecundariam lucem colori ſui ſimilem mittit.* Cenſet igitur, lucem primariam, quæ immediatè à ſole ſuper ſuperficiem coloratam cadit, ita permiſceri colori, ut ſimul lucem ſecundariam coëfficiant, colori ſuperficiei concolorem; adeò ut ſpecies coloris nihil ſit aliud, quàm lux ſecundaria à luce primariâ & colore producta. Vnde Archiepiſcopus Cantuar: *Color omnem efficaciam movendi viſum à luce habet. Ideo qua ratione magis vel minùs à luce illuſtratur & movetur, eâdem quoque ratione viſum movet. Colores autem debiliores ſunt in fortioribus, ſicut incompletum in completo. Et ideo ſecundum completionem lucis, eſt gradus complementi coloris in movendo.* Maurolyc. theor. 23. de lum. & umbr. Lib. 1. prop. 12. Perſpect. commun.

Quod etiam nocturno iſto experimento probari poteſt. Nam oculus in tenebris noctis facillimè colores juxta lucernam poſitos videt, quia colorum actio à circumfuſo lumine excitatur & adjuvatur, ut ſpecies ſat longè per tenebras poſſit uſque ad oculum effundi; non ita verò, ſi commutato ſitu lucerna apud oculum ſtatuatur, & colores tenui lumine & extremis ſolùm lucernæ radijs colluſtrentur. Et nonne etiam videmus viredinem arborum & prati longè aliter ſpecies ſuas diffundere, quando illuminantur & adjuvantur pleniori ſole? Tunc enim folia altiùs à lumine penetrantur, diluitur paulò ampliùs interna opacitas, & totus viror, quouſque pertingit ſolis radius, candeſcit & fulgidior efficitur.

Nec mirum eſt, ſi attentè hoc conſideras, lumen ad minimam, ut v. g. centeſimam milleſimam craſſitudinis fili unius aranei, aut aciei novaculæ partem, intra omnia corpora colorata poſſe penetrare, & colores in tantulâ profunditate illuſtrare; cùm Ariſtotele teſte, & antè diximus, in omni colorato ſit aliquid perſpicui, tanquam diſpoſitio neceſſaria ad generationem coloris. Vbi autem aliquantula perſpicuitas eſt, quid vetat, lumen ad tenuiſſimam ſaltem craſſitiem penetrare? Ideo enim tam anguſtam profunditatem viſu non cognoſcimus (ſicut vini rubri, aut gemmarum ſemidiaphanarum profunditas ad oculum patet) ſed talia colorata, longa tantùm & lata eſſe, ſine profunditate imaginamur.

Etiamne intra aurum, tam denſum, & vix ullis poris dehiſcens intrat radius ſolis? Ita intra aurum, dico; alias enim fulvus ejus color nunquam à te videri poſſet. Sed velim iterum cogites, denſitatem illam auri non eſſe opacitatem. ſed cum denſitate maximam non rarò perſpicuitatem, ut in adamante, cryſtallis, & vitris, conjunctam eſſe, ut Artic. III. monebamus.

Nec tamen ſequitur, ſi ad centeſimam milleſimam partem craſſitudinis unius pili, radius ſolis intra ſuperficiē auri penetrare poſſit, longiùs etiam poſſe; quia tota maſſa auri tantundem perſpicuitatis in fundo, quantum in ſumma cute habet.

Nam univerſa profunditas maris eſt uniformiter perſpicua, & tamen radius ſolis non ultra 15. cubitos penetrat, ut Iudi

gemmarum piſcatores teſtantur. Vbi autem eſt ſumma opacitas, ut in corporibus quibuſdam aterrimis, lumen nullo modo intrat, defectu internæ perſpicuitatis, quæ ei viam quaſi aperiat. Vnde nigredo illorum corporum (etiamſi verum & poſitivum colorem eſſe facias) à lumine foris emanente, ad ſui ſpeciem per medium ſpargendam juvari non poſſet. Adde, nullâ pænè veri ſimilitudine dici poſſe, in lumine eſſe virtutem adjuvandi nigredinem ad producendas atras illas & tenebroſas ſuas ſpecies viſibiles; niſi etiam tenebras à lumine effici poſſe affirmes.

Sed quare non dicis, inquiet aliquis, lumen in aëre tantùm hærere, aut ut ſummum, uſque ad ſuperficiem corporis opaci extendi, colorem verò corporis opaci actionem ſuam qua ſpecies producit, non intra corpus opacum, ſed extra, in aëre illuminato inchoare?

Cogitavi hoc aliquando; ſed vide, quid jam remoratur.

Quia nempe, non videbitur tunc ratio, cur potiùs ex profunditate unius digiti, quàm unius palmi, color corporis opaci effundat ſpeciem in aërem circa ſe illuminatum.

Debet ergo determinatio profunditatis, unde incipiat productio ſpeciei viſibilis, fieri ab aliqua alia cauſa; nec à quâquam probabiliùs quàm à lumine intrinſecùs penetrante: quod cum tincturâ ſpeciei viſibilis illius coloris quem in profundo contingere valuit, rurſum exilit & in oculos venit.

Deinde, ſi nullo pacto, ne quidem ad craſſitiem centeſimæ milleſimæ partis unius crinis, lumen intrat, nulla pars coloris quæ latet in profundo poterit per ſe primò agere in aërem, quin aliqua particula ejus agat per medium non illuminatum. Cum enim omnis pars coloris ſit ſecundum profunditatem (ſicut continuum ipſum) diviſibilis in infinitum; neceſſe eſt, ut particula illa quę profundior & à ſuperficiei extimâ remotior eſt, effundat ſpeciem ſui per alteram, quæ inter ipſam, & ſuperficiem media eſt; hoc eſt, per medium non illuminatum, ſi lumen ſolis in eam non penetrat, ſed in aëre tantùm, & ſuperficie opaci hæret.

Cùm igitur Ariſtoteles dicit, colorem viſibilem inhærere ſuperfi- Ariſt lib. 5. c. 3. Top.

ſuperficiei, & *in extremo perſpicui terminati*, item *ſuperficiem eſſe primum quod coloratur*; non ſuperficiem mathematicam, ſed phyſicam intelligit, quæ eſt extrema & tenuiſſima quaſi cutis corporis perſpicui; quod per opacitatem quidem terminatum eſt, ſed tamen etiam propter gradum quendam perſpicuitatis admixtum, lumen extrinſecum ad aliquam minimam ſaltem, & ferè (ut ſic dicam) indiviſibilem profunditatem intromittit. *Ineſt quippe perſpicuitas omnibus corporibus, plus aut minus, quæ ea facit colorem participare.* Nihil ergo aptiùs dicere potuit, quàm colorem qui videtur, inhærere extremæ quaſi cuti corporis terminati, quouſque perſpicuitas ejus lumen externum admittit; quia color illuminari, & adjuvari à lumine debet, ut ſpecies ſuas foràs effundere, & videri poſſit.

Arist. c. 3. de ſenſu.

Hinc ſequitur, quo corpus aliquod minus perſpicui habet, eo minùs de colore ejus videri. Si verò radius luminis totam ejus profunditatem pervadere queat (ut in vino rubro, gemmis, & vitris coloratis) totum etiam extrinſecùs & intrinſecùs colorem aſpectui patet. Quod in alijs quoque corporibus accidere poteſt, ſi tam tenuis ſuperficies, ſeu membrana ab ijs deradatur, ut tota pelluceat, & radium ſolis tranſmittat. Quâ experientiâ quoque intelligitur, quomodo tenuiſſima talis membrana, etiamſi corpori ſuo adhuc adhæreat, lumine tamen ſolis perfundi valeat.

ARTICVLVS VI.

An color videatur per aliquas ſpecies, per medium diffuſas.

Galen. lib. 7 de plac. Hippocrat.

NEgant Galenus, Durandus, & Philoſophi Nominales. *Per pupillæ foramen fit viſio*, inquit Galenus; *quod quidem ſi expectaret portionem aliquam, aut facultatem, aut imaginem, aut qualitatem corporum extrinſecus objectorum ad ſe proficiſci, nunquam eius quod videtur, magnitudinem cognoſceremus; ut montis v. g. maximi. Alioqui tanta imago oculis noſtris incideret, quantus eſt ipſe mons.*

Quæ ratio ſanè Galeni eſt demonſtrativa, ſi verum eſt quod

Epicu-

Epicurei, & quidam hodie Philoſophi adverſus Ariſtotelem & S. Auguſtinum dicturiunt; magnitudinem ex punctis finitis componi. Cùm enim ſingula puncta objecti viſibilis imaginem ſuam in fundo oculi, extra alterius puncti ſitum, depingere debeant, ut diſtinctè videri poſſint; profectò non poterunt plura puncta montis depingi in oculo, quàm ſit multitudo punctorum quibus componitur particula oculi, cui pictura montis imprimitur. Vnde nulla ratione mons totus, aut magna ejus pars ſimul videri poterit, ſed ſolùm tantula ejus portio, quantula eſt particula illa oculi, quæ imaginem montis gerit, ut nuper in Labyrintho noſtro diſſerebamus.

Vnde nec ſpecies ab objecto ad oculum trajicientur figurâ pyramidali, ſed columnari, quæ in objecto, ubi incipit, latior non erit quàm in oculo, ubi deſinit.

In ſententia verò S. Auguſtini & Ariſtotelis, mons totus, imò totius cæli hemiſphærium, ſat loci in oculi fundo reperire poteſt, ubi totam imaginem ſui & ſpeciem depingat; cùm partes ibi proportionales ſint infinitæ; nec referat, montem eſſe oculo majorem, quia imago montis eſt etiam monte minor: unde fieri poteſt, ut tota intra oculum capi poſſit.

Quod exemplo duorum circulorum, majoris & minoris, circa idem centrum deſcriptorum, declarari poteſt. Nam ſicut ab omnibus punctis circuli majoris, lineæ rectæ duci poſſunt ad centrum, quæ ſemper tranſeant per alia & alia puncta circuli minoris; ita ab omnibus punctis objecti majoris quàm ſit oculus (ut v. g. maximi montis, imò hæmiſphærij totius cæli) lineæ rectæ ad fundum oculi deduci, & ſpeciem ſuam ibi ita depingere poſſunt, ut nunquam duæ in idem punctum fundi oculi incidant, ſed ſine confuſione, ſingulæ extra mutuum ſitum imaginem ſuam, in tabulam illam oculi imprimant. Hæc enim eſt Propoſ. 37. Lib. 1. Perſpect. Commun.

Viſionem fieri per hoc, quòd in glaciali (in retinâ tunicâ tamen, dicere potiùs debuit) *eſt ordinatio ſpeciei, ſicut rei exteriùs.* Quam exponens Archiepiſcopus Cantuarienſis: *Quoniam*, inquit, *tot ſunt partes minimæ, quot ſunt maximæ quantitatis ejuſdem ſpeciei; & ſpecies viſibiles ſine materia, recipiuntur; ergo quantumcumque*

 ſit

ſit viſibile quod videtur, ſpecies ejus diſtinctè & ordinatè in glaciali humore (in tunicâ retinâ) *recipiunt. Quod niſi fieret, oculus rem diſtinctè non videret.* Quod etiam ad oculum videmus fieri in conclavi obſcurato, ſi lens vitrea in parvo foramine collocetur, & imago montis albâ papyro excipiatur. Ibi enim mons totus, & ſingulæ ejus partes, imagine illa parvâ comprehenſæ viſentur. Vnde D. Epiſcopus Cameracenſis rectè ex hac doctrina deducit: *Pyramidem radioſam, per quam videmus, non terminari in oculo ad punctum, ſed viſionem fieri ſub curta pyramide, & angulo inchoato, ut dicitur Propoſ.40. Lib. 1. Perſpect. Et ſic imaginem in oculo non eſſe punctualem, ſed quantam.* Quod veriſſimum & certiſſimum eſt. Niſi enim imago objecti expanſa in tabulâ retinæ eſſet, ſed tantùm punctualis, oculus nihil omnino cerneret.

Pet. Aliac. in Sphær. c. 1.

In hoc ergo exemplo, & quoties aliquod objectum videmus, fit quædam ſpecierum pyramis, ut Optici loquuntur, cujus baſis & pars latiſſima ab objecto viſibili naſcitur, ita ut omnia puncta per diverſas lineas, verſus oculum radient, & lineas ſuas magis magiſque comprimant, quo propiùs ad oculum accedunt; adeò ut omnes ſic compreſſæ foramen pupillæ oculi ingredi valeant, & integri objecti imaginem in tunica retina depingere.

Nominales verò non argumento Galeni rejiciunt ſpecies viſibiles, ſed ſolenni illo ſuo axiomate: *Fruſtrà fit per plura, quod per pauciora fieri poteſt;* quâ novaculâ plurimas res in tota Philoſophia & Theologia circumcidere ſolent.

Sed fruſtrà, ubi experientia contra eos clamat. Nam ſpecies viredinis arboris in candido pariete vicinæ domûs pingi videmus, & rubedo illa quâ radius ſolis quaſi inficitur, dum per vinum, aut vitrum rubrum tranſit, nihil profectò aliud eſt, quàm ſpecies rubedinis permixta cum lumine ſolis.

Vtramque experientiam, & veritatem ante nos olim vidit ſubtilis Scotus: *Species aliqua intenſa,* ait, *non obſtante quòd ſit intentio & ſpecies alterius viſibilis, poteſt tamen in ſe eſſe viſibilis, ſicut dicit Commentator Lib. de ſenſu c. 1. Quia quando lumen reflectitur ad virides plantas, colorantur parietes. Similiter ſpecies non ſunt viſibiles,*

Scot. ibid.

viſibiles, niſi quando terminantur ad opaca; ita ut non contiguata opacis non poſſint gignere ſpecies ſui quibus videantur. Sicut ſpecies coloris, dum eſt in medio, non videtur, ſed quando contiguatur opaco, tunc videri poteſt: ſicut patet de radio tranſeunte per vitrum coloratum. Tunc enim apparet color in pariete, ubi terminatur radius ille.

Quod autem quidam reſpondeant, apparere ibi rubedinem vitri in pariete oppoſito, tanquam in ſpeculo, manifeſtè falſum eſt. Nam paries tam aſper & ſcaber non eſt idoneum ſpeculum: cur enim aliàs noſtram faciem in eo, tanquam in ſpeculo, non videremus?

Deinde non in fundo parietis, ut res in ſpeculo ſolent, ſed in ſuperficie ejus ſummâ, rubedo iſta depicta apparet.

Tertiò, non ex certo tantùm oculi ſitu, ut res in ſpeculo, videntur, ſed undique, & ubicumque oculus ſe conſtituat, rubedo illa cernitur: perinde ac pictura quæ penicillo in ſuperficie parietis expreſſa eſſet.

Vnde fallitur, ſine dubio, doctiſſimus Toletus, qui tincturam illam parietis, ait eſſe vitri, per quod radius ſolis tranſit, colorem; ſed parietem eſſe *ſpeculum minùs terſum & purum, quale debiliùs ſpecies multiplicat, quibus minùs rei diſtantiam percipimus. Et ſic*, inquit, *minùs apparent res in profundo ſpeculi, quamvis ab ipſo diſtent. Vnde ſi ſpeculum anhelitu macules, ferè in ſuperficie rem repræſentabit.* Fallitur, inquam, quia tinctura illa non tantùm *ferè in ſuperficie*, ut in ſpeculo illo anhelitu maculato, ſed in ipſa ſumma ſuperficie apparet. Nec ſpeculum anhelitu conſpurcatum, ſurſum, deorſum, in latera, & undique ſpeciem reflectit, ſicut tincturam illam parietis undique cerni experimur. Tolet. lib. 2 q. 34 de anima.

Denique, cur vultum etiam noſtrum, ut jam dixi, in pariete illo tanquam in ſpeculo ſaltem immundo non videremus?

Imagines quoque illæ, quæ à ſpeculis quibuſdam concavis ita reflectuntur, ut extare videantur; & *ſi quis ſpeculum ſtricto mucrone invaſerit, videbitur ab altero invadi, & manus perfodi*, ait Io Bapt. Porta; & *ſi candelam oſtendas, videbitur in aëre accenſa candela*, & id genus ludibria; non aliter explicari poſſunt, quàm per ſpecies viſibiles conſertum, & toto quaſi faſce à concavo Porta in Catoptr. ſpeculi

ſpeculi reverberatas. Nec deinde Nominales ſatis expedire poſſunt, quomodo vultum noſtrum in ſpeculo inſpiciamus, ſi nulla imago à ſuperficie ſpeculi in oculum reſiliat: nec qua ratione per dioptram Batavicam, & perſpicilla ſenum, omnia majora appareant, niſi ſpecies & ſimulachra quædam in vitris illis refringantur, & ſuperficies rerum conſpectarum quodammodo dilatent. Eodem modo, ſine ſpeciebus, remus in aqua nunquam diſtortus appareret.

S. Auguſtinus alio experimento idem probat. Nam ſi attentè ſolem, aut alia lumina diutulè aſpexerimus, & oculos in tenebras convertamus, *Verſantur in conſpectu* ait, *quidam lucidi colores, variè ſeſe commutantes, & minus minuſq́ fulgentes, donec omnino deſiſtant; quos intelligendum eſt, reliquias eſſe formæ illius quæ facta erat in ſenſu, cùm corpus lucidum videretur.*

S. Auguſt lib. 11. c. 2. Trinit.

A qua verò cauſa reliquiæ iſtæ ſpecierum, oculo conſerventur, multa diſputatio eſt. Puto à luculà pellucentium partium oculi partim, & ſpirituum viſoriorum, qui meatus oculorum confertim implent. Luculam enim quandam innatam habent, aut ſic alterari facilè poſſunt, ut lux quædam permanens in ijs reſultet; quæ remoto ſole, ſpeciem ab eo impreſſam, conſervandam ſuſcipit, & aliquantulo tempore eam, ſi egregiè intenſa fuit, ſic ſuſtentat, ut ſucceſſivè & per particulas deficiat, non evaneſcat univerſim. Commutatur verò ſpecies illa ſolis in colores puniceos, virides, purpureos, id eſt, *minùs minùſq́ fulgentes*, ut experientia, & Auguſtinus advertit; quia remiſſio ipſa luminis tenebras & opacitatem quandam permiſcet; unde temperatur color quidam medius, qui paulatim defluente lumine, in nigriorem nigrioremq́ue colorem langueſcit.

Denique, ut omnis tergiverſatio præſcindatur, familiaris jam eſt experientia, qua ſpecies viſibiles per foramen in conclave obſcurum excipiuntur, ac in charta, aut alio albo depictæ, oculis ſubjiciuntur. Invento non tam recenti quàm tubi Batavici novitas; licet ab hoc tempore magis cœperit vulgari. Nam de ſpecierum illo miraculo, pridem antè Io. Bapt. Benedictus: *Nolo tibi*, inquit ad amicum quendam, *ſilentio involvi mirabi-*

Io. Bapt. Bened. Epiſt. ad Pyrrum de Arzon.

mirabilem quendam effectum. Hoc eſt, ut fiat foramen cubiculi obſcurati rotundum, magnitudinis tamen unius ſpecilli. Quod foramen obturetur uno illorum ſpecillorum, quæ pro ſenibus non brevis viſûs conficiuntur, hoc eſt, quorum ſuperficies ambæ convexæ ſint, non autem concavæ. Deinde opponatur folium album papyri, adeò diſtans à foramine, ut extrinſeca objecta in eo appareant. Quæ quidem objecta, ſi à ſole illuſtrata fuerint, tam clarè & diſtinctè videbuntur, ut nihil pulchrius delectabiliuſq; videri poterit; inverſa tamen. Sed ſi ea directa videre voluerimus, hoc optimè faciemus, mediante reflexione alicujûs ſpeculi plani.

Quòd autem pictura illa papyri ſint ſpecies viſibiles, ſatis probatur, quia ſunt radij colorum foris exiſtentium; & eodem modo, vel directè, vel reflexè, vel refractè tranſeunt per medium, ac omnes eaſdem ſervant leges, quas ſpeciebus Optici tribuunt; ut ſuperfluum & ſtultum ſit, alias præterea ſpecies ſuperfingere.

ARTICVLVS VII.

An ſpecies viſibiles ſint alterius naturæ ſpecificæ à ſuis coloribus.

HOc ſanè non immeritò dubitari poteſt. Nam ſpecies viſibiles colorum Iridis, & omnium apparentium in aurora, crepuſculis, & nubibus, ejuſdem ſpeciei Logicæ ſunt cum ſuis coloribus. Sunt enim tenuiora quædam lumina colorata, propagata à craſſioribus, ut ſic dicam, luminibus, cum opaco nubium convolutis.

Quòd enim apud quendam nuperum, nec vulgarem Philoſophum legi: Iridis colores vim habere producendi, non ſpecies coloris apparentis, quales, ut putat, in Iride ſunt, ſed ſpecies verorum colorum, quę toto genere differant à radijs ſolaribus opacitate nubium tinctis; nimis profectò Metaphyſicum & falſum eſt. Sic enim oculus Iridem aſpiciens, non videret colorem apparentem, qui re verâ ibi eſt, ſed colorem verum, longè alterius ſpeciei & naturæ (ut ipſe exiſtimat) qui ibī non eſt; ut pro purpura Iridis, purpuram fortè Imperatoris

Turcarum in nubibus intueretur.

Si ergo ſpecies viſibiles colorum apparentium, à nube ad oculum uſque trajectæ, ejuſdem naturæ & eſſentiæ cum coloribus ſuis ſunt; igitur & ſpecies verorum colorum videntur eſſe unius eſſentiæ cum coloribus à quibus vibrantur. Sunt enim tenues quædam luculæ, leviſſimis & fugacibus umbris involutæ, à lucibus colorum emicantes; ideoque à lumine ſolis majore tam facilè offuſcantur, ut nec in aëre, nec in ſuperficiebus aliorum corporum quibus illinuntur, appareant; niſi ubi ſubmoto lumine ſolis, in fundum oculi, aut cubiculum obſcuratum, per tenue foramen excipiuntur.

Propter autem iſtam tenuitatem & inviſibilitatem, ut opinor, S. Thomas & Thomiſtæ dicunt ſpecies ſenſibiles habere eſſe quoddam diminutum ſpirituale, ac immateriale. Nam id ab Ariſtotele ſumptum eſt, qui alicubi, ait, quòd *ſenſus ſit ſuſceptivus formarum ſine materia, ut cera ſignum annuli, ſine ferro & auro, recipit.* Quia videlicet, ſpecies viroris prati, quamvis tenuiſſimi cujuſdam luminis & umbrarum permixtione virentes, ſine tamen materia prati, in quo pinguior ille viror ſubjectatur, in aërem emicant, & inſtar ſpirituum, inviſibiles per medium diaphanum trajiciuntur. Licet tamen ibidem admittat, oculum à ſpecie viſibili in eo depictâ, ὡς κεχρωμάτισται *quaſi colorari.*

Ariſt lib. 2. c. ult. de anim. Lib. 3 c 2. de anima.

Cum deinde S. Thomas, ut Artic. II. narravimus, doceat, colores quos vocamus apparentes, veros colores eſſe, profectò ſi colorum apparentium ſpecies viſibiles ejuſdem naturæ cum ſuis coloribus ſunt; etiam verorum colorum ſpecies ejuſdem cum veris coloribus erunt.

Valleſ. lib. 2 c. 30. controv.

Atque hanc ſententiam fortiter defenſat Franc. Valleſius, negans ſpecies viſibiles eſſe aliud, quàm *colores remiſſos,* qui licet contrarij ſint, eodem tamen diaphano ſe compatiuntur, ut qualitates aliæ contrariæ ſolent. Calor enim & frigus remiſſi eidem aquæ tepidæ inſunt. Quanquam Valleſius hîc mihi non placeat, ut poſtea dicam.

Qui deinde lumen aëris negant differre ſpecie à luce ſolis unde emanat, profectò idem fortaſſe de ſpecie viſibili coloris

& colore negare debent. Emicat enim ſpecies à colore, ut radius luminis à luce.

Nonne etiam figura ab annulo impreſſa ceræ (cui Ariſtoteles ſpeciem ſenſibilem comparat) eandem figuræ eſſentiam cum ea quæ in annulo remanet, participat? Et ſanè neceſſarium videtur, ut ſpecies viſibilis ſit ejuſdem rationis cum objecto à quo emanat, ut potentiam viſivam in ejus cognitionem deducere poſſit; quemadmodum ex modo videndi infrà deſcribendo, conjectari poterit.

Denique quis, ex tanta utriuſque ſimilitudine, non dicat, ſpeciem viſibilem rubedinis, quam radius ſolis tranſiens per vitrum rubrum, ſecum defert, & in oppoſito pariete albo depingit, eſſe ejuſdem naturæ cum rubedine quæ vitro inhæret?

Sed ecce tamen argumentum ex adverſo, quod primore aſpectu inſuperabile apparet. Nam ſpecies illa rubedinis, ſimul cum albedine inhæret eidem proximè ſuperficiei parietis: quomodo igitur ejuſdem naturæ eſt cum rubedine, quæ albedini repugnat? An fortaſſe dicetur ſpecies rubedinis vitri ſolùm in ſuperficie aëris contiguâ parieti, non in ipſo pariete inhærere?

Sed ſi hoc eſt, nec ſpecies quæ in fundo oculi depingitur, & quâ fit viſio, perveniet uſque ad tunicam retinam, quæ creditur eſſe organum videndi, ſed hærebit tantùm in humoribus oculi diaphanis, qui tunicam illam attingunt, Et nonne tamen debet ſpecies afficere intrinſecè organum, & quodammodo potentiam ipſam videndi, quæ in organo habet ſedem?

Deinde ſi lumen (propter modicum perſpicui quod in extremis partibus corporum opacorum eſt) intrat aliquantulam profunditatem corporis colorati, ut Artic. V. diximus; trahet etiam eòuſque ſecum ſpeciem coloris vitri è regione poſiti. Vnde jam ſpecies rubedinis vitri per quod radius ſolis tranſit, penetrabit cum lumine intra ſuperficiem & ſummam cutem parietis albi, in quo ſpecies illæ depinguntur; ac conſequenter ſpecies rubedinis & albedo in eodem proximo ſubjecto erunt. Eſt ergo ſpecies iſta alterius naturæ & conditionis

quàm rubedo unde emanat; nam rubedo & albedo ſunt colores repugnantes. Sed argumentum ex doctrina Articuli II. facile diſſolvi poteſt.

Quod enim in colore, & ſpeciebus coloris, poſitivum eſt, lumen quoddam eſt; quod lumini alterius coloris non repugnat. Lumen ergo ſpecierum rubedinis intrat ſuperficiem parietis albi cum lumine ſolis. Opacitas verò, ſive umbræ permixtæ lumini ſpecierum, propter quas umbras lumen illud involutum rufeſcit, aut evaneſcunt, ut plerumque evenit, diſſipatæ à lumine ſolis (unde parietem album nulla rubedine aſpergi videmus, cùm quis coccineâ chlamyde amictus interdiu in cubiculo albato deambulat;) aut certè etiam umbræ illæ mixtim cum lumine ſuperficiem intrant, & in ea depinguntur; ſicut quando ſpecies vitri rubri radio ſolis trajecti, in oppoſito pariete candido rubeſcunt, implicitæ radijs ſolaribus.

Res profectò mira. Si enim quando lumen ſolis tenue & dilutius eſt, umbræ ſpecierum ita evaneſcunt, ut nulla rubedo vitri in oppoſito pariete appareat; cur à majori & potentiori lumine, quod per vitrum trajicitur, non potentiùs diſſipantur illæ umbræ; ita ut purus tantùm radius ſolis, non rubentibus ſpeciebus infectus, parietem è regione poſitum illuſtret?

Perſpect. Commun. prop. 14. Sed ratio miraculi eſſe videtur: quòd *quando ſolis radius per vitream feneſtram coloratam tranſit, tunc per lucis efficaciam color ſenſibiliter radiat ſuper denſum ſibi oppoſitum*, ut ait Archiepiſcopus Cantuar. Hoc eſt, vitri color adjutorio uberioris & radioſæ lucis, ſpeciem robuſtiorem, & quæ tincturam ſuam defendere poſſit, producit.

Deinde ibi non eſt ſola ſpecies rubedinis, ſed ipſe radius ſolaris etiam, tranſitu ipſo per opacitatem minij, aut purpurei ſucci, cui rubedo illa vitri inhæret, irrufatur; quemadmodum quando in Iride, vel aurora idem radius per opacitatem vaporum tranſiens, puniceum, aut purpureum colorem rapit, ex permixtione opacitatis & umbrarum quibus ſe involvit.

Hoc quoque argumento quiſpiam ſpecies viſibiles diverſæ

eſſe naturæ à ſuis coloribus, ſe confeciſſe putabit.

Species, inquiet, non tantùm in eſſe, ſed in conſervari continuò dependent à ſuis coloribus; ergo eſſentia earum diverſa eſt à coloribus fixis & permanentibus.

Sed etiam argumentū iſtud evaneſcet, ſi cogites, colores Iridis tam in conſervari pendere à luce ſolis, quàm ſpecies ipſæ colorū Iridis, à coloribus iſtis productę uſque ad oculum, dependent à coloribus Iridis. Vnde quemadmodum colores illi apparentes pendent perpetuò à luce ſolis, ut cauſa conſervante, ita cenſeo veros colores pendére efficienter in conſervari à corporum coloratorum formis, aut qualitatibus.

Aut hoc modo argumentare, ſi mavis.

Sicut à forma ſubſtantiali ſolis lux ſolis in conſervari pendet, & à luce ſolis radius ſolis (& tamen, communi ferè opinione, lux ſolis à radio ſuo per medium ſparſo, eſſentiâ non differt:) ita à forma ſubſtantiali ſmaragdi viredo ſmaragdi pendet, & à viredine iſtà ſpecies viſibilis viredinis, quæ ejuſdē eſſentiæ cum viredine ſmaragdi eſt. Nec unquam, opinor, probari poterit (quod quidam gratis aſſumunt;) nullam qualitatem eſſe, quæ in conſervari ab altera ejuſdem ſpeciei dependeat. Nam præter lumen medij, quod à luce ſolis dependet; qualitas etiam illa, quam magnes per medium ſpargit, eſſentialiter fortaſſe non differt à qualitate permanente infixâ magneti, quæ eſt cauſa efficiens illius qualitatis ferritractoriæ, quam per medium diffundit.

Nec tamen etiam ſpecies viſibilis tam pertinaciter dependet in conſervari à ſuo colore, quin aliquo tempore poſſit ab alia cauſa conſervante ſuſpendi. Vt quando ſpecies ſolis, aut cancellorum per quos in plateam aſpeximus, aliquamdiu in oculo à ſole, aut à cancellis averſo permanent.

Scio tamen paucos me hîc ſectatores in ſequelam pertracturos; ita difficile eſt veteribus imaginationibus deſueſcere, quibus olim jam fixum eſt, ſpeciem viſibilem eſſe longè alterius naturæ à ſuo colore. Et præcipuè decepit ipſos perperàm intellectum illud oraculum Ariſtotelis, *Organum ſenſûs ſuſcipit ſenſibile ſine materia.* Quod ſic acceperunt, quaſi color parietis, Ariſt. lib. 2. c. 2. animæ.

 cùm

cum emicat in ſpeciem viſibilem, exuat quandam velut materialitatem ſuam & craſſitiem; adeoque effectum alterius à ſe naturæ producat. Cùm tamen Ariſtoteles ſolùm velit, ſpeciem viſibilem non recipi in oculum, aut in aërem cum ſimili temperamento materiæ, unde color parietis reſultat; ſed dependère in fieri & conſervari à puro & nudo ipſo colore, non à nova temperie quam oculus accipiat. Hoc modo etiam lux ſolis recipitur in aërem ſine materia; quia radius luminis in aëre non dependet à tali materia, ſive à talibus cauſis permanentibus, ſicut dependet lux quæ eſt in ſole.

ARTICVLVS VIII.

Oculi fabrica.

OCulum eſſe organum viſûs ſatis conſtat, ſed non per ſe primò. Partem ergo ejus inquirimus, in quà, ab anima inhabitante formatur viſio. Vt autem inveniamus, compoſitio totius oculi explicanda, quam ab Anatomicis Galeno, Veſalio, Caſſerio, & alijs raptim, & quantum neceſſe, accipiemus.

Oculi in capite hominis, tanquam in ſpeculâ quâdam ad circumſpiciendum, collocati, ac ſphæricà fermè figura, foraminibus cranij, quæ Medici orbitas vocant, inſerti ſunt.

Cranio vero nervis alligantur: inter quos princeps eſt opticus; per quem ſpiritus animales à cerebro ad oculos eunt redeuntque, imaginum, ut creditur, vectores.

Ita verò ex ſuis cavis proſpiciunt oculi, ut radius à centro eorum in pavimentum cadens, angulum circiter ſemirectum faciat. Sic enim minimo labore nervorum, qui ipſos alligant & continent, aſpicimus. Deinde hic obtutus eſt graviſſimus & modeſtiſſimus. Qui verò longiùs quàm ad angulum ſemirectum pupillas attollit, arrogans; qui breviùs demittit, pudibundus videtur; ut etiam ille qui ſecundum naſi ſui longitudinem ante pedes ſuos deſpicit. Hic tamen aſpectus viros Religioſos decet, qui majorem ſenſuum mortificationem profeſſi,

arctiùs & caſtigatiùs oculos habere,& feneſtras occludere debent, per quas tot noxiæ imagines in animum ſubeunt. Ceteri verò Eccleſiaſtici, ad angulum ſaltem ſemirectum, non longiùs, ſine vago oculorum circumactu, ante ſe deſpiciant.

Conſtat autem totus oculus quinque præcipuè tunicis: adhærente, corneâ, uveâ, araneâ, retinâ. Tribus autem humoribus: aqueo, cryſtallino, vitreo.

Prima tunica adhærens dicta, eſt illa ſuprema alba & pinguis, quæ cavitatis cranij fornicem attingit. Non involvit totum oculum, ſed circulum in anteriore parte tunicæ corneæ apertum relinquit (quem ideo majorem oculi circulum, & Iridem appellant) ut ſpecies viſibiles colorum illàc in profundum oculi penetrent. Nam aliàs tunica adhærens opaca eſt & lumini impervia.

Secunda tunica eſt cornea, totum oculum ambiens, & in parte ſua anteriore, qua Iridem conſtituit & aërem externum tangit, *in cornu imaginem degenerat*, ait Veſalius, *quod in laminas diviſum & exactè levigatum, vitri loco, lucernæ accommodatur, pellucidumq́; eſt*. Nam eſt veluti vitrea quædam feneſtra, per quam ſpecies in oculi profundum intrant. Hæc omnium partium oculi eſt duriſſima, & inſtar cornu in multas laminas, aut ſquamas dividi radiq́ue poteſt. *Et hinc eſt ea ocularioruм Medicorum cura*, inquit Veſalius, *qua ſenibus hanc tunicæ partem deradi præcipit*. Sic enim tenuior, pellucidior, & ad trajectionem ſpecierum magis idonea efficitur. Ab hac tunica cornea ceciderunt S. Paulo illæ ſquamæ, ex humore cerebri deciduo, & calore cæleſtis lucis oculos perſtringente, ſubitò concretæ. Ab hac quoque *albugo, quaſi membrana ovi*, quâ detractâ viſum recepit Tobias. Fuit enim utriuſque cæcitas externa ſolùm, per operimentum corneæ, ſeu Iridis oculi. Veſal. lib. 7. c. 14. Act. 9. Tob. 11.

Ad hujus quoque corneæ tunicæ ſimilitudinem alluſiſſe putatur Virgilius: Virg. Æneid. 6.

Sunt geminæ ſomni portæ, quarum altera fertur
Cornea, quà veris facilis datur exitus umbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto,
Sed falſa ad cælum mittunt inſomnia Manes.

Vt

Vt quemadmodum per corneam oculorum noſtrorum portam commeant veræ rerum, quas aſpicimus, imagines; per elephantinam verò, ſeu eburneam aurium portam (amfractus enim illi cranij, ubi fit auditus, videntur ex ebore inciſi) multa falſa audimus: ita fingit ille, portam illam Inferorum, quà vera ſomnia ad nos mittuntur, eſſe corneam; quà falſa, eburneam.

Tertia tunica, uvea vocatur, à ſimilitudine folliculi acini uvæ. Hæc non pellucida, ſed opaca eſt; ideoque ſicut tunica adhærens majore oculi circulo, ſeu Iride, feneſtratur; ita uvea minore circulo aperitur, qui pupilla vocatur. Hæc enim velut rotunda quædam feneſtella eſt, in cujus tenebroſa profunditate, cùm è regione oculorum alterius adſtamus, imaginem noſtram, inſtar parvulæ pupæ (cujus diminutivum eſt pupilla) inſpicere videmur.

Circumcirca hanc pupillæ feneſtellam, ſuperficies uveæ tunicæ varijs coloribus reperſa eſt, qui corneam tranſlucentes, Iridis nomen fecerunt. In ſingulis alijs animalibus, ut in omnibus equis, bobus, felibus, capris &c. colores illi uniuſmodi & ſimiles ſunt; in homine, numeroſiſſimæ varietatis. Quidam enim equinos, id eſt, glaucos habent, alij bovinos, alij felinos, alij caprinos; acumine cernendi præcipuos, ut Plinio placet.

Quarta tunica eſt aranea, tenuis, & inſtar texturæ aranei, ſubtiliſſima. Hæc partem illam humoris cryſtallini obtegit quæ extat humore vitreo, cui cryſtallinus immergitur.

Quinta, retina ſeu reticularis appellatur. Græcis ἀμφιβληστροειδὴς, à genere retis, quod ἀμφίβληστρον, ſeu *undiq; complectens* vocatur. Galli *eſprevier*, ſive accipitrē, Belgæ Gualones circa Moſam, *cotterean* nominant; quia tunicæ muliebris imaginem refert. Infernè enim rotundum eſt, & expanſum in ſuperficiem aquæ excutitur, ut ſidente plumbo, quod circulatim ei appenſum eſt, concludat piſcium quæ ſubeſt multitudinem.

Huic reti bellè configuratur illa oculi tunica reticularis, ſi formam illam rotundam & concavam ſpectes. Amplectitur enim

enim & tegit poſteriorem partem humoris vitrei, ſicut pellicula ovi dimidiatum tantùm ovum, inquit Veſalius.

Non vocatur autem reticularis, quaſi inſtar retis plexa, & intervallis inanibus contexta ſit. Eſt enim ſicut ceteræ oculi tunicæ, continua; niſi quòd tamen etiam venulas quaſdam & arterias per continuitatem ſuam diſcurrentes oſtendat.

Ex quinque jam recenſitis tunicis, hæ tres, retina, uvea, cornea, maximè ad formandam viſionem conferunt, & ex tribus nervi optici partibus in oculum expanſis propagantur. In nervo quippe optico, præter ſubſtantiam medullarem, ſunt duæ membranæ eum veſtientes, quarum ſuperior à ſuperiori cerebri involucro, quod Duram matrem vocant; inferior à Piâ cerebri matre, ducit originem.

Igitur ubi nervus opticus in cavitatem orbitæ oculi illapſus eſt, medullam ſuam in tunicam retinam; membranam interiorem & medullæ proximam, in tunicam uveam; membranam ſuperiorem & duriſſimam, in tunicam corneam diffundit.

Præter tunicas illas ſunt in oculi compoſitione tres humores, aqueus ſeu albugineus, cryſtallinus ſive glacialis, & vitreus.

Aqueus tunicæ corneæ proximè ſubeſt, ac uveæ feneſtellam implet uſque ad tunicam araneam, quæ hum[illegible]m cryſtallinum tegit.

Sequitur humor cryſtallinus, non tam liquidus quàm duo alij, ſed conſiſtentiâ & duritie quadam præditus. Vnde exemptus formam ſuam *molliuſculæ ceræ ritu ſervat*, ait Veſalius. Innatat autem humori vitreo, ut globus aquæ vel pulti, mediâ parte extante, alterâ parte immerſâ.

Vocatur cryſtallinus, quia nitore & pelluciditate eſt lucidiſſimæ cryſtallo ſimilis. Quidam Græci φακοειδῆ *lentiformem* appellitant, à figura, quæ non eſt perfectè orbicularis, ſed utrimque nonnihil inſtar lentis protuberat.

Tertius humor eſt vitreus, vitro in fornace fuſo conſiſtentiâ ſimilis. Hic humorem cryſtallinum excipit, & innatantem ſuſtentat, ut diximus: parte verò poſteriori, qua nervum

opticum ſpectat, tunica retina continetur, ne diffluat. Hinc patet, humorem cryſtallinum eſſe fermè in centro totius oculi, inter aqueum & vitreum collocatum; niſi quod paulò elevatior & anteriori ſuperficiei oculi, quàm poſteriori vicinior ſit, ſi Columbo hoc contra Veſalium accredere volumus.

Ex iſta jam oculi compoſitione, in qua parte, & quo modo viſio formetur, ſcrutari oportet.

ARTICVLVS IX.

Vbi viſio fiat.

GAlenus & Medici paſſim in humore cryſtallino formari viſionem contendunt. Veſalius noſter ſapientior, nihil hìc decernere audens obſtupeſcit tantùm grande hoc naturæ arcanum. *Vt oculi fabricam*, inquit, *adeò ſtudioſè ſoleo commonſtrare, ut ſpectantium nemo in ipſa quidquam deſideraret; ita in ipſius partium uſu explicando, prorſus obmuteſco: quòd mihi ipſi de primario viſûs inſtrumento non ſatisfaciam, atque hac in parte quod ſanum undique ſit, à me non adferri poſſe, mihi perſuadeam.*

Veſal. lib. 7. c. 14.

Ratio Galeni & Medicorum Philoſophorumque, qui agminatim [illegible] ſecuti, eſt iſta. Quòd cryſtallinus ex æquo per pupillæ feneſtram quaſi foràs proſpiciat, & ſua pelluciditate ac nitore, omnium colorum imaginibus depingi maximè capax ac idoneus ſit.

Quæ ratio ſanè optimè probat, eſſe quidem præſtantiſſimum ſpecillum, non verò organum illud princeps, in quo viſio fiat. Vnde rem acu tetigerunt illi Medici, qui cryſtalloidem vocaverunt *ſpecillum interius*. Eſt enim ſimillimum externis ſenum ſpecillis, figuræ lenticularis, quæ ſpecies colorum dilatant & verſus perpendicularem refringunt. Figurâ enim, pelluciditate, & ceteris quæ ad rem faciunt, proximè ad illa ſpecilla accedit.

Optici ergo, poſt nuperum tubi Batavici inventum, paſſim jam

jam inclinant, & ego planè huc delabor, ut tunica cornea, humor aqueus, tunica aranea, & præcipuè humor cryſtallinus, à natura facti ſint, non ad formandam in ipſis viſionem, ſed ad refringendas viſibilium ſpecies, ut perfectè ſuis coloribus & figuris in remotiſſimo oculi pariete, id eſt, in tunica retina depingantur. Planè enim, ut vitrea aut cryſtallina lens in foramine cubiculi obſcurati poſita, ſic refringit & dilatat rerum, quæ foris è regione foraminis ſunt, ſpecies, ut in pariete interiori cubiculi, aut in charta alba diſtinctè & jucundiſſimo ſpectaculo exprimantur; ita dubium non eſt, quin in cryſtalloide, quæ ad foramen tunicæ uveæ eſt, ſpecies externorum colorũ eo modo refringantur, ut à retina ſive retiformi tunica, graphicè & expreſſiſſimè (ſi oculus nullo partium vitio laboret) excipiantur. Nam ea de cauſa, admirabili Auctoris naturæ ſapientiâ, tunica uvea opaca facta eſt, ut lumen externum nimis copioſum arceret & interioris oculi cubiculũ obſcuraret. Nam ideo tenui pupillæ foramine feneſtratur, ut modicum lumen cum ſpeciebus colorum intromitteret, & trajiceret ordinatâ ſerie depingendos, in ultimum parvuli illius cubiculi albicantem parietem; id eſt in tunicæ retiformis ſuperficiem. Ideo enim etiam inter cryſtallinum & tunicam illam retiformem, humor vitreus medius eſt, ut ſpatium detur ordinandis ſpeciebus, quæ in cryſtallino confuſæ & decuſſatæ, perfectè & expreſsè depingi tantùm poſſunt poſt aliquod à cryſtallino intervallum. Sic etenim fieri videmus in conclavi obſcurato. Vbi ſi proximè lentem quæ in foramine eſt, chartam ponas, ſpecies confuſæ & inordinatæ apparebunt; quæ ordinantur, ſi charta certo intervallo à foramine removeatur.

Fallitur ergo Eruditiſſimus Aguilonius, dum negat ſpecies viſibiles magnitudine aliquâ localiter expanſas eſſe, quemadmodum in tabula depictas; ideoque ait neqnaquam formalem, ſed ſolùm virtualem cum objecto viſibili ſimilitudinem obtinere. *Siquidem*, inquit, *propoſ. 26. oſtenſum eſt, ejus quod videtur ſpecies debere in centrum glacialis humoris pervenire: at magnitudo aliqua centro viſûs, quod ſolum punctum eſt, exæquari non poteſt:* Franc. Aguilon. lib. 1 prop. 45. Optic.

 igitur

igitur per ſpecies formales, quarum repræſentandi vis in magnitudine poſita eſt, nequit viſio celebrari.

Sed profectò in puncto cryſtalloidis centrali & indiviſibili, viſio non celebratur, ſed in ſuperficie aliqua oculi diviſibili; in quâ, velut tabellâ, ſingularum partium objecti ſpecies extra mutuum ſitum explicitæ & diſtinctæ depinguntur. Quod non in cryſtalloide, ſed in retinâ, poſt cryſtalloidem & humorem vitreum, tandem perficitur; ideoque retina meritò cenſeri debet princeps videndi organum. Et nonne ipſe Aguilonius antea propoſ. 27. in aranea tunica (quam *primarium viſionis organum* eſſe pronunciat) ſpecies extendi & ordinari dicit, antequam coëant in centrum cryſtalloidis? *Cùm eadem tunica* (aranea) *cryſtalloidi*, inquit, *obvolvatur, fit, ut rerum figura araneam priùs ordinatè pertranſeant, quàm in medium glacialis concurrant. Quapropter res ipſas diſtinctè atque ordinatè dignoſcit, non verò permixtas atque confuſas.*

Idem lib. 1. prop. 27.

Sed licet non negemus ſpecies diverſarum partium objecti, per diſtincta ſuperficiei araneæ puncta, intrare humorem cryſtallinum; expreſſiſſima tamen totius objecti imago remotiùs à lumine externo, ac velut in conclavi quodam obſcurato, depingitur poſt cryſtalloidem & vitreum, in tunica retina, quæ eſt ultimus paries oculi.

Hinc etiam, quia, quanto convexitas vitreæ lentis eſt majoris circuli pars, eo majori ſpatio opus eſt, ut ſpecies conclavis obſcurati in ordinem redigantur; ideo in majoribus animalium oculis, & ampliori humoris cryſtallini convexitate, ſpatium vitrei humoris, ſive interſtitium inter cryſtallinum & retiformem, debet eſſe majus. Species quoque à majori lentis convexitate refractæ, plus ſpatij in pictura ſua occupant, minus verò, ubi lentis convexitas eſt minor, id eſt minoris circuli pars.

Vnde ſequitur res prorſus admiranda: ut in minimorum animalculorum ocellis, ubi cryſtallini convexitas eſt valde parva, magnorum objectorum ſpecies, in ſpatio tunicæ retiformis pænè punctuali ſic depingantur, ut tamen ſingulæ objecti viſibilis partes propriam ſpeciem extra ſitum alterius

Zzzz poſitam

poſitam obtineant. Niſi enim unaquæque objecti pars ſpeciem ſuam extra alterius partis ſpeciem in pictura illa tunicæ retiformis haberet, non videretur illa pars extra partem alteram diſtinctè collocata, ſed omnes objecti partes in unum ſitum confuſæ. Viderentur enim, ſicuti in ſpeciebus & imaginibus ſuis, quas excipit retiformis, depingerentur. Sic in cubiculo illo obſcurato ſpecies confundi cernimus, ſi charta picturam excipiens nimis propè, aut nimis remotè à foramine collocetur.

Acutè igitur Io. Epiſcopus Cantuarienſis (niſi quod viſionem in glaciali, ſive cryſtallino fieri perperàm conſtituat.) *Viſio*, inquit, *fit per hoc quòd in glaciali eſt ordinatio ſpeciei, ſicut rei exteriùs. Quòd autem glacialis* (dicamus nos, retinæ) *parvitas non obſtet, manifeſtum eſt; quoniam tot ſunt partes minimæ, quot ſunt maximæ magnitudinis ejuſdem ſpeciei. Et ſpecies viſibiles ſine materia recipiuntur. Ergo quantumcumque ſit viſibile, ſpecies ejus diſtinctè & ordinatè in glaciali humore recipiuntur. Quod niſi fieret, oculus rem diſtinctè non videret. Si enim ſpecies duarum partium rei viſibilis in eadem parte glacialis reciperentur, partes rei, propter confuſionem formarum moventium oculum in eadem parte, non cognoſcerentur diſtinctè.* Lib. 1. propoſ. 37. Perſpect. commun.

Sed quod de humore glaciali dicit, ad tunicam retinam transferendum eſt, ut jam monui; quia glacialis nimis vicinus eſt foramini uveæ & externo lumini, ideóque lenti cryſtallinæ, refringenti ſpecies verſus perpendicularem & ulteriùs tranſmittenti, ſimilior eſt, quàm tabulæ, in qua diſtinctè depingantur. Idcirco enim glacialis figurâ *φακοειδῆ ἢ lenticulari* præditus eſt, & oculo extractus, *omnia quibus imponitur*, ait Veſalius, *immensè, quorundam ſpecillorum ritu, adauget.* Veſal. lib. 7. c. 14.

Quid ergo jam hinc conficimus? Hoc, niſi fallor. Viſionem fieri non in cryſtalloide, ut plurimi; aut in aranea tunica eam obtegente, ut Aguilonius & pauci quidā ſentiunt; ſed in fundo oculi, ſeu ultimo ejus pariete, id eſt, in tunicâ retiformi. Vbi enim potiùs fiat, quàm ubi ſpecies rerum viſibilium exactiſſimè depinguntur? Anima enim quæ eſt in cryſtalloide, ſi per ſpecies ab objectis ſibi impreſſas ea cernere deberet, non niſi

 confu-

confuſiſſimè id facere poſſet; imò non tam colores quàm lumen quoddam dilutum videret: quia ſpecies in humoris cryſtallini diaphano, lumini permixtæ, umbras ſuas amittunt, quarum tamen mixtura neceſſaria eſt, ut opacitatem, ſive nigredinem coloribus, præſertim medijs, permixtam repræſentent. Hinc enim oculi noctuini & glauci, quibus tunica uvea lumini utcumque pervia, aut feneſtra pupillæ nimis laxa eſt, dilutiùs deteriúſque vident, propter copiam luminis, quod intrat cum ſpeciebus uſque ad oculi fundum, & in ipſo tunicæ retinæ pariete diluit umbras ſpecierum.

Sic enim quoque in conclavi obſcurato evaneſcere cernimus umbras, & totam picturam ſpecierum, ſi feneſtra aperiatur, aut foramen cui inſerta lens vitrea, ſit nimis latum. Igitur ſtatuamus, in tunica retiformi, quæ ex nobiliſſima parte, id eſt, ſubſtantiâ medullari nervi optici, contexta eſt, viſionem fieri. Potentiam verò viſivam, aut per totam eam diffundi, aut ſaltem per portionem quæ è regione eſt pupillæ, ſive foraminis uveæ tunicæ, per quod ſpecies viſibilium in parietem retinæ trajiciuntur.

Non tamen, quòd tantilla retinæ pars ſit præciſum viſivæ potentiæ organum, quantilla ſolùm eſt laxitas foraminis uveæ. Debet enim organum potentiæ eſſe amplius, & occupare ſpatium retinæ quouſque ſe extendit pictura ſpecierum. Hoc autem majus eſt, quàm uveæ foramen: ſicut in conclavi obſcurato, amplior longè eſt pictura quâ charta depingitur, quàm ſit foramen per quod ſpecies intrant.

Errant ergo Vitello, Alhazenus Arabs, & Galenus interdum, qui non in oculo formari viſionem putant, ſed extra, in via cerebri, ubi duo nervi optici duorum oculorum concurrunt; & hanc cauſam eſſe exiſtimant, cur duobus oculis res non gemina, ſed ſimplex videatur. Species enim, inquiunt, per duos oculos & duorum nervorum opticorum canales trajectæ, in unum concurrunt, & unicam ibi viſionem efficiunt.

Sed verius eſt, quod S. Auguſtinus & tot alij cenſent, viſionē perfici in oculi fabrica. Nam ſpecies quæ extra oculorū orbes per nervos opticos verſus cerebrum mittuntur, non

ſenſui

ſenſui externo, ſed tantùm interno ſervire poſſunt: nec in tenebroſo illo nervorum opticorum concurſu ita pingi & in partes ſuas digeri valent, ut objectum diſtinctè, & quale à viſu cognoſci debet, repræſentent.

Debet enim ſenſus externus primò cognoſcere objectum, ſecundum perfectam expreſſionem & effigiem imaginis quam res ſenſibiles ei imprimunt; ut deinde alia ſpecies, velut perfectæ illius imaginis nuntia, tranſmittatur ad cerebrum.

Deinde, ut ſagaciter Veſalius notat, nervi optici inſignem aliquam in illo ſuo congreſſu cavitatem habere deberent, ſi ibi ſit tabula in qua rerum viſibiliũ imagines oporteat diſtinctè & explicatè depingi. Iam verò experientia conſtat, totum nervum ab oculo ad cerebrum uſque, nullâ perſpicuâ cavitate terebratum eſſe; ſecus atque Galenus, Herophilus, & alij Græci exiſtimaſſe videntur; qui idcirco πόρους ὀπτικοὺς *canales viſivos* appellant. Nam *hominis, cujus caput adhuc à decollatione calebat*, ſcribit Veſalius, *vixq́; quarta horæ parte, cum nervos intuerer, obtruncatum fuerat, ipſos non oſcitanter ſpectavi, ac calente aqua* (ne pori frigore fortè coirent) *ſedulò fovi. Atque ut ejuſmodi meatus toto nervorum progreſſu me penitus latuit, ita ſanè in mutuo nervorum coitu is neutiquam ſe obtulit; utcumque tamen hunc inibi oportebat eſſe inſignem.* Veſal. lib. 4. c. 4.

Veſalio paſſim conſentiunt recentiores Anatomici. *Nos ſenſilem cavitatem in nervis non admittimus*, inquit Laurentius. *Volumus tamen opticos nervorum omnium eſſe molliſſimos magiſq́; ſpongioſos, ut copioſiſſimum deferant animalem ſpiritum.*

Hoc quoque non leve fortaſſe argumentum erit, viſionem intra oculorum orbes fieri; quòd oculus cavo ſuo excuſſus, & ultra naſum, ex nervo adhuc dependulus, ac motu hominis ambulantis vacillans, omnia etiam vacillantia ſpectare videatur. Quia, ut opinor, imagines in retina tunica depictæ, vacillant & titubant ipſa oculi titubatione & motu. Illuſtre ejus rei experimentum ab Henrico Hero Medico nuper Leodienſi, quod totum recitaſſe, non erit injucundum.

Duo fratres nobiles, ait, *annos ante octo* (erit ergo circiter annos 1622. ut ego conjecto) *inimicum cujus vitæ inſidiabantur;* Hen. Herus lib. Obſervat. 4.

quia

quia ſorori vitium vel fecerat, vel certè ſe compreſſiſſe jactaverat, in campo, quo illum ad perdicum aucupium pellexerant, arbori adligant. Alterum oculum cultro ſectum omnino eruunt; alterum digitis expreſſum, ad extremitatem naſi, cujus partem cultro præciderant, pendulum relinquunt; cæcum, atque à beſtijs noctu vorandum reliquiſſe rati. Ille verò ſat commodo viſu uſus, vinculis ſe expedivit, atque ante noctem Chirurgi domum venit. Qui oculum cavo ſuo repoſitum, aliquamdiu obligavit, ſanumq́ hominem probeq́ videntem dimiſit. Addit verò quod ad rem noſtram maximè facit. *Affirmavit,* inquit, *ille mihi, ſe cum propendente oculo ambulantem, viam quà incedendum optimè vidiſſe, ſed cum agitatione vel fluctuatione quadam, qualem in ſuperficie fluminum vento agitatâ obſervamus. Hoc ab oculo & nervo optico, motante ſe, inquietaſq́ viſibilium imagines recipiente, manaſſe credo.*

Sed eadem rerum viſibilum fluctuatio, ſine dubio, accidiſſet, etiamſi nervus opticus inter oculum & cerebrum, oculi motum non ſequeretur. Vnde vero ſimilius eſt fluctuantem illam viſionem in oculo fluctuante, quàm in nervo optico fluctu agitato, factam eſſe. Quamvis tamen fatear, hoc argumentum adverſus pertinacem non omnino invictum eſſe. Sed clariùs patebit, videndi actum in oculo exerceri, cùm videndi modum paulò pòſt ſumus explicaturi.

Et ſané hæc eſt S. Auguſtini, qui ſæpe docet, viſionem non aliud eſſe, quàm ipſam ſpeciem viſibilem ab objecto impreſſam oculo, quatenus anima eam in idem objectum quaſi retorquet & in eo defixam tenet, ut Artic. X. enarrabimus.

S.Aug. lib. 11. Trinit.

Cur deinde compreſsâ unius oculi pupillâ, aut divaricatis in ſtraboniſmum oculis, omnia gemina apparent, ſi non in oculis ipſis duplex viſio, ſed unica in congreſſu opticorum, exerceatur?

Vnde ratio, cur in naturali oculorum ſitu, res non geminæ appareant, non eſt illa unica viſio in concurſu opticorum, ut Vitello & Alhazenus fingunt, ſed quia axes & lineæ pyramidum per quas uterque oculus rem eandem cernit, in idem punctum rei viſibilis concurrunt, nec ita divaricantur, ut per

unam

unam lineam ab uno oculo exeuntem, punctum rei viſibilis in alio ſitu cernatur, quàm per lineam quæ ab altero oculo in objectum idem extenditur.

Denique refelluntur experimento Veſalij, qui aſſirmat ſe Patavij quendam diſſecuiſſe, in quo nervorum opticorum nullus coitus; imò ne contactus quidem erat. *Quàm ſedulò autem*, inquit, *ac ſollicitè ejus viri familiares interrogaverimus, num illi omnia gemina oculis obverſarentur, neminem naturæ operum cognitione flagrantem ambigere ſat ſcio. At nihil aliud reſciſcere licuit, quam ipſum de viſu nunquam conqueſtum fuiſſe, viſuq; præſtanti ſemper valuiſſe, familiareſque de viſorum duplicatione nihil unquam intellexiſſe.* Veſal. lib. 4. c. 4.

In pleriſque tamen omnibus concurrunt, & iterum divaricantur illi nervi: *quia ſunt omnium molliſſimi*, ait Laurentius, *& longum iter perreptantes flacceſcerent, rectaque ad utramque pupillam non ferrentur, niſi in medio unirentur.* Sic natura ſolet quæ molliora ſunt & infirmiora, medijs quaſi internodijs ſtabilire. Poſtremò addit, *coire debuiſſe nervos opticos, ut viſilis ſpiritus ab altero oculo in alterum momento permearet, ad viſus perfectionem. Ita enim clauſo alterutro oculo acutiùs videmus*: ſpiritu nempe utriuſque in oculum unicum confluente. Laurent. ſupra.

ARTICVLVS X.

An ſpecies viſibiles activè ad viſionem concurrant.

Plurimis Philoſophorum placet, ſpecies neceſſarias eſſe potentiæ propter phyſicam activitatem. Et videri poteſt ſententia S. Thomæ, ubi ait, *quòd ſicut calor eſt principium formale calefactionis in igne, ita ſpecies rei viſæ eſt principium formale viſionis in oculo* S. Tho. 1. p. q. 56. a. 1.

Sed tamen idem Sanctus alibi quoq; dicit, quòd *ſcientia artificis ſit cauſa artificiatorum, ſicut calor eſt principium calefactionis*; & tamen Philoſophi paſſim negant phyſicum influxum ideæ in opus artificis, ſolamque directivam ei tribuunt. Non vult igitur S. Thomas, ut opinor, ſimilitudinem illam inter ſpeciem Idem 1. p. q. 14. a. 8.

viſibilis & calorem in modo efficiendi, undique congruere. Sed potentia cognitiva, inquiunt alij, eſt cauſa efficiens incompleta, quæ acceſſu ſpeciei debet compleri; veluti ad conceptionem fœtûs non ſufficit uterus, niſi addatur ei ſemen, cum quo conformationem abſolvat. Semen autem activè uteri facultatem adjuvat; ergo & ſpecies potentiam.

S. Auguſt. lib. 9. c. ult. Trin.

Hæc, credo, Philoſophia ſumpta eſt maximè ex S. Auguſtino, qui alicubi ait: *Liquidò tenendum eſſe, quòd omnis res, quamcumque cognoſcimus, congeneret in nobis notitiam ſui. Ab utroque enim notitia paritur, à cognoſcente & cognito.* Igitur cognitum, ſive objectum, ad ſui cognitionem non minùs, quàm cognoſcens, vel per ſe, vel per ſpeciem ſui concurrere debet, & congenerare conceptum cognoſcentis. Hinc quippe etiam factum eſt, ut terminus cognitionis, ſeu verbum mentis, quod potentia adjuta per ſpeciem, in ſe exprimit & format, vocetur conceptus; tanquam quadantenùs ſimilis conceptui prolis, quem uterus maternus, adjutus ſemine viri activè cooperante, intra ſe concipit.

Sed fallor, aut hoc à mente S. Auguſtini abit. Non enim contendit, notitiam objecti, ab ipſo activè concurrente gigni oportere, ſed ſufficit ei, modò concurſu objectivo, ſeu terminativo ab eo eſſe accipiat. Nam ſimili etiam modo dicit, objectum amoris eſſe principium amoris; & tamen illud objectum ſolùm terminat, non coëfficit aliquâ ſpecie, tanquam

Ibid.

activo ſemine, actum amoris. Unde *ſi mens*, inquit, *propterea eſt notionis ſuæ cauſa, quia noſcibilis eſt; amoris etiam ſui cauſa eſt, quia eſt amabilis*. Ac poſtea: *In eo manifeſtè oſtenditur hoc amoris eſſe principium, unde procedit. Ab ipſa quippe mente procedit, quæ ſibi eſt amabilis antequam ſe amet: atque ita eſt principium ſui amoris, quo ſe amat.* Ubi ſemper objectum amoris, quà tale, vocat principium & cauſam amoris, non minùs quàm objectum cognitionis, cauſam cognitionis. Cognitionem tamen ſenſitivam dicit S. Auguſtinus efficienter ab objecto effundi: ſed tunc cognitionem appellat, non ipſam vitalem potentiæ ſenſitivæ operationem, ſed ſpeciem ſenſibilem, quæ ab objecto in ſenſum emicat.

Itaque licet ego quoque olim ſpeciem viſibilem vocaverim

ſemen

ſemen objecti, & activitatem in actum videndi ei tribuerim, magis jam inclinor, ut negem.

Nam ſic philoſophantes, dicunt in primis, ſpecies viſibiles eſſe inſtar habituum, qui potentijs quas adjuvant, inhærent. Hoc autem ſpeciebus ſenſibilibus convenire vix poteſt. Sicut enim ſpecies albedinis inhæret materiæ aëris, quando per eum ad oculum trajicitur; ita ubi corneam oculi tunicam intraverit, non potentiam ipſam viſivam, tanquam ſubjectum ſuum, ſed materiam organi, occupat.

Deinde ſpecies coloris umbram aliquam, ut antè diſſerebamus, permixtam habet, quæ lumen ſpeciei viſibilis, ne in purum liquidumque ſplendorem diffluat, aſtringit & temperat. Quod in ſpecie, quâ color puniceus auroræ, aut Iridis videtur, eſt certius. Sicuti enim color ille lumen ſolis eſt incorporatum opacitati nubis; ita ſpecies quam ad oculum mittit eſt lumen tenuius de lumine pinguiori, involutum tenuibus quibuſdam umbris, ut ipſa ſpecies irrufetur, & ſit concolor lumini nubium à quo venit.

Si igitur ſpecies viſibilis ex lumine & umbrâ temperetur, profectò viſionem reali & phyſicâ actione, per ſe primò producere non poterit; cùm umbra privatio luminis ſit, nec phyſicam efficientiam exercere valeat. Igitur ſolum illud, quod reale poſitivum eſt in ſpecie viſibili v. g. punicei coloris, hoc eſt ſolum lumen, viſionem cum potentiâ efficiet. Sed quomodo jam ſolum lumen iſtud viſionem punicei magis, quàm purpurei, aut viridis coloris efficere poterit? In ſpeciebus enim viſibilibus omnium iſtorum colorum miſcetur lumen ejuſdem naturæ: hoc ſolo diſcrimine, quòd unum denſioribus, quàm alterum umbris implicetur; umbræ autem cùm nihil poſitivum contineant, nihil etiam ad efficientiam poſitivam viſionis conferre valent.

Vnde ad ſuſtinendam cauſalitatem phyſicam ſpecierum viſibilium, valde oportuna foret opinio, quæ non ſolùm nigredinem, ſed opacitatem nubium, & umbram, contenderet eſſe qualitates quaſdam reales & poſitivas, non minùs quàm lucem & lumen. Verùm de umbrâ ſaltem, nemo alicujus

acuminis Philoſophus, facilè credet. Nam omnes ſciunt & fatentur, noctem quæ nihil aliud eſt, quàm umbra terræ, poſitivam qualitatem non eſſe. Deinde in priſmatibus, ſive vitris quibuſdam triangularibus, pellucidiſſimæ & uniformis diaphaneitatis, ex mixtura umbrarum cum lumine ſolis, oriuntur, quemadmodum in Iride, puniceus, viridis, purpureus, & infiniti pænè alij colores. Quis autem neſciat, umbras illas colorum apparentium têmperatrices, non eſſe in vitris tam nitidis & digeſtæ pelluciditatis, poſitivam opacitatem, ſed meras privativas umbras, quæ ex angulis vitrorum & fractionibus radiorum reſultant? Hoc quoque ſuſpicione maxima non caret: Quòd natura tot tunicas & humores oculo, ad refringendas, & objecto ſuo configurandas ſpecies, machinata ſit. Quid enim opus tam expreſſa ſimilitudine & figuratione, ſi ſpecies ad efficiendum tantummodò conceptum viſivum, oculo imprimi debet? Quid figura ad talem efficientiam confert? Certè enim, ut habitus cum potentia actum ejus coëfficiat, tantá ſimilitudine cum objecto ſuo non indiget; imò nec aliorum ſenſuum ſpecies (quantum experiri, & ex organorum fabricâ conjectare licet) tam exactam ſimilitudinem poſtulant.

Species enim ſoni, aut odoris, figuram objecti ſui non exprimit. Nec etiam ſemini (cui ſpecies comparatur) formali ſimilitudine cum vivente à quo deciditur eſt opus; ſed virtualis ſimilitudo ſufficit, ut conceptum & prolem viventi ſimilem conformare poſſit.

Vnde nulla ratio erit, cur ſpecies viſibiles multarum partium objecti in eodem organo confuſæ, nec extra ſe explicatæ, viſionem diſtinctam efficere nequeant, ſi ſolùm ad efficiendam viſionem ſpecies ſit potentiæ data.

Tam exacta igitur & curioſa ſpeciei viſibilis cum objecto ſuo ſimilitudo, qualem natura decircinat, & in conclavi obſcurato obſervamus, alium quàm efficientiæ uſum ſignificat. Quis autem ille ſit, proximo Artic. dicere conabimur.

Ariſt. c. 2. de ſenſu. Nec Ariſtoteles, ut opinor, uſquam diſertè affirmat ſpeciem ſenſibilem activè ad operationē ſenſûs concurrere; etſi

τὸ

τὸ αἰσθητὸν ἐνεργεῖν ποιεῖ τὴν αἴσθησιν. *ſenſibile facit ſenſum operari,* alicubi dixerit. Nam facit hoc, per ſpéciem ſuam, non efficiendo phyſicè operationem ſensûs, ſed objiciendo ſenſui ſpecimen quoddam, per quod apprehenſum & cognitum, in objectum ulterius tendat, ut jam jam explicatiùs dicemus.

ARTICVLVS XI.

Quâ ratione ſpecies viſibilis concurrat ad viſionem. S. Auguſtini Philoſophia.

Nihil in tota natura evidentius eſt, quàm nos lucem & colores viſu cognoſcere; nihil tamen obſcurius, quàm quo id modo fiat, & quem uſum imago quæ oculo imprimitur habeat, intellectu cognoſcere. Quod enim Chryſoſtomus de omnium ſenſuum operatione dixit, εἶναι ἄφραστον ἐνέργειαν *eſſe ineffabilem operationem*, hoc in viſu maximè eſt verum.

Multa & plura quàm Ariſtoteles, de viſione S. Auguſtinus ſcripſit, ſine Ariſtotele tamen, quem in Phyſicis nunquàm vidit.

Dum enim non tantùm in mente hominis, ſed etiam in ſenſibus corporis, imaginem Trinitatis inveſtigat; in hoc naturæ arcanum delapſus, magno ſuo ingenio, & penetrabili acumine veritatem attigit, aut nemo, ut puto, propiùs.

Docet igitur, ut homo oculis videat, tria eſſe neceſſaria.

Primò, inquit, *res ipſa quam videmus; ſive lapidem, ſive flammam &c. Deinde viſio; quæ non erat priuſquam rem illam objectam ſenſui ſentiremus.* S. Auguſt. lib. 11. c. 2. de Trin.

Tertiò, quod in ea re quæ videtur, quamdiu videtur, ſenſum detinet oculorum, id eſt, animi intentio.

Viſionem autem appellat, ipſam quam vocamus ſpeciem viſibilem, ſive imaginem quæ ab objecto imprimitur organo ſensûs. *Ipſa forma*, inquit, *quæ à corpore viſibili imprimitur ſenſui, viſio vocatur.*

Et quia formam iſtam oculis imprimi non advertimus, *tardioribus ingenijs difficillimè perſuaderi poſſe* dicit, *formari in ſenſu noſtro imaginem rei viſibilis, cùm eam videmus; & eandem formam eſſe viſionem.* Probat autem exemplo annuli qui figuram ſuam aquæ imprimit, etiamſi nulla in ſuperficie aquæ figura appareat, cùm inde abſtrahitur. Deinde exemplo reliquiarum lucis, aut imaginis cancellorum, quæ in oculis adhuc manet poſt aſpectum ſolis, aut ubi per cancellos tranſpeximus.

Erat ergo, inquit, *illa forma etiam cùm videremus, & illa erat clarior & expreſſior, ſed multùm conjuncta cum ſpecie rei eius quæ cernebatur, ut diſcerni omnino non poſſet; & ipſa erat viſio.*

Speciem autem viſibilem vocari viſionem, quia objectum & potentiam, tanquam unio quædam, inter ſe conjungit, non inſolens eſt, & nobiles Philoſophos, imò ipſum Ariſtotelem, ſic locutos eſſe Toletus oſtendit. Imò Cajetanus illos Philoſophos qui putant nos aliter videre, quàm receptione ſpeciei viſibilis, pauperes appellat.

Tolet. lib. 2. c. 5. q. 12 de anima.

S. Auguſtinus tamen ad complendam rationem viſionis, præter impreſſionem & receptionem ſpeciei viſibilis, addit animi intentionem, ſive attentionem, quæ ſpeciem viſibilem cum objecto externo quaſi conjungit. Nam niſi hæc intentio adſit, oculus etiam ſpecie viſibili ſignatus, nihil videbit. Fallitur enim Iul. Caſſerius, qui credit lepores hiantibus palpebris dormientes, res vicinas cernere, ſed non recordari. Et nos etiam plateatim ambulantes, quàm multorum lapidum ſpecies viſibiles oculis excipimus, quos tamen, aversâ inde ad fabulas cum ſocio attentione, non videmus?

Iul. Caſſer. Prolog. Pentæſth. c. 10.

Itaque in tota hac viſione, quæ S. Auguſtino imaginem Trinitatis quandam componit, *tria, quàmvis diverſa naturâ*, inquit, *in quandam unitatem contemperantur*: *id eſt, ſpecies* (ſive figura externa) *corporis quæ videtur; & impreſſa ejus imago ſenſui, quod eſt viſio ſenſuſve formatus; & voluntas animi, quæ rei ſenſibili ſenſum admovet, in eoq; ipſam viſionem tenet.*

S. Auguſt. lib. 11. c. 2. de Trin.

Vbi *voluntatem animi* appellat, quod antea *intentionem animi* vocavit. Per quid autem iſta voluntas, ſeu intentio animi (quæ in brutis eſt ſimplex affectio ſenſitivi appetitûs) ſenſum

ſenſum objecto ſenſibili admovet, & in eo viſionem, ſive ſpeciem viſibilem tenet?

Sine dubio, applicando ſenſum, ut actum vitalem (quem Philoſophia hujus temporis, viſionem vocare ſolet) circa ſpeciem viſibilem oculo impreſſam eliciat, & per ſpeciem iſtam tranſeundo, uſque ad objectum externum, unde ſpecies in oculum fluxit, penetret; atque ita, ut S. Auguſtinus loquitur, imaginem iſtam in objecto ſuo teneat. *Voluntas enim*, inquit, *tantam vim habet copulandi hæc duo, ut & ſenſum formandum admoveat ei rei quæ cernitur, & in ea formatum teneat.* S. Auguſt. ibid.

Ita verò teneat, *ut in tantam*, ait, *coëant unitatem, ut iſta duo vix intercedente judice ratione diſcerni valeant: ſpecies videlicet corporis quod videtur, & imago ejus quæ fit in ſenſu, id eſt, viſio.*

Quâ profundiſſima doctrinâ & naturam viſionis, & unà SS. Trinitatis imaginem graphicè exprimit.

Pater eſt res objecta oculis, quæ in ſenſu imaginem ſui parit; Filius eſt iſta imago, tam ſimilis, & tam arctè parenti prototypoque ſuo connexa, ut viſus eam ab ipſo diſcernere non valeat. Voluntas utrumque copulans, eſt Spiritus ſanctus. Sicut enim voluntas hominis, imaginem quæ ab objecto in organum viſûs manavit, rurſus per potentiam viſivam verſus originem ſuam reflectit, & ei quodammodo reünit; ita Spiritus ſanctus imaginem, ſeu Verbum Patris principio ſuo rejungit, tanquam utriuſque vinculum, & nexus amoris.

Sententia igitur S. Auguſtini eſt iſta. Lux, aut color objecti viſibilis radiat in oculum, & in fundo ejus imaginem ſui depingit. Potentia viſiva, quæ in pariete illo tunicæ retinæ reſidet, per voluntatem & intentionem admota & applicata, imaginem illam, & omnes radios lucis, aut coloris, per quos iſta imago ab objecto ultimo viſibili, uſque ad parietem illum retinæ, quodammodò delabitur, cognoſcit; & denique ipſum etiam ultimum viſibile, unico eodem actu vitali attingit. Vnde viſio quæ eſt actus vitalis, ab imagine ipſa, ſive à ſpecie viſibili in oculo pictâ incipit, & per totam radiorum longitudinem uſque ad ultimum objectum, unde primi radij emicant, recurrit. Solum tamen hoc ultimum objectum dicitur termi-

nare

nare viſum, quia actionem ejus non ulterius tranſmittit; cùm ultra ipſum viſus nihil videat.

Verùm ſicuti potentia viſiva quæ eſt in pariete retinæ, non diſtinguit lumen humoris vitrei, cryſtallini, aquei, vel etiam tunicæ corneæ (imò ne quidem lumen aut pelluciditatem conſpicillorum, quæ naſo videntis inequitant) a luce, aut colore objecti, quod ultimò terminat viſionem; ita non mirum eſt, imaginem ipſam (quæ nihil eſt aliud, quàm extremitas radiorum illabentium in oculos) per eandem potentiam viſivam diſcerni non poſſe ab objecto ultimo è regione poſito, unde prima eorundem radiorum origo emanat.

S. Auguſt. ibid. Hoc enim eſt quod ait S. Auguſtinus: *Corporis formam quod videmus, & formã quæ ab illa in ſenſu videntis fit, per eundem ſenſum non diſcernimus, quoniam tanta conjunctio eſt, ut non pateat diſcernendi locus. Sed ratione colligimus, nequaquam nos potuiſſe ſentire, niſi fieret in ſenſu noſtro aliqua ſimilitudo conſpecti corporis.*

Vbi adverte, eum nequaquam dicere, ſimilitudinem iſtam conſpecti corporis quæ fit in oculo, ab oculo non videri, ſed *non diſcerni.* Videri autem mox expreſsè probat; quia, ſi objectum principale removeatur, illa ſimilitudo, aut quædam ejus reliquiæ ſeorſim & ſeparatim interdum videntur; ita ut ratio colligat antea etiã cum objecto principali viſam fuiſſe, etiamſi diſcernere ab eo non poſſet. *Plerumque,* inquit, *cùm aliquantulè attenderimus quæque luminaria, & inde oculos clauſerimus, quaſi verſantur in conſpectu quidam lucidi colores, variè ſeſe commutantes, & minus minuſq; fulgentes, donec omnino deſiſtant: quos intelligendum eſt reliquias eſſe formæ illius quæ facta erat in ſenſu, cùm corpus lucidũ videretur, paulatimq; & quodammodo gradatim deficiendo variari. Nam & inſertarum feneſtrarum cancelli, ſi eos fortè intuebamur, ſæpe in illis apparuere coloribus; ut manifeſtum ſit hanc affectionem noſtro ſenſui ex ea re quæ videbatur impreſſam.* Et ne dubites, quin cenſeat illam formam, antequam clauderentur oculi, viſam etiam fuiſſe: *Erat ergo etiam,* addit, *cùm videremus; & illa erat clarior & expreſſior, ſed multum conjuncta* (affinitate ſimilitudinis videlicet; nam quoad locum, toto cælo diſtat, cùm cælum aſpicimus) *cum ſpecie rei ejus quæ cernebatur, ut diſcerni omnino non poſſet: & ipſa erat viſio.*

Quare

Quare autem viſus diſcernere imaginem iſtam à prototypo ſuo non poſſit, ratio eſt; quia per eaſdem lineas & radios videt imaginem apud ſe in organo, & prototypum extra organum, nec diſtantiam unius ab altero, tranſverſim intueri valet: ſed unicâ directâ viſione imaginem, & totam radiorum, per humores, & tunicas oculi, per conſpicilla, per aërem tranſeuntium longitudinem, quaſi in eodem loco & ſitu cum objecto ultimo & principali videt. Quod inde patet: quia ſi contingat objectum illud principale amoveri, & tamen imaginem in oculo aliquantiſper conſervari (ut quando imago ſolis remanet in oculo, averſo à ſole) oculus tamen intuetur imaginem eandem, quaſi extra organum, ſicut antea eam intuebatur, quando eam in unum objectum cum ſole confundebat. Nam veluti humores, & tunicæ oculi, aërque inter oculum & objectum ultimum, eſt perſpicuus, & actionem viſûs tranſmittit; ita ipſa etiam imago, quæ vel in humore vitreo, tunicæ retinæ contiguo, pendula, vel in ipſa etiam ſuperficie retinæ infixa eſt.

Vnde imaginem iſtam imaginari oportet inſtar ſpecilli diaphani, quod potentia viſiva intuetur, & per quod in alia etiam ulteriora aſpectum defigit.

Hæc tamen imago non eſt merum ſpecillum, aut nudum ſimplexque medium tranſparens; ſed ſimul eſt ſpecimen quoddam, ac effigies objecti primi, à quo radij in ipſam emanant; ex cujus cognitione, potentia viſiva in cognitionem principalis objecti traducitur; non diſcurrendo (ſenſus enim, præſertim externi, non diſcurrunt) ſed unam eandemque cognitionem imaginis, ad reſpiciendum ipſum prototypum propagando, & veluti extendendo.

Cujus modi videndi cauſam in effectu, & imagine ſua, meminit alicubi S. Thomas: *Alio modo*, inquit, *cauſa ex effectu cognoſcitur, ita ut in ipſo effectu videatur cauſa, in quantum ſimilitudo cauſæ reſultat in effectu: ſicut homo videtur in ſpeculo, propter ſuam ſimilitudinem.* Et addit: *In iſto modo, eſt una viſio utriuſque: ſimul enim dum videtur effectus, videtur & cauſa in ipſo.* Viſio enim ita effectum penetrat, ut uſque ad cauſæ conſpectum ſe exerat. S. Thom. lib. 3. c. 41. contra Gent.

Igitur ut iterum S. Auguſtini mentem repræſentemus, imaginare potentiam viſivam eſſe in papyro, quæ imagine objecti externi per foramen cubiculi obſcurati depingitur, & potentiam illam ſentire ac videre quidem imaginem, ſed non quaſi apud ſe, ſed foràs quaſi ejectam, & conjunctam copulatamque cum objecto externo, a quo imago illa emanat: ac dicito, illam viſionis eſſe naturam, ut ſemper in objectum aliquod contra ſe poſitum collineet; ideoq; ſi præter imaginem illam, ſit aliud objectum foris; utrumque quidem videat, ſed per eaſdē lineas, ita ut quodlibet punctum imaginis ſuo puncto in objecto ſic reſpondeat, ut anima utrumque ſimul aſpiciens, unum ab altero diſtinguere non valeat; quandoquidē utrumque punctum in eodem quaſi ſpatio & ſitu confuſum videat.

Hinc liquet, quid alios deceperit, dum omnes tam intrepidè, & quaſi rem ſenſu notam, affirmant ſpeciem eſſe medium incognitum, nec ulla ratione à potentia videri. Quia enim viſu ſpeciem non diſtinguebant ab objecto externo, putabant ſe eam non videre. Credunt enim ſolùm ſe videre opacum, quod viſum terminat, non autem medium, per quod viſus ulteriùs tendit & penetrat. Sic lumen aëris circa ſe, videri à ſe non exiſtimant, niſi aliqua nebula occurrat, quæ ſaltem ex lònginquo terminet viſum: cùm tamen certum ſit, lùmen ſolis non minùs ex propinquo aëre, quàm ex remoto, ad oculum reflecti, & lumen illud re verá cerni, licet oculus id non advertat, ſed per aërem vicinum (in quo nulla ei nebula eſſe apparet) tanquam per medium incognitum, in objectum remotius tendere ſibi videatur. Sic quoque ſereniſſimo cælo, & ubi nulla in aëre nubes occurrit, cæruleum cæli fornicem cernere nobis videmur: qui color aliud non eſt, quàm lumen ſolis, tenui cuidam opacitati ſuperioris aëris incorporatum & ad nos reflexum; cùm tamen vicinum circumquaquę aërem nos non videre dicamus, quia viſus per medium illum ad remotiora tendit: etſi lumen vicini aëris, multo uberiùs in oculos reflectatur, & tunicas oculorum pingat, ac ſine dubio, videatur, quàm illud quod in ſummo aëre cæruleum apparet. Hoc autem nos fallit, quòd objectū iſtud vicinius, quia viſum

non

non perfectè terminat, ſed ad ulteriora elabi permittit, à remotiori non diſtinguamus. Veluti etiam tunicæ retiformis, araneæ, corneæ, ac omnium humorum oculi tranſparentiam, eâdem de causâ, videre nos non putamus.

Sed ſimili falsâ & fallente experientiâ, negare oporteret nos videre vitra ſpecillorum noſtrorum, per quæ objectum remotius aſpicimus; nam ea etiam nos videre non advertimus. Colorem deinde ſpecillorum viridem, nonne non in ipſis ſpecillis, ſed in charta, quam legendo intuemur, videre nos putamus?

Verùm, dicet quiſpiam, imago montis in oculo picta minimum ſpatij occupat; quomodo ergo eam à toto monte non diſtinguimus?

Sed argumentum ſimile in te rejicio. Quomodo fit, ut mons candidus per ſpecillum viride conſpectus, totus appareat viridis, cùm toties ſpecillo ſit major? Ratio igitur eſt, quia viſus non per lineas parallelas, ſed per pyramidem in objectum collineat. Vnde lineæ quæ à punctis imaginis exeunt verſus objectum exterius, perpetuò ſic dilatantur, ut totum illud intercipere, & obtegere valeant. Nullum enim eſt objecti, quantumvis vaſti, punctum quod imaginem ſuam per anguſtum uveæ foramen, in cryſtalloidem & retinam non radiet: unde non mirum eſt, ſi potentia viſiva per totidem eaſdem lineas, à cono verſus baſim pyramidis foràs quodammodo redire, & totum objectum quaſi amplecti valeat. Veluti etiam color viridis in vitro ſpecillorum, non opacus ſed tranſparens eſt; ita tenuiſſimus ille ſpecierum in fundo oculi & luminoſus color, ita tranſparet, ut per eum viſus ad objectum exterius penetrare, poſſit. Et fortaſſe imago quam potentia proxime videt, non tunicæ retinæ inhæret, ſed humori vitreo, qui tunicæ illius ſuperficiem attingit; ſicut aër cubiculi obſcurati attingit ſuperficiem chartæ, in qua imaginem objecti externi depictam cernimus.

Refractio quoque ſpecierum, & omnis earum depravatio, qua objecti repræſentatio à naturali figura aut colore detorquetur, ſpecies ipſas proximè ab oculo cognoſci ſignificant.

Cur enim remus in aqua incurvus apparet, niſi quia curvitas iſta eſt in ſpecie, quam oculus apud ſe intuetur, & per quam remi figuram cognoſcit? Quare ſol matutinus, aut veſpertinus rubicundus videtur; niſi quia ſpecies ejus in oculo rubicunda pingitur, viſus & eam tali colore tinctam, ac per eam, ſolem rubeſcere judicat? Si enim ſpecies viſibiles ſolis incognitæ, efficiunt viſionem cum viſu, ignorante, quo colore ſpecies illæ imbutæ ſint, cur non efficiunt viſionem ſolis non rubicundi, ſed tanquam naturali ſua luce fulgidi? Species enim illæ rubicundulæ, ex puro lumine ſolis, & umbris vaporum per quos tranſeunt, compoſitæ ſunt, ut antè oſtendimus: umbræ autem poſitivam viſionem efficere non poſſunt; cùm privatio nihil poſitivi pariat. Igitur tota ſpecierum activitas in puro lumine ſolis reſidet, & puræ, non rubicundæ lucis viſionem parerent, niſi ipſæ eſſent proximum objectum viſionis.

Deniquè perſpicilla omnia, quibus caligines oculorum deterguntur, aut vitia tunicarum, vel humorum corriguntur, ut imago quàm emendatiſſimè oculo imprimatur, imaginem ipſam à viſu agnoſci probant. Addi quoque poteſt non eſſe aliam cauſam, cur pupillâ, ſive foramine uveæ nimis hiante, color luminoſior & dilutior videatur, quàm quia admiſſo per patulum foramen nimio externo lumine, ſpecierum umbræ diluuntur; ac proinde ſicut apud oculum ipſæ ſpecies dilutæ ſentiuntur, ita objectum foris magis luminoſum, quàm coloratum apparet. Falluntur quippe, ut exiſtimo Medici, qui iſtam viſùs hallucinationem, non in hanc quam dixi cauſam, ſed in diſperſionem ſpirituum viſoriorum referre ſolent.

Addatur & iſtud: Quòd pro magnitudine imaginis quæ eſt in oculo, res eadem major, aut minor appareat. Ideo enim viciniora ampliora, remotiora minora eſſe videntur. Cur iſtud? Quia idem objectum ex propinquo majorem, ex remoto minorem imaginem imprimit, & viſus ſecundum menſuram viſæ apud ſe imaginis, objecti externi magnitudinem metitur & concipit. Vnde acutiſſimi viſùs ſunt, qui minimas rerum imagines, & per ipſas objectum externum minimæ molis ſentire valent. Non enim præſtantiam viſùs, ex magnitudine

molis

molis objecti, ſicut præſtantiam loco potentiæ motivæ, æſtimare oportet, ſed è contrà, ut rectè monuit Ariſtoteles. Ariſt. lib. 1. c. 11. cxli.

Sed ecce tamen non leve contrà argumentum.

Species enim objecti externi in cryſtallino ſe interſecant, & imago capitis hominis ante nos poſiti, inferiore parte tunicæ retinæ, imago pedis in ſuperiori parte retinæ depingitur: igitur, ſi oculus imaginem hominis ſibi impreſſam agnoſcit, caput deorſum, pedes ſurſum videbit. Ita enim in charta cubiculi obſcurati, imagines hominum tranſeuntium capite deorſum, pedibus ſurſum ambulantes cernimus.

Verùm imagines iſtas cubiculi, non ut mediũ per quod cognoſcitur aliud, ſed ut objectum ultimò terminans viſum, cognoſcimus. Viſus autem imaginem hominis ante ſe ſtantis, ut medium videndi aliud, ac obiter & in tranſitu ſolùm inſpicit. Vnde quia videt caput hominis per radium, qui ab inferiore parte oculi, ad ſuperiorem partem hominis, foràs exit, ideo caput non deorſum, ſicut eſt in oculo, ſed ſurſum, prout eſt ante oculum, videt. Nam imaginem oculi non tanquam in tabula retinæ depictam contemplatur, ſed tanquam foràs ejectam & cum objecto compoſitam, & undique ei adaptatam conſiderat: veluti etiam vitrei, cryſtallini, aquei humorum, & araneæ, ac corneæ tunicarum ſplendorem, non tanquam in fabricâ oculi, & quaſi reflexè apud ſe intuetur, ſed tanquam externo aëris ſplendori confuſum cognoſcit.

ARTICVLVS XII.

Non de nihilo Durandus negavit ſpeciem viſibilem eſſe utilem ad videndum, niſi à potentia viſiva videatur.

PHiloſophi & Theologi Scholaſtici Durandum paſſim refellunt, quia dicere auſus eſt: *Sine dubio, de ſe videri abſurdum, quòd potentia cognitiva ducatur in cognitionem alicujus per tale repræſentativum, quod eſt ipſi totaliter incognitum. Contrarium enim eſt veriſſimum: videlicet, quòd per notum ducatur in cognitionem ignoti.* Durand. in 2. d. 3. q. 6.

 Vnde,

Vnde, quia communi errore deceptus, exiſtimavit ſpeciem viſibilem nullo modo ab oculo aſpicientis videri., negat talem ſpeciem quidquam ad videndum conferre; etſi non neget oculo imprimi. *Quàmvis enim color*, inquit, *imprimat in medio, & in oculo ſuam ſpeciem, propter ſimilem diſpoſitionem diaphaneitatis, quæ eſt in eis: illa tamen nihil facit ad viſionem, neque viſui repræſentat colorem, ut videatur.* Et hoc ideo, quia, ut antè dixerat, *Species coloris exiſtens in oculo, nullo modo videtur, nec videri poteſt ab ipſo, ſicut quilibet experitur.*

Vnde patet virum acutiſſimum illicò in D. Auguſtini philoſophiam deſcenſurum fuiſſe, ſi rationem intellexiſſet, quomodo viſus ſpeciem coloris apud ſe videat, etiamſi hoc viſus neſciat; ſicut neſcit ſe humores & tunicas oculorum videre, per quas tamen foràs proſpicit, tanquam per vitrum.

Argumento autem Durandi, negantis ſpeciem utilem eſſe ad deducendam potentiam viſivam in cognitionem objecti, niſi ſpecies ipſa videatur, ab alijs reſponderi ſolet: Abſurdum quidem eſſe, ut repræſentativum totaliter incognitum ducat potentiam in alicujus cognitionem, quando tale repræſentativum eſt medium cognitum; ſecus verò, ſi ſit medium incognitum, quale dicunt eſſe ſpeciem.

Sed profectò petunt principium, & ut dici ſolet, probant idem per idem. Nam hoc eſt, de quo quæritur: quomodo non ſit de ſe abſurdum, ut aliquod medium ſit incognitũ & tamen ducat potentiam cognitivam in alicujus objecti cognitionem.

Sed ſpecies datur potentiæ, inquiunt, ut cum ea efficiat cognitionem; quia potentia eſt cauſa incompleta, ſpeciei complemento indigens. Verùm hic modus concurrendi cum potentia, potiùs ex parte potentiæ, quàm ex parte objecti ſe tenet. Sic enim habitus concurrunt cum potentijs, earum activitatem inclinantes & adjuvantes: ad quod munus eſt impertinens, an à potentia, vel ab anima quæ illis habitibus utitur, cognoſcantur, an ignorentur. Species verò, non ex parte potentiæ, ſed ex parte objecti concurrit, & tanquam ſpecimen quoddam ejus: ut quia objectum per ſe immediatè potentiæ ſe ſiſtere, & ei adeſſe non poteſt; potentia in illo

ſpeci-

ſpecimine cognito, & per illud, ipſum cognoſcat. Nec refert, quod S Thomas interdum dicat: *Sicut calor eſt principium calefactionis in igne; ita ſpecies rei viſæ eſt principium formale viſionis in oculo.* Nam ſimilitudo, ut dici ſolet, non currit quatuor pedibus. Et ſub generali quadam convenientiâ, res duæ multis ſæpe in particulari à ſe invicem diſſimilitudinibus recedunt. Calor ergo eſt forma qua, ignis tanquam principio phyſico ad calefaciendum utitur: ſpecies eſt forma, qua oculus utitur ad videndum; ſed tantùm ut principio determinante & unum quaſi faciente, ut per ipſum actio viſiva ad externum objectum ulteriùs tranſeat. S. Tho. p. q. 56. a. 2.

Nam de aliorum ſenſuum ſpeciebus, poſtea viderimus. Certè tamen ſpeciem coloris, propter umbras & entia privativa quæ intra ſe implicat, non poſſe poſitivâ actione coagendo, adjuvare potentiam viſivam, Art. X. ſatis eſt probatum.

Deinde figura imaginis, & alij modi non activi, quibus ſpecies illa ad exactam prototypi ſui ſimilitudinem tornatur & conformatur, clamant non ad agendum cum potentia viſiva, ſed ut potentia in eam, tanquam in ſpecimen quoddam intueatur, à natura factam eſſe.

Falſum enim omnino eſt, & exemplo imaginũ, quæ in conclave obſcuratum accipi ſolent, convinci poteſt, quod vulgò jactant: Inter colorem & ſpeciem coloris, non formalem, ſed tantùm intentionalem ſimilitudinem intercedere. Formalis enim etiam intercedit, quæ in tincturæ, & in figuræ imitatione conſiſtit; etiamſi modus, & quantitas imaginis, prototypo longè minor ſit.

Rectè igitur hactenus philoſophatus eſt Durandus, quòd dixerit oportere ſpeciem viſibilem cognoſci, tanquam ſpecimen objecti ulterioris, ut potentiam viſivam in ejus cognitionem abducat. Ideo enim non à quolibet agente, ſed à principali ſuo prototypo, tanquam filius à patre gigni debet, ut ipſum colore & figura referat; & ſicut imago æterni Patris dicit, *Qui videt me, videt & Patrem*; ita imago ſolis in oculo Io. 14. videntis, ex vero etiam dicere poſſit, Oculus qui in fundo ſuo me videt, uno eodemque intuitu ſolem patrem meum videt.

Speciem

Speciem quoque non tantùm viſibilem in oculo,ſed etiam intelligibilem in intellectu, debere eſſe medium cognitum, ſupponere videtur S. Thomas, quando negat, Dei eſſentiam

D. Tho. 1. p.q. 12.a.2.

videri poſſe *per aliquam ſimilitudinem creatam, qua ipſam divinam eſſentiam repræſentet,ut in ſe eſt*. Quomodo nempe ſimilitudo ſive ſpecies viſibilis, quam ſol irradiat in oculum videntis, repræſentat ipſum ſolem, ut in ſe eſt, tanquam ſimilitudo, quæ ſit medium cognitum, adducens potentiam cognitivam in claram & intuitivam cognitionem ſui principij. Hoc etenim pacto veriſſimum eſt, quod ibi docet S. Thomas. Et poſtea iterùm repetit, probans, quòd Angelus per imaginem Dei, quam eſſentiæ ſuæ Angelicæ impreſſam habet, *non videat ipſam Dei eſſentiam; Quia*, inquit, *nulla ſimilitudo creata eſt ſufficiens ad repræſentandam divinam eſſentiam.*

Idem 1. p. q. 56. a. 3.

In nullo enim effectu creato poteſt tam clarè & expreſsè divinæ eſſentiæ infinita ſublimitas *repræſentari*, ut in illo valeat, ſicut in ſe eſt, videri & apprehendi.

Suar. lib. 2. c. 13. de attribut.

Vnde Franc. Suarez ſubtiliter & operosè mentem S. Thomæ diſcutiens, *rationes, quas adducit*, inquit *ſunt efficaces ad excludendam obiectivam ſimilitudinem; ad probandum autem eſſe impoſſibilem divinæ eſſentiæ ſpeciem impreſſam* (quę ſcilicet ſit medium incognitum, ut ipſe & Scholaſtici plurimi ſtatuunt) *parum valent.*

Vt proinde non parva jam me ſuſpicio invaſerit, D. Thomã exiſtimaſſe, cum S. Auguſtino ſpeciem viſibilem, item phantaſticam, ac intelligibilem, non aliter quàm mediante ſui cognitione ducere potentiam cognitivam in cognitionem ulterioris objecti. Et quidem ita, ut quando talis ſpecies fungitur officio ſpeciei, eadem cognitio quæ proximè ſpeciem reſpicit, remotè etiam exeat uſque ad prototypum, cujus illa ſpecies eſt imago. Eâ enim de causâ ſæpe dicit, uno aſpectu imaginem, & ſimul rem illam, cujus eſt imago, in ſpeculo videri. Nam alicubi: *Homo videtur in ſpeculo propter ſuam ſimilitudinem, & una eſt viſio utriuſque.* Et alibi: *Si uno inſpecto ſimul aliud inſpiciatur, ſicut in ſpeculo inſpicitur ſimul imago rei & res, non eſt propter hoc cognitio diſcurſiva.*

D. Tho. lib. 3.c.69. contra Gent.
Idem 1. p. q. 58. a. 3.

Et ſane Ariſtoteles memoriam & phantaſiam circa objecta abſentia

abſentia ſic verſari docet, ut proximè in imagines apud ſe conſeruatas ferantur, & mediantibus iſtis in objecta quorum ſint imagines. Vnde dicit, in ſomnijs ſæpe nos decipi, putantes imaginem Coriſci, quam phantaſia intuetur, eſſe ipſum Coriſcum. Quem errorem ratio vigilantis corrigit, judicando non fuiſſe Coriſcum, ſed ſimulacrum, *per quod verus Coriſcus cognoſcitur*. Ariſtot. lib. de Inſom.

Et alibi apertè dicit, quòd in recordando, memoria *ſpeculetur & ſentiat ſimulacrum quoddam ſimile typo aut pictura*; non tamen ſecundum ſe tantùm, ἀλλά ὡς εἰκόνα *ſed tanquam imaginem*. Vbi planè ſignificat, ſenſum internum proximè in ſpeciem phantaſticam, & per eam vlteriùs in objectum aliud, cujus eſt imago, eodem actu ferri. Lib. de memor. c. 1.

Quæ eſt etiam compertiſſima S. Auguſtini ſententia, multis ſparſim vicibus repetita. *Cùm in ſomnijs*, inquit, *vel in ecſtaſi, corporum exprimuntur imagines, non diſcernuntur omnino à corporibus; niſi cùm homo redditus ſenſibus corporis, recognoſcit ſe in illis fuiſſe imaginibus, quas non per ſenſum corporis hauriebat*. Et alio loco: *Quod eſt ad corporis ſenſum aliquod corpus in loco, hoc eſt ad animi aciem ſimilitudo corporis in memoria. Et quod eſt aſpicientis viſio ad eam ſpeciem corporis ex qua ſenſus formatur, hoc eſt viſio cogitantis ad imaginem corporis in memoria conſtitutam, ex qua formatur acies animi.* S. Auguſt. lib. 12. c. 2. de Geneſ. Lib. 11. c. 4. de Trin.

Veluti ergo S. Auguſtinus cum Ariſtotele (quem tamen nunquam legerat) docet ſpeciem phantaſticam à ſenſu interiori objectivè cognoſci, & per eam cognitam, μὴ ὥσπερ καθ' αὑτὴν *non ſecundum ſeipſam*, finiendo nempe ibi obtutum, ἀλλά ὡς εἰκόνα, καὶ ᾗ ἄλλου *ſed tanquam imaginem, & quatenus alterius eſt*, ut Ariſtoteles loquitur, imaginationem ad prototypum ipſum extendi; ita quoque cenſet ſpeciem viſibilem à ſenſu externo in oculo ipſo agnoſci, & per eam ad colorem & lucem quodammodo foràs prodire. Quid enim vetat, quo minùs ſenſus externus, in ea re & eo more ſenſum internum, modo quodam imperfectiori, æmuletur? Vt, inquam, ab imagine coloris, ſinu ſuo exceptâ, uſque ad colorem ipſum, intentionem & actionem ſuam vitalem refundat?

ARTICVLVS XIII.

Fortaſſe non erravit Plato, quando viſionem jactu radiorum ex oculis fieri dixit.

ECce quid mihi jam in mentem incidat: Platonem fortè non aliâ mente, quàm S. Auguſtinum, dixiſſe viſionem jactu quodam radiorum ex oculis fieri. Quaſi pyramis illa radioſa, cujus conus eſt in oculo, baſis in objecto, ex oculi centro emicaret in objectum, non ex objecto radiaret in oculum.

Nam more & phraſi Platonis loquitur S. Auguſtinus, cùm ait: *Viſus ſe foràs porrigit, & per oculos emicat. Emiſſo viſu per oculos video. Viſus eſt quaſi oculorum virga &c.*

S. Auguſt. lib. de quant. anim. c. 23.

Et tamen alibi, ut Artic. XI. vidimus, dicit, tria ad videndum eſſe neceſſaria: Objectum viſibile, imaginem quæ ab objecto imprimitur viſui, & animi intentionem, quæ imaginem illam in objecto ſuo, quaſi defixam tenet. Si autem imago illa (ſive viſio, ut eam S. Auguſtinus appellat) per lineas radioſæ pyramidis in oculos radiat; igitur radiatio ab objecto in oculos venit, non contrà, ab oculo in objectum emicat, adeoque productio à baſi pyramidis, non à cono incipit.

Niſi velis præter iſtam, aliam inſuper pyramidem per eaſdem lineas tenſam, ſuperfingere, quæ ab oculo efficienter emicet in objectum, contra eam, quæ ab objecto funditur in oculum: quod eſſet re fruſtraneâ, & pondere inutili naturam onerare.

Vnicus igitur radiorum pyramidalis faſcis eſt, per quos *res viſibilis*, ut ait S. Auguſtinus, *gignit formam, velut ſimilitudinem ſuam, quæ fit in ſenſu, cùm aliquid videndo ſentimus.*

S. Auguſt. lib. 11. c. 2. de Trin.

Quid igitur ſunt illi præterea *radij, de ſuo quiſque oculo emicantes*, quos ibidem S. Auguſtinus divaricari dicit, quando lucernæ flammula ebrijs gemina apparet?

Profectò nihil aliud eſſe videntur, quàm radij ipſi pyramidis, quæ ab objecto in oculos, totâ latitudine baſis, profunditur, &

tur, & in oculos cuneatur. Ejus enim pyramidis radij ex oculis etiam emicant, tractu ſaltem locali, etſi non efficientiæ cauſalitate. Veluti enim eadem eſt via, quâ Athenis Thebas itur, & Thebis Athenas reditur; ita unus ſpatij tractus eſt, per quod, incipiendo à baſi, pyramis iſta it in oculos, & incipiendo à cono, ad baſim quaſi revertitur.

Vel certè radius *de ſuo quiſque oculo emicans*, S. Auguſtino eſt operatio illa vitalis, quæ jam Philoſophis viſio appellatur. Hæc verò nec motu aliquo locali, nec actione aliqua per medium tranſeunte, ut ſolet radius luminis, propriè effunditur vſque ad objectum; ſed metaphoricè ſolùm, & repræſentatione intentionali, quâ non tantùm imaginem quæ eſt in oculo, ſed etiam lumina radiorum per quos imago trajicitur ad oculum, & ipſum denique ultimum objectum, à quo radij effluunt, attingere dicitur. Tactu videlicet repræſentativo & metaphorico, quo viſio illa dicitur eouſque ſe exerere, etiamſi à parte rei, nec per ſe, nec per radium à ſe effuſum, potentiam ſuam viſiuam egrediatur. Potentia quippe dicitur attingere objectum quod repræſentat, ſeu cujus actum vitalem ſibi imprimit, licet uſque ad ipſum foràs propriè non exeat.

Hac quoque conſideratione iſta intentio viſionis in objectum vocatur lumen, & oculus lucerna, ſive lampas, intra quam lumen illud eſt concluſum *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus* Sicut enim lucernæ lumen illuminat, & videre facit quæ circa nos ſunt; ita illa intentio vitalis, quæ in oculo tanquam in lucerna quodammodo fulget, facit ut ipſe luces & colores videat. Matt. 6.

Reliqui etiam SS. Patres, præſertim Græci, Philoſophiâ Platonici, cùm viſionem radijs ex oculis emicantibus fieri dicunt, eo modo quo Auguſtinus interpretandi ſunt. Nam ecce S. Baſilius, qui talibus phraſibus interdum Platonizat, radios tamen lucis & coloris à baſi in conum, ſive ab objectis ad oculos, non contrà, ab oculis ad objecta, vehi dicit; ideoque *aëris naturam factam eſſe raram ac tranſparentem, ut omnium viſibilium acceptas ſpecies & formas ad intuentium oculos tranſmittat.* S. Baſil. Hom. 2. Hexam.

Nec alia Platonis mens, quam nobis (vt jam video) Pla-

tonicorum ſeculi elapſi Princeps, Marſil. Ficinus etiam ſic exponit.

Marſil Ficin. Comment. in Sympoſ. Plat. c. 4. *Oculus*, inquit, *nil aliud, niſi ſolis aſpicit lumen. Figuræ namque & colores corporum nunquam niſi lumine illuſtrata perſpiciuntur, neque ipſa cum materia ſua ad oculos veniunt. Neceſſarium tamen eſt ut ab oculis videantur.* Vbi vides expreſſam S. Auguſtini,& noſtram ſententiam: Species viſibiles in oculis, & ab oculis videri. Pergit Ficinus: *Vnum itaque ſolis lumen corporum omnium ab eo illuſtratorum coloribus figuriſq; depictum ſeſe oculis offert. Sic affectum lumen oculi ſuo quodam radio adjuvante percipiunt; perceptum ipſum, & quæ in eo ſunt omnia vident. Quare totus hic Mundi qui conſpicitur ordo, non eo modo, quo in materia corporum, ſed quo in luce infuſa eſt, cernitur.* Hoc enim extremum probatur omnibus exemplis, quibus radij in oculos, aut refracti, aut enormiter à veris corporum figuris diſtorti, illabuntur. Iſti enim radij imaginem in oculo depingunt,non ſimilem ſuo corpori, Plin.lib.33. c. 9. ſed qualis à medio depravatur; ſicque viſum ludificant. *Pocula ita figurantur*, ait Plinius, *expulſis intus crebris ceu ſpeculis; ut vel uno intuente, populus totidem imaginum fiat. Excogitantur & monſtrifica, ut in templo Smyrnæ dicata. Id evenit figurâ materiæ. Plurimumq; refert concava ſint & poculi modo, an parma Threcidica, media depreſſa an elata, tranſverſa an obliqua, ſupina an recta, qualitate excipientis figuræ torquente venientes umbras.*

Quod verò Ficinus aiebat, *Oculos ſuo quodam radio adjuvante percipere lumen,* ad pelluciditatem & luculas ſpirituum, tunicarum, & humorum (quæ in quorundam animalium oculis luculentiores, aut magis extinctæ eſſe ſolent) referri poteſt. Nec amplius vult, ut opinor, quàm Archiepiſcopus Cantuarienſis, cum dicit: *Lumen oculi, naturali radioſitate ſua viſui conferre.* Quam propoſ. ſic explicat: *Oculus, ut dicit Ariſtoteles, non ſolùm patitur, ſed etiam, quemadmodum ſplendida corpora, agit. Lumen ergo naturale, ad alterandas ſpecies viſibiles, & ad efficiendum proportionales virtuti viſivæ, neceſſarium eſt oculo. Quoniam ſpecies viſibiles ex luce ſolari diffunduntur; ſed ex lumine oculi connaturali, oculo contemperantur. Sic ergo patet; quòd aliquo modo fit emiſſio radiorum, ſed non modo Platonico: ut radij ab oculo emiſſi, in forma*

Perſpect. commun. lib. 1. prop. 46.

viſibili

viſibili intingantur, & immergantur, & intincti revertantur, oculo nunciantes.

Sed Plato, quem Ariſtoteles *melancholicum, & profundiſſimi ingenij fuiſſe* dicit, non adeo ſimplex, credo, & puerilis fuit, ut ejuſmodi nuntios ex oculis ad cælum uſque mitti, & colore ſiderum tinctos, in oculos redire, & nunciare quæ ibi quodammodo viderint, cenſuerit. Vnde Platonicos quoſdam poſteriores, *pertinaciæ ſuæ auctorem, Platonem prætendere*, dicit Scaliger. *Ille namque*, ait, *ſicut & nos, à rebus effluere ſpecies ad oculos in Timæo, & Menone ſcribit.* Iul Scalig. Exerc. 325.

Ariſtoteles tamen in alium ſenſum Platonem interpretatur, & quaſi re verâ cenſuerit oculum eſſe λαμπροτῆρα τοῦ φωτὸς *laternam quandam luminis*, quæ radios ad objecta viſibilia ſpargat, non ab ipſis accipiat. Ariſtot. lib. de ſenſu c. 2.

Sed Ariſtoteles modum illum Pythagoricum explicandi, vel potiùs abſcondendi res naturæ ſub quibuſdam myſteriorum figuris & imaginibus, in ſuo Platone non probabat, omniaque ejus dicta per externum verborum corticem arripiens, mirum in modum exagitat. Sciunt enim omnes, quomodo ideas ejus, compoſitionem corporum naturalium ex numeris, aut figuris mathematicis, & alia id genus verè & Pythagoricè à Platone aſſerta, aliorſum accipiat, & injuſtè vexet.

ARTICVLVS XIV.

Falsò etiam à quibuſdam Platoni tribuitur opinio Empedoclis, Democriti, & Epicuri: Lucis & colorum radiationem, per effluxum tenuium corpuſculorum fieri.

PEt. Aliacus, Card. & Epiſcopus Cameracenſis, inter Philoſophos, qui radios lucis & coloris cenſent eſſe quoſdam fluentium corpuſculorum rivulos, Platonem numerat. Sed fallitur. Idem enim hic Plato opinatus eſt, quod Ariſtoteles: nempe per nudarum qualitatum efficientiam, non corpuſculorum vel ſpirituum effuſiones, ejuſmodi radiationes effluere. Pet. Aliac. c. 1. Sphær.

Marſil. Ficin. Comment. in Sympoſ. Plat. c. 4.

Platonis enim mentem Marſ. Ficinus, recentium Platonicorum facilè Princeps, nobis exponat. *Lumen ipſum, ait, corpus eſſe non poteſt; cùm momento ab Oriente in Occidentem, totum fermè impleat Orbem. Deinde aëris & aquæ corpus, ſine ulla offenſione, undique penetrat. Tertiò, ſordibus immixtum nuſquam inficitur. Hæc verò corporum naturæ nullo modo conveniunt. Corpus ſiquidem non momento movetur, ſed tempore. Neque alterum abſque ſui, vel alterius, aut utriuſque offenſione, penetrat alterum. Ac duo invicem corpora mixta mutuâ ſe contagione inficiunt. Quod in aqua & vini, ignis & terræ confuſione conſpicimus.*

Tribus ergo argumentis Platonicus ille lumen non eſſe corpuſculorum, aut ramentorum lucentium effluvium, conficit.

Primò, radius ſolis in inſtanti ab Ortu ad Occaſum emicat. Item lumen lucernæ accenſum, tam citò ex fine ſphæræ activitatis ſuæ, quàm ex principio cernitur. Signum igitur eſt, radios illos non effundi more fluminis, ſed produci immediatè ac eodem momento, tam citò in extremo, quàm in propinquo ſpatij illius. Alias enim flumen à fonte ſuo effuſum, citiùs ad proximam fonti alvei partem, quam ad remotam defluit. Et omne corpus morâ & fluxu temporis de loco in locum tranſit. Similis prorſus SS. Patrum Platonizantium philoſophia. Vnde S. Baſilius de luce illa Mundi primæva loquens, ait eam *ſurſùm ætherem ac cælum, in latitudine omnes Mundi partes, Aquilonem, Meridiem, Ortum, Occaſum* ἀχρόνως ſine tempore *& in inſtanti illuminaſſe.*

Secundò, addit Ficinus, *lumen ſine offenſione, corpus aëris & aquæ penetrat.* Si autem corpus eſſet, profectò offenderet, & impingeret in illud aliud corpus, & loco depelleret. Alias duo corpora in eodem ſpatio ſimul eſſent; quod tot naturæ repugnantis exemplis probatur eſſe impoſſibile. Radius ergo ſolis per aërem, & aquam, item vitrum, cryſtallum, & adamantem conſtipatiſſimum, ſe non aliter quàm ſpiritus, inoffenſus, & ſine reſiſtentiâ transfundit. Nec enim dici poteſt protrudere & expellere corpuſcula, quæ quiſpiam intra poros & meatus cryſtallorum, aut adamantum imaginari poſſet. Nam

ſet. Nam talia corpora ex uniformi liquidâ materiâ, cujus partes intra omnes corporis ſui poros collabuntur, plerumque concreſcunt; ut proinde nullis uſpiam, aut rariſſimis poris dehiſcant, nec continenti ordine ſic perforatis, ut radius corporeus ex uno in alterum deinceps illabi, & totum adamantis corpus pervadere poſſit. Nam ne quidem nivem, tam fungoſum corpus, pererrare & pertundere radius ſolis valet.

Deinde, ubi quippiam in fundo, aut fundum ipſum nudum aquæ pellucentis & quieſcentis videmus, aquam ſursùm ebullientem cerneremus, ſi ſpecies colorum ſint quædam corpuſculorum & ſpirituum effluvia: quemadmodum, ubi ignis, ſpiritus vaporum ex fundo ollæ reſolvit, eorum aſcenſu aquam intumeſcere & bullire videmus.

Tertiò, lumen per lutum & ſordes ſparſum contagione non inficitur, ut corpus mundum contactu corporis immundi ſolet, ait Ficinus. Quanquam huic argumento aliquid probabile reponi poſſit.

Sed non tam facilè duobus iſtis, quæ jam addam.

Sol, & corpora luminoſa, imò omnia colorata, jam dudum exhauſta forent, ſi lux & color perenni quodam ſpirituum corporeorum effluvio radiarent. Cùm enim perpetuus, & undique in orbem, ac per omnes corporis partes ſit iſte effluxus, quomodo ſolare corpus per tot jam millia annorum non totum effluxit? Quomodo adamantis corpus tam molli & facili effluvio ſe erogat, cui vix malleus, aut lima hilum deterit? Quomodo etiam expirari & decreſcere adamantem non videmus, aut ex imminuto pondere non intelligimus?

Si verum eſt, ſummas rerum ſuperficies, velut membranas quaſdam, corporibus perpetuò detrahi, ut per illas tanquam per ſimulacra & imagines in oculos influentes, corpora videri à nobis poſſint, ut ex Epicuri ſui diſciplina, cantillat Lucretius; quomodo tot ſuperficiebus quotidie diu noctuque effluentibus, corpora illa tot annos integra & illibata remanere apparent?

——— *rerum ſimulacra vocamus,* Lucret, lib. 4.

Quæ

Quæ quaſi membranæ, ſummo de corpore rerum
Direptæ, volitant ultrò citroque per auras.

Quomodo etiam vento reflante, ſimulacra iſta & ſpecies viſibiles ab oculis, ſicuti ſoni ab auribus, non repelluntur?

Hoc denique perpende: Quòd ſpiritus illi lucis & colorum (ſi qui ſint) ſurſum, deorſum, tranſverſim, & undique æquali facilitate, ex corporibus emicare & effluere dicantur. Quomodo autem hoc, ſi corpuſculorum tenuium rivi, aut flumina ſunt? Certè enim omnia tenuia, etiam levia ſunt, nec deorſum ſpontè moventur, ſed ſurſum perpetuo niſu reſurgunt. Luminis igitur, aut colorum radij, corpuſcula ſpirituum non ſunt, ſed ſola & liquida qualitas, quæ non motu locali, ſed illuminatione efficiente, per omnia diaphana ſpargitur.

Hæc eſt Platonis, Ariſtotelis, & nobiliorum Philoſophorum opinio; qui Empedoclis, Democriti, & vetuſtiorum pingues ac mechanicas cogitationes, elegantioris ingenij ſubtilitate elimaverunt. Quos tamen paulò pòſt deſeruit, & ad Democritum redivit Epicurus. Iſte enim omnes lucis & coloris radiationes, ac omnium cauſarum naturalium actiones, per atomorum & corporum quorundam ῥέματα *fluxus*, ut ipſe vocat, fieri contendit. Homo enim craſſæ Minervæ, nil niſi corporeum & palpabile apprehendere poterat: & quaſi verò nullæ actiones (ſaltem cauſarum ſpiritualium, ut intellectûs & voluntatis) ſine tali corporum effluxu, elici & exerceri valerent.

Laërt. in Epicuro

Si autem intellectus & voluntas; quare non & ſenſus interni externique, & cauſæ aliæ naturales, effectus ſuos altiori modo, per eorum productiones, non per materiales effluxiones, edere in lucem poſſint? Vnde mirari ſoleo, quomodo quibuſdam hodie acumine ingenij præſtantibus Philoſophis tam pingues, Democriticæ, & rudis incipientiſque Philoſophiæ imaginationes, de effluxu omnium actionum à ſuis principijs per corporales atomorum & corpuſculorum rivos, placere valeant. Similes enim mihi eſſe videntur ijs, qui Linum Homero, Ennium Virgilio, Gracchos Ciceroni præferre velint. Niſi fortaſſe, ad ingenij exercitationem & acumen,

per

per ingenioſas, ſed falſas hypotheſes ad veritatem deducere Lectores volunt; quemadmodum per flexus erroreſque viarum, ad urbem deſtinatam interdum perveniri poteſt.

ARTICVLVS XV.

Quid videatur in ſpeculo.

DE *ſpeculis duæ opiniones ſunt*, inquit Seneca: *alij enim in his ſimulacra cerni putant, id eſt, corporum noſtrorum figuras, à noſtris corporibus emiſſas ac ſeparatas: alij imagines aiunt non eſſe in ſpeculo, ſed ipſa aſpici corpora.* Tertia opinio S. Thomæ conjungit utramque, & ait, *in ſpeculo inſpici ſimul imaginem rei, & rem.* Quod quo modo fiat, explicat uno verbo Capreolus. *Idem*, inquit, *eſt motus in imaginem & in rem, quando motus eſt in imaginem, ut imago eſt, ut dicit Ariſtoteles Lib. de ſomno & vigil. Vbi ait, eundem motum potentiæ ſenſitivæ eſſe in imaginem, & in illud cujus eſt imago.* Senec. lib. 1. c. 5. Natur. S. Th. 1. p. q. 58. a. 3. ad 1. Capreol. 1. d. 35. q. 2.

Eòdem redibit quod alicubi bene docet Cajetanus: *Similitudo eſt duplex: quædam ut cognita tantùm; quædam ut cognita, & ratio cognoſcendi.* Cajet. 1. p. q. 56. a. 3.

Opinio ergo S. Thomæ eſſe videtur, quòd nec ſola imago, nec ſolum corpus quod eſt ante ſpeculum, ſed utrumque ſimul uno eodemque intuitu videatur in ſpeculo. Hoc tamen diſcrimine, quòd corpus ſit tantùm cognitum, imago verò ſit cognita, & ſimul ratio cognoſcendi aliud. Tendit enim viſus in illam imaginem, ut imago eſt; unde viſio non ibi terminatur, ſed extenditur uſque ad corpus, quod imaginem illam genuit, ut Artic. XII. dicebamus. Non quaſi viſus diſcurrat ab uno ad aliud; ſed quia talem ſpeciem à ſpeculo redeuntem excipit, quæ duo objecta ſerie quadam & ordine; imaginem quidem proximè, corpus verò remotè repræſentat. Nam, ut veriſſimè S. Thomas, *ſenſus externus ſimpliciter cognoſcit illud, cujus ſpeciem recipit, & nihil aliud.* Non enim ex uno ad aliud diſcurrere poteſt. Simul tamen cum eo à quo ſpeciem recepit, ipſam etiam ſpeciem cognoſcere valet: quomodo enim S. Th. q. 8. a. 5. de Verit.

aliàs, *in ſpeculo*, ut antè dixit, *imago rei*, *&* *res ſimul inſpici* poſſet, niſi in talia duo objecta ſubordinata ſe viſus extenderet?

Tolet. lib. 2. q. 34. de anim. Nec ſolidè hîc S. Thomam refellit Toletus: *Si imago*, inquit, *videtur in ſpeculo, non appareret res major ſpeculo. Et tamen in ſpeculo parvo corpora grandia videntur.*

Ariſt. c. 2. de memor. Sed S. Thomas cum Ariſtotele reſpondebit, res magnas parvâ imagine poſſe repræſentari. Sic enim minima imagunculа montem memoriæ ingentem repræſentat. *Quâ enim aliàs* S. Aug. lib. 4. c. 17. de anim. orig. *magnitudine, quæ nulla anima eſt*, ait Auguſtinus, *imagines tam magnorum corporum & ſpatiorum atque regionum caperet?*

Ratio verò, cur tam parva imagine corpus tam magnum percipere valeamus; quia in imaginem *μὴ ὡς καθ' ἀυτὴν non* Ariſt. c. 1. de memor. *ſecundum ipſam*, ibi figendo & terminando aſpectum, ſed *ὡς εἰκόνα ut in imaginem*, *καὶ ᾗ ἄλλου & in quantum alterius eſt*, ut loquitur Ariſtoteles, acies noſtra tendit.

Ex Apoſtolo quoque Paulo, imaginem tantùm proximè vi- 1. Cor. 13. deri in ſpeculo, colligere videtur Auguſtinus. *Videmus nunc per* Aug. lib. 15. c. 8. Trin. *ſpeculum in ænigmate. Quale ſit, & quod ſit hoc ſpeculum*, ait Doctor ille Sanctus, *ſi quæramus, profectò illud occurrit, quod in ſpeculo niſi* 2. Cor. 3. *imago, non cernitur.* Et ex eodem Apoſtolo aliâ Epiſtolâ: *Nos autem revelata facie gloriam Domini ſpeculantes* &c. *Speculantes dixit*, ait Auguſtinus, *per ſpeculum videntes, non de ſpeculâ proſpicientes. Quod in Græca lingua non eſt ambiguum, unde in Latinum tranſlata ſunt Apoſtolicæ litteræ.* Græcum quippe *κατοπτριζόμενοι ſpeculantes;* à *κατόπτρῳ ſpeculo*, non à ſpecula, derivatur. Sicut ergo in ſpeculis creaturarum, non Dei eſſentiam, ſed imagines tantùm ejus imperfectas intuemur; ita (ſi ſimilitudo perfectè conſtet) in ſpeculo, non objectum quod ante ſpeculum eſt, ſed imaginem tantùm ejus proximè intuemur. Unde ſatis apertè S. Tho. 1. Cor. 13. Lect. 4. S. Thomas: *Cùm videtur aliquis homo per ſpeculum, videtur per præſentiam ſimilitudinis, non immediatè derivatæ ab ipſa re, ſed derivata à ſimilitudine rei in aliquid aliud. Non enim ſimilitudo hominis* Tho. Hurtad. Contr. 1. memb. 3. Præcur. Phil. *immediatè eſt in oculo, ſed ſimilitudo hominis reſultantis in ſpeculo.* Atque hanc opinionem recentiſſimè, & animosè P. Thomas Hurtadus defenſat.

Sed-

Sed profectò reſiſtunt agminatim Optici, quibus cura fuit hoc demonſtraſſe. *Palam eſt*, inquit Vitello, *formas à ſpeculo non procedere, ut in ſpeculo exiſtentes, & multiplicantes ſe ad viſum; ſed ut incidentes ipſis ſpeculis à rebus formatis, & à ſpeculis ad viſum reflecti. Secundum ergo diſpoſitionem linearum reflexionis, viſus neceſſariò informatur; quandoquidem viſus verè rem aliam non videt, niſi cujus formam comprehendit à ſpeculo reflexam.* Vitel. lib. 5. theor. 24.

Et Alhazenus: *Aliqui affirmant*, inquit, *formam corporis ſpeculo ei oppoſito imprimi, & proinde in eo videri, ſicut in corporibus fit comprehenſio formarum naturalium ejus. Verùm quòd aliter ſit, palàm fit per hoc. Quoniam ſi quis ſe viderit in aliqua ſpeculi parte, motus in partem aliam, non videbit ſe in parte prima, ſed in ſecunda. Quod non accideret, ſi in parte primâ infixa eſſet ejus forma.* Alhaz. lib. 4. th. 20.

Quod autem hìc dicit Alzahenus, facili experientiâ intelligitur, ſi quis in ripa vivarij, aut laci quieſcentis ambulet. Imaginem enim ſuam, quam in aqua videt, ambulando, ſecum quodammodo transfert; quia continuò in alia & alia parte ſpeculi iſtius aquei, eam videt. Si autem in ſuperficie aquæ, tanquam in tabula depictam videret; in eadem parte ſuperficiei aquæ imago maneret, & progrediendo, non eam transferret, ſed in priori ſitu eam aſpiceret.

Non igitur imago ipſa eſt quæ videtur, ſed homo ambulans ſeipſum videt, per ſpecies viſibiles ab alia & alia perpetuò parte ſuperficiei aquæ reflexas, & ad oculum redeuntes.

Vnde S. Iacobus rectè philoſophatur, & meritò dixit: *Si quis auditor eſt verbi, & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ &c.* Quod enim in ſpeculo contemplamur, eſt ipſiſſimus naturalis vultus noſter in quo nati, non tantùm imago aliqua, in qua veluti depicti ſumus. Iac. 1.

Nec refert, quòd vultus iſte extra locum ſuum, in ſpeculo ipſo appareat. Nam natura viſionis talis eſt, ut objectum ſuum in baſi, ſive in fine pyramidis viſualis conſpiciat, cujus conus ſive vertex profundum oculi intrat. Iam verò, præter pyramidem, quæ à toto vultu hominis tanquam baſi exit, & conum ſuum verſus ſpeculum dirigit, nova & contraria pyramis à ſpeculo reſilit, cujus baſis à ſuperficie ſpeculi incipit, &

conus verſus oculos redit. Et iſta poſterior pyramis eſt, per quam vultum nativitatis noſtræ alio loco, & quaſi intra ſpeculum eſſet conditus, conſpicimus.

Quia enim oculi aſpectus, ultra finem & baſim pyramidis in oculos reflexæ, non ſe extendit, ideo vultum noſtrum ad radicem ipſius baſis videmus.

Hinc Græci ſpeculum κάτοπτρον appellant, quia ex adverſo noſipſos in ipſo conſpicimus. Euripides verò ἔσοπτρον, quia in ejus quaſi fundo vultus noſter apparet. S. Paulus & alij
1. Cor. 13. ἔσοπτρον, quia oculos in ipſum dirigimus, cùm nos in eo reflexe contemplari volumus.

Vt autem ſpeculi ſuperficies, Catulli verbo, imaginoſa ſit, debet eſſe æqualis & regularis. Ideo enim radij ſolis in ſuperficiem terræ aſperam cadentes, reflectuntur quidem, ſed non imaginant; à ſuperficie verò aquæ æquali replicati, & in oculos redeuntes, imaginem ſolis figurant. Speculi enim inæqualitate ita hàc illàc diſſipantur radij, ut compoſitâ & ordinatâ baſi, ac figuratâ, ut oportet, pyramide viſuali, ad oculos non valeant reflecti, & corporis à quo radiantur, formam in oculi fundo effigiare. Vnde Ovidianus ille Narciſſus, cùm lacrymis turbaſſet aquam fontis, nec faciem ſuam ampliùs videre poſſet, credidit puerum, quem imaginabatur in fonte latentem, à ſe aufugere.

Et lacrymis turbavit aquas, obſcuraq; moto
Ovid. 3. Met. *Reddita forma lacu eſt. Quam cùm vidiſſet abire;*
Quò refugis? Remane, nec me crudelis amantem
Deſere, clamavit.

1. Cor. 13. Duo autem illa Apoſtoli loca: *Videmus nunc per ſpeculum, in ænigmate.* Item poſtea: *Nos omnes revelata facie gloriam Domini ſpeculantes* (Græcè, κατοπτριζόμενοι, *in ſpeculo repræſentantes*, ut vertit Eraſmus) non ſignificant ſolam imaginem noſtram videri per per ſpeculum oculo corporeo; quemadmodum in ſpeculo creaturarum, oculo ſpirituali videmus tantùm imaginem Dei, ſive naturam aliquam creatam; ita ut ſpiritualis intuitus ibi hæreat, nec idem numero actus ad Deum uſque pertingat. Imò verò contrarium potiùs colligi poteſt: nempe, & imagi-

2. Cor. 3.

nem, & ſimul prototypum, uno obtutu, in ſpeculo attingi.

Nam quando Deum in ſpeculo creaturarum videmus, licet non unico ſimplici intellectûs intuitu creaturam, & ſimul Deum conſpiciamus; diſcurrendo tamen, uſque ad Dei cognitionem pertingimus. Angeli verò, qui formali diſcurſu non indigent, unicum actum, quo imaginem Dei in creatura intuentur, uſque ad Dei conſpectum etiam extendunt.

Cajetanus autem, *Videmus nunc per ſpeculum*, ait exponi poſſe, *per vitrea ocularia*; ſive per obſcura quædam conſpicilla, qualia ſunt quæ virore aut alio colore tincta, non permittunt rem in naturali ſuo colore aſpici. Cajet. 1 Cor. 13.

Quod interpretamentum arripuerunt etiam quidam recentiores; conjectantes id quoque ex voce Græca S. Pauli, qui *ſpeculum* ibi, non κάτοπτρον, ſed ἔσοπτρον; quaſi dicas *inſpectorium*, appellavit.

Sed profectò Græci paſſim, & ipſe Ariſtoteles, ſpeculum ἔσοπτρον etiam nominat; non quia per ipſum, ut per oculare ſive conſpicillum, ſed quia in profundo ejus nos, & res à tergo noſtro poſitas inſpicimus: aut certè, quia, ut antè dixi, in ipſum oculos intendimus, cùm reflexè faciem noſtram in ipſo aſpicere volumus.

Nam aliàs conſpicilla, quibus nunc ad ſolatium ſenij & oculorum utimur, tempore S. Pauli, & diu pòſt Mundo incognita fuere, ut vetèrum memoriarum diligentiſſimus Lipſius noſter teſtatur. Igitur Interpres ſacer ἔσοπτρον *ſpeculum* rectè vertit, nec Cajetani *conſpicillum* vertere debuit. I. Lipſ. Epiſt. 56.

ARTICVLVS XVI.

An tamen defendi non poſſit quod S. Auguſtinus, & S. Thomas aſſerere videntur: Imaginem vultûs noſtri videri in ſpeculo.

Non placet, quod in S. Thomæ excuſationem adfert Medina, quando in explicandâ ratione, quâ duplex objectum, ſerie & ordine quodam attingitur, exemplo ſpeculi tam ſæpe S. Doctor utitur. *D. Thomas; licet Perſpectivæ faculta-*

 tis non

Medin. 3. p. q. 10. a. 1. *tis non indoctus*, inquit Medina, *explicaturus, quemadmodum res divina humanis eluceant, exemplum ponit ſpeculi, in quo, ut ait, rei imago conſpicitur. quod licet re verâ ita non ſit, nobis tamen ita videtur.*

Itaque in ſpeculi iſto exemplo, apud ipſum tam vulgari & protrito, credit eum Medina, non ex ſuo ſenſu, ſed vulgi & falsâ imaginatione ſemper locutum fuiſſe; quemadmodum naturæ & veri conſultiſſimus Poëta, oculorum hallucinationem, non verum ſecutus, dixit,

Virgil. *Provehimur portu, terraq́ urbeſq́ recedunt.*

Ignoſce mihi, non credo tibi Medina. Veritas enim & ſimilitudo doctrinæ alterius, quam illo ſpeculi exemplo enarrare vult S. Thomas, planiſſimè flagitat, ut duplex unicâ viſione objectum in ſpeculo attingatur, non tantùm unum & ſingulare quod eſt ante ſpeculum. Ac apud omnes doctos & indoctos, nihil magis in ore & promiſcuo eſt, quàm rei imaginem in ſpeculo cerni. Vnde de Narciſſo ſuo, in fonte ſe ſpeculante, & amore ſui pereunte, Poëta ingenioſus.

Ovid. 3. Met.

Dumq́ue bibit, viſæ correptus imagine formæ,
Spem ſine corpore amat, corpus putat eſſe quod umbra eſt. Ac deinde.
Credule quid fruſtrà ſimulacra fugacia captas?
Quod petis, eſt nuſquam, quod amas avertere, perdes.
Iſta repercuſſæ quam cernis, imaginis umbra eſt.
Nil habet iſta ſui, tecum venitq́ue manetq́ue:
Tecum diſcedet, ſi tu diſcedere poſſis.

Poſtquam tamen ſic more vulgi, de re conſpecta in ſpeculo, tanquam de umbrâ & ſimulacro locutus, puerum illum ad Philoſophiam Opticorum reducit:

Iſte ego ſum, ſenſi, nec me mea fallit imago.
Vror amore mei, flammas moveoq́ feroque.
O utinam à noſtro ſecedere corpore poſſem!

Dicit ergo ſe eſſe, quem in fonte videt & amat.

An ergo fortè cum S. Auguſtino & S. Thoma, & ſimulacrũ vultûs, & unà vultum uno eodemq́ue obtutu videri exiſtimat? Si enim Ariſtoteles in Iride radium ſolis triplici colore, puniceo, viridi, & purpureo infectum videri, & unà ſolem ipſum conſpici credit; cur non etiam in fonte, tanquam in ſpeculo

culo alio nitidiori, quàm ſit vapor in quo apparet Iris, imaginem puram nulliſque umbris infuſcatam, & unà vultum qui ante ſpeculum eſt, cernere poſſumus?

Deinde quando per directum radium, ſolem aut lucernam aſpicimus, profectò fortaſſe, per totam radij longitudinem ab oculo uſque ad ſolem, viſus ſe extendit; id eſt, non tantùm ſolem videt, ſed etiam univerſam longitudinem radiorum pyramidis viſualis; licet ſplendorem eorum à luce ſoli inhærente non diſtinguat: quia ſplendor ille radiorum viſum non terminat, ſed uſque ad ſolem tranſmittit. Cur ergo ſimiliter baſis pyramidis reflexæ, quæ ſuperficiei ſpeculi incumbit, eſtque ſpeculi imago; & ſimul vultus aſpicientis, unâ eâdemq; viſione cerni dici non debet? Nam imaguncula, quæ in organo oculi radijs à ſpeculo reflexis pingitur, non tantùm à vultu aſpicientis, ſed ſimul etiam à baſi pyramidis, & radijs ſpecierum viſibilium intermedijs, qui à ſpeculo ad oculos revertuntur, efficienter producitur. Imaguncula autem illa, ſive ſpecies viſibilis quæ in oculo eſt, repræſentat omne objectum, à quo tanquam cauſa efficiente funditur.

Viſus tamen non advertit ſe aliquid diſtinctum ab objecto principali & terminante, videre; ſicuti, juxta S. Auguſtini quam Artic. XI. tradidimus philoſophiam, oculus non experitur ſe videre ſpeciem in retina tunica depictam; etiamſi reverâ eam ſentiſcat, & per eam principale objectum, quod viſionem ultimò terminat.

Imago ergo vultûs in ſpeculo videri dici poteſt, etſi viſio non in ipſâ, ſed in vultu extra ſpeculum terminetur. Vultus autem ad locum imaginis, ſeu intra ſpeculum, à viſione ipſa quaſi attrahitur, apparetque ubi reverâ non eſt; quia natura viſionis talis eſt, ut ſit eſſentialiter repræſentatio rei quaſi ex adverſo oppoſitæ & objectæ. Quem morem quoque imaginatio imitata, & à viſu ſenſuum externorum præſtantiſſimo, quaſi mutuata, quoties aliquid imaginatur, ex adverſo illud ſibi opponit. Intellectus deinde & voluntas in hoc quoque more, imaginationem ſequuntur: ut proinde ea in quæ tendunt & quaſi collineant, *objecta* meritò appellentur. Et hinc denique

denique nomen *objecti*, ad omne id ſignificandum, circa quod quævis potentia verſatur, tranſlatum fuit.

Si autem minimam illam imagunculam, quæ ab objecto externo in oculum radiatur, & in tunica retina depingitur, ex adverſo cernere poſſemus, viſus in ea tanquam in objecto viſionem terminante, nec ulteriùs tranſmittente, hæreret; quomodo in imagine, per foramen conclavis obſcurati intromiſsâ, & in papyrum impreſsâ, hæret. Ex quibus patet, S. Thomam, quando vult oſtendere phantaſiam, aut intellectum, in duo objecta ſubordinata unico actu poſſe ferri, non tam ineptè quàm quidam carpunt, uti ſolere exemplo viſûs, quem credit unâ ſimplici viſione & imaginem in ſpeculo, & prototypum, quod extra ſpeculum eſt, attingere.

PROBLEMATA

De Viſu.

I.

MIrum eſt, ſed tamen verum: Radium qui per aërem obſcurum tranſit, non videri, niſi in corpus opacum offendat, à quo reflectatur.

Bodin. lib. 4. Theat. *Si enim radius ſolis*, inquit Bodinus, *per obſcuriſſima domûs foramina duo penetraret, ſine reflexione ſolidioris corporis, nulla illuſtratio domûs fieri poſſet, nec quidquam aſpici.*

Idem accidere videmus, ſi nocturno tempore, candela foris poſita, per unum foramen in cubiculum radiet, & per alterum foramen directè ei oppoſitum, radius effluat.

Cur tamen radius iſte non undique in orbem lumen ſecundarium ſpargit, & omnes cubiculi parietes illuſtrat?

An quia radius luminis, ad ſimilitudinem motûs localis, ſe propagat, nec in latera reſilit, niſi in aliquod corpus impingat, quod rectitudinem progreſsûs interpellet? An potiùs, quia lumen laterale, quo parietes cubiculi aſpergi deberent, non à ſolo radio per aërem cubiculi tranſeunte, ſed à ſole, aut candelâ

delâ radium illum jaculante, effici debet, ut Scotus in 4. d. 10. q. 9. ſcitè docet? Sol autem & candela in directum & lineâ breviſſimâ tantùm radiant, niſi corpus aliquod occurrat, quod rectitudinem radiationis in latus declinet, aut reflectat.

II.

In quo ſubjecto ſit cæruleus, aut viridis ille cæli color, quem ſerenis diebus aſpicimus?

An ſphærarum cæleſtium tinctura eſt, ut Molina credit? An verò potiùs lumen ſolis ab aëre ſuperiori reflexum, quod modica aëris opacitas in cæruleum colorem aſtringit? Ita enim ſentit Io. Bapt. Benedictus. Ac poſt eum Keplerus: *Color ille*, inquit, *qui ſudo cælo matutinis horis oculos noſtros incurrit, non eſt color ætheris, ſed aëris, à ſolis radijs tranſverſim illuminati.*

Lud. Molin. diſp. 15. de oper. ſex dier.

Io. Kepler. lib. 1. Epit.

Imò, ſicut auroræ purpureus color, & illa *plena roſarum atria*, plerumque infra nubium ſtationem expanduntur; ita ſereni cæli ſmaragdinus viror ſæpiſſimè in aëre inferiori hæret, cui nubes innatant.

Ovid.

III.

Verúmne illud, quod eruditi quidam pro comperto habent: Si lunæ ſuperficies inſtar ſpeculi terſa eſſet, *in cælo lucida non appareret, ſed colore cæruleo obtutum noſtrum evitaret?*

Quidni autem verum hoc ſit? Cùm enim lumen à ſpeculo in partem oppoſitam tantùm reflectatur, radius ſolis in ſuperficiem lunæ cadens, non redibit in terram, aut non in omnium oculos, qui faciem lunæ illuſtrem, ex diverſis terræ regionibus ſimul aſpiciunt. *Vnde*, ait Io. Tarde, *univerſitatis conditor lunam voluit eſſe ſuperficie irregulari, montibus altiſſimis, cavis vallibus, & præcipitijs aſpera: ut lux à diverſis ſuperficiebus repercuſſa, in partes diverſas protraheretur, modò in longum, modò in latum, modò in tranſverſum, & ex inordinato repercuſſu lux uniretur, & ex deformitate educeretur uniformitas, ut demonſtrat Vitello lib. 6. prop. 63. ſpeculis ex varijs & diverſis ſuperficiebus ſphærarum compoſitis.*

Io Tarde lib. de Borbon. ſiderib. c. 6.

Et hinc etiam demonſtrat, falli eos, *qui partes lunæ lucidiores maria, aut ſtagna aquarum; maculas verò montes, agros, & loca ſilvis oppleta eſſe exiſtimant.*

Eeee Aqua

Aqua enim inſtar ſpeculi, radium ſolis repercuteret, & à nobis averteret. Deinde quando luna accreſcit aut decreſcit, in ipsâ partium luminoſarum caſurâ, quaſi culmina quædam montium illuſtria, non aquam uniformis & deterſæ ſuperficiei, per arundinem Batavicam conſpicere videmur.

IV.

Paul. Iovius lib. 2. Hiſtor.

An confictum ſit à Iovio, quod ipſe de exercitu Caroli VIII. Francorum Regis narrat, cùm Neapolim tenderet, & noctu per Vrbem Romanam, ſub Pontificatu Alexandri VI. tranſiret: *Id metum ſtupentibus Romanis addidiſſe, quòd viri, equi, vexilla, arma tot paſſim funalibus inæquali ſplendore, incertam præbentibus lucem, ampliora ac majora vero viderentur?*

Falſum enim id fuiſſe apparet, quia facium & funalium flamma, fumi ac fuligines non ampliant rerum formas, quæ per ipſas videntur. Sicut nec ſiccæ aëris exhalationes faciem ſolis dilatant, ſed humidi rores vaporeſque; propter quorum interpoſitionem ſol exoriens amplioris diſci apparet, quàm meridianus. Vnde quia totâ fermè æſtate Anni illius 1635. quâ Lovanium noſtrum à gemino Francorum & Batavorum exercitu obſeſſum fuit, ſol matutinus in nebulâ ſiccâ perpetuò ſurgebat; non facie ſolenti, amplâ & rubicundâ, ſed exiguâ & pallidâ nobis apparebat.

Sed tamen, quare in exemplo Iovij, vapor ceræ in flammas facium & funalium liqueſcentis, militum tranſeuntium ſpecies, verſus perpendicularem refringere, & militares formas ampliare non potuit?

Deinde fumus, flammæ mixtus & convolutus, coruſcationem tremoremque militum & armorum, ſine dubio, faciebat. Vnde flammâ fumoque perpetuò ſaltitante, militum quoque formæ unà ſubſilire, omnique tripudio vibrari videbantur. Vnde horrori noctis, civibus talium ſpectaculorum inſolentibus terrorem addebant.

V.

An non falluntur, qui in ſacrorum Bibliorum textu, *perſpicillorum* mentionem ſe inveniſſe putant? Vbi enim Deuteron. 6.

teron. 6. legimus, *Et movebantur inter oculos tuos*, Pagninus, & Oleaſter vertunt, inquit Balthaſar Paes Iac. 4. v. 11. *Erunt ſpecilla, ſeu ocularia inter oculos tuos.* Deuteron. 6. v. 8.

Quæ verba, addit Balthaſar, *ponderans Oleaſter*, *ait*: *Vide quàm pulchrè & rationabiliter voluerit te habere præcepta, velut ſpecilla ſuper oculos?*

Sed profectò Hebraicum *Totaphot*, non *ſpecilla*, aut *ocularia*, ſed *frontalia* potiùs, ut Arias, Buxtorfius, & ipſemet Pagninus in ſuo Theſauro, vertendum fuit. Longè enim abeſt, ut vetuſtiſſimo illo Moyſis ævo, ullus perſpicillorum fuerit uſus.

Imò quidam, quia tam nuperam perſpicillorum inventionem eſſe ex hiſtorijs intelligunt, nimis audaci & temerariâ conjecturâ ſuſpicati ſunt, ſenes olim non perinde ac hodie oculis caligaſſe; adeoque caligines ſenum, cùm variolis puerorum, & lue Veneria, inter morbos antiquis ſeculis inuſitatos connumerare non dubitant. Quomodo enim illorum ſeculorum ſenes, inquiunt, legere & ſcribere libros, ſine perſpicillis potuiſſent, ſi oculos caliginibus infeſtos, ut nunc, habuiſſent? Quidam apud Alcaſ. Prolog. in vet. teſtam. Partes &c.

Sed caligaſſe olim ſenectutem, ex litteris ſacris certum eſt. *Senuit Iſaac, & caligaverunt oculi ejus*. Gen. 27. *Heli iacebat in loco ſuo, & oculi ejus caligaverant*. 1. Reg. 3. Ac ut mira & inuſitata, de Moyſe 120. annorum ſene: *Non caligavit oculus eius, nec dentes illius moti ſunt*. Deuteron. 34. Fuit igitur tunc morbus, ſed nondum vitreum iſtud inventum remedium.

VI.

Quoto autem ſeculo, hujus tam bellæ & utiliſſimæ inventionis gloriam debemus? Nemo, credo, facilè dicet.

I. Lipſius noſter, vir tam memorioſus, & veterum pænè omnium ejuſmodi memoriarum ſciens & callens, ad Carol. Cluſium: *Illud in clauſula Epiſtolæ tuæ*, inquit, *jucundum, de vigore oculorum tuorum in hac ætate, mirando mihi & invidendo. Heu, ubi ego ſum? Quattuor luſtris minor cæcutio; & niſi vitrea auxilia ſublevent, vix legam aut ſcribam. Panè indignor: & magis, quia veteres hac allevatione uſos non lego. Atquin & illi nonne aſſidui in ſtudijs? Quid dicam neſcio, niſi ſortem ſic noſtram eſſe: ferendam igitur.* Cent. 3. Miſcell. Epiſt. 36. Ætat. Lipſij tunc 54.

Ecce vir totiugi ſcientiâ plenus,hoc tantùm promere poteſt: De perſpicillis apud veteres nil legiſſe,&quomodo ſenes ſine eorum auxilio, libris & ſtudijs vacaverint, animi ſe pendêre.

Hoc interim minimè dubium, veteri Romanorum, aut Græcorum temporum flore, nullum eorum uſum, aut memoriam fuiſſe. Hinc apud Plinium & alios infinita illa ad diſcutiendas caligines, ex plantis, aut aliunde collyria,& medicamenta; de perſpicillis verò, univerſali ferè omnium caliginum ſublevamine, ne gry quidem. Plutarchus quoq; quæſtionem ſat prolixam excitat, *Quare ſenes faciliùs ex longinquo, quàm ex propinquo litteras legant?* Et ubi bellior meminendi perſpicillorum occaſio,ſi in orbe Romano,aut Græco ulla eorum notitia? Sed nec inferiori SS. Patrum ævo uſpiam,quod legerim, memoria. Imò in S. Fulgentij Vita, à familiari ejus conſcripta video. Sanctum iſtum *olera, quamdiu fuit juvenis, ſine oleo, poſtquam verò ſenuit, ſuperfuſo oleo manducaſſe. Ideo oleum,* ait Auctor, *perſuaſus accipere, ne caligo prævalens oculorum, lectionis impediret officium.* Similibus igitur tunc remedijs ſolatiolum aliquod, ne ſaltem copiâ, aut craſſamento in nubem coirent, adverſus caligines quærebant: ſed ne ſenili ſiccitate,tunicæ & humores oculorum corrugati, umbras illas, & radiorum divaricationem crearent, quas ſenes experimur, quid remedij habebant? Nullum enim, niſi in perſpicillis noſtris invenire poſſumus.

Plut. lib. 1. q. 8. Symp.

Itaque ſenes litterati Anagnoſtis, ſeu Lectoribus, quod de ſene Carneade narrat Laërtius, tunc utebantur. Aut etiam litteris majoribus & decumanis Libri quidam, pro ſenilibus oculis in papyro ſcribi, vel in cera exarari ſolebant. Tales fortaſſe, qui calamis majoribus & arundineis ſcribebantur:

Martial.

Dat calamos chartis habiles Memphitica tellus.

Sed quo igitur tandem ſeculo perſpicilla noſtra inventa?

Exiſtimo, circiter Annum Chriſti 1300. quando ſcientia Optices, ex cujus præceptis perſpicilla formanda & limanda ſunt, per Vitellonem, Rogerium Baconem, & Ioannem Archiepiſcopum Cantuarienſem è tenebris emerſit.

Vnde ſtatim poſt iſta tempora,mentio perſpicillorum apud

Medicos quoſdam fieri cœpit. *Nam Gordonius Medicus, qui ampliùs abhinc trecentis annis claruit*, ait Clar.mus noſter Plempius, *Cap. de Viſu debili, nec non Guido Cauliacus, ipſo ſolùm quinquaginta annis iunior, perſpicillorum, quæ ſenes ad conſpiciendas minutiores litteras adhibent, meminerunt.* Apud Arabes tamen potuit perſpicillorum notitia & uſus paulò fuiſſe vetuſtior; quia Alhazeni Arabis Perſpectiva uno circiter ſeculo, ut quidam conjectant, videtur Vitellone eſſe antiquior. Quanquam ſcientiæ tales non illicò eant, aut deducantur in praxim & promiſcuum uſum; quia nemini fortè artifici ejus rei venit in mentem. Nam ecce à tot jam ſeculis Rogerius Bacon ſcientiam & modum vitra duo, cavum & convexum, tubo uno condendi, ad longinquè videndum, tradiderat; quæ res tamen noſtro demum tempore à Batavis noſtris credita fuit inventa, quia praxi & uſu eam vulgaverunt. Quanquam certè etiam Batavus aliquis, Baconis incogitans, alterâ jam vice inveniſſe potuerit.

Vop. Fort. Plemplius lib 4 c.ult. Ophthal.

Vixit An. 1270.

VIII.

An non fallitur Io. Keplerus, cùm ait non ſolam ſuperficiem ſolis, ſed etiam centrum ipſum à nobis videri?

Kepler Paralip. in Vittel. c. 6.

Solis corpus aſpiciens, inquit, *nolito credere, te ſolam cernere ſuperficiem. Non tanta vis hæret in ſuperficiebus corporum, ſed intus in profundo latet, ut in magnete, ideoq́ ſuprà, ne colores quidem ex nudis ſuperficiebus derivabamus. Sed tu corpus ſolis aſpiciens, ſcito te undique in tota ſuperficie aſpectabili, centrum ſolis per refractionem intueri: ut cuius fortiſſima eſt illuſtratio.*

Sed nonne ſolare corpus ſolidum & denſiſſimum eſt? Negant hoc tamen aliqui. Imò rariſſimum eſſe credunt; quia aliàs, ut putant, in liquido æthere non poſſet ſuſpendi. Vel certè, ſit denſiſſimum, modò inſtar adamantis, pellucidum ſit. Sic enim radij à centro, per totam mediæ ſphæræ denſitatem, in ſuperficiem ebullire & emicare poſſunt. Et ſanè ſuperficialis lux ſolis tenuior & invalidior eſſe videtur, quàm ut tam largum luminis flumen effundere valeat, quo totum Mundum videmus inundari. Sic alicubi antè negavimus radios coloris à ſola ſuperficie mathematicâ corporis colorati,

ſed ex aliqua ſaltem tenuiſſimâ profunditate emicare.

Si autem radij ſolis ex fundo etiam, & centro ipſo corporis ſolaris effunduntur; igitur non tantùm ſuperficiem, ſed interanea etiam ipſa ſolis videmus, à quibus radij centrales in oculos noſtros effluunt.

VIII.

Aliac. in 4. q. 5. Vtrum oculus Chriſti in Euchariſtia circumſtantes videre valeat? Dominus Cameracenſis affirmat. Cur Beatus enim ille Chriſti oculus ſpecies viſibiles vultûs & digitorum ſacerdotis Euchariſtiam tractantis excipere, ac per eas videre non poſſit?

Attamen ad naturalem viſionem, aliqua tunicarum, & humorum oculi expanſio neceſſaria eſt, ut ſpecies viſibiles in ijs verſus perpendicularem refringi, & in tunicæ retinæ pariete ordinatè depingi valeant. Chriſti verò oculus, & totum corpus ſine extenſione partis extra partem, ſub accidentibus Euchariſtici panis deliteſcit.

IX.

An verum quod Io. Bapt. Porta dicit, & Sennertus non abnuit: Nos unico tantùm oculo ſemper videre, etiamſi duos apertos habeamus?

Sennert. lib. 1. c. 12. Inſtit.

Nam unica vis videndi eſt, inquit, quæ ab uno oculo in alterum momento quaſi temporis tranſcurrit. Aut certè, ſi unuſquiſque oculus ſuam virtutem viſivam habeat, per ſpiritus tamen viſorios, qui in hunc, aut in illum oculum, non in duos ſimul, ad imperium voluntatis, univerſim confluunt, viſionem exercet.

Rem autem ſe ſic habere patebit, inquit Sennertus, *ſi inter utrumque oculum tabula aliqua, vel paries intercedat. Si enim liber objiciatur dextro oculo, rectè videbitur, ſin autem & ſiniſtro oculo alterum librum quis objiciat, non ſolùm non legere illum poterit, dum in ſiniſtro legit, ſed neque paginas videre; niſi ſiniſtro oculo videat ſolùm & videndi virtutem, ſeu potiùs ſpiritum viſorium à dextro oculo ſubtrahat, mutueturq́; ſiniſtro.*

Sed utroque ſimul oculo, in illo etiam tabulæ interpoſitæ exemplo, utriuſque libri ſimul characteres videmus (quod experientia mea mihi ſanè dicit; quidquid experti ſint Io. à Porta & Sennertus) magis tamen confuſè, & diſtractè, quàm ut

uterque

uterque liber ſimul legi poſſit. Imò, niſi duobus oculis ſimul rem aliquam videremus, diſtantiam ejus à nobis dimetiri & cognoſcere haud poſſemus. Vnde ſi quis rem aliquam aliquot pedibus remotam, digito ſuperpoſito præcisè contingere velit, certò facere non poteſt, ſi uno tantùm oculo eam aſpiciat; quod tamen facillimè poterit, ſi oculo utroque ſimul eam conſpiciat. Igitur, licet ad colorem & lumen, quæ ſunt ſenſibilia propria, cognoſcendum, unius oculi intuitus ſufficiat; ad ſenſibilia tamen communia diſtinctè percipienda, utriuſque oculi intuitus ſimul ſæpenumerò eſt neceſſarius.

Itaque ſpiritus animales viſorij, & virtus cerebri irradiativa utrique oculo ſimul illabitur; ſed in duos rivos jam diſperſa, ideoque tenuior utrobique & infirmior. Sed maximè idcirco (in exemplo Sennerti) ad utriuſque libri ſimul lectionem vis illa ſic diſperſa non ſufficit; quia animi attentio viſuales utriuſque oculi pyramides diſtrahit, nec in eandem baſim eademque objecti puncta dirigit, neque proinde totâ animi attentione eidem objecto incumbit.

X.

An verum quod Theologi quidam affirmant, *Beatorum corporeos oculos non indigere lumine, ut videant?* Ægid. Coninck Diſp. 4. d. 2. de Actib. ſupernat.

Hoc enim perfectioni illius ſtatûs debitum eſſe videtur.

Sed tamen quandonam oculi Beatorum tenebris obſcurantur, quorum totum corpus dote claritatis perfuſum, & radios luminis longiſſimè eiaculatur?

Deinde, nonne naturalis modus videndi exigit ſpeciem viſibilem, figurâ pyramidis in oculos radiatam? Iſta verò ſpecies, vel eſt lumen ipſum, quando lux eſt quæ videtur; vel certè per medium lumine illuſtratum neceſſariò traijci debet, ſi coloris ſpecies eſt. Imò antea Artic. VII. docuimus, ſpeciem viſibilem coloris nil eſſe aliud, quàm tenuis cujuſdam luculæ radium, umbris mixtum ac involutum. Sicut igitur oculi Beatorum ſpecie, ita lumine indigere videntur.

XI.

Mirum ſanè, & tamen quotidianum, quod ait S. Iacobus: Iac. 1. *Virum qui conſiderat vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo, ſtatim obliviſci, qualis fuerit.*

An

An oblivio iſta proprij vultûs inde accidit, quod ſpecies vultûs à ſpeculo reflexa ſit debilior, quàm directa, & ideo minùs impreſsè memoriæ infigatur? Sic enim multi philoſophantur.

Verùm reflexio à ſuperficie ſpeculi adeò vicini, tam ſenſibiliter & inſigniter ſpeciem debilitare nequit. Deinde quid de ſpeculo concavo facimus, à quo ſpecies reflexa, fortior & confertior eſt quàm directa?

An ergo non de nihilo S. Iacobus, de *viro* conſiderante vultum ſuum in ſpeculo, non de femina dixit? Viri enim raro, leviter, & obiter in ſpeculo faciem inſpiciunt, ac mox ad alias cogitationes converſi, imaginem vultûs ſui non firmiter imprimunt. Feminæ autem, quæ ad ſpeculum ſe comere, aut fucare ſolent, formam ſuam memoriæ magis inculcant, & impreſſiùs retinent.

Denique, hoc tam in feminis quàm viris, imaginem & recordationem proprij vultûs confundit; quòd in recordando, mentem noſtram ad vultum nativitatis noſtræ reflectamus, prout eum apud nos gerimus, non prout extra nos in ſpeculo, & ex adverſo ipſum vidimus. Vnde quiſque experitur ſe expreſſiorem vultûs ſui figuram imaginari poſſe, ſi ſpeculi quoque recordetur, & imaginem ſuam quaſi in eo impreſſam, & exadverſo poſitam cogitet.

XII.

Mirum eſt, quare lac, tam candidus, & politi lævoris liquor, ut videtur, non imaginet, nec ſpeculi officio fungi poſſit. Nam vinum, aqua, & ejuſmodi liquores, imagines noſtras reddunt, ut in ijs tanquam ſpeculis, nos aſpicere valeamus.

An quia candor lactis ſpeciem vultûs noſtri, candore ſuo diluit, & umbras quæ ſpecies viſibiles coloris aſtringunt, diſſipat? Aut quia fungoſitate ſuâ ſpecies illas quodammodò abſorbet?

Baſil. in c. 1. Iſai. An denique (quod S. Baſilio placet) quia πομφόλυγες *bullulæ* quædam minutulæ & inviſibiles ſummam lactis ſuperficiem aſperant, ne ſpecies unitè, & eo ordine reflecti poſſint, quo debent, ad imaginandum, & exprimendam vultûs noſtri ſimilitu-

ſimilitudinem? Vnde animas juſtitiâ quidem candidas, ſed morum tamen aliquâ adhuc aſperitate inæquales, S. Baſilius lacti elegantiſſimè comparat. Sicuti enim lac, inquit, etſi candidum, non tamen imaginem ſolis attrahit, propter bullularum quarundam in ſuperficiem excreſcentium inæqualitatem; ita quædam animæ, candore juſtitiæ ſatis quidem lucent, ſed morum tamen quadam adhuc inæqualitate, Dei imaginem non rapiunt, nec memoriæ ſuæ perpetuò impreſſam geſtant.

CAPUT IV.

De Auditu.

VIſum nobilitate ſequitur auditus. Poſt viſum enim, qui uſque ad cælum & ſidera extenditur, auditus longiſſimè foràs procurrit; ſi verum eſt, quòd uſque ad locum primi ſoni ſe porrigat. Tonitrua enim fulminum, aut Tormentorum, ex multorum ſæpe milliarium intervallo exaudiuntur, præſertim ſecundo flatu. Reliqui verò tres ſenſus, odoratus, guſtus, tactus propinqua tantùm percipiunt, *& corpulentiores ac quodammodò craſſiores ſunt*, inquit S. Auguſtinus, *nec ſe foras projiciunt, ſed interiùs, quod ad eos pertinet, agunt.* Quanquam odoratus aliquantulùm fortaſſis etiam ſe projciat, & foràs excurrat. S. Auguſt. lib. 4. c. 14. contra Iul.

ARTICVLVS I.

Quid ſonus.

OBjectum auditûs eſt ſonus. Sonum primus Archelaus Socratis præceptor, *ἀέρος πλῆξιν aëris ictum* definivit, & ab eo definitionem Ariſtoteles accepit.

Definitio tamen eſt cauſalis. Non enim ſonus eſt formaliter ictus, aut motus aëris, ſed qualitas tertiæ ſpeciei, ex ictu & motu confligentium corporum reſultans. Vnde à Ptolemæo, rem iſtam propiùs inſpiciente, non vocatur *πλῆξις ictus*, ſed *πάθος ἀέρος πλησσομένου paſſio aëris icti.* Malleus enim icit campanam, ictu rumpitur medius aër, rupturâ exilit ſonus. Vnde tria corpora ad ſoni generationem requirit Ariſtoteles, duo inter ſe confligentia, & tertium, quod eorum comploſione, in

 medio

medio frangitur. Quanquam unicum corpus, ſi liquidum & flexile ſit, trium vicem ſubire poſſit; ut cum aer ad aërem, ventus ad ventum magno impetu alliditur. Unde non univerſim verum eſt quod ait Ariſtoteles, corpora ſonantia oportere eſſe στερεὰ *ſolida*. Nihil enim profectò ſolidum eſt in nubibus, quæ tamen fulmine ruptæ, tanto ſonitu crepant. Celeritas autem ictûs intendit ſonum, quia plus aëris ſimul frangitur; ut in tonitru patet, ubi exhalatio momento ferè univerſim accenſa, uno & celerrimo ictu diſplodit nubem. Simile experimentum in bombardis noſtris, præſertim ſi meliori pulvere, & qui totus ſimul concipiat ignem, onerentur. Nec longè diſſimile, quando pannus novus celeri impetu manibus diſcerpitur.

Experimento etiam notum eſt, quo corpora ſolida magis poroſa & foraminoſa ſunt, ut æs Campanũ, & omnia ferè æris genera, eo magis tinnula eſſe. Aër enim qui intra poros intercipitur, ſonos etiam excipit, & per infinitos propemodum cæcos meatus, foràs ſeminat & exſpergit. Nec enim video cur fallatur Seneca, dum ait, *vocem per parietum munimenta tranſmitti, quia ſolido quoque aër ineſt, qui ſonum extrinſecus miſſum & accipit & remittit. Scilicet ſpiritu non aperta tantùm intendens, ſed etiam abdita & clauſa.*

Seneca lib. 2. c. 9. Nat.

Quia verò omnis Muſicus ſonus triformis eſt, & aut voce, aut flatu, aut pulſu editur, ideo tres tantùm Muſas initiò finxit fabuloſa antiquitas; ut prima vocali faucium cantui, ſecunda tibiarum & tubarum inſpirationi, tertia cithararum & tympanorum pulſui præeſſet. Sed miro & ridiculo caſu novem factæ ſunt, quem ex doctiſſimo Romanorum M. Varrone S. Auguſtinus narrat.

S. Aug. lib. 2. c. 17. Doctir. Chriſt.

Cùm enim civitas quæpiam tribus artificibus terna Muſarum ſimulacra conficienda tradidiſſet, ut tria è novem illis formoſiſſima ſeligeret, ac in templo Apollinis dedicaret; omnia verò ſpecioſiſſima apparuiſſent, nullo, aut difficili pulchritudinis diſcerniculo, placuit omnia novem dedicari: quibus poſtea vocabula Heſiodus fabricavit. Tam ridiculos natales habuerunt Muſæ illæ filiæ Iovis, Poëtarum numina,

ſine quibus nullum elegans carmen pangi, nullum Pegaſeum melos cantari poteſt, ſi Poëtarum vanitati credere quis volet.

ARTICVLVS II.

Quænam ſit cauſa phyſica ſoni efficiens.

OMnes corporum alliſionem, cauſam ſoni efficientem dicunt; nec aliam quæreremus, ſi ſonus aliud non eſſet, quàm motus localis aëris confracti & diſſilientis, inter corpora quæ colliduntur. Sed profectò motus aëris, ſonus non eſt. Plurima enim moventur, quæ non ſonant. Deinde motus inter ſenſibilia communia numeratur, ſonus ſenſibile proprium auditûs eſt.

Sed nec ipſe corporum motus poteſt dici cauſa phyſica ſoni efficiens. Motus enim eſt tendentia ad Vbi. Tales autem tendentiæ, modi quidam tenuiſſimi ſunt, imbecilles, & ad quidquam producendum (præſertim ſi effectus tam perfectus eſt, quàm ſonus) invalidi.

Itaque præter corporum motum & colliſionem, oportet qualitatem aliquam ſonabilem, ſive ſonoram, tanquam potentiam quandam ſoni effectricem corporibus tam mixtis, quàm ſimplicibus inſerere. Hæc verò non eſt unius ſpeciei, ſed pro diverſitate temperiei, varia. Aliâ enim ſpecie ſoni campana, aliâ cymbalum, aut *ſonabile ſiſtrum*, ut Naſo loquitur, ſonant; Ovid. quia metallis diverſæ ſpeciei conſtant. Nec eſt quod quiſquam totam ſonorum diſcrepantiam, in varias aëris inter corpora colliſa, fractiones referre conetur. Nam ſoni metallorum, lapidum, lignorum longè invicem diſſonant, licet ſuperficies eorum ſimillimâ figurâ & pari impulſu complodantur. Quædam etiam lignorum genera ſurda appellantur, quia percuſſa nullum, aut obſcuriſſimum ſonitum reddunt. Maurolyc. in Muſic. tradit.

Veriſſimum ergo quod ait eruditus Maurolycus: *Qualitatem ſoni diverſificari ex qualitate materiæ, magnitudine corporis, & forma inſtrumenti.*

Et hæc fortaſſe cauſa eſt; cur ſiderum globi per ætherem

concitatiſſimo motu rapti, nullum ſonitum edant; quia, inquam, nulla fortè in ipſis, aut æthereâ illâ aurâ qualitas ſonabilis ineſt. Ideo enim Tycho aërem elementarem inter planetas ſonabilem eſſe negat; quia *conſentaneum*, inquit, *foret concitatiſſimo ſiderum motu ſonum ingentem cieri, qui procul dubio auditum etiam noſtrum percelleret*. Quanquam tamen res iſta non tam ſit indubitata, quin reſponderi poſſit: ſidera cum æthere ſuo in orbem currente, non ſonare; quemadmodū navis, aut ligneus in flumine globus defluit cum undâ, inſono lapſu. Simili enim exemplo Ariſtoteles Pythagoricos, qui ſiderum motu Muſicos ſonos edi cenſebant, refellit: *Quia in eo continuè quod fertur & non facit plagam, impoſſibile eſt ſonare.*

Epiſt. ad Rothm.

Ariſt lib. 2. c. 9. de cælo.

Imò aves aërem immotum, aut piſces aquam ſtagnantem, nullo qui exaudiri poſſit ſonitu ocyſſimè terebrant. Imò nec ſi aves aërem reflantem, aut piſces fluvium adverſum celeri & lubrico lapſu trajiciant, ullus plerumque ſonitus ad aures noſtras ſatis propinquas pervenit. Quia licet celerrimo motu dividatur aër, aut aqua, non tamen corporum illorum alliſione ſic frangitur, ut inde reſultet ſonus inſigniter ſenſibilis. Vnde fallitur, opinor, Macrobius, dum motu planetarum, qui *in contrarium cælo feruntur*, *ſonum naſci neceſſe* dicit; *quia percuſſus aër ipſo interventu ictus, vim de ſe fragoris emittit, ipſa cogente natura, ut in ſonum deſinat duorum corporum violenta colliſio.* Fallitur, inquam, quia glans bombardaria, ſive ſecundo, ſive adverſo vento aërem & ventum perforet, non ſonat quod audiatur, niſi lacuna, aut aſperitas aliqua ſuperficiei glandis, aëri duriuſculè ſe affricans, ſibilum edat. Igitur nec ſphærica planetarum corpora, in liquido æthere longè tenuiore, quàm aër terræ vicinus, ſonitum inſignem edent, licet ab Occaſu verſus Ortum contra ætheris raptum moveantur.

Macrob. lib. 2. c. 1. Som. Scip.

Adde jam, verius eſſe, planetas non luctari contra ætheris vertiginem ab Ortu verſus Occaſum ipſis occurrentem; ſed apparere eos ab Occaſu in Ortum regredi, quia ſegniùs quàm ſtellæ fixæ, verſus Occaſum feruntur; ideoque relicti retrò, verſus Ortum ſe promoviſſe videntur.

Hinc jam non difficilis quoque redditur ratio: cur etiamſi

luna

luna montibus fortaſſe ſit aſpera (quod quidam per tubum Batavicum ſe certò deprehendiſſe putant;) ſine ſonitu tamen, & inſigni ad ætherem plagâ, vel aſperâ aliquâ confricatione moveatur. Vel certè ſi ſibilus aliquis inde abſiliat, non tam vocalis eſt, ut huc uſque exaudiri poſſit. Ad hoc enim neceſſe foret, ætherem & aërem à luna uſque ad terram vibrari & contremiſcere, ut poſtea explicabitur.

Si verò in cælis ſolidæ ſint ſphæræ, quarum concava ſuperioris ſuperficies convexam inferioris affricet, nullum tamen ſtridorem aut ſonitum edent; veluti terſiſſimæ duorum ſpeculorum ſuperficies confrictæ non ſonant. Id enim fit ſine ictu, quo corpus unum impellere alterum, & ſpatium ejus invadere conetur, fracto aëre, aut alio corpore fluido, quod interceptum eſt. Cardanus omni ictu, etiam leniſſimo, ſonitum excitari credit, etſi non exaudiatur. Quod ratione non caret. Nam quòd Ariſtoteles ait, *Si acus acum feriat, non ſonare*, de ſonitu ſenſibili facilè poteſt intelligi. Veluti etiam, cùm dicuntur nives ſine ſono in terram decidere, ideoq; *tacitarum vellus aquarum*, Martialis eas appellat; de ſtrepero ſonitu, qualis eſt grandinum, accipiendum eſt.

Nec tamen hinc conſequens eſt, ut omni ac minimo linguæ motu, quiſpiam præcepto legendi Horas Canonicas ſatisfaciat. Nam licet talis ſonitum aliquem informem edat, non tamen illos ſonos format, quos diverſæ vocales, aut conſonantes exigunt, ex quibus ſingulæ voces integrantur. Hoc patet in ebrijs & balbutientibus, quorum lingua nimis flaccida & lapſans, non ita palatum & dentes ferit, ut ſingularum ſyllabarum ſonitus exprimat. Certum enim, & determinatæ quaſi figuræ ictum unaquæque littera poſtulat. Conc. deinde Baſilienſe aliquid etiam amplius, quàm ſonum ad Horarum lectionem flagitat: *Vt divina laudes per ſingulas Horas non curſim ac feſtinanter, ſed Aſiatim, ac tractim & cum pauſa decenti perſolvantur*. Quod ſaluberrimum præceptum in nimis multis, prô dolor, Eccleſijs hodie negligitur. Quod autem *Aſiatim* dicit; interpretor, longo ſpiritu & tractu: nam Aſiani olim in tendendâ verborum pronunciatione, prolixi, ac toto genere dicendi, longi & verboſi erant. Vnde Aſiaticum dicendi genus

Conc. Baſil. ſeſſ. 21.

Laconico opponi ſolet. Non exiſtimo tamen, eum qui privatim & ſolus Horas ex præcepto recitat, teneri ſonos tam elatè & vocaliter pronunciare, ut à ſeipſo exaudiri valeat, quidquid contrà Fillucius, Reginaldus, Sanchez, &c. quos Navarrus, Malderus, Suarez, Bonacina, alijque merito refellunt.

Si quæras, cur qualitas illa ſonora, quam metallis, lapidibus, lignis, & omnibus univerſim elementaribus corporibus aſſerimus, expectet ictum rëris, antequam ſonet?

Dic tu mihi viciſſim, cur vis calorifica piperis, ventriculi calefactionem; cur virtus ſeminis, uteri fermentationem; cur vis attractiva medicamentorum, aliquam viſcerum antecedentem alterationem expectet, antequam agat? Poſtquam enim aciem ingenij exerueris, & ſatis exercueris, fundum nullum in iſta divinæ ſapientiæ abyſſo invenies, ſed ſolùm rude iſtud & perfunctorium dicere poteris, Talis eſt eſſentia illius cauſæ, ut non niſi hac conditione poſitá, ac velut à ſomno excitata, ad operationem ſuam evigilet. Talis autem natura, tale ingenium ſonoræ illius qualitatis eſſe debuit, ut ictu & corporum colliſione ad ſonandum excitari deberet; ne aliàs ſemper & inceſſanter ſine ullo ictu, ſonando, omnia undique inſano ſonitu diu noctuque perſtreperent, & nobis aures aut effringerent, aut nos magis ſurdos, quàm molitores, redderent. Si autẽ corpora longè diverſi temperamenti, ut lignum, & ferrum collidantur, aliter ſonant, quàm ſi lignum ligno, ferrum ferro allidatur; quia ſonabiles diverſæ ſpeciei qualites ad unum ſonitum concurrentes, temperiem fortaſſe quandam ex duobus ſonis quaſi temperatam, effectui communicant.

Quo etiam corpora magis poroſa, ceteris paribus, eo clariùs ſonant. Ideo enim fortè æs Campanum magis ſonabile eſt, quàm plumbum.

Non eſt etiam indifferens, quodnam corpus liquidum inter duo dura frangatur. Duo enim lapides impetu torrentis intra aquam colliſi, ſurdiùs ſonant, quàm ſi in aëre, aut igne complodantur. Solum autem aërem (non verò aquam, aut

ignem)

ignem) fractum inter dura corpora, ſonare, non credo. Nec enim cum fulmen tonat, ſolum aërem, ſed etiam aqueum nubium vaporem diſcerpi, ac utrumque ſimul ſonare, exiſtimo.

Ex his patet, ſonum formaliter ſic definiri poſſe: Qualitas ſenſibilis proximè orta ex aëris, aut alterius fluidi corporis, inter corpora ſe collidentia, fractione. Nam Archelai & Ariſtotelicâ ſoni definitio, Τῦ ἀέρος πλῆξις, *aëris ictus*, non eſt formalis, ſed cauſalis, ut antè monuimus.

ARTICVLVS III.

De voce.

SOnus in vocem, & ſonum qui vox non eſt, dividitur. Vox animali propria eſt, cetera ſonitum ſimplicem, non vocem habent.

Vox, inquit Ariſtoteles, eſt *percuſſio ad aſperam arteriam, facta ab anima quæ in partibus eſt.* Ariſt. lib. 2. c. 8. de Anima.

Divinus enim opifex quædam formandæ vocis inſtrumenta fabricavit:

Primò pulmones, veluti folles, quorum motu attractus & expiratus aër, ad aliud corpus allidatur, ut ſonet. Deinde aſperam arteriam, ad quam fit prima aëris alliſio. Tertiò, laryngem, quæ eſt aſperæ arteriæ caput, ſitum ad fauces. Hæc aërem iterùm frangit, & ſonum modulatur. Ideo enim dilatat ſe & conſtringit, prout gravis, aut acutus formandus eſt ſonus. Quartò ſequitur epiglottis, quæ eſt cartilago, figurâ folij hederæ, laryngis hiatum operculans. Quintò denique, lingua, dentes, labia. Per quæ omnia inſtrumenta, ſucceſſivè ſtupendo divinæ ſapientiæ miraculo, aër ineffabilibus quibuſdam modis, in voces tandem perfectas & articulatas frangitur & figuratur

Aſperam arteriam Lactantius eleganter *fiſtulam ſpiritalem* appellat, quia per eam ſpiritus, ſive aër à pulmone per laryngem, in os expiratur. Dura eſt, & interiùs aſpera, ut aër aſperiùs ad eam allidatur, & ſubſultim per eam decurrat. Hæc enim

enim *fiſtularum, tibiarum, & cornuum ritu fingi debuit*, ait noſter Veſalius; *quandoquidem ut vox fiat, ſymmetriam quandam eſſe oportet, & robur aëris ipſius, & ſubſtantiæ ab eo percuſſæ.* Eſt ergo in naturæ organis, *Quod moderata ſonum vario ſpiramine buxus,*

Veſal. lib. 5. c. 4.

Stat.

Primarium autem vocis organum, laryngem eſſe eo argumento Veſalius & Galenus exiſtimant, quòd pro ratione & modulo vocis, rimam ejus laxemus, aut contrahamus. *Congruit etiam uſu*, inquit Veſalius, *quamvis non formâ, cornuum & tubarum orificijs, quæ ori illa inſtantes accommodamus.*

Veſal. ibid.

Attamen larynx, addit, *longè omnium fiſtularum artificium vincit. Quæ ita effecta eſt, ut modò minùs, modò magis eam laxare poſſimus, ac varias voces, non autem unicam dumtaxat (ut artificum inſtrumenta) edere valeamus.*

Aliqui tamen non laryngem, ſed operculum rimæ ipſius, quod epiglottidem vocant, principale vocis organum conſtituunt; quod Veſalius refellit. Nam *nihil ad vocem facere, ex vera*, inquit, *ſectione perſpectum habemus.*

Et profectò non tantam in epiglottide vim & momentum eſſe, ex cantu avium tam intento & vocali facilè colligimus: in quibus tamen epiglottidem aliquam eſſe, quæ laryngem operiat, Ariſtoteles negat. *Epiglottida nullæ ovipararum*, inquit, *habent, ſed contrahunt tantùm, aut relaxant laryngis rimam.* Vnde ille philomelæ cantus, *perfectâ Muſicæ ſcientiâ modulatus, qui nunc ſpiritu continuo trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc diſtinguitur conciſo, copulatur intorto, promittitur revocato, breviterq́ omnia tam parvis in faucibus, quæ tot exquiſitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit*; ſine ullius tamen epiglottidis vibratione & motu perficitur.

Ariſt. lib. 2. c. 12. hiſtor. animal.

Plin. lib 10. c. 29.

Attamen paulò ante Veſalius dubitando dixerat, *Epiglottida fortaſſis quippiam ad aliquam modulationem* conferre: quod omnino credo.

Principalis autem uſus epiglottidis eſt, ut inter edendum & bibendum, laryngis rimam operiat, ne quid cibi aut potûs in aſperam arteriam & pulmones decidat. Secundarius verò, ut aëris, qui loquendo, per rimam laryngis expiratur, ictum excipiat, & voci, in animalibus quæ epiglottide non carent, modula-

modulationem aliquam addat. Vnde inſtrumenta vocis Galenus non tantùm aſperam arteriam & laryngem, ſed etiam epiglottidem vocat. Galen. lib. 7 de compoſ.

His tamen tribus organis, rudimentum ſolum quoddam vocis adhuc formatur, quod linguâ, palato, naribus, dentibus in ore tandem figuratur, & noviſſimè labijs perpolitum, extra *ἕρκος ὀδόντων ſeptum dentium*, ut loquitur Homerus, velut expuitur. Ad hoc verò plurimum linguæ latitudo confert. Vnde inter omnia animalia, aves, præcipuè *πλατύγλωσσοι quibus lingua eſt latior*, litteras pronuntiant, & humanam loquelam imitantur: quales pſittaci, corui, ſturni, picæ. Ariſt lib. 2. c. 12. hiſtor. animal.

Non omnia verò inſtrumenta vocis ſingularum vocum pronunciationi æquè ſerviunt. Vocalis A. in imo gutture, hiante larynge profertur, E. paulò ſuperiùs. I. medium oris occupat. O. finem, & labijs ad ſimilitudinem figuræ, qua Latini eam vocalem pingunt, corrotundatis quaſi vomitur. V. compreſſis labijs exſibilatur.

Vocalis E. dentium miniſterio maximè perficitur. Vnde ſenes & edentuli apud Anglos, quibus illa vocalis eſt familiariſſima, fermè muti eſſe dicuntur. Veluti etiam in Polonia, & linguis illis Sclavonicis ſibilantibus, loquela edentulis difficillima eſt, quia ſibili compreſſis dentibus, & vehementi aëris ad eos alliſione figurantur. Vnde quia Ephrathæi ad vada Iordanis ſibilare & aſpirare *Schibboleth*, per ש *Schin* non poterant, ſed loco ejus ſubſtituebant Samech, dicebantque Sibboleth, à Galaaditis iſto indicio deprehenſi, trucidabantur. Græci Dores, & quibus vocalis A. familiaris eſt, ex gutture & apertâ larynge loquuntur. Qualiter etiam Florentini Italicam pronunciant. Indic. 12.

Vnde Chriſtianiſſimam Galliæ Reginam, Mariam Mediceam, cùm Anno 1638. per Lovanium in Hollandiam tranſiret, Gallicum etiam idioma, ritu Florentino, ex imo gutture gargarizantem, cum voluptate audiebamus. Doricum quoque loquendi & hiandi modum Bergomatibus M. Ant. Muretus tribuit. *Erat Dorum in Græcia*, inquit, *eadem ferè pronunciatio* Muret. lib. 2. Variar.

nunciatio, quæ in Italia Bergomatium, lato & diducto ore.

Corvi quoque, quia ex gutture naturaliter crocitant, ad nullam vocalem ſunt magis dociles, quàm A. ideoque ſi Græcè loquerentur, ſine dubio Doricâ dialecto uterentur. Inter etiã conſonantes, aliquæ uni genti faciles, aliæ duræ pronunciationis, ideoque in alias commutant. Attici Sigma Græcorum in Tau deflectebant, ut ex γλῶσσα, *lingua*, γλῶττα, & θάλασσα, *mare*, θάλαττα faciebant. Quo planè modo Belgæ Teutones aſperum illud Germanicum S. in T. emolliunt: unde pro ſchluſſel/ clavis, ſleutel/ pro ſchieſſen/ iaculari ſchieten/ pronunciant. Littera enim S. σκληρόστομος, *dura pronunciationis* eſt, inquit Athenæus, ideoque *Muſici eam non pronunciant, tanquam tibiarum modis minimè convenientem, ac in locum ejus R. tanquam facilioris ac blandioris ſoni aſſumunt.*

Pueri autem, quibus lingua præ humiditate laxior & tumidior, litteram iſtam ſerpentinam S. non facilè nec libenter ſibilant. Vnde ſi hoc verbum, *ſibilare*, aut *ſilere*, pronunciare jubeantur, *tibilare*, & *tilere*, fermè reſponſare ſolent. Hinc etiam illud Tata, quo patrem appellitant, inquit M. Cato, quando fari primùm incipiunt. Litteram enim T. facillimè balbutiunt. Vnde nec valde fortaſſe falletur, qui Atticam dialectum putaverit à pueris traxiſſe originem.

Plurimum verò ad rectam ceterarum linguarum pronunciationem refert, in quod idioma primùm fracta fuerit lingua puerilis. Flexus enim inde quidam linguæ, & nervis linguam moventibus imprimuntur, qui in totam vitam manent. Hinc Germani Latinè, aut Gallicè loquentes, ſibilis & aſpirationibus Germanicis linguas iſtas manifeſtè exaſperant. *Anglorum verò etiam doctiſſimi*, narrat Ioſ. Scaliger, *tam pravè Latina efferunt, ut in hac urbe* (Lugduni Batavorum) *cum quidam ex ea gente per quadrantem horæ integrum apud me verba feciſſet, neque ego magis eum intelligerem, quàm ſi Turcicè locutus fuiſſet, hominem rogaverim, ut excuſatum me haberet, quòd Anglicè non bene intelligerem. Ille qui eum ad me deduxerat, tantum cachinnum ſuſtulit, ut mea non minùs interfuerit pudere, quàm ipſius ridere.*

Ioſ. Scalig. lib. 4. Epiſt. 362.

Veruntamen Scaligerum non valde tunc attentum fuiſſe oportuit,

oportuit. Intelligimus enim Anglos Latinè loquentes, ſed ſicut Iones Græcè inter Dores, vocalem A. in E. dentibus, & collecto oſculo perpetuò ferè extenuantes.

Nullam verò novimus hodie nationem, quæ linguam in omne externum idioma, Latinum, Gallicum, Hiſpanicum, Italicum, Germanicum, Anglicum, magis ductilem & explanabilem habeat, quàm Belgas, præſertim eos qui Teutonicè loquuntur.

Mirum hoc etiam eſt, quot homines, tot vocum diſcrimina, ut vultuum eſſe. Vnde *vox in homine*, inquit Plinius, *magnam vultûs habet partem Agnoſcimus eum priuſquam cernamus, non aliter quàm oculis. Totidemq́ ſunt eæ, quot in rerum natura mortales, & ſua cuique, ſicut facies.* Plin. lib. xi. c. 51.

Cauſa tantæ varietatis, in diverſa conformatione aſperæ arteriæ, ac præcipuè laryngis, ceterorumq́ue organorum, per quæ vox à pulmone ad extrema labia decurrit. Minima enim figuræ, aut temperamenti diverſitas inflexionem, aut tonum evariat. In quo admiranda prorſus divini opificis ſapientia, uti & in vultuum diſcerniculis.

Vt etiam ex fiſtulæ gracilitate, aut craſſitie, quæ minus, aut amplius aëris uno ictu frangit, deinde ex materiæ ſiccitate & ſonabili alia temperie, vocalior aut remiſſior reſultat tibiarum, tubarum, cornuum ſonus; ſic in humanæ vocis organis. Hinc illa vocalitas tanta Peſcennij Nigri, qui inter ceteros poſt Pertinacem, Imperium invaſit, *ut in campo loquens*, ait Spartianus, *per mille paſſus audiretur, niſi ventus adverſaretur.* Hinc ahenea vox Stentoris χαλκεοφώνου apud Homerum, qui clamore quinquaginta alios æquabat. Iliad. E.

ARTICVLVS III.

Quomodo ſpecies ſoni diffundantur per medium.

SPeciem ſoni motu quodam ſucceſſivo per aërem ferri, non ſicut ſpeciem lucis & coloris, momento diffundi, experimento notum eſt. Sic fulminis, ſic bombardæ procul diſtantis flammam videmus, antequam fragor & ſonitus ad

tus ad aures perveneri. Adeò ut avis, quæ arbori inſidebat, glande icta, à ſpectatore longinquo decidiſſe citius conſpiciatur, quàm ſonitum exaudierit.

Et tamen ignea lux non emicat extra bombardæ orificium, antequam ſonitum edat. In ipſa quippe eruptione, frangit aërem, & ſimul excitat ſonum; qui ideo fragor appellatur.

Ariſtot. Spargit autem ſonus ſpeciem ſui *παιταχῆ καὶ κύκλῳ circulariter & in orbem*. Nec enim tantùm *κυκλικῶς circulariter* in ſuperficie, ut aqua ſolet, injecto in ſtagnum lapide; ſed etiam *σφαιρικῶς ſphæricè*, & undique ſurſum, deorſum, & lateraliter in orbem, ut rectè apud Plutarchum philoſophantur Stoici. (Plutar. lib. 4. c. 19. Placit.) Quomodo etiam lumen flammæ, ſi in libero aëre inſtar ſoni pendula ſit, in orbem radiat. Non tamen color parietis ſic radiare poteſt, quia retrò eſt opacum. In ſonitu ergo circulus quidam, ſeu ſphæra aërea, in omnem dimenſionem protuberat, cujus centrum eſt, ubi plaga eſt, quà aër frangitur: veluti lapis in lacum dejectus, eſt centrum circuli, quem undequaque in ſuperficie aquæ diffundit.

Ariſtoteles aliâ, nec etiam inconcinnâ ſimilitudine utitur. (Ariſt. ſect. 11. Probl.) *Vox quaquaverſus ſpargit ſeſe*, inquit, *non ſecus ac ſi proiectum pondus, dum fertur, in partes frangatur innumeras, atque etiam retrorſum ſe diſpertiat*. Sic enim gleba terræ fragilis projecta, in jactu undique diſſilit, aut ovum crudum, ſi ex alto in pavimentum cadat.

Hinc ſecundum circuli leges, quanto ſpecies ſoni longiùs extenduntur, tanto magis quodammodo rareſcunt, & laxiùs divaricantur; ſicuti ſolent lineæ ductæ à centro verſus circuli circumferentiam. Et hæc eſt cauſa, cur ſonus è longinquo remiſſiùs audiatur; quia, inquam, ſpecies juxta peripheriam circuli tenuiores ſunt, denſiores verò circa centrum.

Eleganter Ariſtoteles: *Qui longiùs abſunt, vocem tenuiorem excipiunt; ob aëris qui movetur exiguitatem. Motus enim marceſcit. Et ut numerus emarceſcens in unitatem finitur, ſic corpus in unam dimenſionem extenuatur: quæ in corpore tenuitas eſt.* Circuli enim aëris quo centro ſuo propinquiores, eo breviores, tumidiores, & magis toroſi ſunt; quo verò longiùs recedunt, & ſe dila-

tant,

tant, ſenſim ita extenuantur & complanantur, ut nullus amplius ſenſibilis tumor appareat.

Nec alia etiam eſt ratio, quare oſtio & feneſtris clauſis, ſonus qui foris excitatur, longiùs multo diſtare appareat, quàm ſi libere per oſtia patentia intraret in domum. Species enim ſoni, per rimas & tenues meatus in domum clauſam penetrantes, perinde extenuantur, ac ſi ex longinquo venirent. Vnde etiam cælo ningente, aut nebuloſo, omnia ſonantia longiùs diſtare videntur. Memini enim, cùm non ita pridem in flumine Moſa, aëre denſiſſimâ nebulâ conſtipato, veherer, & fabri aliquot ferrarij ad vicinam ripam incudes ſuas animosè tunderent, me judicaturum fuiſſe, eos medio milliari à ripa abfuiſſe, ſi judicium aurium voluiſſem ſequi. Nix enim, & nebula circulos aëris tardiores faciunt, & debilitant ſpecies ſoni, quæ circulos illos comitantur.

Et ſimili de cauſa, omnes ſoni interdiu magis confuſi, quàm noctu audiuntur. Nam aër diurnus, non tantùm vocibus & motu vigilantium animalium, ſed maximè vaporibus & exhalationibus, quæ ictæ radio ſolis levantur, & in aëre fluctuant, inquietior eſt nocturno, & ſua inquietudine circulos ſonorum vectores obturbat. Hæc enim cauſa non paulò mihi certior videtur, quàm illa Ariſtotelis in Problem. ubi ait, voces ſilentio noctis clariùs, quàm die audiri & diſtingui; quia canales aëris, per quos voces meant, noctu ſunt vacui lumine; vel quia certè, anima à diurnis negotijs, & ſenſuum aliorū operationibus tunc feriata, attentior eſt ad audiendū nocte, quàm die. Sed profectò in pari mentis diſtractione, nocturni ſoni liquidiùs in aures intrant. Altera ratio ſupponit, lumen eſſe corpus, & quoddam lucidorum ramentorū flumen; quod alibi ab Ariſtotele expreſsè refutatum. Vnde vehementer dubito, an ille Problematum Liber ſit legitimus Ariſtotelis partus. Miratus ſum etiam quandoque, cur aër maximo & crepante tonitru impulſus, vibraret tantùm, non frangeret vitreas feneſtras cubiculi; quæ tamen Moſcheti, ſecundum longitudinem plateę exploſi, minore crepitu diſſilirent. Cauſa verò eſt, quòd in tonitru, circulus ultimus qui vitra impellit, quia longiùs

Ariſt. Problem. ſect. 11.

à centro diſtat, ex longinquo venit, & tardior eſt, ideoque minus virium ad perfringendum habet; veluti in fluctibus maris ille languidior eſt, qui detumuit, & fermè in planitiem eſt reverſus. Circulum verò, vicini Moſcheti ictu feneſtris impactum, anguſtiorem, acutiorem, velociorem eſſe oportet, quia è propinquo venit, ideoque ad perfringendum magis eſt validus.

ARTICVLVS IV.

Cur ſpecies ſoni ſucceſſivè per medium trajciatur.

QVidam exiſtimant primum aërem, qui excipit ſonum, in partes innumeras undique diffringi, ac diffilire, & unamquamque aëris particulam ſuum ſecum ſonum locali motu avehere uſque ad auditûs organum.

Senec. lib. 2. c. 29. Nat. Sic philoſophari oportet eos, qui dicunt *vocem nihil aliud eſſe, quàm ictum aërem.* Aut ἀέρα ἐσχηματισμένον *aërem figuratum*, ut Ariſtoteles, vel quiſquis eſt illorum Problem. Auctor.

Hinc fortaſſe antiqui alas & volatum vocibus tribuunt; quaſi aëris quidam nodus in vocem formatus, volatu celerrimo, à loquente ad audientem trajiciatur. *Ideo alas Mercurio* S. Aug. lib. 7. c. 14. Civit. eloquentiæ Præſidi, *in capite & pedibus poſuerunt*, ait S. Auguſtinus, *volentes ſignificare volucrem ferri per aëra ſermonem.*

Inde etiam toties Homerus ἔπεα πτερόεντα *verba alata* appellat. Sed opinio iſta ſatis refellitur; quòd ſonus idem totus à pluribus ſimul percipiatur. Qui tamen *non inter ſe particulatim comminuunt ſonos, tanquam cibos*, ait S. Auguſtinus, *ſed omne* S. Auguſt. Epiſt. 3. *quod ſonat & omnibus totum eſt, & ſingulis totum.* Non ergo ita diſcerpitur cum ſuo aëre ſonus, ut una pars uni auditori, altera alteri diſtribuatur.

Deinde minimus ſæpe aër, qui ſonantem plagam excepit, non ſufficit, ut in innumeras aures, quæ circumſtant & ſimul audiunt ſonum, dividatur.

Veluti ergo color idem in ſuo pariete hærens, à multis ſimul cernitur, non ſingulis oculis particulatim diſcerpitur; ita nec

nec ſonus. Specie autem ſuâ auditum movet, ſicut color viſum. Hoc tamen diſcrimine, quòd ſpecies viſibilis momento temporis ad oculum perveniat; ſpecies audibilis tempore indigeat, ut ad aurem pertingat. Quid ita? Quia nempe circulos aëris imago ſoni comitatur, qui ſucceſſivè dilatantur à centro, ubi eſt ſonus, verſus circumferentiam, ubi eſt audientis auris. Secundum ergo proportionem temporis, qua circuli ſe protrudunt, fit ſpeciei audibilis propagatio & progreſſus; id eſt, ſagittâ & omni telo velociùs, ſi magnus ſit ſonitus, & aër à nebulis & vaporibus ſit purus. Per aërem enim nebulâ gravem, ut circuli lentiùs currunt; ita ſpeciei audibilis propagatio eſt ſegnior. Vnde vidi aliquando cum admiratione, quendam tempore nebuloſo ligna in proximo, ex diſtantia vix triginta paſſuum, ſecantem, qui elevatâ ſecuri ſecundum ictum imprimebat, antequam audiſſem primi ſonitum; perinde atque ſi centum & ultrà paſſuum intervallo à me disjunctus fuiſſet. Cauſa erat, denſiſſima & roſcida nebula, quæ & circulorum aëris, & ſpeciei audibilis celeritatem retardabat. Nec Cleomedes vocis celeritatem ex hiſtoria Re- Cleomed.
gis Perſarum rectè æſtimat, qui trajecto in Græciam exerci- lib. 2.
tu, nuntios quoſdam certis, unde ſe audire poſſent, intervallis, ab urbe Athenarum Suſas uſque diſpoſuit; ut quæ in Græcia ab exercitu gererentur, in urbem Perſarum regiam, proclamantibus ſibi invicem nuntijs, celerrimè perferri poſſent. *Et inventum eſt*, inquit, *vocem per ejuſmodi nuntiorum traduces, διὰ δύο νυχθημέρων duorum dierum & noctium ſpatio, è Græcia in Perſas perveniſſe.* Sed velocior eſt longè & circulorum, & vocis volatus. Nam primi nuntij clamor non præcisè in ſpatio ſecundi finiebatur, ſed ultrà ibat. Deinde mora quædam inter duos quoſque nuntios interponi debebat, ut poſterior à priori intelligeret, quid ſequenti nuntiare oporteret.

Quemadmodum etiam lapide in tranquillum lacum dejecto, non idem aquæ circulus eſt, qui à centro uſque ad circumferentiam ſe expandit, ſed circulus unus minor majorem alium ſuſcitat, & unda undam propellit; ita in aëris circulis accidit. Vnde Avicenna undabundam iſtam ſoni propagationem

gationem *vocalem undam* eleganter appellavit. Cur autem ſpecies ſoni potiùs, quàm ſpecies coloris, per circulos & undas aëris ſucceſſivè ſe propaget, vix alia, opinor, ratio reddi poteſt, quàm quia talis eſt natura ſoni, ut ſic agat, & ſpeciem ſui cum aëris undatione promoveat. Sicuti enim ratio unica, quare ſpecies coloris, aut lucis, non niſi per medium diaphanum trajici & extendi valeat, eſt talis ſpeciei natura & eſſentia; ita quoque, cur ſpecies ſoni circulatim, & ſucceſſivè per medium volet, in ſpeciei illius naturam referri debet.

Et quid verò mirum, ſi ſpecies ſoni ſonum ſuum imitetur, & ſicuti iſte cum motu & fractione medij aëris producitur, ita illa, comitante ejuſdem aëris motu, in longum propagetur? Species enim audibilis eſt ejuſdem, vel proximæ naturæ cum ſuo ſono, à quo propagatur; ut proinde mirum non ſit, ſi tam ſine aëris aliqua vibratione propagari in longum non poſſit, quàm ſonus ſine aëris fractione non poteſt naſci.

Vibratio autem iſta aëris varijs experimentis probari poteſt.

Primùm, quia ſoni, ſecundo vento, longiùs ſpeciem ſui tranſmittunt, & audiuntur faciliùs, quàm adverſo & reflante vento. *Voces enim remiſſæ elatæq; ſunt*, ait Seneca, *prout aër ſe concitavit*. Hoc autem ideo accidit, quia fluxus aëris vento incitati adjuvat, & aufert ſecum circulos aëris, per quos ſonus ſpeciem ſuam multiplicat. Simile quid evenit, quando lapis in aquam fluminis currentem projicitur. Circuli enim aquæ deorſum ſecundum fluminis lapſum longiſſimè decurrunt, ſurſum verò contra aquæ nixum, vix, & non niſi breviſſimè explicare ſe valent.

Senec. lib. 2. c. 6. Nat.

Secundò, Tormenta bellica à parte anteriori qua ignem vomunt, ad maximam diſtantiam audiuntur; à tergo ad longè breviorem. Sic nuper An. 1635. Gallorum & Hollandorum, qui ab Occidente Lovanium noſtrum quatiebant, Tormenta Moſæ-trajectum uſque, per 13. horaria milliaria bombum tranſmittebant; cùm interim retrò, Bruxellæ ad quartum ſolùm milliare, tantum eſſet ſilentium, ut ibi de oppugnatione oppidi noſtri dubitaretur.

Ratio verò hujus diſcriminis eſt, quòd impetus flammæ

Tormenti aërem in illam partem impellat, & menſuram circulorum aëris, per quos ſpeciei propagatio decurrit, extendat.

Veluti enim circuli ſonando excitati, duplici ſimul motu, ſcilicet ſuo, & venti, longiùs æquali tempore excurrunt; ita etiam ſphæra activitatis ſpeciei audibilis ampliatur. Nam activitas ſpeciei circulos illos tam inſeparabiliter, & æquali paſſu concomitatur, ut plurimi Philoſophorum cenſuerint, & ſonum, & ſpeciem quâ ſonus per aërem ſe ſpargit, nihil aliud eſſe, quàm *τοῦ ἀέρος κίνησιν aëris motum.* Ariſt. ſect. 11. Probl.

Tertiò, quando in exercitu multi ſimul loquuntur, aut multæ ſimul ranæ coaxant, longiùs exaudiuntur, quàm ſi unica vox mitteretur. Cauſa iterùm in aëris motu, qui à multis ſimul vocibus longiùs, quàm ab una propellitur. Meritò ergo dixit S. Auguſtinus, *inter ſonantem & audientem aërea ſpatia verberari.* Sed quouſque? An ſemper uſque ad ipſum auditûs organum? Hoc enim jam raptim diſpiciendum eſt. Idem ſect. 19. S. Auguſt. lib. 11. c. 2. Civit.

ARTICVLVS V.

An neceſſe ſit totum aërem medium, uſque ad organum auditûs, vibrari?

NOn quærimus, an eadem numero aëris pars, quæ inter corpora ſonantia, fracta fuit, & primum ſonum excepit, tranſire motu locali, uſque ad contactum organi auditûs, debeat. Supponimus enim, hoc non eſſe neceſſe. Vox enim ex centum v. g. paſſuum intervallo, citiùs auditur, quàm particula aëris, bajula primi ſoni, ſpatium illud motu locali trajicere poſſit. Quod hoc experimento diſcere poſſumus. Nam ſi quis oris flatu flammulam candelæ, aliquantulum diſtantem, extinguere velit, notabile temporis intervallum experitur, antequam ſpiritus oris uſque ad candelam pertingat, & flammulam ejus concutiat.

Quærimus ergo an totum medium, uſque ad auditum,

vibrari, & quodam velut undante fluctu moveri oporteat, ut ſpecies eòuſque perveniat.

Quidam negant, voluntque ſpecies ſoni, etiam per corpora immota & ſolidiſſima poſſe penetrare. Vnde ſecundum iſtos, non erit neceſſe, ut aër externus impellat tympanum organi auditûs; quia ſpecies audibilis longius protendi poterit quàm motus circulatioque aëris, & proinde intra organum ſe inſinuare, etiamſi nullo aëris motu eòuſque quaſi deportetur.

Sed illi profectò falluntur. Nam ut auris ſonitum percipiat, membranam ejus, quæ tympanum vocatur, aliquo leviſſimo ſaltem motu vibrari debet, ut Medici paſſim exiſtimant. Id autem fieri nequit, niſi fluctus, aut criſpatio aëris uſque ad tympani contactum appellat.

Deinde ſi trajectionem ſpeciei audibilis comitari non neceſſario debet aëris motus, nulla jam eſt ſolida ratio, cur reflante & adverſo vento, non tam procul, ac ſecundo flatu, exaudiantur voces; nulla item ratio, cur poſt montes, rupes, ac denſiſſimorum murorum obſtacula non percipiantur ſonitus qui altrinſecus in aëre excitantur. Non percipiuntur autem, niſi aliquibus rimis, aut anguſtiſſimis meatibus corpora illa pervia, & aëre, aut alio corpore fluido plena ſint, per quas ſoni ſpecies ad aures pervenire poſſit.

Hinc ſi quis per vitrum, nullâ rimâ pervium, alteri loquatur, nihilo plus auditur, quàm ſi ſine loquela hiaret: Quod cùm riſu & admiratione quandoque expertus ſum. Cauſa verò eſt, quòd in vitro nulli, aut ineffabilis anguſtiæ ſint pori, nec in totam vitri craſſitiem peruij. Quia enim res liquidæ undique in ſe collabuntur, & omnes ſuos meatus implent, ideo poris ferè carent: ex liquido autem concreſcunt vitra. Hinc mirum eſſe deſinit miraculum illud ſaxi, quod *ſurdum* vocant in Scotia: *In cujus imo,* inquit ex Boëthio Cardanus, *ſi exoneretur machina ignea, ex altera parte non exauditur. Cùm enim ſolidum ſit & ſurdum, ſonus haud permeat: Reflectitur vero ad angulos aquales.*

Card. lib. 5 c. 19. de var.

Veriſſimè ergo omnes tam Philoſophi quàm Medici ſagaciores

ciores confitentur, totum aëris ſpatium inter ſonantem & audientem vibrari oportere, & ſpeciem audibilem, cum aliqua ſaltem leviſſimá aëris criſpatione, in auditûs etiam remotiſſimum penitiſſimumque organum debere intrare. Non tamen tam valido impulſu, ut malleolus, qui intra tympanum auris latet, agitetur, & incudem ſuam feriat, quod Columbus Medicus imaginatur.

Attamen, quia ſpecies audibilis, ſine tremulo medij motu ne latum quidem unguem, propagari poteſt; in tympanum & labyrinthos illos interioris auris, ubi reſidet auditus pervenire nequit, niſi aëris externi tremor uſque in aërem ipſum interiori auri inſitum pertingat.

Nec refert, quòd tot interdum diſſonæ, aut conſonæ in unam harmoniam voces miſceantur, & ſimul audiantur; cum tamen aër auribus implantatus tot diverſis motibus, inquiunt quidam, nequeat ſimul agitari.

Nam ſi aër externus, in quo tam multi ſimul excitantur ſoni, innumeris circulis ſeſe mutuò interſecantibus criſpari poteſt (veluti etiam aquæ ſuperficies, in quam centum, mille, aut plures calculi ſimul conjicerentur;) etiam ſanè aër auribus internus, totidem motus & vibrationes recipere valebit.

Ex ſuperiori doctrina patet, valde aberrare eos, qui negant aërem vibrari uſque ad auditum, *quia*, inquiunt, *audimus aliquando in occultiſſimis & clauſiſſimis locis, quibus non communicat aër externus.* Poteſt enim iſtud experimentum in Auctores ſuos retorqueri. Nam ſi nulla rimula, nulli pori ad continuandam aëris vibrationem, ſunt neceſſarij, ſed per denſitatem corporum immotorum, perinde ſpecies ſoni propagatur, atque radius lucis per vitri craſſitiem; nulla jam profectò eſt ratio, cur non ſemper quolibet loco arctiſſimè incluſi, audiamus vocem foris ſonantem, perinde fermè ac in aëre libero. Quid enim obſtat, ſi ſpecies ſoni per mediam muri ahenei craſſitiem poteſt trajici? Nulla itidem erit ratio, cur lapillus in vaſe aureo agitatus, minùs exaudiatur, quàm in ligneo: cur lenis pulſus unius extremitatis haſtæ ligneæ, aure alteri extremitati Tolet.

 appoſitâ

appoſitâ facillimè audiatur, non verò ſi par longitudo lapidea, aut ſolidioris alterius materiæ pulſetur.

Nec tamen exiſtimare oportet, unum eundemque aërem per totam longitudinem venarum ligni, ab uno extremo ad alterum extremum haſtæ, aut trabis decurrere: ſed totum aërem, aut ligneum ſpiritum venis incluſum, intremiſcere ſucceſſivè & vibrari. *Ligneum ſpiritum* addidi; quia indifferens eſt ad ſoni propagationem, aërne ſit, an ſimile aliud corpus fluidum, per quod ille tremor & vibratio decurrit.

Iam verò, cùm nullibi ſit vacuum, certum eſt omnes venas & poros corporum, etiam inviſibiles & anguſtiſſimos, ejuſmodi aliquo corpore plenos eſſe. Pororum verò iſtorum multi peruij ſunt, & ex uno in alium proximum, ſi non rectà, ſaltem flexu quodam tranſitus eſt, adeoque vibratio aëris, vel interioris ſpiritûs ligni, per univerſam haſtæ longitudinem, circumgyrando ſaltem per innumeros pororum labyrinthos, tranſcurrere poteſt. Quod & hôc experimento ita diſcimus.

Nam mora, quæ notari poſſit, conſumitur in trajectione ſoni ab una parte longiſſimæ haſtæ ad alteram oppoſitam; cùm tamen, ſi in libero aëre, ex tantulà diſtantià invicem loquamur, videantur tremor aëris & ſpecies ſoni in inſtanti trajici. Diutiùs ergo undatio illa in pororum ſinuoſis flexibus & gyris hæſit, quàm in aëre libero tranſvolare ſolet.

ARTICVLVS VI.

Quomodo piſces ſub aqua audire poſſint.

Scalig. Exerc. 297. OBjici tamen nobis poteſt, quòd *piſces optimè audire ſciat*, ut ait Scaliger, *qui mugilum nocturnæ interfuit piſcationi*: & tamen nullus, ut apparet aëris, aut aquæ tremor ad organum auditûs eorum pervenire poſſit.

Plin. lib. 9. c. 8. De auditu etiam delphinorum, qui tamen & auriculâ, & cavernâ, loco auriculæ, carent, Plinium audire non injucundum erit. *Delphino*, inquit, *pro voce gemitus humano ſimilis, dorſum*

dorſum repandum, roſtrum ſimum. Qua de cauſa nomen Simonis omnes miro modo agnoſcunt, maluntq́ ita appellari. Delphinus non homini tantùm amicum animal, verùm & Muſicæ arti: mulcetur ſymphoniæ cantu, & præcipuè hydrauli ſono.

Et lepidam ac miram hiſtoriam narrat, ex qua diſcere poſſumus acumen audiendi in illo piſce.

Divo Auguſto Principe, inquit, *Lucrinum lacum invectus delphinus, pauperis cujuſdam puerum, ex Bajano Puteolos in Ludum litterarium itantem, cùm meridiano immorans, appellatum eum Simonis nomine, ſæpius fragmentis panis, quem ob id ferebat, allexiſſet, miro amore dilexit. Pigeret referre, ni res Mecænatis, & Flaviani, & Flavij Alfij, multorumq́ eſſet litteris mandata.*

Quocumque diei tempore inclamatus à puero, quamvis occultus atque abditus, ex imo advolabat: paſtuſq́ è manu, præbebat aſcenſuro dorſum, pinnæ aculeos velut vaginâ condens; receptumq́ Puteolos per magnum æquor in Ludum ferebat, ſimili modo revehens pluribus annis. Donec morbo extincto puero, ſubinde ad conſuetum locum ventitans, triſtis & mærenti ſimilis ipſe quoque (quod nemo dubitaret) deſiderio expiravit.

Idem ex Appione, qui ſpectaculo illi ſe interfuiſſe ſcribit, narrat Agellius, additque, *Romam omnemq́ Italiam confluxiſſe, ut piſcem adamati pueri vectorem ſpectaret.* Agell. lib. 7. c. 8.

Ait ergo Plinius, delphinum nomine Simonis à puero inclamatum, *ex imo* ſolitum *advolare*. An igitur ex fundo maris vocem inclamantis audiebat? Quis verò intermedius aër, qui voce ictus, uſque ad auditum delphini tam altè demerſi intremiſcere potuerit? Certè nullus, quidquid Plinius contrà dicat, qui fortiter aſſerit vitalem aëris ſpiritum, ad reſpirationem piſcium, in profunda maris penetrare. Plin. lib. 9. c. 7.

Ariſtoteli enim non credit, neganti piſcium vulgus aërem reſpirare. Argumentum Plinij inter cetera eſt: quòd aër ſub terram, elemento aquæ ſpiſſiorē, ſe inſinuet ad reſpirationem & auditum talparum. Sed terra poros ubique dehiſcentes habet, per quos aër in ſubterranea tranſcolatur; aqua verò in qua degunt piſces, in poros, ſi quos habet, undique collabitur, eoſque liquiditate ſua opplet, aëremque foràs exprimit.

Itaque ſi piſces ſub aqua audiunt, non aërem plerumque, ſed aquam uſque ad auditum eorum tremiſcere & leviſſimè criſpari oportet. Aqua enim elementum fluxum & plicabile eſt, ſonique ac ſpeciei ſonabilis medium eſſe poteſt; licet lentius & morosius quàm aër. Nam & *ἐν ὕδατι ἀκούομεν, in aqua audimus*, inquit Ariſtoteles.

Attamen piſces ex imo fundo maris, audire hominum in littore clamantium voces, nondum credo, nec delphini illius Bajani hiſtoria id evincit. Nam delphini, Ariſtotelis etiam conſenſu, pulmones habent & aërem reſpirant, nec diu, ſine ſuffocationis periculo, vivunt ſub aquis. Hinc, ut narrat poſt Ariſtotelem idem Plinius, *cùm fame conciti delphini fugientem in vada ima perſecuti piſcem, diutius ſpiritum continuère, ut arcu emiſſi, ad reſpirandum emicant, tantaque vi exiliunt, ut plerumque vela navium tranſvolent*. Eſt enim, ut antè dixit, *omnium animalium velociſſimum, non ſolùm marinorum delphinus, ocyor volucre, ocyòr telo*. Non ergo Bajanus ille delphinus ex imo maris, ſed ex abdito alicujus fortè rupis advolabat, ubi fiſtulâ ſua dorſuali, in aërem, ut ranæ roſtrum ſolent, exertâ reſpirabat. Fortaſſe etiam voces per fiſtulam iſtam ad auditum ejus interiorem intrant. Nam, ut Ariſtoteles & Plinius mirantur, nec auris, nec cavitas, ullúmve veſtigium organi auditùs in delphinis exteriùs apparet.

Ibid. c. 8.

Quidquid erit, certè urinatorum experimento conſtat, in parva admodum aquarum profunditate voces inclamantium, aut obtuſiſſimè, aut nihil omnino exaudiri.

Fieri quoque poteſt, ut minori aquæ vibratione piſcium auditus indigeat; quam etiam perpetua agitatio & inquietudo maris adjuvet. Viſu igitur magis, quàm auditu obambulantium littus, exterriti diffugiunt piſces. Maneat igitur, ſpeciem ſonabilem per aërem, aquam, ignem non trajici niſi medij tremor, aut minima ſaltem criſpatio comitetur. Vnde falli mihi videntur illi Theologi, qui ſpecies ſoni, quibus Beati in cælo Empyreo ſe colloquentes audiunt, per ſolidam & immobilem cæli ſubſtantiam, perinde ac ſpecies viſibiles, tranſmitti exiſtimant.

Suar. lib. I. c. 5. de Oper. ſex. dier.

Hoc

Hoc enim pugnat cum naturali modo, quo ſpecies audibiles, per ſphæram activitatis ſoni ſe propagare ſolent. Valdè longè veriùs S. Thomas, auram aliquam liquidam, flexilem, & ſpirabilem in cælo Empyreo imaginari videtur, quæ in voces frangi, & undante quodam motu, ad ſpecierum audibilium propagationem ſervire poſſit. *Dici poteſt*, inquit S. Doctor, *quòd erit confractio cæli Empyrei.* Et argumenta Suarij, ac aliorum diſſolvens: *Nec hoc*, ait, *erit ei ignobilitas: quia erit inſtrumentum motum à linguâ glorificatâ, & materia vocis prolatæ in laudem divinam. Nec propter hoc ſequitur, quod cælum ſit generabile & corruptibile: quia raritas & denſitas ſunt æquivocè dicta in iſto corpore, & in iſtis corporibus. Sicut etiam ponunt Aſtronomi inter duas ſphæras, quæ non poſſunt ſcindi, eſſe aliquod ſpatium repletum corpore diviſibili. Cùm in iſto ſpatio ſit motus Planetarum ſecundùm motum Epicycli.* S.Tho. in 2. d. 2. q. 2. a. 2. Hæc quoque, de confractione auræ liquidæ & ſpirabilis, in concavitate Empyrei contentæ, opinio Richardo placuit. Richard. 4. d. 49. a. 4. q. 3.

Imaginare igitur cælum Empyreum tribus quaſi partibus compoſitum eſſe, videlicet ſolido tecto, ſolido pavimento, & aurâ illâ cæleſti fluidâ, quæ ſpatium inter utrumque implet: quam auram, ad loquendum Beati reſpirant, & per cujus undationem ſpecies ſonorum propagantur, & ad diſtantes perveniunt.

Mea deinde imaginatio eſt: Aquas ſupercæleſtes, quæ interpoſitâ Firmamenti ſoliditate, ſecundo Mundi die, ab aquis inferioribus diviſæ ſunt, in auram illam Empyrei, ad commodiorem Beatorum corporum habitationem, extenuatas fuiſſe. Item illas eſſe aquas, quæ adhuc hodie, ſuper Firmamentum cæli, Deum laudare dicuntur. Niſi enim, præter aquas nubium, quæ ſupra cælos aëreos ſunt, & in terram quotidie depluunt, alias aquas ſupra Firmamentum & cælos ſidereos ſtatuamus, nunquam, ut rectè animadvertit Bellarminus, omnibus ſacræ ſcripturæ locis, qui de aquis ſupercæleſtibus mentionem faciunt, ſatisfacere poterimus. Bellar. Pſal. 103.

ARTI-

ARTICVLVS VIII.

An ſonus audiatur, poſtquam eſſe deſierit.

S. Aug. c. 3. de fide & ſymb.

SOnum rem eſſe ſucceſſivam ac fugacem, quæ *non ditiùs manet, quàm ſonat*, ut loquitur S. Auguſtinus, experientia notum eſt. Vnde in ſermone humano, etiam torrentiſſimo & rapidiſſimo, ſonus primæ ſyllabæ ſequentem non expectat, ne eum obturbet & confundat; ſed mox ut prima ſyllaba ſonuit, decedit, & ſilendo, ſequenti ad ſonandum, locum cedit. Abeunt tamen interea, & dilatare ſe pergunt circûli aëris primi ſoni, & ſecundum eorum progreſſionem, ſpecies audibilis ſe propagare pergit, & per circulos majores majoreſque expandit.

Io. Burid. lib. 2. q. 21. de anima.

Vnde apertè ſequi videtur, & notat Buridanus, vocem loquentis ex aliquantulo intervallo, ſemper audiri, quando jam evanuit. Nam evanuiſſe videtur, ubi ipſemet loquens non eam ampliùs circa ſe audit. Diſtans autem tardiùs eam percipit, quàm loquens; ergo cùm ipſa jam eſſe deſijt.

Nec id tam mirum eſt, ſi cogitemus, præſentiam aut exiſtentiam objecti non eſſe univerſim ad cognitionem neceſſariam, ubi potentia ſpeciem objecti penes ſe habet, per quam, tanquam ejus ſemen, conceptum aliquem ipſius elicere & formare poteſt. Sic enim ſolis figura, in pariete obſcuro aliquamdiu videri putatur ab eo, qui directis oculis, ſolem in cælo aliquamdiu eſt intuitus. Species enim lucis humoribus & tunicis oculorum intricata, aliquantulo tempore hærere poteſt, abſente objecto viſibili, & ſervire potentiæ viſivæ ad videndum illud, ſi ſpecies illa à luce ſpirituum opticorum paulisper conſervetur & retineatur, ne ſubitò tota diffluat.

Quod autem in viſu aliquando & rariùs accidit, in auditu frequentiſſimum & perpetuum eſſe poteſt; quia talis eſt natura ſoni, ut icto aëre repentè exiliat, & finito ictu, repentè evaneſcat; relictâ tamen in aëre ſpecie, quæ ſe, mortuo ſono, propagare pergit. Sicut enim fractio aeris icti circulum

primum

primum ſuſcitat, qui deinde alios & alios protrudit, etiamſi primus aër ictus conquieſcat; ita ſonus naturam illius motûs imitans, ſpeciem ſpargit, quæ ab ipſo in conſervari non dependet, ſed interempto primo ſono, per circulos aëris undantes & concomitantes ſe dilatat.

Sic multi quidem de perceptione ſoni jam emortui philoſophantur. Ego verò, etſi olim conſenſerim, jam aliter ſentio. Nempe ſonum qui eſſe deſijt, nego auditu externo ſentiri, ſed ſolam ſpeciem audibilem, poſt ſonum emortuum, ſuperſtitem. Eſt enim potiùs negotium imaginationis, aut intellectûs, quàm ſenſûs externi, acumen ſuum & cognitionem ad rem non exiſtentem extendere. Senſus enim externi ſunt facultates imperfectæ, quæ circa ſpeciem ab objecto impreſſam vim ſuam exerunt, eam percipiendo, & eâ mediante objectum externum, ſi illud in rerum ratione adhuc exiſtat. Nam ſenſus externus foràs ſe exerens, debet exiſtentiam objecti ſui, in rerum ratione reperire, ut per cognitionem intuitivam, in eam quodammodo incurrere poſſit tanquam præſentem. Quia enim ſenſus exterior non niſi in rem exiſtentem, & præſentem ferri poteſt, ideo res aliqua *præſens*, quaſi *præ ſenſibus*, dicta fuit, ut nobis interpretatur S. Auguſtinus. Si autem exiſtentia ſoni ſubtracta fuerit, & nihilominùs ſpecies ejus in potentia ſuperſtes maneat, tunc ſpecies ſola à ſenſu externo cognoſcitur; ſed tanquam extra organum, & è regione quaſi conſtituta. Quod etiam in viſu accidit, quando quis diutiùs ſolem intuitus, oculos in obſcurum locum convertit. Tunc enim διὰ τὴν ἔτι ὑποῦσαν κίνησιν ἐν τοῖς ὄμμασι *propter ſubſiſtentem adhuc* objecti radiantis *motum in oculis*, videre ſe exiſtimat orbiculum luminoſum in tenebris: non qui re verâ ibi ſit; ſed ſolùm videt reliquias ſpeciei ſolis, quæ manent adhuc in oculis.

S. Auguſt. lib. 11. c. 3. Civit.

Ariſt. c. 2. de Inſom.

Et quia natura viſûs eſt, rem è regione intueri, nec metiri aut advertere poteſt diſtantiam inter ſpeciem quæ eſt in oculis, & inter locum obſcurum, in quem oculos defigit, ideo imaginatio circulum illum luminis extra oculum eſſe credit.

Simile iterum evenit, quando per vitrum viride chartam albam intuemur. Viror enim non in vitro eſſe videtur, ſed remotior, & in charta apparet. Sic ergo ſpeciem ſoni potentia auditiva cognoſcit, ſed quaſi extra organum, & ultra aërem inſitum, qui intra tympanum incluſus ſtagnat.

Et licet intellectus, aut etiam ſola imaginatio (ut colligimus ex brutis) ſonum principalem, qui jam aufugit & eſſe deſijt, cognoſcere valeat; non tamen ſenſus externus, cujus ſolùm officium eſt, in extrema quaſi ſuperficie corporis excubare, ut formas ab objectis externis organo ſuo impreſſas noſcitet, & eas ſenſui communi, deinde imaginationi, ac intellectui gradatim repræſentet.

Hæ verò deinde potentiæ (intellectus præſertim & imaginatio) ulteriùs ferri poſſunt, & non tantùm ſpeciem ipſam ſoni, ſed etiam ſonum primarium, v. g. pulſu campanæ, aut inflatu tubæ excitatum (jam tamen emortuum antequam ſpecies ad auditum perveniat) cogitatione intuitivâ, non tanquam præteritum, ſed tanquam adhuc præſentem attingere poſſunt. Vnde facillimè ex his tricis ſe expediunt, qui nullam cognitionem ſenſitivam in externis organis, ſed in imaginativa ſola cenſent perfici.

An verò ſpecies ſoni per medium propagata, à ſono ipſo naturâ ſpecificâ differat, ſub judice eodem lis eſt, apud quem de luce & ſpecie lucis, de colore & ſpecie coloris, lites pendent; de quibus Cap. præcedenti Art. VII. diximus. Nec majorem, imò minorem rationem ſpecificæ diſtinctionis inter ſonum & ſpeciem ſoni video, quam inter colorem & ſpeciem coloris.

Et ſanè Ariſtoteles ſpeciem ſoni, ſonum appellare ſolet, nec eſſentiâ videtur eam à ſono diſtinguere. *Lationes*, ait alicubi (de ſpecie ſoni per medium ſparsâ loquens) *medium priùs attingunt: videtur autem ſonus alicuius quod fertur eſſe motus.* Vbi affirmat, ſonum, id eſt, ſoni ſpeciem, per medium, antequam ad finem pertingat, ſucceſſive ferri inſtar motùs localis. Et Galenus, cum Hippocrate ſuo & Platone, ita ſpeciem ſoni, ſonum eſſe dicit, ut cùm ſonus audiri dicitur, nihil aliud

Ariſt. c. 6. de ſenſu

Galen. lib. 7 de Placit.

audiri cenſeat, quàm extremitatem ſpeciei ſoni, quæ organum attingit ac impellit. Quidquid erit, etiamſi ſpeciem ſoni differentiâ eſſentiali, à ſono diſtingueres, cenſeo nihilominùs, eam auditu intra ipſam organi concavitatem percipi, & deinde ſonum jam emortuum, à quo ſpecies illa audibilis ad aurem venit, ab imaginatione, non ab ipſo ſenſu externo auditûs, cognoſci, ſicut Cap. præcedenti de viſione ſpeciei viſibilis, ex S. Auguſtino philoſophati ſumus.

Quæ ſanè Galeni, & Platonis, Hippocratiſque (quorum Placita ibi enarrat Galenus) opinio eſſe videtur. Non fruſtrà enim tot flexus & labyrinthos, intra penitos aurium receſſus, natura & divinus Opifex fabricatus eſt; ſed ut ſpecies audibilis fracta refractaque, ad eum modum impleretur, aut gracileſceret, prout anima poſtulat, ut ex cognitione ſpeciei audibilis, in organo externo ſic tornatæ & modulatæ, ſenſum ſuum internum, ad cognitionem primò ipſius ſpeciei, auditu externo perceptæ, & inſuper ad cognitionem prioris ſoni, qui evanuit, extendere poſſit.

Qui enim aliter, & ſimpliciori modo operationes illas ſenſuum fieri exiſtimant, non ſatis faberrimum ſubtiliſſimumque naturæ ingenium, & ineffabilem Conditoris ſapientiam æſtimare mihi videntur.

Ac ſanè, ſi ſpecies viſibiles colorum & lucis, ut antè diximus, viſu percipi valeant; nihil cauſæ aut miri eſt, ſi ſpecies quoque audibiles ſub auditum cadere dicamus.

ARTICVLVS VIII.

Quid Echo.

ECho dicta ab ἠχεῖν, quod *reſonare* ſignificat. Hinc κατηχεῖν, ſignificat inſtituere vivâ voce, ac per Echo & reſonantiam quandam, qua Catechumeni (qui inde etiam dicti) eaſdem voces reſonabant, quas à Catechiſtis ſuis acceperant. Vt, Credis hoc? Credo. Abrenuncias? Abrenuncio. &c.

Reſonat autem maximè à rupibus & concavis locis Echo.

Ovid. *Reddebant nomen concava ſaxa tuum.*

In ſilvis quoque, ubi nullæ rupes, aut ſaxea concavitas, ſæpe tamen eam audimus, quia innumeræ foliorum, arborumque ſuperficies non ſinunt vocem, & aëris circulos penetrare; unde reſilit, *vociſque offuſa reſultat imago.* Magis tamen confusè, quàm à rupis aut montis concavo; quia inter tot arborum & foliorum diffutas rimas, ſoni ſpecies non ita colligi & confertim redire poſſunt, quàm à continuâ rupis concavitate. Montes ergo fortè erant mixti ſilvis, ubi Corydon ille canebat,

Virg. *Non canimus ſurdis, reſpondent omnia ſilvæ.* Et

Formoſam reſonare doces Amaryllida ſilvas.

Cavum verò illud, unde expreſſior & vocalior redit Echo, Ariſtoteles ἀγγεῖον *vas* appellat, quia concavitate & lævitate vaſi non eſt abſimile.

Horat. *Lævia perſonuêre ſaxa.*

Præſtat autem cavitas iſta auditui, quod ſpeculum viſui. Vt enim à ſpeculo imago vultûs offenſa reſilit in oculos; ita imago vocis concavo impacta reflectitur ad aures. Hôc tamen diſcrimine; quòd ſpeculum etiam planum imaginem coloris ſic regerit, ut videri res in ſpeculo poſſit: ut verò exaudiatur Echo, non planities, ſed concavitas tanta, & talis figuræ neceſſaria eſt, quæ ſufficiat ad remittendos rectà circulos aëris, unà cum ſpeciebus ſoni comitantibus, uſque ad auditum. Superficies autem ſaxi plana, & circulos aëreos, & ſpecies ad latera diffluere & diſpergi ſinit, ne ſatis confertim & ſenſibiliter redire valeant ad aures.

Quomodo autem itus ille & reditus ſoni, in Echo fiat, non conſentiunt Philoſophi.

Alex. Aphrodiſius, ut eum interpretatur Simplicius, videtur exiſtimare, eſſe quandam plagarum aëris perpetuam & concatenatam ſucceſſionem; *ita ut primus aër percuſſus eum qui poſt ſe eſt, figuret ſimili percuſſione, quemadmodum ipſe à percuſſione figuratus fuit. Is autem rurſus eum qui poſt ſe eſt. Et ita, non ſine continuitate, ad vas uſque progreſſus fit. Poſtremus verò qui prope vas* (Alexand.)

percuſſus

percuſſus & figuratus fuit, cùm prohibeatur à vaſe ulteriùs continuare percuſſionem, retrò à ſolidi repercuſſione reÿcitur, velut pila à pariete.

Quam tamen imaginationem rectè confutat Simplicius. Nec enim poſt primam plagam qua excitatur ſonitus, aër percuſſus, ſimili plaga aërem ſequentem frangit. Non enim tantas vires habet. Nec ſi haberet, ſonitus qui ex colliſione aëris ad aërem exiliret, ſimilis eſſet primo ſonitui, quem alliſio malleoli ad æs campanæ ſuſcitat. Vnde Echo diſſimilis prorſus à primo ſonitu rediret. Imò nunquam ſonitum campanæ directè perciperemus, ſed alium diverſæ rationis, quem ultima plaga aëris, ante aures ipſas excuteret. Deinde aër ad aërem, aut ad concavum rupis alliſus, ſonum articulatum & humanum exprimere non poteſt; qualis ille eſt quem larynge, linguâ, & ceteris naturæ inſtrumentis homo loquens efformavit.

Itaque dicendum potiùs, non aërem poſteriorem à priore ſic percuti, ut ſonum novum eliciat, ſed ſpecies primi ſoni, à ſono jam mortuo avulſæ alias ſibi ſimiles, gradatim per circulos uſque ad concavum rupis, producunt. Cùm verò nec circuli aëris, nec ſpecies circulos concomitantes, occurrente ſolido, ulteriùs tendere & explicari non poſſint, ultimus aër impactus ſolido, quaſi in terga revertitur, & revertendo circulos & vibrationes aëris ſimiles præcedentibus reſuſcitat, à vaſe, ſive concavo, unde Echo venit, uſque ad auditum; cum quibus aëris circulis etiam ſpecies primi ſoni redeunt, ut iteratò moveant ſenſum, ut ſonus idem, qui priùs directè perceptus fuit, jam reflexè percipiatur. Sicuti autem circuli redeuntes tardiores ſunt & flaccidiores euntibus; ita ſpecies ſoni quæ eos comitatur, pigrior eſt, ac plus temporis in reditu, quàm in itu conſumit, ſenſumque auditûs languidiùs impellit. Vnde ceteris paribus, ex æquali diſtantiâ, Echo obtuſiùs auditur, quàm ſonus directus. Hoc quoque notatu non indignum: Echo ſive reſonantiæ beneficium eſſe, quòd noſipſos loquentes audire poſſimus. Nam niſi ab aëre nos circumdante, aliisque corporibus, in aures noſtras reflecterentur voces quas eloquimur, effugerent proprias aures,

 nec

nec audiremus. Hinc ſi in aëre ſupra nubes tenuiſſimo loqueremur, difficiliùs loquelam noſtram perciperemus; quia ab aëre tali nulla pænè vocum ad aures noſtras fieret reciprocatio. Audiremus ergo ſolummodò quantum palati, & dentium, labiorumque noſtrorum repercuſſio, ſpecies ſoni, per interiores oris meatus, ad organum auditûs remitteret.

Hinc etiam qui ſurdaſtri ſunt, ad pleniorem Echo colligendam, concavitatem auris (quod Hadrianus Imp. facere ſolitus) manu inflectunt, ut ſe & alios ſibi colloquentes, expreſſiùs intelligant.

Ex dictis patet, definitionem Echo, ex iſto Poëtæ verſu,

Virgil. *——— ubi concava pulſu*
Saxa ſonant, vociſq; offenſa reſultat imago,

ſic verè & concinnè poſſe formari: Echo eſt imago ſoni, quæ concavo offenſa, verſus ſonantem reſultat. Quod fortaſſe Hebræi etiam ſignificare voluerunt, quando Echo *filiam vocis* vocaverunt.

ARTICVLVS IX.

Quænam Poëtæ de Echo ſint fabulati.

NYmpham quandam ex Oreadibus & montanis fuiſſe dicunt, quæ Iunonem garrulitate & *longo prudens* Ovid. *ſermone tenebat;* interea dum turpis ille Iupiter adulterijs & furtis agreſtium Nympharum operam daret.

Vnde ——— *poſtquam hæc Saturnia ſenſit,*
Hujus, ait, linguæ, qua ſum deluſa, poteſtas
Parva tibi dabitur, vociſque breviſſimus uſus.

Itaque acciſâ in pœnam garrulitate, non integras ampliùs ſententias, ſed tantùm ——— *in fine loquendi*
Ingeminat voces, auditaque verba reportat.

Inchoare enim ipſa ſermonem non poteſt, ſed extrema ſolùm verba loquentis repetere. ——— *Nec reticêre loquenti,*
Nec prior ipſa loqui didicit. Similis balbis, qui nec tacere valent, nec eloqui.

Hæ

Hæ fabellæ à ſe licet vanæ, in natura tamen rei, fundum habent.

Non didicit Echo prior loqui, quia non eſt vox prima, ſed tantùm prioris imago. Non totam ſeriem ſermonis, ſed noviſſima tantùm verba reddit; quia dum poſteriora verba pronunciantur, circuli aëris verſus loci concavum euntes, obturbant & impediunt reditum contrariorum circulorum, qui referunt ſpeciem & imaginem primi ſoni à loco, concavo ad auditum redeuntis. Deinde vox directa ita totum ſenſum aurium occupat, ut dum lingua adhuc loquitur, auris percipere nequeat primorum verborum imagines, quæ interea uſque ad loquentem, luctando, & turbidè revertuntur. Hoc autem impedimentum ceſſat in ſilentio, quod ſubſequitur ultimam vocem. Tunc enim circuli aëris à concavitate reſilientes, nullis alijs circulis in contrariam partem tendentibus occurrunt. Hinc colliges, non omnem Echo eſſe tam balbam & curtæ loquacitatis, quàm illam Narciſſi amaſiam, quam paulò antè Poëta deſcribebat. Poteſt enim concavitas loci, & auditor alius à loquente, ſic collocari, ut omnium vocum & ſyllabarum imagines ad aures illius auditoris perveniant, ſine occurſu contrariorum circulorum aëris; quandoquidem circuli iſti contrarij ore ſolius loquentis vomantur; auditor autem à loquente loco diſſitus, taceat.

Sicut enim pila parieti obliquè impacta, non directè redit in projicientem; ita vox & aër concavo ſic obliquè illidi poteſt, ut Echo in latus deflexa, aliò, non ad ipſum loquentem reſiliat. Ac talis Echo tam eloquens eſſe poterit, ut integram Ciceronis orationem recitare valeat. Nonne enim, ſi aliquis murus ſono campanæ ita obſtet, ut eum directè nō audiamus, ſed Echo ex longinquo ſonitum ejus ad nos referat, totam ictuum ſeriem, etiamſi denſiſſimè ſe ſequantur, exaudimus? Pone ergo jam Stentorem loco campanæ, integram Ciceronis contra Antonium Philippicam detonantem, ſanè univerſam verbatim & ſyllabatim orationis ſeriem Echo nobis reſpondebit.

Sed & talis loci fornicatio eſſe poteſt, ut ipſi etiam loquenti

integras

integras ſententias Echo regarriat, nec circuli euntes & redeuntes ita ſe in medio confundant, ut priorum verborum diſtinctæ imagines, uſque ad auditum non perveniant. Vnde nec credo Cardano exiſtimanti *dæmonium*, *aut ſycophantiam*, in baſilica illa Papienſi reſponſare, *in qua adeò clarè*, inquit, *adeò expeditè, adeò ſæpe ac ordine certo, voces omnes exaudiuntur.*

Cardan. lib. 18. Subtil.

Illud verò in experto & vulgatum eſt: eandem vocem bis, ter, ſepties, & pluries, diſtinctis intervallis, à diſſitis concavitatibus ad loquentem reverti. Quod faciliùs accidit in tubæ, campanæ, aut alio valido ſonitu. Nam reflexiones ultimæ debent fieri ex longinquo. Prima enim Echo ex viciniori concavitate reſpondet, ſecunda ex remotiori, tertia adhuc ex longinquiori &c.

Plin. lib. 36. c. 15.

Hinc porticus illa heptaphonos Olympiæ olim in admiratione fuit, ſic dicta, quod vocem unam ſepties redderet.

Arte etiam templa quædam, aut publicæ Scholæ ſic fornicantur, ut concionatoris, aut Doctoris vox etiam exilis, per varias fornicis concavitates evoluta & multiplicata, diſtinctè ex ſpatio longinquo exaudiatur. Nam & quoties in loco clauſo loquimur, imagines vocis undique à parietibus, à fornice, pavimento reſiliunt, & ſic confertiùs & impreſſiùs auditum feriunt. Vnde parietes Scholarum aulæis veſtiti, mollitie lanæ clamorem docentis hebetant, & templa ac domus recenter dealbatæ & levigatæ vocaliùs reſonant.

Nocturna etiam Echo expreſſior eſt diurna, *Dum tacet omnis ager, pecudes, pictæque volucres.*

Virgil.

Circuli deinde qui imaginem à concavo, per aërem nocturnum & frigore denſatum, revehunt, placidiùs & minori intervallorum confuſione, nocte redeunt; ideoque nocturna Echo, quàm diurna (ut aliquando adverti) ſolet eſſe expreſſior, & plures vocum ſyllabas reſpondere.

Vt etiam non ex quolibet ſitu, oculus imaginem vultûs in ſpeculo aſpicere valet; ita nec auris excipere imaginem reflexam ſoni poteſt. Pro ratione ergo anguli, quo ſonus directus in cavitatem loci incidit, & inde reflectitur, collocari auris debet. Hic autem ſitus non conſiſtit in puncto indiviſibili;

bili; aliàs nec multi eandem Echo audire; ſicut nec eundem in ſpeculo vultum videre poſſent.

ARTICVLVS X.

Quale ſit organum auditûs.

POſt objectum auditûs, organum quo utitur anima in ſoni perceptione, enarrandum eſt. Maximum & ingenioſiſſimum naturæ miraculum, cujus fabrica ſtudium & induſtriam Medicorum omnem hactenus eluſit.

Mirabiliſſimum enim auditui organum natura in cranio capitis & ultimis aurium receſſibus excìdit, non Ariſtoteli, non Hippocrati, non Galeno, ſed Medicis nuper ſolùm per anatomiam ſubtiliorem cognitum; etſi tamen etiam necdum omnium partium, & meatuum officia ſint in propatulo. Semper enim in iſtis naturæ miraculis aliquid divina ſapientia ſibi reſervat, ne penitus cognita admirationem perdant, & ut ſuperbia noſtra obedientiùs in obſequium divinæ fidei intellectum ſuum captivet, dum tam familiaria & vicina ſenſibus non capit.

Certè Veſalius *callidiſſimum divini Opificis artificium* vocat: *cujus fabricam ſatis*, inquit, *dilucidè in Scholis quidem commonſtro, uſum autem & operandi rationem non magis, quàm oculi ipſius, aſſequor.* Additque, *omnium ferè Muſicorum inſtrumentorum fabricæ rationem, ex auditûs organi compage deſumptam eſſe.* Nec ſatis ſe poſſe mirari poſtea dicit, *Philoſophos omnes de auditu, ipſiuſque obiectis tam prolixè citra organi ipſius vel maximè ſuperficiariam cognitionem, ſcribere: ex quo tamen præcipuè petendæ erant demonſtrationes.*

Veſal. lib. 7. c. 8.

Idem lib. 7. c. 15.

In organo ergo auditûs, primùm occurrit exterior auris, figuræ concavæ, ne voces ex adverſo venientes, tempora capitis inoffenſæ præterlabantur, ſed concavitate exceptæ, intra primum aurium meatum refundantur.

Vnde ſurdaſtri, ut amplius ſoni colligant, auriculam (quod de Hadriano Imp. narrant) cavâ manu verſus foramen inflectere ſolent.

Hoc primum auris foramen aëri externo patet, & pertingit uſque ad membranam, quam alij tympanum, alij meliùs myringem, aut meningem appellant: tympani nomen, ſatis aptè reſervantes proximæ interiori cavitati, quæ myringe, tanquam tympani corio, obtenditur. Verùm loquamur ut plures, ut ipſam membranam, tympanum; cavitatem verò interiorem ei proximam, concham cum Iul. Caſſerio & alijs appellemus.

Ariſtoteles univerſam interiorem concavitatem, à tympano uſque ad ultimam organi concamerationem, cochleam vocat, & Baſilius *πόρον σκολιὸν meatum tortuoſum*. Sed Anatomici hodie exactiores univerſam iſtam Ariſtotelis cochleam in tres ſinus, nempe concham, labyrinthum, & cochleam propriè & ſpecialiter dictam ſubdividunt: qui ſinguli ſinus ſuas etiam adhuc particulas & nomina habent. Tympanum igitur eſt ſepimentum, quo externa auris cavitas ab interiori ſejungitur. Eſt verò membrana omnium quæ in corpore ſunt ſicciſſima, pellucida, & tam tenuis, ut Hippocrates telæ araneæ eam comparet. Texturâ tamen tam firmâ & compreſsâ, ut ſine poris ullis eſſe videatur. Habet tamen ſine dubio ſubtiliſſimos aliquos; quod ſatis indicat tenuis ille humor, qui per medium illud ſepimentum, è cavitate auris interiori, in exteriorem tranſſudat; & deinde in materiam flavam, quæ auribus eximitur, concreſcit. Deinde per anguſtiſſimos & inviſibiles hujus membranæ poros ſonus, cum aëre ſuo bajulo, fortaſſe tranſcribratur. Sicciſſima hæc membrana ideo eſt, non tam ad reſonandum, quod Medici dicunt, quàm ad liberiorem ſoni & aëris trajectionem. Humida quippe poros nullos, aut humore oppletos, ideoque minime pervios habent. Hinc quibus membrana iſta humore è cerebro deciduo madefacta eſt, ſurdaſtri efficiuntur.

S. Baſil. homil. 3. Hexam.

A parte interiori tympanum tenuiſſimo per medium nervo (ut ferè corium tympani militaris, chordâ) præcingitur; unde etiam Anatomici *chordam* appellare ſolent. Hujus chordæ officium eſt, non ut impulſa reſiliat in tympanum & ſonet, ut uſu venit in chorda tympani militaris, etſi quidam Medicorum id affirment; ſed potiùs ad tympani firmamentum, ne aëris

ne aëris externi vehementi appulſu, rumpatur aut nimis longè intra conchæ capacitatem protrudatur. Deinde ut chordulâ iſtâ malleus firmiùs tympano alligetur, ut Iul. Caſſerio placet.

Tympano enim tria oſſicula, veteribus (quod mirum) incognita, à parte interiori adhærent & concreta ſunt, quæ malleum, incudem, ſtapedem, à ſimilitudine iſtarum rerum, jam appellant. Vnde quando tympani membrana ab aëre externo ſonante impellitur, unà cum eâ malleus, incus, ſtapes, & chorda moventur, & intra concham inflectuntur, ac ceſſante impetu, rurſus univerſa ſimul in locum ſuum priſtinum reſtituuntur.

Columbus & quidam alij exiſtimant, cùm tympanum ſonitu externo impellitur, incudem malleo tundi, & ſic ſonare. Sed falluntur. Tria enim iſta oſſicula, malleus, incus, ſtapes, ſimul concreta ſunt, nec avelli poteſt malleus, ut tundat incudem. Deinde ſonus iſte mallei, veluti etiam & chordæ, longè à ſonitu externo diſcreparet, ac proinde obturbaret potiùs (ut tinnitus aurium ſolet) ſoni exterioris ſenſum. Cùm tamen omnia iſta organa, ex naturæ deſtinatione, ad ſinceriſſimam ſenſibilium externorum expreſſionem, ſint ſic fabrefacta. Quanquam tamen, etiamſi oſſicula chordæ, inſtar araneæ fili, tenuiſſimæ, & malleus tam exiguus tantulæ incudi affricarentur, nullus inde ſenſibilis ſonitus exilire poſſet; ac proinde ad illum ſonandi finem inſtrumenta illa inutilia forent.

Quem ergo uſum tria illa oſſicula tympano appenſa; & tam arctè inter ſe concreta obtineant, hactenus ignoratum. Certum tamen eſt, non de nihilo eſſe fabricata. Imò tam neceſſaria eſſe ad ſonorum modulationes, Dei ſapientia exiſtimavit, ut cùm cetera humani corporis oſſa cum ætate, & totius corporis mole paùlatim creſcant; tria tamen illa omne ſtatim incrementum in prima pueritia rapiant, nec majora in viris, quàm in pueris cernantur.

Nam *in puerulis auditûs organum, ſicuti reliqua ſenſuum organa,* ait Fallopius, *integerrimum eſt; quod probant prima, ſecunda, & tertia cavitas, incus, malleolus, & ſtapes, oſſicula minima, quæ partes* Fallop. lib. 1 c. 6. de oſſib.

 omnes

omnes integerrimæ ſunt, neque per tranſverſum pilum in pueris unius diei diſtant ab iiſdem in ſene decrepito.

Suſpicio ergo eſt, ſpeciem ſoni, poſtquam per tympanum tranſcribrata eſt, per oſſeos mallei, incudis, ſtapedis poros, propter certam modulationem, oportere rurſus tranſire. Ad hunc enim finem illa oſſa foraminoſa ſunt. Malleus ergo, qui manubrij cuſpide, membranæ tympani inſeritur, ſpecies ſoni in incudem, incus in ſtapedem, ſtapes in feneſtram labyrinthi ſuperiorem transfundit; unde mox tranſitus in cochleam. Quanquam Fallopius ſcribat, incudem quoque uno crure proximè adhærere tympano: unde ſpecies ſoni non tantùm à malleo, ſed etiam à tympano immediatè accipere poteſt, & eas unà cum malleo in ſtapedem trajicere. Ideo enim fortaſſe ſtapes eſt figuræ triangularis (quemadmodum ſtapedes equeſtres olim ſolent;) ut nempe per utrumque trianguli ſui latus, tanquam gemino canali, & à malleo & ab incude imagines ſoni excipiat, & per trianguli baſim, quæ feneſtram labyrinthi claudit, tranſmittat in labyrinthi concavitatem.

Moventur autem illa oſſicula unà cum tympano, ut ſoni propagationem veluti ventulo quodam adjuvent, quo aërem innatum, intra proximam cavitatem incluſum impellunt, & verſus ultimam cochleæ officinam, ubi ſenſus auditûs reſidere putatur, undare faciant.

Prima ergo poſt tympanum interior cavitas eſt concha, plena aëre innato (alij inſitum aut vernaculum appellant) quo eodem aëre ſequentes duæ concavitates, labyrinthus, & cochlea, ac omnes univerſim earum cuniculi, ac ſinuoſæ ambages oppletæ ſunt. Omnia enim hæc, ſine ullius ſepimenti diſcerniculo, inter ſe pervia ſunt.

A concha quippe, per duas anguſtas feneſtras, ad labyrinthum tranſitus eſt. Major è duabus feneſtris ovalis vocatur, & baſi ſtapedis occluditur; minor rotunda, & ſemper aperta eſt. Meatus iſti in unum ampliorem concurrunt, & tandem in labyrinthi aream ſe explicant.

Plurimi cuniculi à labyrintho excurrunt, & in eundem, per multos gyros & amfractus, tandem iterum recurrunt.

Quia

Quia enim inter labyrinthum & cochleam diſtantia tam brevis eſt, cuniculi & ambages illæ in latera excurrere, flecti & reflecti, ac per mæandros circumduci debuerunt, ut ſpatio voces elaborarentur, antequam cochleæ, id eſt principi auditûs organo infunderentur.

Hunc enim etiam alibi morem natura obſervare ſolet. Vt ſemen, lac, ſpiritum animalem &c. in plexibus quibuſdam innumerabilium venularum præparat, priuſquam materia ad principalem officinam perveniat, ubi ultima forma ei datur. Et quid aliud etiam ſunt tunicæ,& humores tam multiplices oculorum, quàm officinæ in quibus frangitur, refringitur, & tornatur quodammodo ruditas ſpeciei viſibilis, antequam in fundum oculi penetret, ubi in tunicâ retiformi, figura ejus conſummatur? In quo etiam mirabile iſtud divinæ ſapientiæ apparet artificium: quòd tot vicibus ſpecies illa in tunicis & humoribus oculi frangatur, ac deinde,per anguſtias foraminis uveæ, per quas interius oculi conclave intrat,ſic debilitetur, ut à pariete retinæ, tanquam à ſpeculo reflecti retrò non valeat; ne nimio lumine interiorem illam cameram perfundens, viſionem confundat. Vnde inſtar coloris, penicillo pictoris depicti, in ſuperficie retinæ apparet, eodem modo,quo radius luminis, aut coloris,in cubiculum obſcuratum,per anguſtum foramẽ admiſſus,in chartâ foramini oppansâ depingitur. Vnde ſi loco chartæ, ſpeculum ponas, nullam imaginem rerum reddet,quarum picturæ antea in charta viſebantur,ſed tenues tantùm colorum umbras, in ſumma ſpeculi ſuperficie natantes,per ſpecies,ut vocant,ſecundarias,inde ad oculos ſpectantis redeuntes, videbis. Quod aliquando ſum impensè miratus. Nec miraculi cauſa alia mihi nunc occurrit, quàm iſta ab Arabe Albazeno ſuggeſta: *Debilitatur color per elongationem, per reflexionem, per foramen, per quod intrat. Quod autem foramen,* inquit, *debilitet, planum fit per hoc: quia lux apparet major poſt foramen magnum, quàm poſt parvum. Pari modo, cùm foramina ſtricta ſunt, color poſt reflexionem aut nullus apparebit, aut valde modicus.* Hoc, cùm de viſu tractarem, me effugerat, & ideo huc retrahere volui. Alhaz. lib. 2. prop. 19.

Simili igitur fermè modo, ſoni ſpecies per tot itinerum flexus, & labyrinthi cuniculos, gyrando & regyrando feſſæ, fractæ, ac modulatæ, ad ultimam cochleæ concavitatem tam molliter appellunt, ut nulla inſignis Echo (niſi validiſſimus ſit ſonitus) à cavitate illa reſiliat, quæ audiendi actionem obturbet.

Cochleam autem iſtam, ſive ultimum & penitiſſimum organi auditûs ſinum, Veſalius buccinoſum antrum vocat; quia inſtar buccinæ, ſeu cochleæ marinæ, contortum & turbinatum eſt. Hanc enim figuram ad excipiendos exiguos & inſenſibiles etiam ſonitus, in unumque pleniorem ſonum convolvendos, aptiſſimam eſſe quidam inde probant; quia ſi quis buccinam marinam auriculæ apponat, miros ſuſurros & tinnitus ex illa cavitate reflecti audiet.

ARTICVLVS XI.

In qua parte organi auditûs, ſonus audiatur.

Valleſ. lib. 2. c. 27. Controv. Veſal. lib. 1. c. 8. Fabric.

VAlleſius, & eum ſecuti Conimbricenſes tribuunt Veſalio, quod ei in mentem non venit. Dicunt enim eum ſentire, primarium auditûs organum eſſe oſſicula illa duo, malleum & incudem, appenſa tympano. Sed legat quilibet Veſalium; id non ſentit. Nimis enim apertum eſt, illam duorum, imò trium oſſiculorum compagem, non ad auditionem ſoni, ſed ad præparationem ſolùm quandam & modulationem ſpeciei audibilis, & trajectionem ad ulterius organum, fabricatam eſſe.

Ariſtoteles verò paſſim exiſtimatur cenſuiſſe τὸν ἀέρα συμφυῆ *aërem congenitum*, ſive implantatum, princeps eſſe auditûs organum, & ibi ab anima ſenſitiva ſonos audiri. Nam alicubi ait, *Aërem congenitum ideo immobilem eſſe, ut omnes differentias motûs valeret ſentire.*

Ariſt. lib. 2. c. 8. de anima.

Hanc ergo Ariſtoteli ſententiam tribuunt & ſequuntur Simplicius, Toletus, Conimbricenſes, ex Medicis Valleſius, & quidam alij.

Sed

Sed Iul. Caſſerius negat eam Ariſtoteli mentem eſſe. Et profectò aliud eſt, *motûs differentias*, aliud ſonorum differentias, *ſentire*. Aër enim congenitus vel metaphoricè dicitur motuum externi aëris differentias ſentire, quia motibus illis concutitur & inhorreſcit; vel certè cauſaliter, quia eſt proxima cauſa, quæ ſpeciem ſoni, potentię ſenſitivę ad audiendum tradit. Eſt quippe aër ille medium internum, contiguum organo in quo potentia reſidet. Quod verò aër iſte ſit pars animata viventis nullibi dicit Philoſophus; imò hoc pugnat cum philoſophia, quâ ipſe ſanguinem, lac, ſemen, ſpiritus vitales, animales, formâ totius viventis animari negat. Et ſanè ſi animatus eſſet, non aër, ſed ſpiritus potiùs ſenſitivus, aut quid ſimile, appellari deberet.

Deinde in conchæ, labyrinthi, & cochleæ concavitatibus, continetur, ut externus aër aut aqua in vaſe; neque cum partibus viventis eſt continuus.

Denique aër externus, per foramen quoddam ab oris palato in concavitatem conchæ, proximam tympano, pertingens, cum aëre illo interno communicat, eum deſtillationibus cerebri gravatum expurgat, & deficientem inſtaurat. Et hujus foraminis ab ore ad interiorem concavitatem organi auditûs, præter Anatomicorum fidem, manifeſtum experimentum eſt in ſurdaſtris, quibus tympani membrana, cerebri defluxione obtuſa & hebetata eſt. Nam cùm audire volunt, hiante ore ſonos excipiunt. Deinde ſi quis obturatis auribus, extremum inſtrumenti Muſici mordicus teneat, pulſus & ſonitus omnes exactiſſimè percipit: non auribus, ſed per canalem illum, qui à ſuperiori concameratione oris ad organum auditûs pertinet, aëremque externum cum aëre congenito miſcet. Eâdem, ut exiſtimo, de causâ venatores ſpiritum continent, ut acutiùs audiant, ſicut narrat Ariſtoteles; qui veram tamen ejus rei cauſam non attigit. Ariſt. ſect. 11. Probl.

Non eſt ergo aër iſte congenitus pars animata viventis, ſed aër quidam purior, quem ad excipiendas ſonorum ſpecies & proximè in ſenſorium auditûs trajiciendas, natura ibi conſervat. Vnde cùm Ariſtoteles ait, τὸ τῆς ἀκοῆς αἰσθητήριον, ἀέρος Ariſt. lib. 2. c. 10. de partib.

ἀέρος ἔνδει φάμεν, *ſenſorium auditûs, aëris eſſe fatemur*, non aliud opinor, vult, quàm ſenſorium auditùs uti iſto aëre interno, tanquam proximo & individuo miniſtro, qui ſpeciem ſoni ei præparet, & ita moduletur, ſicuti activitas potentiæ audiendi exigit. Simili modo, ſenſorium viſûs, eſſe aquæ, vel aqueum Ariſtoteles dicit, quia oculorum humores aquei, ſpeciem viſibilem refringunt & modulantur, ſicut potentia videndi (quæ aut in pupilla, aut in tunica retiformi ſedem habet) efflagitat. Vnde verba iſta Ariſtotelis, quibus probat animal non in omni ſua parte audire, οὐ γὰρ πάντῃ ἔχει ἀέρα τὸ κινησόμενον μέρος καὶ ἔμψυχον, ὥσπερ ἡ κόρη τὸ ὑγρόν: non ſicut quidam ſententiam iſtam obſcurantes, aut in contrarium trahentes, ſed ſic verti debent: *Quia non ubique habet aërem pars illa quæ movenda animataque eſt, quemadmodum pupilla humidum*. Vbi ſatis aperte dicit, partem aliquam animatam diſtinctam ab aëre, debere moveri ab aëre congenito, quem pars illa animata habet ſibi miniſtrantem; quemadmodum pupilla habet oculi humidum.

Ariſt. lib. 2. c. 8. de anima.

Pars igitur illa viventis animata, non autem aër congenitus, princeps auditûs organum erit. Quænam verò illa pars eſt? Quam definit Galenus, nempe extremum auditorij nervi, qui ex quinta nervorum conjugatione, concavo organi auditûs illabens, in ultimo cochleæ receſſu ſe dilatat, & oſſis concavitatem veſtit. In extremum enim illum cochleæ ſinum ſpecies omnes ſoni, per tot labyrinthos antea tranſcribratæ, tandem coëunt & colliguntur; perinde fermè ac ſpecies colorum, ubi per tunicas & humores oculorum verſus perpendicularem fractæ & modulatæ fuerint, in tunicam retiformem appellunt, & eam imagine rei externæ depingunt. Vnde veluti principale organum viſûs in tunica retiformi probabiliſſime hodie ſtatuitur; ita organum auditûs in tunica nervi auditorij, quæ in concavum & extremum cochleæ fornicem ſpargitur, & eum veſtit. Vt non de nihilo dixerit Galenus, extremum illud auditorij nervi, cochleam veſtiens, eſſe in organo auditûs quod cryſtallus in oculo. In cryſtalloide enim viſionem fieri exiſtimabat.

Galen. lib. 1 de ſympt. cauſ.

Deinde

Deinde tympanum, malleus, incus, ſtapes, concha, feneſtræ, labyrinthus, cum omnibus ſuis cuniculorum gyris & mæandris, præſtare cochleæ & potentiæ audiendi, quod tunica cornea, aranea, humor aqueus cryſtalloidi: vel (in ſententia jam veriori) quod cornea, aranea, humor aqueus, cryſtallinus, vitreus præſtant tunicæ retiformi. Omnia quippe iſta in miniſterio principalis organi ſunt, & ſpecies ab objectis externis immiſſas, ad animę potentiam, certo modo fractas, &, ut ita dicam, commolitas & cribratas tranſmittunt.

ARTICVLVS XII.

Quomodo potentia audiendi ſonum percipiat?

Sed difficultas ſat grandis eſt, qua ratione nervus ille auditorius in ultimo ſinu & concavitate cochleæ expanſus, ſonum audire valeat, cum ſpeciem ſoni non in ſe recipiat. Solus enim aër, aqua, & id genus fluida corpora, ſunt capacia ſoni, & ſpeciei ſonabilis.

Hæc fuit cauſa præcipua, cur tot Philoſophi, & Medici in aëre congenito, non in parte auris ſolida, facultatem audiendi collocarint.

Verùm aër iſte non eſt animatus, ſed ejuſdem naturæ cum aëre externo elementari, ut paulò antè diximus. Valleſ. lib. 2. c. 27. Controv.

Valleſius autem non in aëre intra cavitatem cochleæ concluſo, ſed in ſpiritu animali, in auditorij nervi poris contento, potentiam audiendi reſidere credit. Ille enim ſpiritus rarus & fluens eſt, & perinde ac aër, ſoni & ſpecierum ejus capax.

Sed iterùm longè probabilius eſt, ſpiritum animalem carere informante animâ. Deinde ſpiritus ille eſt inſtrumentum animæ univerſale ad omnium ſenſuum operationes, nec magis eſt peculiare organo auditûs, quàm organo viſûs, olfactûs &c.

Itaque alterutrum dicendum eſt. Aut ſpecies ſoni in ſuperficiem corporum ſolidorum etiam recipi, & tunicæ à nervo auditorio expanſæ reverâ inhærere: aut certè in aëre tantùm cum organo auditûs contiguo hærere; & hoc ad ſoni per

ſpeciem repræſentati cognitionem ſenſitivam ſufficere. Nam etiam valdè incertum eſt, an ſpecies coloris & lu. is, ut antea diſſerebamus, in ipſa ſuperficie organi viſûs, ſive tunicæ retiformis, tanquam ſubjecto inhæreant; an tantùm in pellucido humore vitreo, illi tunicæ contiguo.

Iuxta enim modum viſionis, quem ex S. Auguſtini doctrinâ ſuperiùs conſtruximus, facilè intelligi poteſt, non eſſe neceſſe ad concurſum ſpeciei cum potentia, ut ſpecies ipſi potentiæ, aut proximo potentiæ organo inhæreat; ſed ſatis eſſe, ut in proximo & contiguo corpore inſit. Vnde potentia audiendi in concavo cochleæ reſidens, poteſt uti ſpecie ſoni ſibi proximâ & contiguâ, quæ aëri congenito ineſt; quia potentia per cognitionem ſuam poteſt ſic in illam ſpeciem ferri, ut ipſam ſentiat, & eâ mediante ſonum ipſum qui foris eſt, ſi adhuc eſt ſuperſtes.

Deinde licet ſpecies ſoni non eſſet medium cognitum, ſed ſolùm determinando, aut phyſicè coëfficiendo juvaret (quod plures hodie ſentiunt;) poſſet tamen concurrere cum potentia; quia extrema corporis concavi & convexi, juxta philoſophiam Ariſtotelis, ſunt ſibi tam vicina, ut etiam ſint ſimul.

Vnde ſpecies ſoni, quæ uſque ad ultimam ſuperficiem convexam aëris congeniti, intra poſtremum aurium receſſum pertingit, contigua & ſimul eſt cum potentia auditiva, quæ in concavo illius receſsûs ſedem habet.

Sicut ergo facultas vitalis chylifica utitur calore naturali ventriculi, qui non ipſi facultati ut ſubjecto, ſed materiæ primæ ventriculi inhæret; ita nihil eſt cauſæ, cur facultas audiendi, ſpecie ſoni, quæ non auditivæ facultati, ſed aëri proximè contiguo inhæreat, in vitali actione qua ſonum percipit, nequet uti.

Opinio enim, quæ jam invaluit: quòd ſpecies ſenſibilis debeat in potentiam ſenſitivam, tanquam proximum ſubjectum recipi, valde incerta, & meo animo, falſa eſt. Nam ſicut ſpecies viſibilis, audibilis &c. per materiam primam aëris extenduntur; ita cùm ad organum potentię pervenerint,

non

non potentiam ipſam ut ſubjectum occupant; ſed in materia prima organi, tanquam proximo ſubjecto, remanent: aut etiam in corpore proximè contiguo; ſi materia organi careat eâ diſpoſitione, quæ neceſſaria eſt ad talis ſpeciei receptionem.

Quod in tactu certius eſt, ſi verum eſt quod quidam affirmant; calorem non percipi tactu per ſpeciem tangibilem à ſe diſtinctam, ſed immediatè per ſeipſum. Certè enim calor non recipitur in ipſum tangendi ſenſum, ſed in materiam primam partis viventis; aut fortè tantùm in materiam proximi corporis: ſi non errat illa Philoſophia quæ docet, frigus nivis manu apprehenſę, tactu percipi, non autem ſolùm aliud frigus, quod à nive in manu productum eſt.

Non igitur, quia ſpecies dicitur ſemen objecti, potentia verò quaſi uterus (quę duę cauſę ſuas activitates, ad formandum conceptum ſenſitivum, ſimul miſcent) ideo ſpecies debet proximè in potentiam recipi, ſicut ſemen animalis in uterum. Nam ſpecies eſt ſolùm metaphoricum ſemen, & potentia metaphoricus uterus, quę non omnem cum proprio ſemine & utero ſimilitudinem obſervare debent. Sufficit ergo, ſpeciem oportere jungi potentię, ut conceptus ſenſitivus inde naſcatur; licet alio longè modo, quàm verum ſemen & verus uterus, conjungantur. Nam uterus recipit ſemen ut locus locatum; quomodo nemo dicit ſpeciem recipi in potentiam ſenſitivam.

Quâ autem ratione, illicò à perceptione ſoni, per nervum auditorium, ſpecies ipſa ſoni, aut ipſius ſenſitivę cognitionis imago ad cerebrum & ſenſum communem trajiciatur, poſtea meditandum erit.

Hoc etiam fermè me fugerat. Sonum quemlibet, non auditione inſtantaneâ, ſed ſucceſſivè percipi. Auditur enim, prout ad organum appellit; appellit autem, ut puto, ſucceſſivè. Nam ſonus eſt tam ens ſucceſſivum, quàm fractio aëris, ex cujus quaſi vulnere emicat ſonus. Magis enim Ariſtot. & Vaſquio hoc credo, quàm Io. Prępoſito, & quibuſdam alijs Theologis, qui volunt ſonum totum ſimul produci, in inſtanti ultimo Vaſq. 3. p. d. 132. c. 4. n. 64.

fractionem aëris, qua excitatur ſonitus, terminante.

Sed cùm fractio illa ſit motus ſucceſſivus, & ſit cauſa ſoni, ſi non propriè & phyſicè efficiens, ſaltem occaſionalis; rationem non video, quare per totum fractionis tempus, à principio ad finem, alius & alius numero non fiat & effluat ſonus. Nec reliquiæ ſoni quæ in campana quieſcente, poſt validum pulſum, adhuc audiri ſolent, ſunt antiqui ſoni veluti fragmina adhuc durantia; ſed novelli quidam & obſcuriores tinnitus, geniti ex iteratâ alliſione aëris externi ad concavum campanæ; aut fortè partim etiam aëris interni, qui intra tenues æris campani poros meatuſque deprehenſus eſt, & adhuc fluctuat. Vnde reliquiæ illæ tinnitûs, per novas & ſucceſſivas aëris undationes (ut experimur) ad auditum appellunt.

CAPUT V.

De olfactu.

POſt viſum & auditum, ordine dignitatis, & percipiendi longinquitate, ſequitur olfactus. Extra enim organi ſui ambitum ſe exerit, etſi breviùs excurrat, quam viſus, vel auditus. Guſtus verò & tactus objecta ſua è proximo tantùm, & velut in ſinu ſuo contrectant; ideoque magis materiales, tardi, ac craſſi exiſtimantur. Quanquam S. Au-
S Aug.lib.4 c. 14. contra Iul. guſtinus olfactum etiam ſenſibus iſtis *corpulentioribus & quodammodo craſſioribus, qui non ſe foràs projiciunt, ſed interiùs quod ad eos pertinet agunt*, accenſeat; quia tantula eſt diſtantia unde olfactus objectum ſuum attingit, ut vix ultra cuſpidem naſi videatur ſe foràs projicere.

ARTICVLVS I.

Quid odor.

OBiectum proprium olfactus eſt odor. Quem veteres
Ariſt. c. 5. de ſenſu. Philoſophi & Medici *καπνώδη ἀναθυμίασιν fumidam exhalationem* eſſe definiunt. Senſu tamen nimis pingui. Non enim quælibet exhalatio eſt odorifera, ſed quæ certâ quali-

qualitate, movente olfactum affecta eſt. Ipſa igitur qualitas potiùs odor, quàm exhalatio eam vehens, appellari debet. Improprie ergo loquuntur, qui coquos paſci odoribus, Democritum vitam aliquandiu odore recentis panis toleraſſe, populos Indiæ Aſtomos *odore florum & pomorum, quem naribus trahant*, vivere dicunt. Non enim odor, ſed exhalatio, quæ eſt vehiculum odoris, eos paſcit. Veluti tabacobibulos fumus, non nidor tabaci reficit. Quanquam non exiſtimem cuiquam hominum, ad longiuſculam præſertim vitam, tam ſpiritale alimentum ſufficere. Nam non ſolo halitu thymi, ſed *thymo paſcuntur apes, & rore cicadæ;* & thymi ſuccus, ac ros pinguius aliquid eſt, quàm macri illi & ſpiritales florum halitus, quibus paſci dicuntur Aſtomorum populi. Et tamen homines firmiori aliquo cibo indigent, quàm apes & cicadæ.

Eſt autem odor qualitas ſecunda, olfactum movens ex certa primarum permixtione reſultans, in qua ſiccitas dominatur humido. Dominatur autem eo exceſſu, quem Dei ſapientia novit neceſſariam eſſe ad ejuſmodi qualitatis reſultantiam. Hinc elementa pura *ἄοσμα inodora* ſunt, ait Ariſtoteles; ita *metalla & lapides*, quia non eam qualitatum primarum mixturam habent, quam natura ad generationem odoris flagitat. Quia verò ſiccitas mater odoris, non cujuſcumque modi eſt, ſed qualis ex calore multo humidum concoquente & rarefaciente provenit; ideo exhalatio quædam fumida, rara, ac levis eſt potiſſimum ſubjectum odoris. Naturâ & Deo ſic providente, quoniam qualitas illa non niſi ex ſpatio proximo ſpeciem ſui diffundit; ideoque aliquo exhalationis vehiculo, in nares, ubi ſenſorium olfactûs eſt, eam ſubvehente & organo ſuo admovente, indiguit. Unde quæ parum exhalant, minùs odorata ſunt; ut inter vina, dulce & craſſum remiſſiùs, quàm acre & tenue, fragrant. Ibid.

Siccitatem verò eſſe præcipuè genitricem, & velut limam odoris, inde facilè intelligitur: quòd regiones calidæ & ſiccæ, quales Syria & Arabia, inquit Ariſtoteles, odoratiores, & *hortenſium odoratiſſima ſint quæ ſicca, ut ruta, menta, apium, & quæ in ſiccis naſcuntur*, ait Plinius. Unde & *quædam non niſi uſta, ſicut* Ariſt. ſect. 12 Probl. Plin. lib. 21. c. 7.

 thura,

thura, myrraque,olent. Odoratiores quoque fieri arborum fructus, qui Aquiloni, ſicco axi, obvertuntur, credidit Democritus.

Exhalationem tamen non nimis ſiccam & tenuem eſſe, ſed aliquâ humoris miſcelâ temperari & pingueſcere oportet, ne ſubtilitate nimia odor diſcingatur & vaneſcat. Hinc omnis odor verno tempore & horis matutinis acrior; cùm verò dies ad meridianas horas propinquat, hebetatur, ut obſervat Plinius. Certè ego etiam horminium, ſive ſcharleam veſperi, cùm rores æſtate reflucre incipiunt,acerrimum, & longiſſimè odorem ſpargere non ſemel ſenſi. Iridem quoque arbores quibus incubuerit, odoratiores reddere in confeſſo eſt: non quia lumen ipſius arcûs id faciat,ſed quia vapor roridus cui inhæret arcus, florum & plantarum ſiccitati ſuperfuſus, odores incitat. Defectu quoque humoris, ligni odorati cineres ſunt inodori.

Quando verò corpus idem ſapidum & odoratum eſt, ex partibus heterogeneis compactum eſſe oportet. In ſiccis enim & ſpiritalibus odor, in humidis & craſſioribus ſapor ineſt. Hinc illud Ariſtotelis, *Odor eſt ſicci, ſicut ſapor humidi.* (Ariſt. lib. 2. c. 9. de anima.)

Inter odores quidam alimentarij, qui alimentum corpori amabile ſignificant, & orexin excitant; alij naribus tantùm blandiuntur, ut moſchi, ambræ, roſarum, quas nemo famelicus ori ingerit & deglutire parat, etſi fragrantiam olfactu probet.

Ejuſmodi autem odores, etſi nec ventriculo orexin, nec linguæ ſalivam moveant, cerebrum tamen exhilarant & juvant. Vnde *Ariſtoteles ſcribit*, inquit Plutarchus, *Aromatum, florum, & pratorum ſuavem odorem, non minùs voluptati, quàm cerebri & corporis ſalubritati conducere. Nam calore & ſuavitate ſua frigidam & humidam cerebri complexionem calefaciant & temperant.* (Plutar. lib. de Oſir.)

Hinc omnium ſenſuum primarios fines recenſens Iul. Scaliger: *Odoratus*, inquit, *ad juvandum cerebrum, ſpiritusq; in eo reficiendos. Auditus ad diſciplinam, & ſocietatis communionem. Tactus ad corpus forinſecùs. Guſtus ad corpus intùs. Viſus propter animam primò, ad inventionem.* (Scalig. Exerc. 297.)

Licet

Licet autem halitibus odoriferis, ſpiritus animales cerebri recreentur, & ſpiritibus iſtis halitus in partem pabuli cedant, ut Medici teſtantur; nimij tamen & conferti odores cerebrum vertigine perturbant, aut gravedine opplent. *Iucundiſſimi odoris Cydonia*, ait Scaliger, *ciunt vertigines quibuſdam. Affinis noſtra, virgo quædam pulcherrima atque nobiliſſima, ſolo conſpectu lilij, penè vecors fit; peritura, ſi naribus hauſerit*. Cameli etiam & jumenta Arabiæ & Orientis, aromatis onuſta, odore caput invadente, quandoque aguntur in rabiem; aut ficuum halitu oppreſſa deficiunt. Idem Exerc. 142.

Capellanus quidam noſter nuper Anno 1642. in Eccleſia Collegiata B. Petri Lovanij, inter Miſſam ſuam, ſubito animi deliquio concidit, quia miles Hiſpanus moſcho perfuſus ei miniſtrabat; cujus odore à mente primùm alienatus, deinde vini odore pauliſper recreatus, contractâ tamen inde febri, paulò pòſt eſt extinctus.

Attamen *illud velut Maxima quædam tenendum eſt*, ait doctiſſimus Medicus Andr. Laurentius, *Res omnes aromaticas, odoratas, fragantes ſenibus in univerſum vehementer conducere*. And. Laurent. lib. de ſeneƈt. c. ult.

Antiqui Græci in ſympoſijs ſuis, coronas odoriferas capitibus imponebant, & maximè myrteas, aut è roſis plexas. Nam *myrtea vini vapores aſtringit; è roſis conſerta refrigerat, & gravedinem capitis lenit*, ait Athenæus. Hederacea quoque in uſu, & quidem præcipuo fuit: quia aſtringendi virtute etiam pollet, & *citra odoris gravitatem refrigerat*, ait idem, *ac facie non invenuſta, corymbis & folijs virentibus frontem opacat. Ideo illa dedicata eſt Baccho, qui potum invenerit, & malis inde naſcentibus occurrat*. Athenæ. lib. 15.

Igitur Dandino minimè aſſentior, qui halitus odoriferos, in ventriculos cerebri penetrare negat, nullo, inquit, à naribus eòuſque perforato meatu. Magis Falckenburgio, & Medicis acquieſco. *Fumo tabaci*, inquit ille, *è naribus ad papillares proceſſus datur aditus, per quos deinde in nervorum odoratoriorum manifeſtam penetrat fiſtuloſitatem*. Quomodo deinde Doctor Pauvius in Hollandia, referente in Tabacologia ſua Neandro, juvenem ſecuit, *cujus cerebrum planè obſitum erat atris fuliginibus*, ob nimiam tabacarij fumi intemperantiam, ſi nihil per Hierony. Dandinus lib. 2, digreſſ. 52. de Anima. Falkenb. Epiſt. ad Neandr. Tabacolog.

nares

nares eat in cerebrum? Quomodo in altero, eâdem de cauſâ, *ne quidem veſtigia reperta mamillarium proceſſuum?* Sed de his ſatis.

Ceterùm odorum paucas differentias novimus, quia homini olfactus hebes eſt, ob frigus & humiditatem cerebri, quæ in organum olfactûs ferè ſemper aliquid deſtillat. Vnde per analogiam ad ſapores, de odoribus philoſophamur, & nominibus ſaporum odores nuncupamus, ut Ariſtoteles advertit: Extremos quippe odores, dulcem & amarum. medios acrem & pinguem &c. vocamus. *Nam plerique odores ſimiliter ſaporibus nos afficiunt,* inquit Galenus. *Siquidem acida omnia, & præcipuè acetum, ſimiliter odoratum guſtumq́ movent. Tum acria quoque veluti allia, cæpa, & ipſa non minùs quàm guſtum, odoratum offendunt.*

Galen lib. 5 c. 21. de ſimpl. facult.

Odorata in cibo aſſumpta, & maximè allia, movere urinam dicit Ariſtoteles; quia calore ſuo tenuant, & colliquant, ſpirituque ſuo premunt, & evacuationem urgent.

Ariſt. probl. ſect. 13.

ARTICVLVS II.

An odor per ſpecies ab olfactu percipiatur.

Videntur ſpecies ſenſibiles odoris eſſe ſuperfluæ. Spiritus enim odoriferi qui rebus odoratis exhalant, uſque in nares & organum ipſum olfactûs penetrant: quid ergo opus ſpeciebus, ubi objectum præſens adeſt, & in ſeipſo immediatè cognoſci poteſt?

Et ſic ſinè Galeni (Hippocratiſque & Platonis, quorum Placita Galenus ibi enarrat) opinio eſſe videtur, qui ſolum viſum diſtantia videre credit; ceteros verò ſenſus, nil niſi objecta ſua proximè ſibi admota, & attigua percipere. *Vt guſtus, atque alij ſenſus fiant,* inquit, *opus eſt, ut ad animantis corpus perveniat ipſum ſenſibile. Viſus autem per medium aërem ad coloratum extenditur.*

Galen. lib. 7 de Placit. Hippocr.

Olfactus igitur, ejus mente, non niſi odorem fumidæ exhalationis ſibi proximè admotum olfacit; ſicut nec auditus alium ſonum audit, quàm eum qui organum auditûs immediatè impellit.

Ariſto-

Ariſtoteles tamen ſpecies quaſdam odorabiles ab odore, velut à colore ſpecies viſibiles, cenſet per aërem ſpargi. Nam *ſi aliquid per expirationem ſemper à corporibus odoratis delibaretur, minora certè*, inquit, *ob eam rem, effici oporteret. Nunc autem, quæ odoratiſſima ſunt, hæc potiſſimùm eadem videmus permanere.* Idem ibid.

Deinde quidam experimento didiciſſe ſe dicunt, ſpecies odoris à ſpeculis concavis, veluti ſpecies viſibiles, reflecti; ideoque roſas tali ſpeculo oppoſitas, confertiùs & longiùs odorem reſpergere. Quanquam hoc argumentum non valide premat. Nam non ineptè reſponderi poteſt: ſpiritus roſarum tenuiſſimos hàc illàc expirantes, irrequietâ ſuâ levitate partim, partim aëris inſenſibili fluctuatione, in ſpeculi ſuperficiem impingere, & inde locali motu verſus nares noſtras reflecti. Sic enim à ſimili concavo ſpeculo, frigidula quædam nivis exhalatio reverberatur, ſi niveus globus ante ſpeculi ſuperficiem teneatur. Sed alterum, quod ſubjicio argumentum non tam facilè poteſt eludi.

Theologi non pauci corpora Beatorum (ſive per ſuam temperiem, ſive per aliquod velut incorruptibile balſamum, meatibus ipſorum infuſum) ſuaviſſimum odorem, ad delicias & quandam beatitudinem olfactûs, expiratura credunt: & tamen corpora illa, ut pote incorruptibilia, nullam odoriferam exhalationem expirabunt; quia ejus reſolutio per alicujus partis detrectationem corruptionemque fieri deberet. Odor igitur illorum corporum ſpecies intentionales ſolùm mittet, ſicut lux radios luminis, ſine ulla corporali exhalatione, quæ uſque ad nares olfacientium, odorem vehat.

Deinde piſces intra aquam, eſcas odorantur, ut fatetur Ariſtoteles; & de delphino Plinius: *Delphini olfactûs veſtigia non habent, cùm olfaciant ſagaciſſimè.* Nec tamen gelidæ & humidæ piſcium eſcæ, ullam fumidam exhalationem per aquam ſpargere videntur, quæ odorem naribus, aut organis quibus olfaciunt piſces, invehere poſſit. Igitur eſcæ illæ aquaticæ, actione tantùm intentionali videntur olfactũ piſcium immutare. Ariſt. lib. de ſenſu. c. 5. Plin. lib. 11. c. 37.

Denique, ut poſtea dicemus, ſpecies odoris re verà eſt odor quidam tenuis, ejuſdem naturæ cum odore, qui ex certa

 quali-

qualitatum primarum temperie reſultat. Odor autem moſchi, roſæ, pomi &c. videtur poſſe in aliquo ſubjecto produci, ubi nulli ſpiritus odoriferi, nec ulla temperies talis, ex qua odor vel in roſa, vel in pomo reſultare ſolet.

S. Ber. ſer. 1. poſt Epiphan. *Nonne enim*, inquit S. Bernardus, *qui pomum in manu ſua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi ſervabit odorem?* Et odor iſte manet ſæpe, etiamſi manus quis abſtergat, aut lavet: unde non in ſpiritibus manui adhærentibus, ſed in ipſa carne manûs videtur inhærere.

Atque hoc de ſpeciei odorabilis propagatione, ſine halitu comitante, ſentit S. Thomas. Nam *quædam ſenſibilia*, inquit, *deferuntur ad ſenſum ſecundum eſſe ſpiritale tantùm; ſicut ſpecies colorum. Quædam contingunt organum ſecundum eſſe ſuum materiale, ſicut in guſtu, & tactu. Quædam deferuntur utroque modo; ſicut ſpecies odorum, cum permixtione fumalis evaporationis; quæ tamen ſpecies extenduntur ultra fumalem evaporationem. Et ſimiliter eſt de ſono, & medij motu.* S. Tho. in 2 d. 2. q. 2. a. 2.

Igitur exiſtimat corpore odorifero fumalem quandam evaporationem plerumque reſolvi, ac per aërem locali motu diſpergi: attamen poſtquam ſe movere & diffundere ceſſaverit, poſſe jam ex iſto loco ſpecies odorabiles, ſpiritali tantùm diffuſione, ulteriùs propagari.

Spiritalem autem diffuſionem vocat S. Thomas, quando ſolæ ſpecies odoris propagantur, non comitante odore ipſo cum ſubjecto ſuo, talibus qualitatibus primis aut ſecundis temperato, ex quibus odor naturaliter & permanenter reſultat.

Propter illam igitur evaporationem, neceſſe eſt corpora odorata aliquantum erogari ac diminui. Hinc enim odoratos arborum fructus, ut pomorum omne genus, ſpatio temporis contrahi & corrugari videmus. Quia tamen moſchus, & quædam ejuſmodi, quæ acerrimo odore nares feriunt, non videntur notabili decremento molem ſuam expirare; idcirco fortè Ariſtoteles (quem paulò antè audiebamus) dixit, *ea quæ odoratiſſima ſunt, potiſſimùm eadem videri*, & in ſua mole perdurare. Indeque probat, talium corporum odores, per nudas ſpecies odorabiles, ſine ullâ, aut certè cum minimâ exhalatione

latione ſubſtantiæ, ab olfactu diſtanti ſentiri. Quod maximè videtur verum, quando corpora odorifera, ſolida & aſtrictæ denſitatis ſunt (quales ligna, & lapides odorati) à quibus non facilè quidquam; niſi per cauſas vehementes, decerpi, aut delibari poteſt.

Licet autem iſta vera eſſe negare nolim, ſpecies tamen odoris, non longo ſpatio ultra exhalationis terminos, poſſe promoveri exiſtimo. Odoris enim virtus ad ſpecies illas effundendas, languida; & intra brevem admodum activitatis ſphæram reſtricta eſt.

Vnde experimentum iſtud Buridani, quo probat ſpeciem odoris ſat longè per aërem, quò non pervenit exhalatio, trajici: *Quia combuſtio modici pergameni, vel ſulphuris*, inquit, *replet totam domum odore; quamvis non ubique per domum expandat ſe fumus illius: ergo aliter quàm cum fumo multiplicat ſe odor per medium*: non valde æſtimo. Io. Buridan. lib. 2 q. 22. de anima.

Nam profectò fumus modici etiam titionis per totum cubiculi aërem ita ſe diffundit, ut ubique non ſolùm nidorem, ſed etiam de ſuâ ſubſtantiâ nebulam faciat. Nonne etiam modicum vini, aut mellis totam aquæ lagenam ſapore ſuo aſpergit? Et tamen ſapor iſte non per ſpecies, per aquam tanquam per medium, trajectas, ſentitur; ſed particula aliqua mellis uſque ad contactum linguæ venit, ut Ariſtoteles ipſe docet. Vnde neceſſe eſt, ut ſubſtantia mellis, aut ſpiritus ejus per univerſam aquam diffundatur. Ariſt. lib. 2. c. 10. de anima.

Hinc ergo ſi verum quod quidam narrant, vultures per quingenta millia paſſuum (id eſt, centum milliaria Germanica) odorem cadaverum aliquando perceperint; longè profectò abeſt, ut ſpecies odoris per tantam ſpatij longitudinem valuerint trajici; ſed vento ſecundo, cadaverum exhalationes eòuſque fuerint perlatæ. Sed fabulam eſſe puto. Statim enim atq; Hiſtoricus aliquis temerè ſæpe, nec tam ad fidem, quàm admirationem legentium, ſimile quid effutijt, credula Philoſophorum natio hoc arripit, ut in eo ingenium exerceat; quia rebus falſiſſimis veriſimilitudinem conciliaſſe, ad gloriam ſubtilitatis ſæpe plus valet, quàm quod verum eſt demonſtraſſe.

Aut ſi hoc de vulturum olfactu, & ſpeciebus odoris ad centum milliaria Germanica trajectis, credis; hoc etiam de iiſdem, Plinio poteris accredere: *Triduo antè, aut biduo volare vultures, ubi cadavera futura ſunt.* Vbi ecce, non tantùm ſagaces vultures, ſed etiam prophetas, facit: qui viventium futura cadavera norint olfacere. Niſi tamen quandoque exercituum fortè agmina in pugnam & cædem hominum equorumque, ac avium rapacium prædam, concurriſſe, ex ſublimi viderint, & ex tali memoriâ, agmina militaria poſtea comitati fuerint, ſpe ſimilis prædæ.

Plin. 10. c. 9.

Natura autem tam brevem activitatis ſphæram per quam diffunderet ſpecies, odori circumſcripſit, ut ipſemet odor exhalatione ſuâ vectus, organo odoratûs, ac deinde cerebro inveheretur; in cujus temperiem, & ſpiritûs animalis ſuave & ſalubre pabulum, ut antè diximus, cederet. Si enim ex longinquo, ut lux & color, percipi & delectare odor valeret; homines & animalia fumidas illas alimentorum, florum, aromatum, & infinitarum rerum exhalationes naribus attrahere non curarent; quarum tamen tepore & ſiccitate, cerebro maximè humano, natura mater mederi voluit.

S. Aug. lib. 2. c. 8. de libero arb.

Hinc S. Auguſtinus odoratum & guſtum, in hoc à viſu & auditu differre dicit: quòd plures homines eundem colorem ſimul videre, & ſonum eundem ſimul audire poſſint; non autem odorem, aut ſaporem eundem ſimul percipere. *Nam etſi eundem aërem naribus ambo*, inquit, *trahimus, aut unum cibum guſtando capimus; non tamen eam partem aëris duco, quàm tu, nec eandem partem cibi ſumo, quam tu, ſed aliam ego, aliam tu.*

Igitur, ſicuti ex eadem paropſide comedentes, quiſque particulam ſuam cibi, ori ingeſtam guſtat, & non particulam alterius; ita duo communem aërem, & odoriferam exhalationem in eo natantem, ſic naribus attrahunt, ut unuſquiſque partem ſuam inde decerpat, eamq; organo olfactûs vel proximè apprimat, vel ſaltem ex propinquo, nec extra naſi ferè circumferentiam, odorem ejus percipiat. Hinc canes, ut herilem, aut quemlibet alium odorentur odorem, continuò olfactant, & aërem ſpiritumque odoriferum intra nares prolectant.

Nolim

Nolim tamen pertinaciter negare, duos naſos ſibi vicinos, poſſe ſimul eundem odorem exhalationis in aëre, extra utriuſque naſi circumferentiam pendulæ, olfactu percipere: quia incompertum eſt nobis, ad quantulam diſtantiam odor ultra illam ſuam exhalationem, ſpeciem odorabilem ejaculari valeat.

An autem ſpecies iſta odorabilis in inſtanti, ut ſpecies viſibilis; an ſucceſſivè, ut ſpecies ſoni, per medium trajiciatur, nondum liquet. Nam licet odorem thuris, & incenſi v.g. cujus in Eccleſia uſus, non percipiamus ſtatim ubi fumum thuribuli aſcendentem videmus; inde tantùm colligi poteſt, exhalationem ipſam fumidam, & ſpiritus qui eá exhalant, ſucceſſivo motu per aërem verſus nos diſpergi: an verò, ubi nares noſtras ſubierit, aut in proximo conſtiterit, ſpeciem odorabilem in inſtanti, an tempore ultra illud ſpatium mittat, ad quod motu locali pervênit; eſt quod dubitem. Nam quòd ſpecies ſoni ſucceſſivè trajiciatur, fit, quia tremor & vibratio quædam aëris ſucceſſiva, uſque ad auditum, comitari illam ſpeciem debet; nullus autem ſimilis aëris fluctus neceſſarius eſſe videtur, ut odor ſpeciem ſui promovere valeat. Nam aëre tranquilliſſimo odores fragrant, & ſpecies ſuas, non ſecus ac fluctuante, diffundunt. Cur igitur potiùs ſucceſſivè, quàm in momento radios ſpecierum jaculantur: præſertim, cùm nullam in aëre qualitatem repugnantem inveniant, cui expugnandæ immorari debeant?

Epicurus tamen odorem, undatione quadam aëris comitante, ſucceſſivè diffundi dicit, quomodo diffunditur ſonus. *Laërt in Epicuro.*

Sed in Epicuri Philoſophia non mirum; cùm & odoris, & ſoni propagatio, & omnium agentium actio, nihil apud Epicurum ſit aliud, quàm effluxus quidam corporearum atomorum. Unde, nil miri ſi motu locali & undatione quadam tumidâ (quam ὄγκοι *tumorem*, aut *umbonem* appellat) odoratæ atomi aërem propellant.

Dici tamen etiam in Philoſophia Peripatetica poteſt: ſpecies intentionales odorum ſucceſſivè propagari, præcedente aëris undatione, quam exhalatio odorifera facit, dum ſe diffundendo, aërem ante ſe agit. Et ideo ſphæram activitatis

odoris tam curtam & reſtrictam eſſe; quia aër ab illa exhalatione tam tenui impulſus, non procul ante exhalationem tremeſit & criſpatur. Et ſic fatendum erit, odorem in hoc aſſimilari ſono; quòd uterque ſpeciem ſuam ſucceſſive propaget, ſecundum menſuram & proportionem alicujus motûs localis, qui propagationem ſpeciei, naturâ antecedat, & tempore comitetur.

Aut certè dicendum erit, propagationem ſpeciei odorabilis ſucceſſivam, non momentaneam eſſe, propter agentis imbecillitatem, & quandam, ut ita dicam, ſegnitiem naturalem, quod Conimbricenſibus placet.

ARTICVLVS III.

An ſpecies odorabiles naturâ ſpecificâ ab odore differant.

ITerùm hîc diſceptatio & ambiguitas, qualem circa colorem & ſpeciem viſibilem, circa ſonum & ſpeciem audibilem ſuperiùs vidimus.

Qui dicunt ſpecies ſenſibiles ſenſu non percipi, ſed cooperari tantùm potentiæ ſenſitivæ, ut ipſa eliciat cognitionem objecti, à quo ſpecies in organum trajicitur, magno conſenſu aſſerunt omnes univerſim ſpecies, eſſe qualitates diverſæ rationis ab objectis, unde manant.

Sed Avicenna, Caſſerius, Valleſius, Durandus alijque malunt, odorem ſe per medium realiter propagare, & ſui ſimilem producere. Et ſane, ſi lux & color, Galeni opinione, movent potentiam viſivam, *mittendo ei particulam ſui, ſpecie ſimilem & cognatam;* ut ex hoc quaſi ſpecimine cognoſcat, qualis ſit tota lux aut color; non eſt ratio ſolida, cur odor quoque non percipiatur olfactu, per ſimile aliquod ſpecimen, quod ejuſdem naturæ ſit cum odore principali, quando principalis iſte odor organo olfactûs proximè applicari non poteſt.

Galen. lib. 7 de Placit. Hippocr.

Mittere tamen tale ſpecimẽ, eſſe proprium objecto potentiæ viſivæ, credit Galenus: non, quia aliorum ſenſuum objecta mittant ſpeciẽ diverſæ à ſe rationis; ſed quia nullam mittunt.

Galen. ibid.

 Putat

Putat enim *ut ceterorum ſenſuum operationes fiant, opus eſſe, ut ad ipſum animantis corpus ſenſibile perveniat. Viſus autem ſolus*, inquit, *percipit ſenſibile, quod movet ipſum per medium aërem.*

Vnde ſi Galenus Ariſtoteli conſenſiſſet odorem ex aliquantâ diſtantiâ, olfactu poſſe percipi; ſine dubio dixiſſet (quemadmodum de colore philoſophatur) præmitti ab odore in organum olfactûs aliquam *particulam ſui, ſpecie ſimilem & cognatam* toti odori, à quo particula illa producitur. Certè enim natura in ſimilibus ſuis operibus ſolet ſibi conſtare, & eſſe uniformis.

Erit igitur omnium ſenſuum externorum idem generaliter ſentiendi modus. Vt videlicet, vel objectum ipſum proximè organo applicitum ſentiant, aut ſi ab organo diſtet, per vicariam ſpeciem, ſive per ſpecimen quoddam ejuſdem rationis cum objecto principali; ex cujus cognitione, ſenſus ad ulterius objectum, actionem ſuam extendant.

Sed Durandum hîc differentem audiamus, & probantem ſpecies colorum eſſe ejuſdem naturæ ſpecificæ cum coloribus ſuis (quod & nos Cap. III. Art. VII. approbavimus;) ac deinde ceterorum quoque ſenſibilium ſpecies cum ſuis ſenſibilibus, ut ſpeciem ſoni cum ſono, ſpeciem odoris cum odore &c. unius eſſe rationis.

Sicut ſe habet lux, inquit, *in corpore luminoſo ad lumen cauſatum in medio; ſic videtur ſe habere color in corpore terminato ad ſpeciem cauſatam in medio. Quia ſicut proprium ſubiectum lucis, ſecundum ſuum perfectum eſſe, eſt corpus denſum (unde & ſtella lucens dicitur eſſe denſior pars ſuæ ſphæræ lib. 2. de cælo:) ſic proprium ſubiectum coloris, qui in ſe continet aliquid de natura lucis, ſecundum ſuum perfectum eſſe, eſt perſpicuum terminatum per opacum: ſubiectum autem utriuſque ſecundum eſſe imperfectum, eſt perſpicuum non denſum nec terminatum. Propter quod ſicut ſe habet lux ad lumen, ſic color ad ſpeciem. Sed lux in corpore denſo & lumen in medio ſunt eiuſdem rationis ſpecificæ licet differant in modo eſſendi, ſecundum rationem perfecti & imperfecti propter diverſitatem ſubjecti recipientis: ergo ſimiliter color in corpore terminato, & ſpecies eius in medio, ſunt eiuſdem rationis ſpecificæ; licet differant ſecundum perfectum & imperfectum,* Durand. in 2. d. 3. q. 6.

perfectum, propter diverſitatem ſubiectorum recipientium.

Deinde ait, quòd ſicuti calor diſtans, ut ſentiatur, alium calorem in medio, & organo tactûs producit; ita ſonus ſonum, odor odorem, ſapor ſaporem ejuſdem naturæ ſecum per medium ſpargat, & organo imprimat.

Denique, *ſpecies*, inquit, *non ducit in cognitionem alterius (ut videtur) niſi ratione ſimilitudinis: unde & ſimilitudo dicitur, per quandam expreſſionem. Similitudo autem non eſt differentium ſecundum ſpeciem. Ergo ſpecies, quæ eſt medium quo res cognoſcitur, & ſimilitudo rei, non differt ſecundum ſpeciem à re quam immediatè repræſentat.*

Scio Durandi argumenta paſſim ab alijs eludi; qui dicunt ſpeciem ſenſibilem ſenſibilium externorum, eſſe medium cognoſcendi incognitum, adeoque ſimilitudinem non propriam & ſpecificam, ſed ſolùm intentionalem (ut vocant) inter colorem & ſpeciem coloris, inter odorem & ſpeciem odoris &c. intercedere.

Sed Durandi ratiocinatio philoſophiæ S. Auguſtini eſt conformis: juxta quam ſpecies ſenſibilis etiam ſensûs externi, medium cognoſcendi cognitum eſt.

Ad hoc autem, ut mediante ſui cognitione, in cognitionem alterius objecti principalis, ſenſum abducat, nihil commodius fieri potuit, quàm ſi inter ſpeciem & illud objectum ſit identitas ſpecifica, & ſimilitudo propria ac formalis, ut alibi diximus. Vnicum argumentum eſt, quod me olim, & alios ab iſta S. Auguſtini philoſophia ferè avertit.

Quomodo enim ſpecies odoris cum odore, ſpecies ſaporis cum ſapore &c. unius naturæ ſpecificæ eſſe poteſt, cùm in medio, aut organo olfactûs non ſit temperies illa qualitatum, ex qua ille odor, aut ſapor, qui à ſenſu percipitur, reſultare debet? Nam quod Durandus paulò antè dicebat, ſpeciem lucis eſſe lucem imperfectam, ſpeciem coloris eſſe colorem imperfectum, ſpeciem odoris eſſe odorem imperfectum &c, non videtur curioſis & ſubtilibus ingenijs ſatisfacere: niſi explicetur, in quo imperfectio iſta conſiſtat.

Dico igitur hîc de odore, quod Cap. III. Art. VII. de colore

colore dixi. Nempe, nihil obſtare, quo minùs odor, ut qualitas fixa & permanens, à certa qualitatum primarum temperie; in fumida ſua exhalatione primùm reſultet; & tamen præterea, alium ſibi ſimilem odorem, actione intentionali, ut vocant, per aërem ſpargat, per quem olfactu, etiam ex ſpatio diſtanti, percipi poſſit. Sic enim lux ſolis, aut ignis in corpore ſuo fixa & permanens eſt, à forma ſubſtantiali, vel aliquâ qualitate priori talis corporis, dimanatione quadam naturali, primùm emicat, & ibi conſervatur; cùm tamen etiam luce ejuſdem rationis, aliud ſubjectum diaphanum perfundere poſſit, quæ non à forma ſubſtantiali diaphani, vel à qualitate diaphani unâ aut pluribus, ſed à luce ipsâ externâ ſolis, aut ignis, in fieri & conſervari dependet.

Hæc autem lux diaphani (quæ propriè lumen appellatur) nihil aliud eſt, ut ex Scoto, & alijs argumentis antea probavimus, quàm radius & ſpecies viſibilis lucis illius, quæ ſoli, aut igni inhæret. Naturæ enim neceſſitas poſtulat, ut tales qualitates, lux, color, ſonus, odor, &c. ſe expergere & propagare per medium poſſunt, ut in iſto radio ſuo, velut ſpecimine quodam, ſenſu externo cognoſci valeant.

Eodem etiam modo calor, & frigus per medium ſe extendunt; licet qualitates ſibi ſimiles, quas producunt, non tam pertinaciter a calore ignis, aut frigore aquæ, in conſervari dependeant; quia illæ ſunt qualitates primæ, quæ ad mixturam & temperationem corporum mixtorum neceſſariæ ſunt: ideoque extra ignis & aquæ præſentiam, phyſicumque eorum influxum, debent poſſe conſervari.

Hinc actio, qua calor producit calorem alium, dicitur eſſe realis, non intentionalis: quia primarius finis ejus non eſt excitare, aut adjuvare potentiam ſenſitivam ad eliciendam aliquam intentionem (quales ſunt viſio, auditio, tactio &c.) circa ſuum objectum; ſed eſt aliquid magis reale, ſubſtantiale, & ut ita dicam, magis craſſum: nempe corporum mixtorum temperiem efficere, ac eam ingredi; aliæque utilitates plurimæ, quas calor in univerſo habet.

Actio verò, qua lux, color, ſonus, odor &c. qualitatem

 ſibi

ſibi ſimilem in medium, & in organo ſenſuum radiant, vocatur intentionalis; quia ad intentionem aliquam, ſive ſenſionem in potentia ſenſitiva excitandam primariò deſtinatur. Aut ſi qualitas per medium ſparſa, duos fines æquè principales habere videatur (ſicut lumen à luce ſolis effuſum juvat oculum ad videndum, & ſimul producit calorem) talem qualitatem, partim realem, partim intentionalem appellant.

Ariſt. lib. 3. c. 2. de anima. Dicit denique Ariſtoteles *ſenſorium eſſe ſuſceptivum ſenſibilis ſine materia:* quia oculus v. g. vel organum olfactûs, cùm ſpeciem coloris, aut odoris recipiunt, non ſimul recipiunt qualitates materiales, temperamentaque iſtorum objectorum ſenſibilium (ſive coloris, & odoris) ex quibus qualitates iſtæ ſecundæ, in ſubjectis ſuis primùm reſultant: ſed tam in medio, quàm in organis ſenſuum, à ſolâ efficientiâ illorum objectorum dependent. Et ideò potiùs ſpecies coloris, quàm color, ſpecies odoris, quàm odor vocantur.

Eâdem de cauſâ, actio illa quâ color, odor &c. ſpecies ſuas per medium radiant, vocatur à S. Thoma, & Peripateticis actio ſpiritualis: quia licet ſpecies ſint qualitates corporeæ; hactenus tamen ſpiritualizatæ ſunt, ut ſic dicam, quòd à qualitatibus materialibus ſubjecti coloris, unde color & odor primò reſultant, avulſæ ſint, nec à medij, aut organi materiali temperamento dependent.

ARTICVLVS IV.

Quodnam ſit olfactûs organum.

EXperientia conſtat in animalibus naſutis, organum olfactûs in interiori naſo, aut ejus viciniâ eſſe. Odores enim per illum naſi canalem ſubeuntes, ibi, & non alibi, percipimus.

Galenus uſque in primos cerebri ventriculos olfactum ſubmovet. Sed cerebrum potiùs ſenſuum internorum, quàm externorum organum cenſeri debet. Deinde cerebrum ne quidem ullius tactûs, niſi fortè obtuſiſſimi, eſt particeps; igitur nullius alterius ſenſûs externi eſt capax. Ac denique experientia ipſa docere videtur, nos non cerebro, ſed ſummo naſo,

naſo, aut ex proximâ viciniâ, odorum qualitates percipere. Alij Medicorum hodie filij paſſim in proceſſibus mammillaribus, ſive geminis carunculis, quæ ſimiles mammillarum papillis, interiùs è regione ſuperciliorũ, ex cerebro ipſo, tanquam ejus appendices, dependulæ ſunt, ſenſum olfactûs conſtituunt.

Volumus cum Galeno, & Medicis omnibus, ait Laurentius, *princeps odoratûs organum intra calvariam eſſe collocatum, & portionem eſſe cerebri: proceſſus quippe & tubercula duo mammarum papillis ſimillima, quæ ſummo narium oſſi objecta inſident.* Andr. Laurent. lib. 11. q. 12.

Atque ego quoque in hanc ſententiam, ſed incerto tamen & titubante greſſu, vado. Nam in primis Veſalius Anatomicorum facilè Princeps: *Qui ſectionem*, inquit, *paulò diligentiùs aggreſſi, illa cerebri tubercula, mammillarum imagine prominentia, nihil ad olfactûs organi conſtructionem auxiliari cognoverunt.* Veſal lib 4. c 3.

Vnde ex ſententia non ſua, ſed aliorum loqui oportet Veſalium, cùm aliquando tubercula illa mammillaria, organa olfactûs appellat. Vt quando ait: *Aëris portionem ad cerebrum trahi per octavi capitis oſſis foramina, quibus olfactûs organa incumbunt.* Papillæ enim illæ mammillares incumbunt oſſi ethmoeidi, quod cribriforme, quia inſtar cribri perforatum eſt, vocant. Lib. 6. c. 1.

Quod etiam addit Laurentius, odoris ſpecies è naſi tubo, per cribrum ethmoeide, ad papillas mammillares, cerebri reſpiratione debere attrahi, ut odor percipi valeat; mihi videtur falſum. Nam cerebri reſpiratio arbitraria non eſt, ſed naturalis. Illa verò inſpiratio, quâ odores attrahimus, voluntaria eſt, adeoque non à cerebro, ſed è pulmonibus venire apparet. Argumento ſatis manifeſto: quòd cùm ad olfactandum, aërem inſpiramus, manu diaphragmati exteriùs admotâ, motum pulmonum percipiamus. Follicante tamen naſo ſpiritum pulmonum attrahimus, & ſurſum impellimus.

Vnde aër è naſo, inſpiratione pulmonum attractus, in os cribriforme à parte exteriori potiùs impellitur, & verſus papillas mammillares protruditur; non autem metu vacui, propter cerebri dilatationem ſpontè ſubit, ut credit Laurentius. Imò plurimi Medicorum ullam eſſe cebri dilatationem, & contractionem negant; ſed motum, qui in cerebro maximè

 parvulo-

parvulorum ſe prodit, non cerebri palpitationem, ſed arteriarum tantùm pulſum eſſe credunt.

Deinde, odorem non intra capitis calvariam, & in illis cerebri appendiculis è regione ſuperciliorum, ſed inferiùs ad radicem naſi extra cranium, percipere videmur. Vbi enim fragrantia & voluptas rei odoriferæ ſentitur, ibi operatio ſenſùs exercetur. Voluptatem autem iſtam in membrana quæ radices naſi, in confinio calvariæ veſtit, ſentiet, ait Valleſius, quiſquis attendere, & in ſe reflectere volet. Plures alios experimenti hujus ſe interrogaſſe teſtatur, qui omnes idem confeſſi. Nec hoc experimentum validè confutat Iul. Caſſerius. Senſum enim voluptatis in ſummo naſo, *propter qualitatem,* inquit, *tangibilem, quæ halitui odorato inerat, Valleſio eveniſſe credimus; vel omnino eo loci factum fuiſſe negamus.*

Iul. Caſſer. lib. 3. c. 18.

Atenim, de voluptate odoris, non qualitatis tangibilis loquitur, quarum unam ab altera tam facilè ſenſu, quàm odorem à calore, aut quacumque qualitate tangibili diſtinguimus. Quòd verò negat voluptatem illam in extremo receſſu naſi, ſed ſuperiùs intra calvariam, & in cerebri appendicibus, percipi; experiatur, & examinet ſe ipſe, dicit Valleſius, ſanè tam apparet in extremo naſo nos odorem, quàm in linguâ ſaporem percipere.

Quare Valleſius à communi Medicorum ſuorum ſecta abiens, ait organum olfactùs extra calvariam eſſe.

Valleſ. lib. 2. c. 26. Controv.

Cur ergo, inquit, *non olfacimus, niſi inſpirantes?* Reſpondet: *Quia halitus trahuntur introrſum inſpiratione. Odoratus verò non eſt in extrema ſuperficie cutis, ſed in partibus profundioribus, ad quas inſpiratione, velut ſuctu, trahuntur halitus.*

Vt ergo viſus in oculi poſtrema tunica retiformi, auditus in tunica ultimum cochleæ receſſum veſtiente; ita odoratus in tunica quæ oſſi, in ſummo naſi faſtigio, interiùs obducitur, ſedem habere videtur. Vnde veluti in viſu & auditu, particula illa tunicæ, in qua facultas reſidet, peculiari temperamento & qualitate, ad ſentiendi munus idoneâ, à naturâ imbuta eſt; ita in odoratu erit.

Et licet via ad organum olfactûs pateat; quia tamen naſi

tubus plenus eſt aëre, inſpiratione eſt opus, ut aër recedat & odorifera exhalatio ei ſuccedat, aut factâ via vi, eum pervadat. Sic enim magis confertim odor organo ſuo admovetur, & odoratio fit inſignior. Quò etiam longitudo naſi adjuvat; quia talis figura plus odoriferi halitûs concipit, & tranſmittit ad organum. Hinc Lacænas canes ſagaciſſimas olim fuiſſe Ariſtoteles notat, quia naſutas egregiè.

Os autem ethmoeides, ſive cribriforme videbitur factum ad cribrandas & expurgandas exhalationes, antequam in cerebrum veniant, & ſpiritibus ejus permiſceantur.

Veruntamen hęc me in communē Medicorū viam rejiciunt.

Primò, quòd in ſummo naſi receſſu nullus nervus odoratorius ſe expandat, ut Valleſio Caſſerius objicit. Sine nervo tamen à cerebro in organum ſensûs externi pertinente & inſerto, ſpecies odoris, vel olfactionis in ſenſum internum trajici nequit.

Deinde Anatomici recentiores narrant, ſe mollis cujuſdam nervi canalem, à papillis illis mammillaribus, uſque ultimum cerebri in occipite ventriculum, deductum deprehendiſſe. Hic autem canalis tranſvehendis ſpeciebus ab organo olfactûs ad ſenſuum internorum ſedem, videtur factus.

Tertiò, animalia quæ olfactu valent (ut in cane & ove advertit Veſalius) papillas grandiores habent: uti & foramina oſſis cribriformis patentiora, ad liberiorem & magis confertam odorum ad ſuum organum trajectionem. Veſal. lib. 4. c. 3.

Quarto, papillæ mammillares, à fluxa & pallida illa temperie cerebri, cui appenſæ ſunt, in aliam magis carnoſam & rubenrem degenerant; ac deinde poroſæ, & ſpiritu animali multo turgidæ ſunt: ut proinde officio odorandi à natura conformatæ videantur.

Quomodo igitur in ipſo ultimo receſſu naſi voluptatem odoris percipere videmur?

Credo idcirco accidere: quia anguſto interſtitio papillæ illæ à ſupremo naſi tubo diſcretæ ſunt; nec præciſe & mathematicè diſtinguere valeamus, an in hac particula corporis noſtri, an in vicina ſenſum alicujus rei exerceamus. Quis enim

novit in qua circumciſè parte oculi, auris, linguæ, colorem, ſonum, ſaporem percipiat?

ARTICVLVS V.

An bruta animalia odoribus delectentur.

Ariſt lib.3. c.13.Ethic.

NEgare videtur Ariſtoteles, cùm ait hæc irrationalia animalia, non niſi κατὰ συμβεβηκὸς *per accidens*, odoribus delectari, quatenus nempe ex odoris olfactu, cibi aut Veneris voluptatem imaginantur. *Neque enim*, inquit, *canes odore leporum, ſed comeſtione delectantur.* Idem docet Commentator ejus Euſtratius. Et Io. Major cauſam etiam adfert, cur bruta ex nullo alio ſenſu, quàm guſtu & tactu voluptatem percipiant. *Minor enim fuit cura Deo de belluis*, inquit, *quarum appetitus à ſolo inſtinctu naturæ movetur: & ideo non delectantur, niſi in his ſenſibus, quæ ad ſuſtentationem naturæ ordinantur.*

Io. Major. lib. 3. c. 10. Ethic.

Sed cùm canes, ſimiæ, & plurimæ beſtiarum olfactent eſcas, antequam ſumant, videntur, perinde ac pueri (quibus beſtias in ſimilibus comparare ſolet Ariſtoteles) aliquod odoris blandimentum percipere, unde cibi convenientiam intelligant; ut non ineptè adverſus Peripateticos Io. Brodæus argutatur. Vt ergo pueri, & amentes odoris gratiâ ad veſcendum invitantur, & amaritudine avertuntur; ita belluæ.

Io. Brodæ. lib.8 c. 22. Miſcell.

Deinde bruta nec rationem utilitatis & medij ad finem, nec rationem boni honeſti percipere valent; igitur bonum delectabile, & malum ei oppoſitum ſolùm apprehendunt, ac ſubinde ac ſubditò in illud tantùm appetitu feruntur. Amor autem boni delectabilis non eſt ſine delectatione, nec odium mali oppoſiti ſine triſtitia. Fingere autem, canem nullo affectu appetitus circa odorem cibi, ſed tantùm circa ſaporem verſari; tam ſine ratione eſt, quàm de puero, aut amente idem comminiſci. Igitur ſicut homini amenti famelico bene olet nidor carnis aſſæ, ita etiam famelico cani; ac deinde delectatione odoris, tanquam objecti propinquioris, ducitur in imaginationem blandimenti ſaporis; quod percipiet, quando non

naſum tantùm cibo admoverit, ſed dentem.

Itaque odorem, ſaltem alimentarium, cum delectatione haurire, aut à contrario cum horrore refugere, mihi bruta videntur,

Aliorum verò odorum, ut moſchi, ambræ, florum &c. quos Ariſtoteles dicit eſſe proprios homini, an voluptatem nullam ſentiant, eſt quod etiam dubitem. Nam in primis, odoratu odores illos percipere videntur; cùm ſicut viſus & auditus, ita odoratus ſit in homine & brutis unius, ut exiſtimo, ſpeciei & naturæ. Nullâ tamen ejuſmodi odorum voluptate ſe tangi, plurima bruta ſatis experimento demonſtrant. Tales enim odores nihil ad belluas, ſed homini unicè facti ſunt, ad cerebri humani, ubi arx rationis locata, temperiem & medelam. Quòd tamen nullum genus bruti nullo odore, niſi alimentario, delectetur, dicere non auſim. Certè mihi vix credibile eſt, canem nullo blandimento odoris herilis capi, quem etiamſi ſatur, tam blande olfactat, jactatione caudæ teſtante lætitiam. Imò Ariſtoteles, & poſt eum Plinius ac Solinus, narrat *odore pantherarum mirè ſollicitari quadrupedes cunctas, ſed capitis torvitate terreri. Quapropter occultato eo, reliquâ dulcedine invitatas corripiunt.* Ariſt. Probl. ſect. 13. Plin lib. 8. c. 17.

Ecce ergo, ceteræ quadrupedes odore pantheræ delectatæ, eam circumludunt, non ut comedant, ſed ut ab ea raptæ comedantur.

Denique, *nonne peponum odore*, ait Brodæus, *elephantes in Æthiopia gaudent, bombyces alliorum ac ceparum viru exanimantur, thuris verò ſuffitu recreantur?* Nonne equi quoque hircorum fœtore delectantur? Ideo quippe ruſtici quidam prudentes, hircum unum inter equos ſtabulari jubent. Veruntamen omnis iſta delectatio ex aliâ priori, & naturæ medullis altiùs infixâ venit; nempe ex ſanitatis & temperiei convenientis amore ac delectatione. Naturali enim inſtinctu bruta cognoſcunt odores illos naturæ ſuæ temperamento eſſe congruentes. Halitus enim quibus tales odores vehuntur, naturam ejuſmodi animalium bellè & ſanè afficiunt. Et hoc ſenſu, univerſim verum eſſe poteſt, quod Ariſtoteli placet: Bruta Io. Brodæ. ibid.

tantùm

tantùm per accidens, & quaſi obiter odoribus delectari. Non quaſi ex odore, ut proximo delectationis objecto, nulla ipſis jucunditas proveniat; ſed quia tranſitoria eſt, & naturæ inſtinctu ad aliam tendit. Nec enim puto canem tantùm domini ſui odore gaudere, quantum memoriâ præteritorum beneficiorum, & futurorum ſpe. Hinc ſi dominus durus & plagoſus ſit, canis & odorem ejus, & præſentiam odit.

Proprium autem homini eſt, per delectationem odori poſſe inhærere, & eo, quaſi diſſuaviando, ſic frui, ut ad ulteriorem delectationem per illam non currat. Sic enim facit, qui in roſa, aut ambra, olfactando, ſe delectat.

Quod de odore, etiam de ſono, imò colore auſim dicere. Aliquas, inquam, belluas eſſe, quæ auditu etiam, & viſu delectentur.

De auditu, ipſe Ariſtoteles fatetur quaſdam eſſe, quæ communi ſaltem Muſicæ ſenſu, etſi non artificioſo concentu, delectentur. Ait enim in Lacedæmonibus hoc proprium & mirum eſſe; quòd Muſicæ pulchritudinem intelligant, licet Muſicam non didicerint. Idcirco pueros alibi ingenuos in illa arte eòuſque inſtituendos eſſe, *donec pulchris melodijs & rythmis delectari valeant, non tantùm communi Muſicæ ſenſu, ut animalia quadam, & turba ſervorum, ac puerorum.*

Ariſt. lib. 8. c. 6. Politic.

Ergo licet animalia bruta harmoniæ artificium non capiant, ſono tamen confuſo, alia alio, delectantur. In piſcium gente, *delphini cantu mulcentur*, ait Plinius, *& capiuntur attoniti ſono.* Ac de ijs alibi: *repandum, roſtrum ſimum habent. Qua de cauſa, nomen Simonis omnes miro modo agnoſcunt, maluntque ita appellari.* Additque: *Delphinus non homini tantùm amicum animal, verùm & Muſicæ arti. Mulcetur ſymphoniæ cantu, & præcipuè hydrauli ſono.* De cervis quoque idem Plinius: *Mulcentur fiſtulâ paſtorali, & cantu.* Et ſanè, cùm bruta, ut antè dixi, nullâ honeſtate, ſed ſolâ ſenſibili, voluptate, ad agendum moveantur, mirum ſit, niſi fringillæ illæ, quas ſutoribus erudiendas tradere ſolemus, aliquâ cantûs delectatione, ad imitandos magiſtrorum ſuorum ſibilos, & fringultus modoſque vocis, moveantur. Philomelarum quoque harmonia, cuculorum tautologia, galgulorum lyræ,

Plin. lib. 11. c. 37.

Idem lib. 8. c. 32.

lyræ, merularum tibiæ, gallorum tubæ, columborum procantium ronchi, regulorum exultantium zinzizuliſmi, ac univerſa avium ſilveſtris, artificialiſve Muſica, etiamſi pruritu Veneris, aut tepore veris, ſimilive alterâ causâ eliquetur; poteſt tamen natura aliquod inſuper ipſi cantui blandimentum addidiſſe, quo volucrum iſtarum corcula excitentur, & ſpiritus ſuos effundant, quorum ad Venerem, & alias naturæ operationes eſt uſus.

Videntur denique quædam bruta certorum colorum, aut figurarum aſpectu gaudere, vel offendi. Canis enim, ut loquelâ, & odore heri ſui; ita obtutu videtur delectari. Elephanto ſplendor lunæ plenæ ſic in delicijs eſt, ut eam videatur adorare. Nec ſine, opinor, delectatione eſt illa cervorum ſtupida admiratio. *Cervus animal ſimplex, & omnium rerum miraculo ſtupens*, ait Plinius. *In tantum, ut equo, aut bucula accedente propius, hominem iuxtà venantem non cernant; aut ſi cernant, arcum ipſum ſagittaſq; mirentur.* Pavones, ſi locus ubi incubant ovis, colore candido obducatur, candidi pullos coloris excludere dicuntur: imaginatione & delectatione matris vulgante ſimilitudinem coloris in prolem.

Inter ſenſus, hebetudo olfactûs creditur eſſe ingenij & ſubtilitatis indicium. Et ideo fortaſſe S. Auguſtinus, cujus puriſſima anima, ne ulli terrenæ voluptati adhæreſceret, tantopere ſibi metuebat ab illecebris ſenſuum; cùm ad odores ventum eſt: *De illecebra odorum*, inquit, *non ſatago nimis. Cùm abſunt, non requiro; cùm adſunt, non reſpuo: paratus etiam ijs ſemper carere. Ita mihi videor. Fortaſſe fallor.* S. Aug lib. 10. c 32. Confeſſ.

Forſitan ergo vir ingenioſiſſimus obtuſæ naris erat, & minimum illi periculi erat, ne in odorum fragrantia ac voluptate mentem nimis altè defigeret, ne liberè pergeret ad Deum; quem in omni operatione, ut finem reſpicere debemus.

Attamen ſi verum eſt, ut quibus olfactus hebes, ij ſint ingenioſi, quibus acutus, mente obtuſi: fateor me omnium ferè mortalium obtuſiſſimum eſſe; ita ſum acri olfactu, & naris emunctæ. Cardanus quoque, minimè hebetis ingenij vir, olfactu tam ſagaci erat, ut non tantùm halitus corpore

Card.lib 8. c.43. Variet. proprio exhalantes, ſed etiam *in aëre varios ſemper odores ſentiret, quos nulli alij perciperent*, inquit; & hoc miraculum *in ſensûs ſui ſubtilitatem* refert.

Hebetudo quippe olfactûs, ex cerebri nimiâ humiditate venit. Quibus autem cerebrum humore gravatum, ſpiritus animales lenti, viæ per quas meant, impeditæ, & pleraque ingenij inſtrumenta ad officium tardiora ſunt. Itaq; paulò ab humoribus defæcatiorem cerebri temperiem, ad ingenij celeritatem, prępona m. Certè viros quoſdam eruditos, ab humiditate cerebri ſatis quidē memorioſos, non tamen impendiò acutos novi. Hoc tamen vulgatum eſt, & verum non abnuo: Fatuos ſapientibus præſtantiâ olfactûs plerumq; meliores eſſe: non tamen quia ſapientes naturali temperie humidius, ſed quia mole amplius cerebrum habent. Magnitudo quippe cerebri & capitis ad ſapientiam, prudentiam, & ingenium ab Ariſtotele & Medicis laudatur. Vnde fatui ὀξυκέφαλοι *acuto & parvo capite* ferè eſſe ſolent. Vbi autē parum cerebri, pauciora ſunt humiditatis recrementa, quæ organum olfactûs inquinent & labefactent.

Ingenij igitur argumentum in capitis (præter conformationem) magnitudine, & aliquantulo cerebri calore, qui ſubſtantiam ejus attenuet, vias aperiat, ſpiritus animales poliat & clarificet. Tale autem cerebrum olfactui minimè malum & inidoneum eſt. Bruta tamen multa acumine olfactûs nos ſuperant, quia cerebri parum habent, & temperies ejus ſiccior & ardentior eſt. Hinc mira illa canum ſagacitas, quà herorum ſuorum, ferarumque tenuiſſimos & ſubtiliſſimos halitus deprehendunt, qui naſutiſſimos & emunctiſſimæ naris homines prorſus effugiunt.

Nec S. Auguſtinus antè citatus, ad olfactûs ſui inuſitatam alijs paſſim hominibus hebetudinem reſpicit; ſed non admodùm ab odorum illecebra ſibi metuere, ne capiatur, atque in Muſicis ſonis plus periculi eſſe, dicit; quia melodia potentiùs aures, quàm fragrantia nares rapit. Homo enim omnis, ob cerebri magnitudinem, humiditatem, & frigus, remiſſo olfactu eſt, ſi ad bruta, & præſertim canes, vultures &c. comparetur: unde nec odoribus, perinde ac cęterorum ſenſuum objectis gaudet.

Odores

Odores deinde, minori peccandi periculo, quàm ſonos intromittimus; quia odorum fragrantia peculiariter humano cerebro, non ſonorum harmonia, opitulatur: atque ita finem honeſtum plerumque habemus, ad quem narium delectationem (non verò aurium titillationem) referre poſſimus. Ariſtotelis quippe, & naturæ ſcitum eſt: *Quod ſapor ad nutritionem, hoc valet odor ad ſanitatem.* Ariſt. lib. de ſenſu c. 5.

Quod verò Bodinus ait: *Si Opifex homini olfactum acerrimũ dediſſet, non modò aliorum, ſed ne ſuiipſius quidem odorem ferre potuiſſet;* in olidis Iudæis præcipuè, in ceteris tamen etiam ex parte fortaſſe verum eſt. Si enim major longè copia, & pondus olentium vaporum humani corporis, per cæcos cutis meatus quotidie expirat, quàm exeat per manifeſtos alvi veſicæ, & oris canales, ut Medicos fatentes audivimus; moleſtiſſimum profectò eſſet, ſi omnes illos vapores acerrimo olfactu, ut Lacænæ canes, exciperemus. Bodin. lib. 4 Theat.

CAPUT VI.

De Guſtu.

OLfactui ſuccedat guſtus; ſenſus olfactu materialior & craſſior, ut vulgò creditur: ideóque non tam procul, quàm olfactus, foràs ſe exerit per medium externum, aërem ſcilicet vel aquam; ſed per medium ſolùm internum, quod eſt pars corporis animalis, ſpeciem guſtabilem recipit, ut Ariſtoteles tradit. Vnde quia res ſapida, ut guſtu percipi poſſit, debet tangere partem animalis, per quam tanquam per medium, ſpeciem ſui in organum guſtûs tranſmittit, Ariſtoteles guſtabile, quoddam tangibile eſſe dicit. Ariſt. lib. 2 c. 10 de anima.

ARTICVLVS I.

Quid ſapor.

OBjectum guſtûs eſt ſapor: qualitas ſecunda movens guſtum. Qui dicunt in temperie primarum qualitatũ, unde reſultat ſapor, humiditatem debere ſuperare, tam experientiâ, quàm Ariſtotelis auctoritate refelluntur. In

ſale enim & ſaccharo, quæ tam valde & jucundè ſapiunt, humiditas à ſiccitate ſuperatur. Ariſtoteles quoque non quod illi volunt, ſed hoc dicit: *Nihil facit ſaporis ſenſum, ſine humiditate; ſed habet actu, vel potentiâ humiditatem.* Id eſt, quod actu humidum eſt, qualis cibus liquidus, & omne potabile, humore ſuo medium organi guſtûs (ſummam videlicet & poroſam linguæ carnem, quæ nervum guſtatorium veſtit, in opinione Ariſtotelis) ipſumque organum humectant; cibi verò ſolidi, ut ſal, ait Ariſtoteles, liquantur ſalivæ permixti; vel certè, ſi liqueſcere naturâ non poſſunt, ſaliva medium illud ijs lubricat & humectat, ut ſpecies guſtabilis, per carnem illam poroſam, in organum tranſire poſſit. Sic corticis mali citrij, linguæ ſuperpoſiti, ſaporem percipimus; quia cutis, & poroſa linguæ caro à ſalivâ ſatis humeſcit. Sic etiam gallina grani tritici ſuavitatem, momento quaſi deguſtat, & devorat, quia ſubtiliſſimâ linguæ ſalivâ ſpeciem ejus rapit. Hinc patet, ſaporem definiri poſſe: Qualitatem ſecundam ſenſibilem, quæ ſpeciem ſui per medium internum & humectum trajicere poſtulat.

Cùm verò ab Ariſtotele & Peripateticis ſapor, odor, & ejuſmodi qualitates ſecundæ, dicuntur ex certâ craſi, & primarum qualitatum temperie oriri; cauſalitas tantùm diſpoſitiva ſignificatur. Nam propriâ & phyſicâ cauſalitate, à formis corporum mixtorum, aut ab alijs cauſis reſultant. Omnes enim qualitates primæ in unam ſimul craſin collectæ, non magis virtute & eminenter, ut Scaliger & ego putamus, ſaporem, aut odorem in ſe continent, quàm aut guſtum, aut olfactum, ceteraſve animæ ſenſitivæ, aut vegetativæ facultates, ad quarum phyſicam reſultantiam, qualitates primæ organa corporis animati diſponunt. Veriſimile quoque eſt, ſaporem, odoremque eſſe qualitates ſecundas, primis (excepto fortè calore) nobiliores. Vnde ab alia cauſa phyſica ſublimiori dimanare illas oportet. Sic quoque ad virtutem ferri tractoriam, materiam magnetis qualitates primæ diſponunt; & tamen nemo credit, virtutem illam magneticam à primarum qualitatum temperie, ſed à forma potiùs magnetis phyſicè effluere.

Ceterùm

Ceterùm, *naturam ſaporum exactè noſſe, & exponere impoſſibile nobis eſſe*, rectè olim à Galeno dictum puto. Res enim iſta, etſi ſenſu ipſo tangamus, nullo tamen humani ingenij acumine poteſt penetrari. Et quid tamen etiam, quæſo, eſt in natura rerum, quod ingenio magnoperè, & uſque in fundum penetremus, quantumvis videamur nobis acuti? Profundum & tenebras in omni re tali poſuit Deus, ut ſuperbiam noſtram deprimeret, & nos ingenij mentiſque aciem altitudini rerum quæ ſupra nos ſunt, & fidei Chriſtianæ obedientiùs humiliùſque ſubmitteremus.

Galen. lib. I c. 37. de ſimplic. facult.

Faciliùs ergo ſuperficiali linguæ, aut palati ſenſu ſaporem deguſtamus, quàm eſſentiam, & cauſas ejus intellectu comprehendamus. Quòd tamen ſapor ex aliqua humidi cum ſicco permixtione naſcatur, ex ſapore aquarum, quæ per venarum metallicarum ſiccitatem tranſeunt & percolantur, quales ſunt thermæ Aquiſgranenſes, acidula Spadana &c. intelligi poteſt. Aqua quoque ſinceriſſima, & expers omnis ſaporis, ſi per ſiccos cineres tranſcoletur, illicò amaritudinem rapit. Non tamen neceſſe eſt, ut ſiccum ab humido ſemper vincatur, ut patet in pane, ſacchiro, & cibis ſolidis. Etſi, ut paulò antè dictum, ut ſapor ſpeciem ſui per medium effundat, requirat humidi quidpiam, tanquam vehiculum. Vnde *lingua ſicca*, ait Ariſtoteles, *ſapores nullos percipit*.

Ariſt. lib. 2. c. 10. de Anima.

Sapores extremi Ariſtoteli ſunt, dulcis & amarus: quia modo maximè contrario ſenſum guſtûs afficiunt. Sicut enim, ut Plato ante Ariſtotelem dixit, albedo diſgregat, nigredo congregat viſum, calor ſolvit tactum, frigus conſtringit: ita ſapor dulcis fundit guſtum, amarus corrugat. Inter illos, medios alios ponit ſex: pinguem, qui proximè dulci, ſalſum, qui amaro adſidet. Præter quos, alij quatuor intermedij, acer, auſterus, acerbus, acidus: & ſic univerſim octo. Dulcis in melle, & ſaccharo. Amarus in felle, & abſynthio. Pinguis in lacte, & butyro. Salſus in ſale, & marinâ. Acer in pipere. Auſterus in uvâ viridi. Acerbus in pomis immaturis. Acidus in aceto.

Porrò omnia animantia nutriri dulci teſtatur Ariſtoteles. Vnde *guſtui, cùm à naturali habitu non declinat*, ait Galenus, maxi-

Galen lib. 2. de Sympt.

maximam voluptatem adferunt omnes ſucci dulces, pingueſq́, tanquam corporis eſſentia familiariſſimi. Attamen *dulci cetera ſaporum genera, pro condimento, commiſcentur*, inquit Pachymerus. *Salſum enim & acidum retrahunt dulce; quia dulce plurimùm alit, & redundandi facultatem obtinet.*

Pachym. lib. 8. c. 2. de ſenſu

Si verò guſtus *aliquo ipſum infeſtante recèns vitium contraxerit, ſucci pingues eum delectare ſolent*, ut ſapienter Galenus: *quia ij exaſperatas partes maximè lenire ſolent. At ubi homo iam morbo afficitur; tunc ſucci contrarij ijs qui morbum excitarunt, delectare videntur.*

Galen. ibid.

ARTICVLVS II.

Quodnam ſit organum guſtus.

Linguam organum guſtûs vocat Ariſtoteles. Sed non in omni ſui parte ſapores percipit. Suprema enim linguæ cutis, & caro infra eam ſpongioſa, ſunt medium internum, per quod ſpecies ſaporis ad organum ſuum trajiciuntur, ut Ariſtoteli placet. Vnde præciſum guſtandi organum, in extremitatibus quorundam nervorum tertiæ & quartæ conjugationis, per linguæ ſubſtantiam diſperſorum, conſtitui ſolet. Per hos enim nervos, ſpiritus animalis, & vis cerebri irradiativa in extremitates illas, corpori linguæ inſertas, delabitur, ut facultatem guſtandi ibi excitet, & eam in exercitio ſui actûs adjuvet.

Hinc non futili profectò argumento, quidam Medici adverſus Ariſtotelem colligunt, non tantùm in ſurculis nervi, qui intrant profundiùs linguæ ſubſtantiam, ſed etiam in ſumma linguæ cute, ſenſum guſtandi ineſſe. Nam idem nervus eſt, qui linguæ ſupremam tunicam contexit, & qui ramos illos per ſubſtantiam ejus diffundit. Dicat in re hac experientiſſimus Veſalius: *Maior portio*, inquit, *craſſioris tertij paris nervorum radicis, quando linguæ baſi committitur, cum alterius lateris nervo linguæ tunicam efformat, aptum ſaporibus dignoſcendis inſtrumentum. Deinde exiguos quoque ſurculos penitiùs in linguæ ſubſtantiam diſpenſat.*

Veſal. lib. 4. c. 6.

penſat. Horum enim, & tunica linguæ producendorum gratiâ, tertium par potiſſimum à rerum Opifice creatum arbitramur. Atque ut primum par viſûs, quintum verò auditûs, ſic hoc tertium guſtûs cenſetur inſtrumentum, guſtatoriuſque nervus meritò nuncupatur.

Si autem nervus guſtatorius convolvitur & contexitur in linguæ tunicam, profectò veriſimile eſt, ope ſpiritûs animalis, qui per illum nervum in iſtam tunicæ texturam defluit, ſenſum aliquem ſaporis in ea tunica perfici.

Ex hac quoque hiſtoria Anatomica colligitur, quare quibus nervi iſtius rami per conformationis errorem, in linguam non perveniunt, ſed aliò reflectuntur, guſtu careant. Qualis erat Patavinus ille heluo, quem Vitrivoracem appellabant. *Hic nullo guſtu præditus erat*, ait Columbus, *nullam in edendo voluptatem, nihil injucundum ſentiebat. Inſipida, amara, dulcia, pinguia, ſalſa, acria non diſtinguebat. Vitrum, ſaxa, lapides, ligna, viva animalia, carbones, piſces è vivario extractos adhuc ſalientes vorabat.* Columb. lib. 15. Anat.

Quænam verò cauſa ſenſum guſtandi ei abſtulerat? Dicat idem Columbus, qui Patavij mortuum ſecuit. *Quarta nervorum conjugatio*, inquit, *quæ guſtûs gratiâ in alijs hominibus à natura producta eſt, in hoc Lazaro* (hoc ei nomen erat) *Vitrivorace, neque ad palatum, neque ad linguam reptabat, ſed ad occipitium reflectebatur.*

Deinde, quibus ex vulnere, aut aliâ noxâ, nervi illi offenſi ſunt, guſtandi facultatem amittunt, aut depravatam habere ſolent: quia fortaſſe nervi cæſura, vel cicatrix ſpirituum vitalium, & virtutis irradiativæ defluxum in linguam impediunt. Inde exemplum illud *Auguſtini Corbetæ noſtræ urbis patricij*, ait Cardanus, *cui ex offenſâ nervorum tertij & ſeptimi paris, ablatus eſt totus guſtus. Sentiebat odores, ſed non percipiebat ſapores. Percipiebat ex pipere dolorem, ſed non ſaporem.* Cardan. Comment. ad lib. 2. Hippocrat. de alim.

Et exemplum vicinius, ac Belgicum in Wilhelmo Naſſovio, moderni Principis Orangiæ avo, habemus, quod narrat Joan. Bodinus, in Theatro Natur. ad Quæſtionem, *Cur in laryngibus vulnerati, ſæpe ſermonem ſæpe quoque ſaporem amittant?* Bodin. lib. 4. Theat.

Reſpondet enim: *Equidem non ſine admiratione ſpectavi Wilhelmum Arauſiorum Principem, accepto in collo vulnere,*

ſenſum

ſenſum guſtûs amiſiſſe : & militem Gallum conſimili mutum evaſiſſe. Vulnus verò Arauſiorum Principis, iſtud eſt quod Antverpiæ Anno 1582. à Ioan. Iaurengio adoleſcente Cantabro, ex oppido Bilbao, accepit. Nam Bodinus tunc Antverpiæ aderat, Franciſci Ducis Alenzonij Conſiliarius. Hiſtoriam illam, præter ceteros, graphicè Laurentius Surius deſcribit.

Sur. Commentar. ad An. 1582. *Adoleſcens,* inquit, *ſclopeto parvo, duplici globo onerato, & pugione armatus, in Aula, ad ianuam cubiculi, in quo Auraicus prandebat, eum egreſſurum operiebat. Venit Princeps, acceſſit adoleſcens, & Libellum offert ſupplicem. Quo acceptando, & explicando dum occupatur Auraicus, Ioannes ſclopetum clàm in faciem Auraici collimat, & ſimul explodit. Globulus ſub mento intrans, caput trajcit, & ſub dextra aure rurſus exivit: utrâque maxillâ perforatâ, dente uno aut altero excuſſo, linguâ tamen intactâ. Ignis verò barbam & faciem aduſſit.*

Bodin. ibid. Cauſam verò utriuſque miraculi; guſtûs in uno, vocis in altero amiſſæ reddere conatur: *Eſt enim,* inquit, *nervus duplex, à tertia coniugatione manans, qui in laryngibus inſeritur. Altero quidem ramo, lingua ſermoni apta redditur, altero ſapores percipiuntur. Et hôc quidem reſecto, guſtus, illo, ſermonis uſus amittitur.* Et ultrà progreſſus: *Quod cùm Ariſtoteles non proſpiceret,* inquit, *pro decreto poſuit: Nullum animal ſine guſtu vivere poſſe. At Princeps Arauſius amiſſo guſtu, tamdiu vixit, quoad occideretur,* An 1584. die Iul. 10. *At tametſi cibos condimentis acribus, acidis, ſalſis parari juberet, nihil tamen guſtu percipiebat, ut quidem ab illo accepimus.* Addit quoque Bodinus: *Minùs quidem mirum eſſe, guſtum Principis amiſſum; ſed amitti ſermonem ab illo milite, qui audiebat, linguâ integrâ, incredibile antea mihi,* ait, *videbatur, niſi experientiâ compertum haberemus.*

Illo autem Wilhelmi Principis Arauſiorum exemplo probari videtur, nullam, aut valde obtuſam percipiendi ſaporis facultatem palato ineſſe; cùm læſo ſolius linguæ nervo, palatum ejus nullos ſapores ſentiſceret. Aut certè potiùs, nervus quoque quartæ conjugationis, qui palati tunicam contexit, glande ſclopeti etiam vulneratus fuit; ut proinde tam linguæ, quàm palati guſtum amitteret.

Veſal. Lib. 4. c. 6. Nam quartum par nervorum, *cùm ex cerebri ſede, ad palatum*

elabitur

elabitur, ait Veſalius, *in ſurculos quoſdam partitum, in palati tunicam degenerat. Quæ cùm linguæ tunicâ ſit aliquantulo durior, iure etiam quartum par, poſteriùs tertio pari, originem ducit: ac proinde etiam palati tunica ſenſu hebetiori, quàm linguæ tunica, donatur.*

Et ſanè Ariſtoteles levi ſaltem aliquo guſtandi ſenſu, palati fornicem aſperſum eſſe docet. Quod tamen Plinius homini inter animantia peculiare eſſe exiſtimat. Nam *intellectus ſaporum*, inquit, *eſt ceteris in prima lingua, homini & in palato*. Ac certè, in extremâ ſaltem ad fauces, & molliſſimâ palati parte, ubi mox à ſomno nondum ablutum eſt os, amarorem quendam ex vaporibus cerebri, nocturno tempore refluentibus, manifeſtè quandoque experimur; etiamſi lingua palatum non attingat. Vnde ſignum eſt, ſaporis illius ſenſum, non in lingua, ſed in palati cute hærere. Vnde ſententiæ Iobi ſenſus jam elucere poteſt: *Nonne auris verba dijudicat, & fauces comedentis, ſaporem?* Hebr. *Et palatum cibum guſtabit ſibi?* Re enim verâ in illo palati receſſu ad fauces, prope columellas, eſt aliquis guſtus, & ſaporis judicium. Plin lib. 11. c. 37. Iob. 12.

Prima tamen palati concameratio, quia durioti & cartilaginoſâ cute veſtitur, nullâ, aut ſurdâ tantùm fatuâque guſtandi facultate imbuitur.

Avis denique illa Indica, quam Batavi An. 1596. ex Inſula Iava, Amſtelrodamum revexerunt, cygno grandiorem, ſed colore nigram, alis & linguâ carentem, & tamen non omni, opinor, guſtu, à naturâ tam ſapiente & providâ deſtitutam; ſatis indicat, in palato aliquem ſaporis ſenſum ineſſe. *Naturæ miraculum videtur*, inquiunt Batavi, *quòd careat lingua. Quidquid edit, inglutit. Imò pomum magnitudine pugni inglutire poteſt. Quodq́ longè mirabilius eſt, prunas ardentes inglutit ſine aliqua eius læſione. Glaciei fruſta libenter deglutit, refrigerationis causâ. Nominatur Indicâ voce, Eme.* Diar. Nauticum An. 1596.

Nec tamen Ariſtoteles, quod paulò antè ei imponebat Bodinus, dicit, nullum animal ſine guſtu, per vulnus amiſſo (ut in Wilhelmo Naſſovio) vel per errorem conformationis (ut in altero Columbi exemplo) poſſe vitam ducere; ſed naturam, ſi deſtinatio ejus ab aliâ incidente causâ non interpelletur,

omni animali tribuere guſtandi ſenſum, tanquam vitæ vegetativæ neceſſarium, ad explorandum cibum & potum, antequam tranſeant fauces, & demittantur in ventriculum. Ideo enim *guſtatus habitat in ea parte oris*, ait M. Tullius, *qua eſculentis & poculentis iter natura patefecit. Unde & nares*, inquit, *eo quòd cibi & potionis judicium magnum earum eſt* (odoris enim alimentarij olfactu, de qualitate cibi potuſque homines & animantia judicant) *non ſine cauſa, vicinitatem oris conſecutæ ſunt.*

Cic. lib. 2. de nat. deor.

Sæpius tamen nares, quàm lingua, in ciborum judicio & delectu errant. Linguæ enim certius judicium: *quia lingua ijs potiſſimùm delectatur ſuccis*, ait Galenus, *quibus ventriculus indigere videtur.* Et rationem addit: *Conſenſus autem huiuſmodi* (inter linguam & ventriculum) *potiſſima cauſa eſt, veſtiens membrana.* Eâdem quippe perpetuâ membranâ, qua lingua veſtitur, œſophagus quoque, & ventriculus induuntur: unde fit, ut cibus, aut medicamentum, à parte membranæ altera, quâ ventriculi interior ſuperficies induitur, obortâ ex ſolo guſtu, per conſenſum, nauſeâ, revomatur, aut ructibus ad exitum ſollicitetur.

Galen. lib. 2 de ſympt.

Tales quippe naturales inſtinctus ſapientiſſimus naturæ Conditor partibus illis animalis inſeruit; ut quia ventriculus venis, & viſceribus neceſſaria alimenta coquere, & miniſtrare debet, ijs delectetur ſuccis, ait Galenus, qui ipſis neceſſarij ſunt. Ac deinde, quia lingua eſt ipſiuſmet ventriculi prægustatrix, ſic à natura inſtructa eſt, ut cibos illos guſtu probet, qui ventriculo utiles videri poſſunt, reſpuatque contrarios. In quo judicio tamen (ſicut etiam expertiſſimis cocis quoque evenit) propter ſimilitudinem nonnunquam ſalubris, & noxij ſaporis, interdum errat.

Hinc deducere poſſumus, quare quibuſdam, etiam extra morbum, ſed ex ſolo quodam naturæ inſtinctu, cibus unus gratus, alijs ingratiſſimus appareat. Quot enim ſunt, qui à ſapore caſei, ut à veneno abhorrent; quem alij plenis buccis & hiantibus faucibus tam avidè liguriunt? Hanc rem, qui omnia ſolet, tangit alicubi S. Auguſtinus. *Ita ſe res habent*, inquit, *ut pro uniuſcuiuſque corporis congruentiâ, vel delectet eſca, vel offendat. Si*

S. Auguſt. lib. 21. c. 13 contra Fauſt.

dat. Si delectat, dulcis aut ſuavis dicitur: ſi autem offendit, amara ſive aſpera, ſive aliquâ inſuavitate reſpuenda. Nonne ipſi nos homines ita ſumus, ut plerumque alter appetat alimentum, quod alter exhorreat; ſive pro temperatione naturæ, ſive pro uſu conſuetudinis, ſive pro affectione valetudinis: quanto magis longè diverſi generis corpora beſtiarum poſſunt illud habere iucundum, quod nobis amarum eſt?

Vbi tres ſignat cauſas. Primò, *temperationem naturæ*. Quæ ſanè cauſa eſt, cur unius hominis guſtui caſeus jucundus, alteri injucundus, videatur. Pro qualitate enim & temperatione ventriculi talis hominis, lingua prægustatrix judicat. Ventriculus autem aliquis caſeum reſpuit, quia temperamento ejus, & reliquarum partium corporis, quibus alimentum præcoquit, non congruit. Eadem cauſa eſt, cur bovi fœnum, cani caro, & os jucundè ſapiat. Secunda cauſa, *uſus conſuetudinis*. Sæpe enim quæ initiò guſtum offendunt, conſuetudine leniuntur, & gratiam acquirunt. Sic cerevisia Belgis & Germanis uſque ad ebrietatem ſapit; quam tamen multi Itali, Hiſpani, Galli expuunt.

Tertia cauſa, *affectio valetudinis*. Inde quippe eſt, ut lingua & palatum ægri non eundem cibum approbent, quem amabant ſani. Ventriculus enim malè affectus non alimentum jam tantummodò, ſed medicamentum quærit.

ARTICVLVS III.

An guſtus mediante ſpecie guſtabili ſaporem percipiat.

PHiloſophia Peripatetica ſaporem, non immediatè, ſed per ſpeciem, à ſapore, organo guſtûs impreſſam, percipi credit. Ideo enim Ariſtoteles guſtui ſuum etiam medium aſſignat. Non externum, quale eſt medium viſûs, auditûs, odoratûs, qui per aërem, vel aquam ſpecies recipiunt à ſuis objectis; ſed internum, quod eſt cutis, & caro poroſa linguæ, per quod ſapor cibi linguam tangentis, ſpeciem ad nervum guſtatorium trajicit.

Sed plurimi Medicorum non acquieſcunt. Cùm enim linguæ tunica, ſive extrema cutis, ex nervi guſtatorij filamentis contexa-

contexatur, nulla videtur ratio, cur ſapor iſti tunicæ contiguus, non immediatè percipiatur à facultate guſtandi, quæ filamentis illis inhæret. Dicere verò facultatem ſolùm inexiſtere *exiguis quibuſdam ſurculis, qui* à nervo illo guſtatorio, tunicam texente, *penitius in linguæ ſubſtantiam diſpenſantur*, ut Artic. ſuperiori loquebatur Veſalius; gratis, & ſine experimento, imò contra experimentum, aſſeri videtur; ut effatum illud Ariſtotelis, velut ſacroſanctum, pertinaciter ubique & in omni ſenſu retineatur: *Senſibile poſitum ſupra ſenſum, non efficit ſenſationem.*

Itaque hoc in primis ex Medicorum ſententiâ, verum eſſe exiſtimo.

Facultas, inquam, guſtandi quæ per linguæ aut palati cutem conſperſa eſt, ſaporem ſibi contiguum, ſine ſpecie, per medium etiam internum effusâ, percipit. Ratio eſt, quia medium internum (id eſt, quod ſit pars animalis) ibi nullum eſt; cùm ſumma etiam linguæ cutis, facultate guſtandi imbuta ſit, & iſtâ facultate ſaporem panis, aut vini ſibi contigui deguſtet.

Deinde alterum quod addunt, magnâ dubitatione apud me fluctuat. Altera enim, inquiunt, guſtatoriæ facultatis pars, quæ in ſurculis nervi guſtatorij, intra profundum linguæ immerſis, reſidet, ſaporem cibi ſuperficiem linguæ attingentis, & loco à facultate ipsâ diſtantem percipit, per ſpecies guſtatorias, quas ſapor ille per tunicam & carnem linguæ poroſam, tanquam per medium internum, facultati tranſmittit.

Hoc, inquam, apud me in dubio & ancipiti eſt. Nam ſi ſapor ex ſpatio diſtanti, per tale medium internum percipi à facultate poteſt; cur non etiam per medium externum? Quare, inquam, ſapor cibi, uno pede à lingua diſtantis, deguſtari nequit per ſpecies guſtatorias, quas per medium aërem aut aquam, ad linguam trajicit?

Si dicas enim, medium internum, ſive partem linguæ ſuperiorem, eſſe capacem, ut ſpecies illas guſtatorias recipere valeat, in aëre verò vel aquâ ſimilem non eſſe capacitatem; rem prorſus incredibilem dicere videberis. Nam ut lingua ſpecierum iſtarum ſuſceptiva ſit, humectari debet, ut experientia

fatetur,

ſatetur, & Ariſtoteles; cur ergo aqua, tam humida, eas etiam ſuſcipere nequibit? Et tamen ſpecies ſaporis, per medium externum, ad organum guſtûs trajici, Ariſtoteles expreſsè negat. Quia ſine dubio, contra experientiam eſſe videbat, ut ſapor rei à lingua diſtantis, guſtu percipi poſſit. Ideo quippe guſtum eſſe quendam tactum, & guſtabile eſſe quoddam tangibile dixit: quia, ut ſapor deguſtetur, organum guſtûs contingere debet. *Vnde*, inquit, *ſi in aqua eſſemus, ſentiremus utique impoſitum dulce; non autem eſſet nobis ſenſus per medium, ſed eo quod miſcetur humido, ſicut in potu.* Ariſt lib. 2. c. 10. de Anima.

Hoc eſt, ſi in aquam melle perfuſam os & caput immergeremus, guſtaremus aliquam dulcedinem; non tamen per aquam tanquam per medium externum, ſed dulcedinem permixtam aquæ, ſicut percipimus dulcedinem potûs, quando ipſum ore haurimus, & linguà ac palato contrectamus.

Aut ut Themiſtius, Interprete Hermolao, paraphraſticè exponit: *Si in aqua fueris, ſentire potens ſaporem eum qui continetur in aqua, ut urinantes aſſolent, qui ſalſuginem maris percipiunt, non tactu ſed guſtu. Neque tamen aquam, ut intermediam ſentiunt, ſed ut id cui ſapor ille immixtus eſt. Etenim cùm bibimus, quanquàm humor eſt ille quem bibimus; non tamen humorem, ut intermedium, guſtamus, ſed ut id quod aliquem ſaporem recipit.* Themiſt. lib. 2. c. 35. de Aima.

Cùm ergo neget guſtum per medium externum, ſaporem percipere, ſed ſolummodò organo guſtûs proximum & attiguum; nihil occurrit aliud quod dicam, niſi ſpecies ſaporis non in quodvis medium poſſe recipi, ſed ſolùm in id quod habet talem qualitatum craſin & temperiem, qualis ſoli cuti & carni linguæ inexiſtit. Vnde aërem, aquam, & quodcumque aliud externum medium, ineptum eſſe, ut per ipſum ſpecies guſtatoriæ trajiciantur. Quænam verò ſit illa linguæ temperies, aut qualitas diſpoſitiva, Deus ſcit, nos ignoramus. Conſtat tamen, exemplo ſpecierum viſibilium, fieri poſſe, ut aliqua ejuſmodi diſpoſitio medij requiratur ad ſpecierum guſtabilium trajectionem. Nam ſpecies lucis non niſi per diaphanum, ſpecies coloris non niſi per diaphanum actu illuminatum trajici poteſt,

Aut certè potius dicendum erit, ſaporem immediatè, ſine ſpecie ſenſibili & ſine medio, etiam interno, deguſtari. Ideo enim fortaſſe caro linguæ fungoſa & foraminoſa facta eſt, ut non tantùm ſummâ ſuâ cute, ſed etiam parte nervi guſtatorij infra carnem illam immersâ, ſaporem contiguum valeat deguſtare. Per poros enim illos & foramina carnis, cibi ſaltem utcumque liquidi, ad partem illam nervi deſcendere, & ſe ex proximo ac contiguo deguſtandos præbere poſſunt.

S. Auguſt. lib. 4. c. 14. contra Iul. Hoc eſt fortaſſe quod S. Auguſtinus dicere voluit, cùm ait, guſtum & tactum (& olfactum quoque conjungit) *corpulentiores & quodammodo craßiores, qui non ſe foràs projciunt, ſed interiùs, quod ad eos pertinet, agunt.* Quam ſententiam diſertè Iul. Caſſerius ſic exprimit: *Alij ſenſus*, inquit, *obiectum habent, quod materialiter organum ingredi nequit, ſed per ſpeciem; ad cuius prolectationem, medio opus eſt. Tactus verò & guſtus materialiter obiectum recipiunt. Neque enim horum obiectum ſpiritaliter è corporibus exire poteſt: quare ipſis aßignari medium non debet.* Caſſer. lib. 1 c. 2. de Organo tact.

CAPUT VII.

De Tactu.

SEnſuum externorum ultimus, craſſiſſimus, & corpori profundiſſimè immerſus, tactus eſt. Ad hoc, animali à natura datus, ut pro incolumitate ejus excubet, & ubi cauſæ inimicæ temperiem ejus naturalem labefactare, aut continuitatem partium incidere moliuntur, admoneat animam, ut principijs obſtet, & noxam amoliri conetur. Vnde, quia amor vitæ eſt omni animali communis, omne animal habet tactum, quo vitam à noxijs defendere valeat. Ideoque hic ſenſus neceſſitatis, ceteri commoditatis eſſe dicuntur.

Non omnibus tamen animalis partibus tactus ineſt. Non enim oſſibus, propter naturam ſiccam nimis & terreſtrem. Aliquid enim amplius ſubſtantiæ humentis requiritur, ut in parte aliqua tactus ab anima reſultet.

Sed nec partes omnes, quæ plus humidi participant, illicò ad re-

ad reſultantiam tactûs ſunt idoneæ. Nam *cerebri, & viſcerum ferè omnium, ut hepatis, lienis, pulmonum ſubſtantia inſenſilis eſt,* ait Laurentius. Hinc vulnera cerebri mitiſſima ſunt: adeò ut Chirurgi tota interdum medullæ cerebri cochlearia, ſine ſenſu ſauciati, exhauriant. Andr. Laurent lib. 10. q. 10.

Alij tamen cerebro, & alijs illis viſceribus tactum quendam, ſed obſcurum & ſtupentem tribuunt. Cephalalgia ergo, & omnis capitis interioris dolor, non in ſubſtantia medullari, ſed in meningibus & cerebri membranis, aut nervis hæret. Velut colicus dolor, non hepar, lienem, & viſcera illa principalia, nullius ferè aut obtuſi tactûs, ſed ilia infeſtat, quæ ſpiritu ultra naturalem modum diſtenduntur.

Eſt igitur quædam temperies in partibus animalis, nobis ineffabilis & ignota, quam anima flagitat, ut ſenſum tactûs in illud membrum effundere poſſit. Ad quam temperiem perficiendam, ſpiritus animales à cerebro influentes, item vicinarum partium qualitas multum conferunt, ut patet in nervis; qui etſi naturali ſiccitate ad naturam oſſium accedant, tactu tamen acerrimo pollent.

ARTICVLVS I.

Quodnam obiectum tactûs.

QValitas tangibilis, tam prima quàm ſecunda eſt objectum tactûs. Primæ, calor & frigus, humiditas & ſiccitas. Tangibiles ſecundæ, mollities durities, aſperitas lenitas, raritas denſitas, gravitas levitas, friabilitas unctuoſitas, craſſities tenuitas.

Hinc, cùm ſint tot paria contrariorum tactu ſenſibilium, multos tactus ſpecie differentes in eodem animali Ariſtoteles multiplicat. Vt veluti unus ſpecie viſus circa unicum par contrariorum, album & nigrum verſatur; unus auditus unum par tantùm contrariorum ſonorum, acutum & gravem, pro objecto habet: ita una ſpecies tactus ſit, quâ calor & frigus, cum ſuis temperamentis intermedijs; altera quâ humiditas & ſiccitas &c. percipiatur.

Cardanus

Cardanus verò aliter ſpecies tactuum diſtribuit. *Senſus tactûs quadruplex eſſe videtur*, inquit. *Vnus, qui calidum, frigidum, humens, ſiccumq; dijudicat. Secundus, qui dolorem agnoſcit & voluptatem. Tertius, qui propriè Veneris gaudia percipit. Cùm in nulla alia corporis parte talem affectum, aut illi ſimilem ſentiamus. Quartus eſt, qui grave & leve diſtinguit.*

Opinionem Ariſtotelis Buridanus, & multi Peripatetici defenſant. Plures ab eo deficiunt, D. Thomas dubitat: & propendet ut unicus ſpecie ſit in toto corpore tactus; quia D. Thom. 1. p. q. 78. a. 3. ad 3. *dici poteſt*, inquit, *quòd omnes illæ obiecti tactûs contrarietates conveniant in uno genere communi, quod eſt obiectum tactûs, ſecundum rationem communem. Sed illud genus commune eſt innominatum: ſicut etiam genus proximum calidi & frigidi eſt innominatum.*

Illa autem ratio communis, ſecundum quam gradus unus genericus ab omnibus objectis tactûs abſtrahi per intellectum poteſt, eſt peculiaris modus immutandi organum tactûs, qui objectis aliorum ſenſuum, reſpectu organorum ſuorum minimè convenit, ut S. Thomas ibidem ad 4. oſtendit.

Igitur non eſt neceſſe, ut tactus ſpecie multiplicentur, cùm unicus omnem qualitatem tangibilem valeat percipere. Et licet ſub qualitate tangibili in genere ſint plura paria contrariarum qualitatum, quàm ſub qualitate viſibili, ſub qualitate audibili &c. ſolùm inde ſequitur, tactum habere objectum latiùs diffuſum, & ſphæram activitatis ceteris ſenſibus ampliorem.

Quòd verò in partibus Venereis, cùm reſolvitur ſemen, talis voluptas ſentiatur, qualis in nulla alia parte corpore; non ideo hoc accidit, quia illarum partium tactus ſit alterius rationis & ſpeciei, quàm ceterorum membrorum tactus ut imaginatur Cardanus; ſed quia illarum partium tactus eſt exquiſitiſſimus, propter peculiarem temperiem; deinde modus quo illa voluptas, ſive qualitas tangibilis voluptatis efficiens celerrimè ſe affricat organo, & intra rapidiſſimum tempus, tactus delectabiles quaſi condenſat, eſt maximè ſenſibilis.

Sic quoque titillatio organi tactûs ſub axillis longè aliter afficit animam, quàm in capite, aut manu. Ita etiam dolor, qui

qui in nervi inciſione percipitur, acriùs penetrat, & acerbius urit, quàm ſi incidatur ſola cutis. Et tamen facultas tangendi in nervo, & cute eſt ejuſdem rationis.

ARTICVLVS II.

An voluptas & dolor ſint quædam peculiaria obiecta tactûs, præter vulgares qualitates tangibiles primas & ſecundas.

VOluptas & dolor propriè actus vitales appetitûs ſenſitivi ſignificant. Sed per metonymiam ſumuntur etiam pro qualitatibus, circa quas paſſiones illæ appetitûs verſantur. Dicimur enim tactu voluptatem aliquam, aut dolorem percipere. Et re verâ, id quod percipimus, non eſt in corde, aut cerebro, ubi putatur eſſe officina, in qua exercentur actus vitales appetitùs ſenſitivi; ſed in parte illa corporis, quæ voluptatem, aut dolorem ſentire dicitur.

Quid igitur eſt illa voluptas, quam libidinoſus in partibus genitalibus, guloſus in gula & faucibus percipere dicitur?

Res iſta, licet tam ſenſibilis ſit, profectò eſt intellectu difficillima.

Quidam non immeritò exiſtimare poſſunt, qualitatem aliquam peculiarem ex affrictu temperiei ſeminis ad talem partem membri genitalis, in organo tactûs reſultare; eo fermè modo quo ex contactu mallei ad campanam, emicat qualitas ſoni. Qualitatem autem illam voluptuoſam, & voluptatis (quâ, teſte Cicerone in Hortenſio, *nulla poteſt eſſe maior*) effectricem ibi reſultare fortè voluit naturæ Auctor, ut homines ad complexus conjugales, & ſpeciei humanæ propagationem allicerentur: quia niſi tanta eſſet in illo actu delectatio, homines, inquit Avicenna, ad rem tam fœdam & abjectam vix adduci poſſent. Et *idcirco tali fœditati Natura adjunxit incendium eiuſmodi*, ait Scaliger, *ut penè à nobis alieni feramur eò.* Scalig. Exerc. 299.

Simile quid, de voluptate, quam gula, ſive fauces percipiunt in tranſitu & affrictu cibi & potûs, dicendum eſt. Niſi enim eſſet iſta in edendo & bibendo voluptas, apud multos ſtudium & cura tranſmittendi alimenta ad ventriculum, & indivi-

individui ſui ſuſtentandi, refrigeſceret.

Suar. lib. 5. c. 5. de Anima. Franc. Suarez lib. 5. c. 5. de Anima, eodem modo, doloris, ſive qualitatis doloriferæ reſultantiam, poſt Simonem Portium, expedit.

Dicendum, inquit, *in dolore, non calorem tantùm, vel frigus ſentiri, nec ſolam diviſionem, aut commotionem organi tactûs, ſed qualitatem inde reſultantem, quæ dolorifera qualitas dici poteſt. Velutì cùm ex calefactione vehementi fit dolor, quem tactus ſentit, eius obiectum non eſt calor, nec calefactio. Nam ſi à calefactivo ſepares manum, ceſſat calefactio, & tamen dolor ſentitur, ac fortè vehementior. Eſt ergo obiectum qualitas aliqua tangibilis, quæ ex calefactione, ſeu intemperie inductâ reſultat. Similiter cùm per diviſionem cauſatur dolor, non ipſa diviſio eſt quæ ſentitur; cùm citò tranſeat, nec ferè dum fit, ullus ſit dolor: ſed eâ factâ aliquis humor accurrit, diſtemperamentum cauſans, unde reſultat dolorifera qualitas ſecunda, quæ ſentitur. Vtpote per ſe ſufficiens immutare tactum, violentiamque ac dolorem inferre.*

Ita hanc rem, ſanè difficilem, explicat Portius. Et proportionaliter videtur loquendum de delectatione tactûs, quæ dolori opponitur.

Et Lib. 8. c. 13. de Angel. ſibi conſentienter: *Læſio carnis*, inquit, *ei diſconveniens, per doloriferam qualitatem, eſt objectum doloris.*

Ariſt. lib. 6. c. 6. Top. Ariſtoteles autem tantùm dicit, *Diviſionem partium naturâ conjunctarum, non eſſe dolorem, ſed effectivam doloris*. Sed non dicit, an diviſio illa proximè, an mediante aliquâ aliâ qualitate doloriferâ, dolorem efficiat.

Verùm, licet experientia favere videatur, tam in voluptate, quàm in dolore, percipi tactu qualitatem aliquam peculiarem, quæ per modum qualitatis ſecundæ, à primis, vel alijs ſecundis reſultet; apud Peripateticos, tamen, aut alios veteres Philoſophos, ejuſmodi qualitatis mentionem non invenio. Vnde grandis mihi oboritur ſuſpicio, illam ſupernumerariam & fictitiam eſſe.

Ad excitandam enim delectationem, vel dolorem in appetitu ſenſitivo, ſufficit, ut tactus, & deinde phantaſia cognoſcat qualitatem, ſive diſpoſitionem convenientem, vel diſcon-

diſconvenientem organo tactûs: qualis eſt illa diſpoſitio, ex qua qualitas iſta nova delectabilis, vel dolorifica reſultare dicitur. Quem ergo uſum talis qualitas habet; cùm ſi diſpoſitio, quæ eſt cauſa reſultantiæ ejus, tactu immediatè percipiatur, delectatio, vel dolor in appetitu ſenſitivo, eodem modo excitandus ſit? Nam ex perceptione ejus, quod ſecundum naturam conveniens eſt, illicò emicat in appetitu delectatio; ſine alia qualitate, tactum quaſi deliniente. Nam tametſi interponeretur talis qualitas, non aliâ tamen ratione, in appetitu delectationem ſuſcitaret, quàm quia naturæ eſſet conveniens. Quid enim delinimentum, aut blandimentum iſtud, quo qualitas illa nova delinire, & blandiri tactui dicitur, aliud eſſe poteſt, quàm quædam cum naturâ animali convenientia, congruitas, & ſymmetria? Si igitur congruitas inveniatur in diſpoſitione organi tactûs, ex quâ blandula illa qualitas reſultare jubetur; quid opus iſta qualitate, niſi ut congruitatem iteret, & cumulet ex ſupervacuo?

Et eodem modo de dolore philoſophandum. Nempe, ubi tactus & phantaſia ſolam organi tactûs intemperiem perceperint, etiamſi quæcumque alia qualitas dolorifera abſtergatur, dolor immediatè in appetitu ſenſitivo excitabitur.

Duæ ſunt autem generaliter doloris cauſæ: *Vna quidem, dum temperies ſubitò mutatur*, ait Galenus, *altera dum continuitas ſolvitur.* Priori modo dolet, qui ſubito & vehementi frigore corripitur. Altero modo, cui vulnere, aut contuſione aliquod membrum læditur. Etſi tamen ipſa præciſa & nuda diviſio continui, non videatur per ſe & proximè tactu ſentiri, & dolorem inferre; ſed intemperies potiùs organi, ex humore aliquo mordace, ad vulnus, aut ad partem læſam affluente. Nam affluxus ille humoris, quia certis ſolùm temporum intervallis ad partem offenſam appellit, aut ibi paulatim in quandam mordacitatem aceſcit; videtur eſſe cauſa, quare vulnerum non ſtatim initiò, ſed tertio circitèr die graviſſimus ſit dolor, ut docet Valleſius ad illud Gen. 34. *Die tertio, quando graviſſimus vulnerum dolor eſt.*

Galen lib. 2 de loc. affect.

Gen. 34.

Hinc argumentum Suarij ſuperiùs propoſitum facilè diſſolvitur. Colligebat enim doloriferam quandam qualitatem ex nimia calefactione reſultare in organo tactûs, & eam, non autem calorem, ſentiri, quando manus noſtra nimio calore uſtulatur. Hæc verò collectio invalida eſt. Nam, ut ipſus fatetur, per talem caloris exceſſum inducitur quædam intemperies, organo diſconveniens. Hæc autem ſub ratione doloriferi à tactu immediatè percipi poteſt; neq; opus eſt aliâ qualitate dolorificâ, ut anima crucietur. Illa autem intemperies partim ex calore nimio, partim ex defectu frigoris congruentis, item denſitatis, aut raritatis, ceterarumque qualitatum ſecundarum debitarum organo, componitur. Vnde mirum non eſt, quòd cuncta iſta intemperies aliter, & ſub ratione doloriferi percipiatur, quàm quando calor modicus ſolitariè ſentitur. Nam eadem qualitas prima, ut exemplo docet Galenus, nunc ut delectabilis, nunc ut dolorifera, prout huic, aut alteri qualitati, vel circumſtantiæ conjungitur, tactu percipitur.

Idem lib. de tremor. *Quemadmodum enim*, inquit, *quod ad naturam palàm revertitur, eſt iucundum; ita quod à natura pari modo recedit, dolorificum eſt. Quare unum idemq; frigus aliàs delectat, aliàs dolore afficit. Nam ſi frigus corpori extra modum calefacto admotum fuerit, id prorſus delectat. At ſi corpus ſuam naturam retinens confertim refrigeretur, dolebit.*

Pro ratione autem diverſitatis intemperierum, aut humorum, organum tactûs morſicantium, reſultant dolores diverſæ ſpeciei in appetitu. Sicut etiam intemperies crucians longè aliter tactu percipitur in uno dolore, & altero. Aliam enim dolorificam qualitatem ſentire ſe experitur qui podagrâ, & aliam qui colicâ laborat. Veluti aliam longè voluptatem, qui Venereo, & qui gulæ pruritu titillatur.

Non ſolùm autem tactus, ſed & ceteri ſenſus, dolore affici dicuntur, quando objecta ipſorum, cum impetu & vehementia quadam in eos incurrunt. Sed tamen dolor tactûs, per excellentiam dolor appellatur. Eſt enim maximè atrox; *quia tactus eſt craſſiſſimus*, ait Fernelius, *atque in compactiore materia poſitus, primus ſenſuum, & omnium animantium communis, & qualitates*

Fernel. lib. 2. c. 6. de morb.

tates in quibus hic verſatur, ſunt maximè efficaces. Imò, ſi res acutè inſpiciatur, quando alij ſenſus dicuntur ab objectorum ſuorum vehementia lædi, & dolere, ſolius tactûs dolor eſt. Temperies enim, vel continuitas organi violatur, quam noxam ſentit tactus, qui cum illo alio ſenſu, in eodem organo ſtabulatur. Vt cùm lux vehemens fundit humores, aut intendit tunicas oculi; cùm tonitrui, aut bombardæ ſonitus, aëre in aurem impulſo, tympani membranam laxat &c. non viſus, vel auditus propriè, ſed tactus cruciatur, id eſt, cruciantem qualitatem percipit, unde dolor reſultat in appetitu.

ARTICVLVS III.

Quænam pars animalis ſit organum tactûs.

MAgna hîc inter Medicos, & Peripateticos eſt rixa. Ariſtoteles, quia ad operationem ſenſûs, præter objectum & organum, aliquod inſuper medium inter utrumque requirit, per quod objectum ſpeciem ſui in organum trajicit; negat carnem animalis eſſe organum tactûs, ſed nervum potiùs quendam, expanſum ſub carne. Tactum enim & guſtum in eo aſſimilat & pariat. In guſtu autem, caro linguæ poroſa (ſecundum ejus philoſophiam) eſt medium, per quod ſpecies ſaporis trajicitur ad organum guſtûs, ſive ad nervum guſtatorium, qui ſub carne latet. Ariſt. lib. 2. c. 11. de Anima.

Aliàs enim, niſi caro inter objectum guſtûs & tactûs, ac ſenſoria eorum, media intercederet, metuit, ne ſenſibile poſitum ſupra ſenſum, ſenſionem efficere poſſet. Quod effatum, quia in viſu verum eſſe apparebat, voluit irrefragabiliter in omni ſenſu locum habere.

Sed tamen idem Ariſtoteles alibi poſtea, in Anatomia animalium fortaſſe magis eruditus, *Caro*, inquit, *& quod carni analogum eſt, vim ſentiendi obtinet.* Si autem in carne, & partibus carni analogis, proportionemque cum ea habentibus, tactus ineſt; igitur caro non tantùm eſt medium ſentiendi, ſed eſt organum ipſum, ſaltem partiale, tactûs. Imò in fine Lib. 2. c. 8. de part.

 etiam

etiam tandem Librorum de Anima, tactui medium neceſſarium eſſe negat; niſi quis verba ejus ſat clara, quæſitâ interpretatione, ut quidam faciunt, infuſcare velit. *Omnia ſenſoria,* inquit, *per aliud ſentiendo, faciunt ſenſionem, & per medium: tactus autem eſt in tangendo ipſa. Vnde & hoc nomen habet.*

Lib. 3. c. ult. de Anima

Si autem ſenſorium tactûs, ſine medio quocumque objectum ſuum tangit, & ideo vocetur tactus; non eſt jam opus carne mediâ inter organum tactûs, & rem, quam manu tangimus: ac proinde nulla ſupereſt ratio, quare carnem & cutem non dicamus partialia organa tactûs; præſertim cùm experientia huic rei tantoperè faveat.

Veſal. lib. 2. c. 5.

Vnde Veſalius antiquam Ariſtotelis opinionem refellens: *Mihi ridendi videntur,* inquit, *qui cutem ob hoc ſentire poſſe averſantur; quòd nullum ſit hic medium. Quaſi verò etiam nervum proprijs membranis prorſus denudatum, aut etiam in medio diviſum, graviſſimè affici non videremus, quoties ipſius denudatæ ſubſtantiæ acriores pulveres inſperguntur. Etſi tamen medium etiam,* addit, *præter rationem, in tactûs ſenſu deſideraremus; nonne in promptu eſt ipſa cuticula, cuti obnata, & interim (ut putamus) ſenſu privata?*

Itaque ſenſus tactûs non tantùm nervo, ſed etiam carni, cutis membranæ, & omnibus partibus animalis ineſt, ad quas perveniunt nervi, ſpirituum animalium vectores, quibus illæ partes animalis perfuſæ, ac velut illuſtratæ, virtutis ſenſificæ complementum accipiunt; niſi ubi propter temperamenti ineptitudinem, ſpiritus nullam vim ſenſitivam animalis invenit; ut in oſſibus, propter nimiam ſiccitatem, & in cerebro propter nimiam humiditatem, accidit.

Dentium verò ſiccam ſubſtantiam (non ſolùm membranulas & nervos, qui cavitati eorum inſeruntur) ſentire Galenus & politiores Medici exiſtimant, propter peculiarem temperiem, & ſpirituum animalium copiam, qua perfunduntur.

Cutis autem, quia extrema pars animalis, & velut in excubijs poſita, ut tactu ſuo noxas quæ extrinſecùs incurrunt, renunciet, exactiſſimi ſensûs eſt. Vnde etiam, quia tactus ſolas qualitatum primarum exuberantias percipit, cutis temperamentum inter calidum & frigidum, humidum & ſiccum, fermè

fermè æquilibre habet; ut omnium exceſſus, quantum fieri poteſt, ex æquo perſentiſcat. Infiniti quoque propemodum nervorum ſurculi ad cutem appellunt, per eam ſparguntur, eamque intexunt; ut proinde cutis nihil aliud ſit, aiunt Medici, quàm nervus carnoſus, aut caro nervoſa. Nervuli autem iſti ſunt ſpirituum animalium canales, quibus tota cutis, ad tactùs ſenſum, ac ejus acrimoniam, rigatur ac imbuitur.

Omnes quippe nervi, ſive ex cerebro proximè, ſive ex medulla ſpinæ dorſi naſcantur, ſpiritum animalem à cerebro illapſum vehunt, quo facultas tangendi, in operatione ſua, valeat uti.

Vnde Galenus: *Tactilem facultatem*, ait, *quòd ad cognitionem ſpectat, natura ceterarum craſſiſſimam fecit. Quam uni definito loco, ſicut alias omnes, minimè adſcripſit, ſed per corpus univerſum diſperſit: ac proinde plures ei nervos exiliores durioreſq́, & qui magna ex parte à ſpinali medulla oriuntur, indidit.* Galen. lib. de Organo olfact.

Ideoque idem alibi: *Omnes nervi*, ait, *utramque facultatem, ſenſitricem & motricem habent: etſi molles ad ſenſum aptiores ſint, duri ad motum.* Propter quæ ultima verba, neſcio quid ſibi velit Veſalius noſter, ubi ait, *ridendam eſſe Anatomicorum Principis rationem; qua is confingit, quoſdam nervorum ſurculos motui tantùm, alios autem ſenſui præeſſe. Quaſi verò quis nervorum ſurculus ſenſu tactûs deſtitueretur.* Nam profectò Lib. 1. de Locis affect. quem Veſalius citat, id dicere Galenus mihi non videtur. Idem lib. 4. Anat. Veſal. lib. 4 c. 14.

Docet ergo Galenus, quod Veſalius, nervos etiam illos duriores & motui deſtinatos, ſpiritum animalem, *à cerebro, ut lumen à ſole, in nervum defluentem*, præbere nervo non ſolùm vim motricem, ſed etiam ſenſificam.

Et Fernelius: *Tactionis ſenſus*, inquit, *quem omnes ex æquo animantes participant, nervis nervorumque fibris in omne corpus diffuſis indiget: quibus ſuſcepta tractabiles qualitates, cum ſpina medullâ, & cerebro, quæ ſenſus & motus principia ſunt, continuatione communicantur.* Io. Fernel. lib. 1. c. 2. de Phyſiol.

Præter verò cutem, quæ eſt pars animalis extrema tactu prædita, eſt cuticula, Græcis ἐπιδερμίς, cuti ſuperinducta, tanquam vagina, aut lorica ejus. Hæc aërem, corpus noſtrum

ambientem proximè tangit. Tenuis, ſicca, & pellucida eſt, ut per eam cutis ex parte tranſpareat. Vnde à cute viſu diſcerni nequit, niſi ab ea divulſa fuerit: ut cùm infusâ cuti aquâ fervente, in veſiculas puſtulaſque pellucidas ſurgit. Hanc Veſalius, Laurentius, & Medici (non omnes tamen) negant animatam, & ſenſu præditam eſſe. Eſt enim, inquiunt, quædam tantùm efflore ſcentia cutis, ex recrementis ejus unctuoſis, in ſuperficiem rejectis, & ibi induratis, concinnata.

In manuum tamen volâ, & plantâ pedum craſſior & durior eſt, ut experientia docet, quando duro labore manuum, aut longo itinere pedum, excitantur veſiculæ, quibus cuticula à cute inferiore divellitur; quæ veſiculæ, acu transfiguntur, nullo cuticulæ ſenſu.

Hanc cuticulam unguentis & frictionibus, ad ſolem, aut aliter, dicebantur olim feminæ, aut effeminati curare:

Quæ tibi ſumma boni eſt? unctâ vixiſſe patellâ
Perſ. *Semper, & aſsiduo curata cuticula ſole.*

Andr. Laurent. lib. 6. c. 4. Laurentius *primarium cuticulæ uſum* eſſe dicit, *ut ſit medium tactûs.* Non quaſi tale medium, ad tranſmittendas ſpecies tangibiles in organum tactûs neceſſarium ſit (quale medium reſpuunt Medici) ſed ut cutis illo cuticulæ operimento loricatà, aëris & contrariorum agentium injurias patientiùs ferat. Aliàs enim cutis noſtra rubicundula, & tenera nimis, cutique infantium recèns natorum ſimilis eſſet, in quibus nondum cuticula planè effloruit.

ARTICVLVS IV.

An tactûs ad ſentiendum ſpeciebus tangibilibus indigeat.

VT breviſſimè abſolvam, qualitates tangibiles ſecundæ à primis ſeparandæ ſunt.

Dico ergo in primis, qualitates tangibiles ſecundas nullâ intermediâ ſpecie tangibili, ſed immediatè tactu percipi, eo modo quo percipi poſſunt. Vt mollitiem luti dicimur tactu cognoſcere, quando pedi noſtro calcanti lutum cedit intra

intra ſeipſum: duritiem verò lapidis, quando reſiſtit imprimenti. *Molle enim eſt*, inquit Ariſtoteles, *quod cedit in ſeipſum, & non obſiſtit.* Ariſt. lib. 2. c. 2. de Generat.

Contrà verò, ſi aliquod corpus cuti noſtræ prementi non intra ſe recedat, ſed cutem potiùs repellat, aut comprimat, durum appellamus.

Ad hæc autem percipienda, non opus eſt peculiari aliquâ ſpecie tangibili, diſtinctâ à ſpecie tangibili qualitatum primarum, ſi hæ fortaſſe ſpeciem aliquam habent. Nam receſſus corporis mollis, vel repulſus, aut compreſſio cutis, quæ fit à corpore duro, ſunt motus tantùm locales: motus autem localis eſt ſenſibile non proprium, ſed commune; quod peculiari ſpecie non indiget, ſed ſpeciei ſenſibilis proprij modificationem quandam ſolùm imprimit, ut ſuperiùs oſtenſum eſt.

Simili modo, aſperitas, lenitas, & reliqua tangibilia ſecunda, aut motu aliquo, aut quiete locali percipiuntur. Si enim organum tactûs, per ſuperficiem tabulæ traductum, offendatur, & hic, aut ibi reſiliat, ſenſus judicat tabulam eſſe aſperam: ſi non reſiliat, ſed æquabiliter decurrat, dicimus eſſe lenem.

Gravitas quoque & levitas motu aut quiete organi tactûs percipiuntur. Si enim corpus manu, aut capite geſtatum, deprimat brachium, vel cervicem, judicamus eſſe grave; ſi non, vocamus leve. Vnde pro ratione virium hominis ſuſtentantis, quippiam grave, aut leve appellatur. Onus quippe puero grave, viro leve ſæpe dicitur.

Qualitatibus verò tangibilibus primis, Peripatetici plerique dant ſpecies tangibiles, quibus illæ qualitates percipiantur. Vnde calor ignis, inquiunt, præter calorem ſimilem, etiam ſpeciem tangibilem, diverſæ à ſe rationis, per aërem ſpargit, & organo tactûs hominis ſe calefacientis imprimit. Quâ opinione adjuvant ſe multi veteres Scholaſtici, in explicanda ratione, quâ ignis dæmones, & animas corporibus exutas torquere valeat in Inferno. Nam licet ignis calorem, inquiunt, non ijs imprimat, ſpeciebus tamen tangibilibus eos perſtringit, & ſic torquet.

Verùm ſpecies tangibiles re verâ ſunt qualitates corporeæ, nec magis dæmoni, aut animæ rationali à corpore ſeparatæ imprimi poſſunt, quàm calor, aut alia qualitas prima.

Dico igitur calorem, & ceteras qualitates primas activas, nullam ſpeciem tangibilem aliam producere, quàm qualitatem ſibi ſimilem. Calor enim alium calorem, frigus aliud frigus efficit, nullam aliam ſpeciem. Natura enim non gaudet ſuperfluis, nec ulla experientia ad alias ſpecies tangibiles agnoſcendas nos cogit.

Imò earum ſuperfluitas hôc argumento ſat validè oſtenditur. Nam calor nunquam organo tactûs actione intentionali, ut vocant, ſpeciem tangibilem, fatentibus etiam adverſarijs, imprimit, quin etiam ſimul actione reali, calorem ſibi ſimilem imprimat; cùm experientià conſtet, organum tactûs ſemper calefieri, quotieſcumque calorem percipit. Si enim ſine calore concomitante, ſpecies tangibilis imprimi poſſet, calidum ut quatuor, ab organo calido ut quatuor, tactu percipi valeret. Si verò ſemper ſpeciem tangibilem comitetur calor; quid opus tali ſpecie, cùm ejus vicem, & totum ſpeciei officium calor organo impreſſus implere poſſit?

Reſpondent quidam, calorem nimis craſſum eſſe, ut ſpeciei officio fungatur.

Sed craſſamentum iſtud caloris, imaginarium eſt. Nec ſimplex caloris qualitas eſt magis plena & obeſa, quàm fictitia ſpeciei tangibilis tenuitas.

Imaginatio verò iſta tenuitatis, & cujuſdam veluti ſpiritualitatis ſpeciei ſenſibilis, ab objecto viſûs occaſionem & originem ſumpſit. Quia enim color, in pariete palàm viſibilis eſt, apparet aliquid craſſius & pinguius, quàm ſpecies, quæ inviſibiliter per medium aërem in oculos venit. Et inde ceterorum ſenſuum ſpecies, aliquid tenuius macriuſque, quàm ſint objecta à quibus mittuntur, imaginati ſunt. Cùm tamen in philoſophia noſtra, quam toties antè inculcavimus, omnium ſenſuum objecta fundant & radient ſpecies ejuſdem ſecum naturæ & rationis. Vt enim calor non aliam ſpeciem, quàm calorem ſibi ſimilem; ita nec lux niſi radium luminis, ejuſdem

ejuſdem ſecum eſſentiæ & rationis, ſonus niſi ſonum, odor niſi odorem, ſapor niſi ſaporem effundit; etiamſi aliorum ſenſuum ſpecies magis in conſervari dependeant à ſuis objectis, quàm calor genitus à calore qui eum genuit. Quia videlicet, calor qualitas prima eſt, quæ temperamenta corporum mixtorum intrare debet; ideoque ab alio calore perpetuò præſente pendêre non debuit, nec potuit.

Aliàs enim abſente igne, illicò diſſolverentur omnia mixta, quæ ipſe calore ſuo miſcuit, & generavit.

Sed calor impreſſus manui noſtræ à calore ignis, debétne appellari ſpecies tangibilis caloris ignei, qui eum produxit?

Reſp. Si manus non tantùm percipiat calorem qui ei inhæret, ſed etiam calorem à ſe diſtantem, qui in igne eſt; calor manûs poteſt vocari ſpecies tangibilis illius alterius ignei caloris. Quippe officio ſpeciei fungitur; quandoquidem tactus noſtræ manûs mediante tali calore ab igne impreſſo, ducatur in cognitionem caloris qui igni inhæret.

Et ſic opinatur Durandus *Calor diſtans*, inquit, *ad hoc ut ſentiatur, oportet ut calefaciat medium uſque ad organum, ut experimur. Et idem eſt de ſapore & quocumque alio ſenſibili. Ergo à ſimili, videtur quòd actio caloris in medium, & in organum ſit univoca: quod non eſſet, niſi calor, & ſua ſpecies eſſent unius rationis.* Durand. in 2. d. 3. q. 6.

Sed apertè contra Ariſtotelem, qui negat ullum eſſe medium externum tactûs. *Omnia enim ſenſoria*, ait tandem in fine Librorum de Anima, *per aliud ſentiendo, faciunt ſenſum, & per medium. Tactus autem eſt in tangendo ipſa. Et ideo hoc nomen habet.* Ariſt. lib 3. c. ult de Anima.

Vnde ſecundum Ariſtotelem, manus hominis ante ignem poſiti, non ſentit calorem igni inhærentem, per aërem tanquam per medium externum; ſed tantùm ſentit calorem quem tangit (ideo enim, ait, iſte ſenſus, *tactus* vocatur) hoc eſt, calorem manui impreſſum, aut etiam calorem ſpirituum, qui ab igne evolant, & manui circumfunduntur, ac cuti ejus attigui ſunt, ac eam perſtringunt.

Igitur calor manui impreſſus, aut ei contiguus, non fungitur officio ſpeciei tangibilis reſpectu caloris remoti, ſed eſt

ipſum ſolum & unicum objectum, quod tactu percipitur. Quod planè exiſtimo verum; etſi Suarez valde refragetur, propter experimentũ, quòd proximo Art. inſpiciendum erit.

ARTICVLVS V.

Argumenta, quibus ſpecies tangibiles videntur aſſeri.

Io. Porta lib. 17. de Catopt.

PRimò, calor & frigus à ſpeculis concavis, non ſecùs ac lux aut color, reflectuntur, ait Io. à Porta: igitur ſunt quædam caloris & frigoris ſpecies, per quas fit illa reflexio.

Reſp. Reflexionem iſtam eſſe caloris & frigoris, non ſpecierum alterius rationis à qualitatibus primis. Vnde frigus, quod oculo ſe excipere ſentit, is qui nivem à tergo ſuo in ſpeculo concavo videt, eſt ipſum frigus oculo ejus inhærens, non alterum, quod nivi inhæret.

Secundò, Quando baculo rem duram, aut mollem attingimus, non minùs duritiem, aut mollitiem tactu percipimus, quàm ſi manu immediatè tangeremus: ergo ſpecies quædam tangibiles per baculi longitudinem ad manum tangentis tranſmittuntur, quibus tactus duritiem & mollitiem loco diſtantes cognoſcit.

Reſp. Baculus aliter comprimit manum, & nervos tactiles, quibus manus baculum regit, dum baculo rem duram ac reſiſtentem, & dum rem mollem & cedentem contingimus: & inde, an res dura ſit, an mollis, colligimus. Aliàs enim ſi per ſpecies, ab extremitate baculi ad manum trajectas, durities & mollities tactu manûs perciperentur; ſi extremitatem baculi igni imponeremus, illicò etiam calorem ignis, per ſpecies ignei caloris, multo magis ſentiremus.

Tertiò, ſi medius digitus decuſſatim ſuperponatur indici ejuſdem manûs, & globulus aliquis cuſpide utriuſque digiti ſimul, vel etiam cuſpide ſolius indicis, contrectetur, globulus duplicatus & geminus nobis apparebit: ergo hoc fit per geminationem ſpeciei tangibilis; veluti geminatâ & divarica-

divaricatâ ſpecie viſibili, res oculis ſtrabonis gemina apparet.

Miraculum iſtud digitorum cancellatorum inexplicabile, & habere *cauſam abditam* dicit Bodinus. Et verè, mira res eſt. Sed ignorantia & admiratio noſtra inde, credo, provenit, quòd non perinde compoſitionem, & labyrinthos nervorum organi tactûs, & modum operandi iſtius ſensûs cognoſcamus; quemadmodum per tot Anatomicas ſubtilitates, oculi ſtructuram & modum videndi utcumque intelligimus: ideoque, quomodo res ſimplex oculis per ſtraboniſmum divaricatis, quaſi in duobus locis replicata appareat, faciliùs, per diverſas pyramidum viſualium baſes, explicamus.

Io. Bodin. lib. 4. Theat.

Reſp. tamen, Ad explicandum miraculum illud geminatæ rei, ſi tangatur duobus digitis cancellatis ejuſdem manûs, non opus eſſe ſpeciebus tangibilibus. Nam res illa utroque digito ſimul, aut altero ſaltem, proximè tangitur; unde, cùm objectum ſit præſens & organo contiguum, per ſeipſum, ſine vicariâ ſpecie, ſenſum movere poteſt.

Sed ſi uno tantùm digito tangatur globulus, nonne alter digitus, qui non tangit (& tamen duritiem, figuramque globuli etiam ſentire ſibi videtur) ſpeciem tangibilem a priori digito, ad ſentiendum, accipit?

Reſp. nullam tamen, opinione meâ, ſpeciem tangibilem ab digito uno ad alium tranſmitti. Vnde repetitis ejus rei experimentis, cauſa miraculi in errore imaginationis mihi videtur conſiſtere.

Digitus enim inferior cui decuſſatim alius ſuperponitur, tangit globulum; ſpecies verò tactionis (aut quidquid illud eſt, quod ab organo ſenſûs externi mittitur ad ſenſum interiorem) communicatur etiam nervo digiti ſuperioris, ubi digitum inferiorem premit: & ſic ſpecies illa duplici viâ ad cerebrum & ſenſum internum perveniens, rem quaſi duplicem imaginationi exhibet. Apparet enim non tantùm à digito inferiori (qui verè eam tangit) ſed etiam à ſuperiori digito contingi; qui tamen aliquanto intervallo ab ea eſt remotus. Si quis aliud ſubtilius & verius poſſit, dicat: nos certè in re tantulâ non parvum naturæ miraculum agnoſcimus.

mus. Et hoc etiam auget admirationem, quòd ſuperioris digiti cuſpis, quæ ne quidem tabulam tangit, in qua digitus inferior globulum volvit, ſentire tamen eundem globulum, quaſi in aëre pendulum, ſibi videtur.

Suar. lib. 3. c. 26. de Anima. Quartò, *Arguitur principaliter*, inquit Suarez. *Quòd tactus maiorem calorem percipiat, quàm ſibi inhæreat: ergo non percipit ſibi inhærentem, ſed potiùs rei calefacientis. Si enim proprium ſentiret, illum certè, & non maiorem ſentiret. Antecedens verò oſtenditur. Nam cùm quis igni applicatur, ſentit illicò vehementem ac moleſtum calorem; & tamen totum nondum recepit: tum quia longiori egeret morâ, tum etiam, quia ſi ab igne removeatur, protinus illam caloris vehementiam non ſentiet.*

Vnde confici exiſtimat, calorem qui in igne eſt, traijcere quaſdam ſpecies intentionales, diverſæ rationis à calore, quibus tactus calorem diſtantem percipiat, & ab eo crucietur.

Sed profectò tactum non cruciat, niſi quod aut continuitatem, aut temperiem organi violat: hoc autem ſpecies per ſe facere non poteſt; cùm potiùs detur organo, & potentiæ ſenſitivæ, ut eam in operatione ſua perficiat.

Deinde hæc philoſophia cum Ariſtotele, Art. præcedenti citato, manifeſtè pugnat. Docet enim Ariſtoteles, tactum per nullum medium externum ſua objecta ſentire, ſed ex proximo & contiguo tantùm; & ideo *tactum* vocari. Pugnat quoque cum illo S. Auguſtini ſcito: *Tres ſenſus*, odoratus, guſtus, tactus, *corpulentiores, & quodammodo craſſiores ſunt, nec ſe foràs projiciunt, ſed interiùs, quod ad eos pertinet, agunt.* Quomodo enim tactus non foràs, etiam uſque ad cælum, perinde ac viſus, ſe proijcit, ſi cauſa nos calefaciens tam procul abſit? (S. Auguſt. lib. 4 c. 14. contra Iul.)

Suarez ibid. Nam cùm Suarez ſibi objeciſſet: Quòd homo ſoli expoſitus ſentiat calorem, perinde ac ſi ſol foret ignis: ergo cùm in ſole nullus ſit calor, ſolùm ſentire videmur calorem, qui organo tactûs inhæret.

Reſpondet N. C. aitque *ipſammet virtutem calefactivam ſolis ſentiri. Quæ virtus*, inquit, *producendo calorem in nobis, producit etiam in tactu ſpecies intentionales ejuſdem rationis cum ijs, quas ipſe calor ignis produceret.* Vnde juxta hanc philoſophiam, tactus

noſter

noſter hinc, ex tanto terræ cæliq́ue intervallo, virtutem ſoli inhærentem cognoſcit, & ab ea torqueri poteſt. Quod certè magno paradoxo ſimile mihi apparet. Virtus enim calefactiva ſolis, quæ calor non eſt, non magis eſt objectum per ſe tactûs, quàm temperies lactis, ex qua albedo reſultat, ſit objectum viſûs; aut, quàm malleus excitans ſonum, ſit objectum auditûs.

Itaque dico, in illo experimento, quod Suarem decepit, non calorem igni inhærentem ſentiri, ſed illum ſolùm qui organo ab igne diſtante, & ſimul ab igneis ſpiritibus imprimitur, qui perpetuo quaſi flumine, ex igne exſpirant, & manum aut faciem hominis ante ignem poſiti perſtringunt, cutem uſtulant, & organum tactûs lædunt.

Cùm autem manum, vel faciem ab igne avertimus, vel aliquid interponimus, quod ſpiritus igneos arceat, minus caloris percipimus; quia affluxum illorum ardentium ſpirituum declinamus; non autem, quia ſpecies tangibiles ignis diſtantis, ne ad nos traijciantur, impedimus. Probabile tamen quoque eſt, nos non tantummodo percipere calorem cuti noſtræ inhærentem, ſed etiam ſimul illum, qui ſpiritui, aut igni organo tactûs contiguo inhæret. Sine tamen ſpecie tangibili, ſed per ipſummet calorem immediatè. Cùm enim corporum contiguorum extrema ſint ſimul, calor inhærens ſpiritui igneo, manui noſtræ contiguo, cenſetur etiam quodammodo manui inhærere, adeoq́ue valde veriſimiliter poteſt tactu percipi. Vnde jam mirum non eſt, retractâ manu ab igne, ſenſum illum ardentis caloris illico deſinere.

Poſtremò tamen, ſpecies tangibiles videntur aſtrui argumento; quo corpora dura in aëre, vel aquâ, negantur ſe immediatè contingere. Igitur cùm manus lapidem apprehendit, ſi aër inter ſuperficiem manûs & lapidis ſit intermedius, frigus & durities lapidis, quæ tactu manûs percipiuntur, ſpeciem aliquam tangibilem, per aërem illum medium, trajicere debent ad manum. Antecedens probatur ab Ariſtotele, duorum lapidum experimento; qui licet in aqua ad oculum, & ad omnem ſenſum videantur eſſe ſibi immediati & contigui, Ariſt. lib. 2. c. 11. de Anima.

contigui, ſuperficies tamen, in quibus ſe contingere videntur, humectas habent: ut proinde neceſſe ſit, humorem aliquem intercedere. Nam humiditas illa non eſt in lapidibus ut ſubjecto, ſed in humore aqueo lapidibus adhærente. Ergo etiam, quando in aëre duo lapides, aut lapis & manus apparent eſſe contigui, aliquid tamen modici aëris interponitur; etiamſi, inquit Ariſtoteles, id ſenſu deprehendi non poſſit, ſicut in aqua; quia aër eſt inviſibilis.

Deinde alio longè certiori argumento probatur, quòd quando duo corpora dura, in aëre, vel in aqua ad mutuum contactum motu locali veniunt, nequeant ſe in ſuperficie diviſibili contingere. Nam ſi id fieret (quantumcumque parva eſſet illa ſuperficiei particula;) aër iſte inter utramque ſuperficiem interceptus, vel immotus manet, vel loco cedit. Si manet immotus; ergo duo illa corpora, ſi uſque ad immediatum contactum perveniant, ita ut eorum extrema ſint ſimul, penetrant illius aëris profunditatem: quod fieri non poteſt, quia penetratio dimenſionum naturaliter eſt impoſſibilis.

Si aër loco cedat; non poteſt in momento cedere, nec tam citò è mediâ areâ ſuperficierum ex marginibus, quàm aër marginibus vicinior, receſſiſſe: niſi tranſiliret, per motum ab extremo uno ad alterum, ſine tranſitu per medium: quod iterùm naturaliter eſt impoſſibile.

Reſtat igitur, ut è mediâ ſuperficierum ad contactum convenientium areâ, ſucceſſivè per extremos margines aër mediæ areæ expellatur; & proinde, ut interea temporis vacuum à tergo, in mediâ illâ areâ relinquatur, quia nullus alius aër ei ſuccedit. Nam in ultimo momento, quo aër extremo margine ſuperficierum excidit fieri deberet immediatus duarum ſuperficierum in medio & extremitatibus ſimul contactus, ſine ullo prorſus aëre interjecto, qui eas ſuperficies diſiungat.

Vnde, ſi hoc capis, tam certum eſt, inter duas tales ſuperficies aliquid aëris intereſſe, quàm eſt certum, penetrationem dimenſionû, motum ab extremo ad extremû ſine tranſitu per medium, & denique vacuum in rerum natura non poſſe dari.

Secus

Secus eſt verò, ubi alterum duorum corporum eſt molle & flexibile. Tunc enim poteſt alterum immediatè tangere; quia mollitie & flexibilitate ſuâ, ita ſe circumfundere, & componere valet, ut ſine ullo ex tribus illis inconvenientibus, alterum immediatè contingat. Sic aër, vel aqua lapidem contingit, & ſuperficie concavâ proximè cum ambit.

Ex antè dictis ſequitur, quod in Scholâ Philoſophicâ olim diſcipulis meis ſæpe demonſtravi: ſphæram ferream Tormenti majoris murum lapideum frangere, etiamſi in ſolo puncto, non in parte diviſibili, eum tangat. Id eſt, licet re verâ non tangat; quia ubique inter ſuperficiem ſphæræ, & ſuperficiem muri, eſt aër intermedius. Nec ideo impetus eſt mollior: quia aër ibi à natura retinetur immobilis, nec minùs impellit, quàm ſi ferreus eſſet.

Ad argumentum igitur ſuperius, neganda ſequela. Nec enim, quia manus mediante tenuiſſimâ aëris, ut ſic dicam, membranâ lapidem tangit, ideo ſpecies tangibiles frigoris aut duritiei lapidis, per illum aërem, ad manum quæ frigus & duritiem tactu percipit, trajici eſt neceſſe. Sed ſicuti manus induta chirothecâ percipit frigus, ſibi mediante chirothecâ à lapide impreſſum; ita etiam mediante illo tenuiſſimo aëre, qui quaſi chirothecæ vicem ſubit. Durities autem ſentitur, non per ſpecies aliquas tangibiles, ſed ipsâ compreſſione organi tactûs, qua lapis ei non cedit, ſed reſiſtit, ut ſuperiùs diximus.

Deinde quia caro manûs mollis eſt & poroſa, facilè accidere quoque poteſt, ſicut notat Philoponus, ut aër intermedius poros manûs ſubintret, & ſic inter manum & lapidem fiat immediatus contactus. Quanquam tamen, ſi de carne manûs ſentiente loquamur, inter eam & lapidem ſemper interponatur cuticula, quæ ſenſu caret, imò animâ, ut plurimi Medicorum cenſent.

ARTICVLVS VI.

Cur excellentia tactûs dicatur ſignum ingenij.

Ariſt lib. 2. c. 9 de Anima.

ARiſtotelis doctrina eſt: quòd ſicut homo cetera animalia ingenio & prudentiâ anteit; ita etiam excellentiâ tactûs cuncta ſuperet. Vnde etiam qui inter homines bonitate tactûs alijs præſtant, ingenio quoque emineant. Bonitas verò tactûs, ex organi, ſive carnis optimâ temperie pendet; cujus index eſt mollities carnis. Mollities, inquam, non aquea & crudior, qualis in feminis; ſed aërea & temperato calore decoctior, qualis in ingenio præſtantibus viris. Hinc *σκληροσάρκους duros carne, mente ineptos eſſe, μαλακοσάρκους molles carne, ingenio pollere* dicit.

Et abhinc etiam *παχύδερμος craſſæ pellis homo*, pro ſtupido ſolet uſurpari. Qui enim craſſo ſtamine pellem & carnem contextam habent, ingenio, ſicut & tactu, plerumq; obtuſi ſunt. Craſſities autem ex craſſo, aut multo cibo ſæpe concreſcere ſolet. Quamobrem rogatus quondam Diogenes, cur athletæ ad ictus cæſtuum, & luctas, contortioneſque membrorum tam inſenſibiles eſſent: *Quia*, inquit, *ſuillis & bubulis carnibus ædificati ſunt*. Ad robur enim corporis, multâ carne ſuillâ & bubulâ athletæ inferciebantur, & iſto alimenti craſſamento tactum pariter & ingenium obruebant.

Laërt. in Diogene.

Thebani quoque, ac univerſim Bœoti, quos Poëta Eubulus apud Athenæum, *totos guttura, & ad convivandum die noctuque, viros ſtrenuos* appellat, ſtupore mentis infames erant.

Athenæ. lib. 10.

Ex tenuitate autem ſtaminum cutis & carnis, unde proximè oritur excellentia tactûs, ſubtilitas etiam ingenij intelligitur: *Quia in tali corpore*, ait Themiſtius, *primus innatuſq; ſpiritus animæ faciliùs funditur, & liberiùs expeditiùſq; diſcurrit. Contrà verò, durities & craſſitudo obturant oppilantque meatus, & quaſi repagulo ſunt, ne purus & liquidus tranſmittatur.*

Themiſt. lib 2 c. 32. de Anima.

Corpora autem, quibus talis tenuitas mollicieſque carnium, & ingenij acumen contigit, *non valde pinguia*, ait noſter Beverus, *alba mixto rubore ſunt, cutis ſubtilis, pili non valde duri, nec valde*

Io Bever. lib. 2. c 32. de Anima.

valde nigri, ut ſcribit Ariſtoteles in Phyſiognomicis. Albertus inter iſta ingenij ſigna, *tenuitatem unguium* addit. Tenuitatis autem ſignum eſſe puto, ſi caro per ungues, roſeo colore tranſpareat.

Sola tamen libertas meatuum, per quos diſcurrunt ſpiritus animales, non ſatis eſt ad ingenij celeritatem, & acumen, etiamſi Themiſtius non aliam cauſam aſſignet; ſed præcipua cauſa in ſpirituum perſpicuitate & agilitate poni debet, quibus rerum ſenſibilium imagines vehuntur, & ante oculos mentis eunt, redeuntque, per circuitus & diſcurſus ratiocinationum.

In ſummâ igitur, quibus caro mollis, id eſt tenuis & bene temperata, valent tactu; quia exceſſum cujuſque qualitatis tangibilis ſtatim perſentiſcunt. Si verò caro bellè à naturâ temperata eſt; igitur & cerebrum, quod ſpirituum animalium officina eſt. Nam natura, in partibus corporis humani, niſi impediatur, temperamentum ad juſtitiam, ut vocant, id eſt ſecundum proportionem Geometricam moliri & fabricare ſolet. Vt ſi caro temperiem perfectam, in ratione temperiei debitæ carni, habeat; etiam cor, cerebrum, ceteræque corporis partes proportionalem, & optimam ſibique condebitam complexionem nanciſcantur: ita ut in Geometricam & harmonicam quandam proportionem univerſa membra conſpirent. Si ergo caro, & inſtrumenta tactus conſentaneam naturæ ſuæ temperiem nacta ſunt; igitur & cerebrum, ac membranæ, ventriculique ejus, & univerſa ſpirituum animalium officina naturali ſuo igne tepet, ſicut ad optimorum ſpirituum generationem eſt neceſſe. Io. Argent. Comment. 2. Artem Gal.

Debet tamen præterea adeſſe materia conveniens, quæ domari, & in ſpirituum perſpicuitatem bonitatemque tranſformari facilis ſit. Vnde multum refert, quo cibo ac potu utantur homines, & in quo aëre vivant: quia partem aëris, per nares attracti, in ſpiritus animales ſubigi & edomari à cerebro, Medici exiſtimant. Denique ad conſummatam ingenij perfectionem, debet, præter temperiem, capitis quoque & cerebri, membranarumque certa menſura, figura, & conformatio accedere.

Andr. Laurent. lib. 10. q. 3.

Figura autem capitis, apud Hippocratem & Galenum, ſi naturalis ſit, ait Laurentius, *ſphærica oblonga, anteriore & poſteriore parte protuberans, & utrimque ad latera depreſſa, ſignum eſt prudentis hominis. Contrà, acuminatum & turbinatum caput, φοξὸν dicunt, quale cenſetur fuiſſe Therſitus apud Homerum, fatuum, ſtolidum & amentem arguit.* Quod à Veſalio ſumptum eſt.

Quale tamen acuminatũ & ſtultorum caput in aliquot ingenioſiſſimis & ſapientiſſimis viris me deprehendiſſe memini. Nam tale Excellent.mi Marchionis Ambroſij Spinolæ fuit. Nec ab hac imagine pleraque Genuenſium capita dicuntur abludere. Tale quoque Eximij M. N. S. Theol. Doctoris, Ioannis Wiggers, qui egregia Commentaria in totam S. Thomæ Summam nuper edidit. Tale & Eruditiſſimi D. Nicolai Bardouli, Philoſophiæ Profeſſoris Primarij, & in Pædagogio Falconis Lovanij Collegæ quondam noſtri. Adeo leges iſtæ Naturæ nunquam tam inflexiles ſunt, quin multis exceptionibus valeant infringi.

Quærit etiam Beverus noſter: Quare bonitas quoque viſûs, aut alterius ſensûs, non perinde ſit index ingenij bonæque mentis, ac ſubtilitas tactûs?

Io. Bever. lib. 2. c. 9. de Anima.

Reſpondet: *Quia inſtrumentum tactûs per univerſum corpus fuſum eſt, non ut reliquorum ſenſuum, in certa ejus parte ſitum. Quare ad totius corporis temperationem idem pertinet. Quam temperationem quia animi conſtitutio ſequi ſolet; idcirco qui hujus ſenſûs judicio inter homines excellunt, ijdem reliquis ingenio præſtant, quoniam carnem habent molliorem & meliùs temperatam.*

Colon. Albertiſtæ lib. 2. Tract. 3. de Anima.

Hanc autem temperamenti bonitatem, Laurentiani Colonienſes, cum ſuo Alberto, in quadam qualitatum primarum mediocritate conſtituunt, qua caro humana (& maximè cutis, quæ eſt extrema ejus veſtis) tam propè quàm fieri poteſt, accedit ad *temperamentum*, quod vocare ſolent *ad pondus*.

Tactus enim, qui talem in organo ſuo temperiem obtinet, ſtatim agentium externorum alterationes percipit. Nam talis eſt natura tactûs, ut exuberantias tantùm qualitatum primarum ſentiat; hoc eſt, qualitatem magis intenſam, quàm ſit ea, quæ

ea, quæ organum ejus temperat. Vbi autem omnes qualitates organi ad mediocritatem reductæ ſunt, facilè ab agentibus externis adjicitur quod exuberat; & ſic tactu percipitur.

Quia verò ſenſum, quo in partibus pudendis voluptas Veneris ſentitur, *ſextum ſenſum* eſſe Scaligero negamus, ſed partem tactûs, ejuſdem rationis cum aliarum partium tactibus, eſſe diximus; veriſimile eſt, ingenioſos homines illarum quoque partium tactu præſtantiori eſſe. Vti & illo tactu, qui in cibi potuſque per fauces tranſitu & affrictu, voluptatem gulæ percipit. Iſta enim voluptas non ad linguæ guſtum propriè, ſed ad tactum faucium pertinet, ut alibi diximus. Quod Ariſtoteles appoſito Philoxeni gulonis exemplo probat: qui non linguam latiorem bove, ſed φάρυγγα μακρότερον γεράνου *fauces longiores grue*, ſibi optabat; ut longioris tangibilis voluptatis affrictu, non ampliori ſaporis deguſtatione, frueretur. Iul. Scalig. Exerc. 286. Ariſt. lib. 3. c. 13. Ethic.

Hinc colligi videtur; hominibus ingenioſis, ut pote tactu excellentibus, difficiliorem eſſe temperantiam Veneris & gulæ. Quo enim voluptas utraque vivaciùs ſentitur, eo petulantior, & adverſus frenum moderationemque contumacior eſt.

ARTICVLVS VII.

In quibuſnam ſenſibus, pronunciatum iſtud Peripateticum verum eſt? Senſibile poſitum ſupra ſenſum non efficit ſenſationem.

MVlti Peripatetici Ariſtotele ipſo pertinaciores ſunt, qui hoc pronunciatum in omni ſenſu valere; nec unquam fieri poſſe, ut ſenſus ullus rem ſupra organum ſuum poſitam percipere valeat, contendunt.

Ariſtoteles tamen fluctuat, dum nunc carnem medium tactûs, nunc eam organum ipſum tactûs appellat. Nam ἡ σὰρξ καὶ τὸ ἀνάλογον, αἰσθητικόν, *Caro, inquit, & id quod cum carne proportionem quandam habet, ſenſitivum eſt.* Si autem caro ſenſitiva eſt, ſive ſenſum tactûs habet; ergo jam non tantùm eſt me- Ariſt. lib. 2. c. 5. de partib.

Lib 2. c. 11. de Anima. eſt medium, ut in Libris de Anima dixerat, ſed etiam eſt organum tactûs. Vnde quandoquidem rem poſitam ſuper carnem, carne ipsâ ſentiamus, aliquod ſenſibile poſitum ſuper ſenſum, id eſt; ſuper organum ſensûs, ipſo ſenſu qui in tali organo reſidet, ſentire poſſumus.

Quod etiam experientia affirmat. Nam ſive caro, ſive nervus ſub carne latens, ſit organum tactûs, ſi incîdatur, qualitatem doloriferam tali parti inhærentem, tactu percipit. Ridiculum enim eſt, quod quidam reſpondent, partem carnis, aut nervi non ſentire dolorem ſuum, ſed vicinæ partis, à qua, inquiunt, ſpeciem tangibilē recipit. Hoc enim eſt contra finem, propter quem natura partibus animalis tactum dedit: ut unaquæque ſcilicet pars organica tactu dolorem ſuum percipiat, & animam noxæ, quam patitur, admoneat. Hinc plurimi Peripateticorum tactum excipiunt ab iſto generali pronunciato, *Senſibile poſitum ſupra ſenſum &c.*

Sed & guſtum oportet excipere. Nam guſtus, tactus quidam eſt, ut Ariſtoteles ait. Tangere quippe linguam debet res ſapida, ut guſtu percipiatur. Summa verò linguæ tunica, quæ attingit, ſaporem etiam percipit; quia ex filamentis nervi guſtatorij contexta eſt, ut antea ex Veſalio oſtendimus.

Deinde, licet in ſolo nervo, ſub tunicâ, & carne fungosâ linguæ abſcondito, guſtus reſideret, poteſt tamen liquor ſapidus uſque ad ejus nervi contactum, per ſuperiores linguæ poros, deſcendere, & ibi ſapor guſtu percipi.

In olfactu quoque, probabiliſſimum mihi videtur, vaporem odoriferum qui ſubit nares, & ipſas papillas mammillares imbuit, aut proximo contactu ijs circumfunditur, odoratu ſentiri. Superiùs enim eam S. Auguſtini mentem eſſe exiſtimavi, ubi ait: *Odoratum, guſtum, tactum, eſſe tres ſenſus corpulentiores, & quodammodo craſſiores, nec ſe forâs projicere, ſed interiùs, quod ad eos pertinet, agere.* (S. Auguſt. lib. 4. c. 14. contra Iul.)

Imò de auditu & viſu idem cogimur dicere. Licet enim forâs ſe projiciant, ut S. Auguſtinus loquitur, ſpeciem tamen ſenſibilem organo inhærentem, aut ſaltem contiguam cognoſcunt, & per eam cognitam, forâs ad objectum aliud principale,

in quo

In quo tota cognitio ſenſitiva tandem terminatur, ſe projiciunt.

Vnde re verâ, loco pronunciati iſtius Peripatetici: *Senſibile poſitum ſupra ſenſum non efficit ſenſationem*, hoc S. Auguſtini effatum, probabilius reponatur: *Viſus & auditus projiciunt ſe foràs, odoratus, guſtus, tactus quod ad ſe pertinet, interiùs agunt*: ita ut hi tres nunquam aliter operentur, quam circa ſenſibile organo ſensûs ſuperpoſitum. Superponi autem poteſt duobus modis: aut informando ipſum organum; quomodo calor informat cutem manûs, quæ eum percipit: aut per ſolum localem contactum; quomodo guſtus mel deguſtat, quod linguam attingit. Cui S. Auguſtini effato experientia, mater Philoſophiæ naturalis, non parùm profectò favet, & facillimè defendi poteſt.

Quia tamen Ariſtoteli, in præcedentibus Capitibus, aliquid amplius conceſſimus, & ab olfactu, & guſtu odorem & ſaporem, ex aliquantulo intervallo percipi poſſe non abnuimus; ideo dogma aliud, doctrinæ tamen S. Auguſtini vicinum ex Ariſtotele depromptum, tradere poſſumus: Viſus & auditus *πόῤῥωθεν eminùs*; olfactus, & tactus *ἐγγύθεν cominùs*, objecta ſua percipiunt. Niſi quòd Ariſtoteles olfactum acenſeat ijs ſenſibus, qui eminùs, & longè foràs ſe projiciunt: repugnante S. Auguſtino, & veritate ipsâ, ut opinor, ſicut ſuprà ſatis multis docui. Ariſt. lib. 2. c. 11. de Anima.

Hæc quoque doctrina ſupponit, ſonos in longinquo forìs ſonantes auditu percipi: cùm tamen antea vehementer dubitaverim; imò in contrariam opinionem delapſus ſim: quia ſoni illi jam evanuerunt illo tempore, quo ſpecies eorum audibiles ad organum auditûs appellunt.

CAPUT VIII.

De ſenſibus internis.

A Senſibus externis ad internos, quaſi à luce ſolis, in ſubterranea, & metallicas foſſas deſcendimus. Omnia enim quæ ad ſenſus iſtos pertinent, tam potentiæ, quàm earum ſenſoria & inſtrumenta, atque operationes magis

magis in abdito & obſcuro ſunt, quàm quæ de ſenſibus externis hactenus diſſeruimus. Infinitus ſim, ſi per omnium Philoſophorum variantes hîc opiniones velim diſcurrere, & refellere quæ non probo. Deinde caſtiganda Libri noſtri moles, quam jam ultra primam meam deſtinationem video excreviſſe.

Itaque non tam expansè & laciniosè quàm hactenus, ſed paulò accinctior poſthac incedere conſtitui.

S. Auguſt. lib. 2. c. 3. & 4. de libero arb.

Atque præter quinque ſenſus externos, *aliquem etiam interiorem, ad quem ab illis quinque cuncta referantur, & qui omnibus communiter præſideat, etiam in beſtijs*, probat S. Auguſtinus; quia bruta ipſas ſenſuum externorum operationes, & inter eas, earumque objecta diſcrimen aliquod percipiunt; quod nullo ſenſu externo facere poſſunt. Viſus enim nec ſuam, nec auditûs, aut alterius ſensûs operationem videre poteſt (quia operationes iſtæ coloratæ non ſunt;) nec quid inter videre & audire, aut inter colorem & ſonum interſit, comprehendere valet. Et tamen canis aperit oculum, non arrigit aurem, ut aliquid videat; aliquod inter videre & audire, diſcrimen agnoſcens. Multa etiam appetenda, aut fugienda beſtiæ judicant, quæ nullo externo ſenſu cognoſcunt.

ARTICVLVS I.

Quænam ſit ſenſuum internorum ſedes.

SEnſus quidam interni vocantur, quia organum intus reconditum, non ad ſuperficiem corporis, velut ad excubias expoſitum, habent.

Ariſtoteles & Stoici eos in corde, Hippocrates, Galenus, & Medici in cerebro eos collocant: quod omnino certum eſt. Nam ex rudi adhuc illius temporis Anatomiâ, Ariſtoteles putavit in corde, nervorum principium eſſe; cùm ſine dubio, à cerebro ſit eorum origo.

Organum igitur & ſedes ſenſuum internorum eſt cerebrum: quia in cerebrum, non in cor, imagines ſenſibilium externo-

externorum, per canales nervorum, à ſenſibus externis trajiciuntur. Quò autem imagines illæ appellunt, ibi eſt ſedes ſenſuum internorum, qui imaginibus illis in operatione ſua utuntur. Vitiatâ deinde imaginatione, aut alio ſenſu interno delirante, cerebro, non cordi, Medici remedia adhibent.

Sententiam tamen utramque, Ariſtotelis, & Medicorum, problematicè, ex ſacra Scriptura defenſat Guil. Eſtius, ad iſta verba Apoſtoli, *Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum*. Cor enim ſæpe in Scriptura pro mente, ſeu intellectu uſurpatur: ideo, ut apparet, quia cogitativa hominis, unde intellectui ſpecies intelligibiles, per abſtractionem à phantaſmatibus, ſubminiſtrantur, ſedem habet in corde. Guil. Eſtius Comment. Rom. 1. v. 21.

Vnde Chriſtus: *Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Et poſtea: *Ne corde intelligant*. Deinde: *De corde exeunt cogitationes malæ*: Matt. 9. 13. 15.

Sed cogitationes, & operationes intellectûs tribuuntur cordi, quia in cor quodammodo à cerebro delabuntur, & ibi ſe per bonos maloſve affectus cordis, manifeſtant. Et hoc modo dixit S. Auguſtinus: *Cogitationes malæ ſunt in pravo corde, & bonæ in recto corde*. S. Aug. Pſal. 7.

Aliàs philoſophia ubique S. Auguſtini eſt, Cerebrum eſſe principium ſentiendi. Aitque *non contemnendum quod Medici non tantùm dicunt, verùm etiam probare ſe affirmant: De cerebri medio, velut centro quodam, non ſolùm ad oculos, ſed etiam ad ſenſus ceteros, tenues fiſtulas deduci; ad aures ſcilicet, ad nares, ad palatum, propter audiendum, olfaciendum, atque guſtandum: tangendi ſenſum, qui per totum corpus eſt, ab eodem cerebro dirigi dicunt per medullam cervicis &c.* Idem lib. 7. c. 13. de Gen. ad litter.

Ac deinde, idem cerebrum, ſicut *qualitatem quandam luculentam*, per fiſtulas illas nervorum, in organa ſenſuum externorum inſpirat; ita etiam, ex ſententia eorundem Medicorum, ipſum ſenſuum internorum officinam eſſe docet: tres in eo diſtinguens ventriculos, *in quibus anima, tanquam in organis agit*. Ibid. c. 18.

ARTICVLVS II.

Quot ſint ſenſus interni.

MAgna hîc Philoſophorum inter ſe rixa. Nec Medici quoque concordes.

Avicenna in animalibus perfectis, ſenſus internos quot externos facit, ſcilicet quinque. Galenus ſolùm tres, D. Thomas inter eos medius, quatuor eſſe mavult: Senſum communem, imaginationem, ſive phantaſiam, æſtimativam, & memorativam.

D.Tho.1.p. q. 78. a.4.

Numerum iſtum ex diverſitate operationum colligit. Senſus communis res ſenſibiles unà cum ſenſibus externis, in præſentiâ objectorum, percipit. Phantaſia retinet imagines rerum ſenſibus externis, ac ſenſu communi perceptarum, & circa eaſdem, in objectorum abſentiâ, negotiatur.

Æſtimativa novas quaſdam intentiones, à ſenſibus externis non acceptas, apprehendit. Sic æſtimativa ovis amicitiam canis, & inimicitiam lupi, nullo priore ſenſu notam, cognoſcit.

Hæc in homine cogitativa, & ratio inferior, & ratio particularis vocatur; quia cogitando, & cogendo inter ſe terminos, & propoſitiones ſingulares, ratiocinatur, & ſub ratione ſuperiori, ſicut rota minor ſub majore volvitur, & diſcurrit.

Memorativa ſervat, tanquam theſaurus, imagines intentionum, quas æſtimativa ei tradidit, & ex illis præteritarum intentionum recordatur.

Hæc in homine, quemadmodum æſtimativa, perfectior eſt quàm in brutis, nec tantùm ſimpliciter recordatur, ſed etiam reminiſcitur; ſyllogiſticè redeundo in præteritorum memoriam. Vnde homini propria eſt reminiſcentia.

Vulgaris tamen hodie Medicorum opinio, teſte Sennerto, tres ſolùm ſenſus internos: ſenſum communem, phantaſiam, & memoriam ſtatuit: quæ etiam videtur mens Ariſtotelis, qui nomina trium iſtorum ſenſuum, nec plura, in ore habere ſolet.

Conim-

Conimbricenſibus tamen binarius, id eſt, ſenſus communis, & phantaſia ſufficit. Conimbr. lib. 2. c. 2. de Anima.

Alexander Halenſis omnia tandem ad unitatem redigit: ut unicus ſit ſenſus interior, quamvis ex varietate operationum, varia nomina induat. Quæ videtur quoque mihi S. Auguſtini ſententia fuiſſe: imò potentias univerſim ab anima fortè non diſtinxiſſe; aut certè minimùm de ea re curaſſe, verſimillimum eſt, ut Lib. I. Cap. VI. Art. III. dictum fuit.

Itaque facillimè & probabiliſſimè defendi poteſt, unicum eſſe *ſenſum interiorem, ad quem ab iſtis quinque notiſſimis ſenſibus cuncta referuntur*, ut S. Auguſtinus ait. *Hic autem nec viſus, nec auditus*, inquit, *nec olfactus, nec tactus dici poteſt, ſed neſcio quid aliud, quod omnibus communiter præſidet. Quod cum ratione comprehendamus, hoc ipſum tamen rationem vocare non poſſum; quoniam & beſtijs ineſſe manifeſtum eſt*. Et vocat *ſenſum interiorem apud animam*. Item, *ſenſum intus in ipſa anima*. Deinde, *ſenſum interiorem præcellentem ſenſibus corporis*. Ac ſæpiſſimè, & ſemper ſingulari numero, *ſenſum* appellat: ut planè appareat, non plures, ſed ſingularem unicumque exiſtimare. S. Auguſt. lib. 2. c. 3 libero arb.

Alibi verò ex ſententia Medicorum ſui ævi, tres in cerebro ventriculos diſtinguit. *Vnus eſt anterior ad faciem, à quo ſenſus omnis* (per virtutem ſcilicet irradiativam, qua cerebrum in ſenſuum externorum operationes influit: *) alter poſterior ad cervicem, à quo motus omnis: tertius inter utrumque, in quo memoriam vigere demonſtrant*. Idem lib. 7. c. 18. Geneſ. ad litter.

Vnde unicum iterùm ſenſum interiorem, in medio cerebri ventriculo conſtituere videtur, quo anima imaginatur, reminiſcitur, & cetera omnia ſenſuum internorum officia obit & exercet. Nam opinio illorum Medicorum erat, priorem ventriculum irradiationi, poſteriorem motui locali animalium deſtinatum eſſe.

Et reverâ, quid opus eſt ſenſum communem à phantaſia diſtinguere, quandoquidem eadem animæ facultas poſſit cum ſenſibus externis objecta præſentia apprehendere, & etiam circa ſimulacra abſentium objectorũ imaginando phantaſiari? Falſitatiſq; jam compertum eſt, quod antiquitas exiſtimavit: unicum

unicum eſſe in anteriori cerebri regione, ſenſui communi peculiariter deputatum ventriculum, à quo, tanquam à centro, nervi ſenſorij ad omnium ſenſuum externorum organa propagentur. Non enim unicus ibi, ſed bini collateraliter diſpoſiti ventriculi ſunt, ut ex diligentiori Anatomiâ conſtat.

Quid deinde opus phantaſiam à memoria dividere; cùm facultas quæ imaginatur, poſſit etiam ſuorum ſimulacrorum theſaurus eſſe? Et nonne intellectus unus idemque & intelligit præſentia, & recordatur præterita, & ſpecies ſuas intelligibiles in ſeipſo aſſervat, tanquam earum arca & theſaurus?

Io. Argent. Comment. 2. in artem Gal. Videat ergo ne fallatur Argenterius, cùm memoriæ ſuæ defectum in conformationem ſui capitis refert, quod protuberatione occipitis, & cavitate ſatis amplâ ad memoriæ ibi reſidentiam carebat. *Nam ego*, inquit, *qui nullam intemperiem in meo cerebro agnoſco, minimum tamen in omni ætate, memoriâ valui; nimirum, quòd careant eminentiâ occipitis*: Quaſi vero memoria in ſolo occipite, & poſtremâ cerebri cella habitaret. Argenterius enim patriâ Pedemontanus fuit. Quotquod autem hîc in Belgio Pedemontanos, aut Sabaudos vidi, complanato tali, & prærupto occipite eſſe animadverti. Non igitur ipſius ſingulariter, ſed totius gentis ſuæ iſta capitis conformatio fuit. Et tamen inter Sabaudos occipite planiſſimo, egregiè memorioſos novi. Ac inter alios D. Georgium Ramum, in Pædagogio Porcenſi hîc Lovanij, Philoſophiæ Profeſſorem Primarium.

Deinde Schenkius ex Theodorico Medico narrat, cuidam fabro, ex vulnere occipitis, totum poſtremæ cellæ occipitis cerebrum à Chirurgo evacuatum fuiſſe; & tamen manſiſſe ei memoriam ſuæ artis, ſicut antè.

Non ergo refert, quòd Anatomici tres numerent (imò recenti & certâ jam experientiâ, quatuor) cerebri ventriculos: quaſi totidem ſint, ut minimùm, ſenſus interiores, ut Medici Arabes contendunt. Nam Galenus falli eos, & alium eſſe ventriculorum illorum uſum docet. Ridetque Veſal. lib. 7. c. 1. Veſalius antiquum ſuum in Pædagogio Caſtri Lovanij

Philoſo-

Philoſophiæ Profeſſorem, qui per ternas cerebri cellas totidem ſenſus internos diſponebat.

Duo enim ventriculi priores, ad ſummam utrimque frontem collocati, primæ ſpirituum animalium fabricationi ſunt deſtinati, ut pro certo & comperto Medici hodie, poſt Galenum affirmant *Certiſsimum enim eſt*, ait Laurentius, *animalem ſpiritum in cerebri ventriculis ſuperioribus primùm generari.* Galen. lib. 8. de uſu part. Andr. Laurent lib. 10. q. 9.

Ventriculus medius primum illud ſpirituum rudimentum polire pergit. Tertius, qui in occipite eſt, perpolit, & ultimam formam tribuit. Aliàs niſi ad officia iſta, per varias quaſi fornaces, ſpiritus perpoliendi eſſent, unicus ventriculus ſufficeret.

Vnde Galenus non per ventriculos numerum ſenſuum internorum diſtribuit; ſed omnes per univerſam cerebri ſubſtantiam extendit. Licet molliorem humidioremque cerebri partem ad imaginandum, duriorem ſicc oremque ad memorandum aptiorem eſſe dicat.

Sed majus profectò naturæ & divini Opificis, in cerebri fabricatione, ingenium miraculumque, quàm Medici & Philoſophi paſſim apprehendant, ineſſe autumo.

Si enim tot oculorum feneſtrationes, & aurium labyrinthos tam ingenioſè, ad figuranda & modulanda ſimulacra quæ foris incidunt, natura architectata eſt; non dubito, quin millecuplo amplius ingenij & ſolertiæ in inſtruendo cerebri organo, quod ſenſuum internorum, & humanæ mentis arx eſt, impenderit.

Perpendo enim in primis verba iſta Veſalij: *Eraſiſtratum elegantiſſimè gyros ac revolutiones cerebri, tenuium inteſtinorum anfractibus aſſimilaſſe. Eſſe enim ſinus permultos penitus in cerebri ſubſtantiam penetrantes, & profectò imagine inteſtinorum tenuium revolutionibus ſimillimos.* Veſal. lib. 7. c. 4.

Cui verò fini facti ſunt ſinus iſti, revolutiones, ac labyrinthi per cerebri ſubſtantiam penetrantes, & diſcurrentes? Natura enim nihil facit fruſtrà. Quis ergo non ſuſpicetur, hæc forſitan eſſe ſenſuum internorum latibula? Quem enim alium uſum habent?

Iſta deinde Expertiſſimi Medici Andr. Laurentij verba penſiculo. *Præparatur*, inquit, *ſpiritus animalis in plexibus, & ſuperioribus duobus ventriculis, excoquitur in tertio, perficitur in poſteriore: tandemq́ in nervos, & in totum cerebri corpus diffunditur.*

Andr. Laurent. lib 8. q. 8.

Denique ex ſententia Medicorum, cui experientia vehementiſſimè favet, ut ſuprà Cap. II. Art. IV. dictum eſt: In cerebro vis quædam irradiativa habitat, & præſidet, quæ per nervorum canales, in organa ſenſuum externorum, operationeſque eorum, tanquam cauſa quædam univerſalis, influit; quomodo fermè ſol, per Influentiæ ſuæ radios, cauſas inferiores (ut animalium, aut plantarum ſemina) ad operationes ſuas excitat.

Propter enim hanc cum Influentiâ ſolis analogiam, Galenus & Medici virtutem *irradiativam* appellant. Sine cujus virtutis adminiculo, nemo hactenus ſatis expedire valuit cauſam, quare per obſtructiones nervorum, intercipiantur & ceſſent ſenſuum externorum functiones.

Diximus quoque virtutem illam probabiliſſimè in ultimo cerebri, ad occiput ventriculo habitare. Eò enim omnium ſenſuum externorum nervi & canales tandem appellunt. Deinde ventriculus ille omnium ſicciſſimus, & ab humorum ſuperfluitatibus purgatiſſimus, quibus ventriculi priores, ut plurimùm, inquinantur. Vnde etiam ſpiritus animales inter iſta priorum officinarum inquinamenta, rudimentum tantùm crudæ cujuſdam concoctionis rapiunt, ultimâ perfectione dilatâ in poſtremum ventriculum, tanquam ſicciorem fornacem, ubi ſpiritus illi in ultimam ſuam temperiem, & fortaſſe in novam formam ſubſtantialem excuduntur. Hoc facto, per virtutem expultricem (qualis etiam eſt in ventriculo, ubi coquuntur cibi) ſpiritus animales inſufflat in nervos, ac in omnes univerſim cerebri revolutiones & labyrinthos; quos Eraſiſtratus tenuium inteſtinorum revolutionibus elegantiſſimè comparat, ut jam à Veſalio audiebamus.

Vis denique irradiativa, ex eodem poſtremo cerebri ſinu radios ſuos, per ſpiritus illos animales, tanquam ſol per liquidam ætheris auram, ad organa ſenſuum tam internorum, quam

quàm externorum trajicit, ac unumquemque in functione ſua adjuvat. Non enim ſolos ſenſus externos, ſed etiam internos, & ſibi viciniores, à virtute illa irradiativa irradiari & afflari exiſtimamus. Sicut ſol non tantùm terræ ſemina, tam longè à ſe remota, ſed etiam Planetarum, inter quos verſatur, Influentias modulatur & temperat.

Quæ ſententia vera eſſe poteſt, ſive unicus ſpecie ſenſus internus, per varios cerebri ſinus & revolutiones ſparſus ſit; ſive plures diverſæ ſpeciei ſenſus interiores, in diſtinctis cerebri cellis, aut revolutionum ſinibus collocare placet.

Si enim ſenſus communis, phantaſia, cogitativa, memoria, aut quocumque alio nomine cenſeantur, diſtinctis cerebri cellis & habitaculis ſeparatæ ſint; aut certè unicus ſit ſpecie infimâ ſenſus, qui plurifariàm habitans, omnes illas ſenſuum internorum functiones (licet unam in unâ cerebri parte, alteram in alterâ perfectiùs, propter diverſam & heterogeneam cerebri temperiem) obeat; poteſt tamen eadem vis irradiativa in omnes illos cerebri ſinus (niſi viæ & canales obſtructi ſint) radios ſuos ſpargere, & in varias operationes, pro varietate ſenſuum, vel temperamenti hujus, aut illius regionis cerebri, influere: ſimili modo, quo virtus illa eadem radio ſuo in diverſiſſimas ſenſuum externorum functiones illabitur.

Alio denique argumento probari poteſt, vim iſtam irradiativam in occipite, & cellà poſtremà, quæ in confinio cerebri, & ſpinæ dorſi poſita eſt, reſidere. Vt ſcilicet commodiùs valeat, tam in cerebrum nervoſque ex eo progerminantes, quàm unà in cavitatem medullæ ſpinæ dorſi, & in nervos ejus, ſenſum tactûs in totam regionem inferiorem corporis deferentes, radios jaculari. Vnde & vim irradiativam motûs progreſſivi in eadem cella Medici collocare ſolent; quia inde commodiſſimè in canalem medullæ ſpinæ dorſi, Influentiam ſuam trajicere poteſt. Imò, fortaſſe eadem eſt animæ facultas, quæ & in ſenſus, & in motum progreſſivum influit & irradiat.

Hoc quoque noviſſimè addo: Nomen *ſenſûs communis*, in iſtam

iſtam virtutem irradiativam ſatis bellè poſſe competere: cùm influxus ejus ſit cauſa communis ac univerſalis, in omnium ſenſuum externorum operationes illabens. Etſi propriè ſenſus non ſit; quia operatio ejus non eſt immanens, ſed tranſiens in materiam externam; qualis eſt irradiatio, qua ſol Mundum cæleſtem, & elementarem illuminat.

ARTICVLVS III.

An ſenſus interni ſpeciebus ad cognoſcendum indigeant.

PEr eaſdem nervorum vias, quibus vis cerebri irradiativa in organa ſenſuum externorum defluit, ſpecies quaſdam à ſenſibus externis redire ad cerebrum, Medicina, & Philoſophia Peripatetica ſuadent, & experientia perſuadet.

Niſi enim imagines quædam ſenſibilium externorum in cerebrum ſubirent, in abſentia eorum, nec homines nec beſtiæ ſe vidiſſe, ſe audiſſe &c. recordarentur. Per imagines quippe in ventre memoriæ aſſervatas fit eorum recordatio.

Sed, ſuntne ipſæmet ſpecies ſenſuum externorum, quæ ab objectis externis, continuatâ actione uſque in cerebrum radiantur?

Non exiſtimo. Nam ab organo visûs, ubi formatur viſio, in toto nervi optici tractu uſque ad cerebrum, ſunt tenebræ ſpiſſiores, quàm ut ſpecies coloris (præſertim ſi debilis eſt) perrumpere valeat uſque in cerebrum; & maximè in extremum ejus ventriculum. Deinde ſpecies audibilis, quæ per aërem ad auditum trajicitur, non momento, ſed temporis morâ progreditur; ſpecies verò altera ab organo auditûs in cerebrum momentaneo jactu trajicitur. Simile quoque in alijs ſenſibus accidit. Tam citò enim imaginatio dolorem tactûs in extremo pedis articulo percipit, quàm in gutture, aut aliâ parte viciniſſimâ cerebro. Calor quoque, ut antè docuimus, non per aliquam ſpeciem tangibilem, à calore ipſo diſtinctam, tactu cognoſcitur: & tamen ab organo tactûs ad

cerebrum

cerebrum, ſpecies alia, quæ non eſt color, & quidem in inſtanti trajicitur.

Species igitur ſensûs externi, alterius rationis eſſe videntur à ſpeciebus phantaſiæ. Verùm, ſi ab objecto ſensûs externi non trajiciuntur ſpecies uſque in cerebrum, à quonam alio objecto proximè radiantur? An ſenſus fortè aliquis agens eſt, qui eas fabricet pro ſenſibus internis; quemadmodum intellectus agens fabricat ſpecies intelligibiles pro intellectu paſſibili?

Reſp. Senſum talem agentem non agnoſcit Philoſophia Peripatetica: nec tanta ejus neceſſitas, quanta intellectûs agentis eſt. Nam phantaſma corporeum in intellectum ſpiritualem radiare ſpeciem intelligibilem non poteſt (ideoque intellectu agente eſt opus;) ſicut imago corporea ſensûs externi aliam imaginē corpoream producere & trajicere in cerebrum valet.

Igitur reſtat (& propagines viæque nervorum, ab organis ſenſuum externorum ad cerebrum, hoc ſuadent:) ut ſenſuum internorum ſpecies impreſſæ, à ſpeciebus ſenſuum externorum expreſſis, in organa ſenſuum internorū radientur.

Sic ergo ſe res iſta caliginoſiſſima habere videtur.

Potentia viſiva oculi exprimit in ſe imaginem intentionalem, ſive conceptum viſivum coloris ante ſe poſiti. Iſta imago aliam ſui imaginem in cerebrum jaculatur, ut ex intuitu ejus, ſenſus interior tam imaginem illam oculi, quàm objectum foris poſitum valeat cognoſcere. Vnde imago cerebri eſt quædam quaſi Copia, ut Pictores loquuntur, imaginis Originalis, quæ eſt in oculo. Non tamen quaſi phantaſia viſionem abſtractim, ſed colorem ut viſum cognoſcat.

Sed cui ſubjecto imagines illæ imprimuntur? Cerebróne, an ſpiritibus, qui in cerebri ventriculis continentur?

Reſp. Vtriſque. Nam per ſpiritus animales, quibus nervi ſenſorij imbuti ſunt, imagines illæ, quaſi per pontem, trajiciuntur; qui eas imagines deinde per omnes cerebri ſinus & revolutiones (ubi ſenſuum internorum latibulum & ſedes eſt) evehant ac diſpenſent. Poſtremus enim ille occipitis ſinus videtur eſſe promptuarium, ex quo imagines illæ, ſicut & ſpiritus

earum vectores, promuntur & diſpenſantur.

Deinde ſubſtantiæ etiam cerebri ſimiles imagines ab imaginibus ſpirituum quodammodo affricantur; id eſt, una imago parit aliam ſimilem. Niſi enim hoc fiat, omnium illicò, diffugientibus ſuâ levitate & mobilitate ſpiritibus, obliviſceremur. Hærent ergo etiam in ſubſtantia cerebri quædam imagines, quæ multos annos, & quandoque totâ hominis vitâ edurant.

Hinc cerebro molliori facilius, duriori contumaciùs imprimi ſpecies Medici, & experientia probant. Diffluente autem ſubſtantiâ, aut mutatâ temperie cerebri, ſpecies amittuntur, aut oblitterantur; & hinc oblivio. Remedium autem ad imagines fugitivas, & evaneſcentes revocandas, eſſe ſolet; ejuſdem rei frequenter meminiſſe. Reminiſcentia enim novos quaſi colores ſuperinducendo, eas reparat. Aut potiùs novellas imagines, prioribus gemellas ac omnino ſimiles regenerat. Vnde multorum, quæ in pueritia noſtra acciderunt, meminimus, quia frequenti reminiſcentiâ eadem recoluimus; multorum etiam memoria fugit, quia oblitterata quaſi reſcribere, occaſio non fuit.

Aliquando etiam imagines ſpiritibus impreſſæ cerebro inſcribi non poſſunt; aut tam tenuiter, ut veſtigia ad reminiſcentiam non ſufficiant. Vt cùm ebrij, quibus cerebrum vaporibus natat non recordantur manè, quod pridie perpetrarunt in ebrietate. Nebula enim illa vaporum vini, aut cereviſiæ non ſinit imagines rerum præſentium ſatis expreſsè & graphicè ſpiritibus animalibus (qui ſunt proprij earum vectores) imprimi, nec deinde cerebro ſatis altè infigi. Hinc *madida memoria* vocatur, quæ imagines, ob cerebri madorem, non retinet, ſed diffluere ſtatim ſinit. *Tanquam enim in aquam fluentem incidit tunc*, ait eleganter Ariſtoteles, *ſigilli impreſſio.* Addit quoque, *nec valde juvenes, nec valde ſenes memoriâ valere. Fluunt enim illi propter augmentum, hi verò propter decrementum.* Variatio enim & inconſtantia cerebri creſcere, aut decreſcere feſtinantis, turbat & abolet impreſſas imagines. *Similiter*, inquit, *& multùm ingenio veloces, & multùm tardi, neutri videntur memores. Illi enim humidiores ſunt, quàm con-*

Cæcil.

Ariſt lib. de memor. c. 1.

convenit. hi vero duriores. Illis igitur non manet phantaſma in anima, hos vero non tangit. nec imprimi facile poteſt.

Quandoque etiam (ſed eventu raro) tanta eſt cerebri, & ſpirituum animalium alteratio, ut veteres imagines ſubitò deleantur, & præteritarum rerum univerſim, aut partim inducatur oblivio. Quidam *ictus lapide oblitus eſt litteras tantùm*, narrante Plinio. *Ex prœalto tecto lapſus, matris & affinium propinquorumq́, cepit oblivionem. Alius ægrotus, ſervorum etiam; ſui nominis, Meſſala Corvinus Orator.* Plin. lib. 7. c. 24.

In peſte illa ſeviſſima, quæ tempore Thucydidis, quâque ipſe correptus, invaſit Græciam, multi, ubi revaluerant, deletis omnibus cerebri imaginibus, nihil ampliùs præteritorum meminiſſe poterant. Peſtis verò illa *primas in capite ſedes collocarat, cum perpetuis vigiliis & inſomnia*, ut idem Auctore ait. Thucyd. lib. 2. Hiſtor. Albertus Magnus, Philoſophia naturalium tam inſtructus, triennio ante mortem, totius iſtius diſciplinæ dicitur memoriam amiſiſſe. Quod tamen divino, ac Deiparæ Virginis miraculo quidam adſcribunt; cujus interceſſione divinitùs eam ſecretorum naturæ ſcientiam putatus eſt accepiſſe.

Ioannem Suiſſerum, cognomento Calculatorem, quem *ab imaginatione* maxime valuiſſe Cardanus, *ingenii humani modum penè exceſſiſſe* Scaliger ſcribit; ſenem ſuorum Mathematum ita cepit oblivio, ut *inventa ſua legens, nec intelligens, fleverit*. Cardan. lib 16. Subtil.

Poteſt & alio modo, quàm per ſpecierum abolitionem, naſci oblivio: Si ſpecies incolumes quidem maneant, ſed humore aliquo vias ſepiente, è latebris ſuis ad potentiam evocari non poſſint; aut ſi potentia in illis latebris reſideat, vis irradiativa nequeat fortaſſe, propter meatûs obſtructionem, ad ſedem illam penetrare; quemadmodum irradiatio in ſenſus externos ceſſat, quando nervorum ſenſitivorum canales ſunt oppleti.

Hoc quoque indictum abire non debet. Quòd non tantùm rerum imagines quas externo ſenſu hauſimus, ſed multorum aliorum phantaſmatum ſimulacra in illo memoriæ theſauro recondita ſint, quæ imaginatio ex rerum ſenſibilium primis imaginibus excudit.

S. Auguſt. lib. 10. c. 8. Confeſſ.

Venio in campos, & lata Prætoria memoriæ meæ, ait Auguſtinus, per iſtas etiam vias Deum ſuum quæritans; *ubi ſunt theſauri innumerabilium imaginum de rebus ſenſis invectarum. Ibi reconditum eſt quidquid etiam cogitamus vel augendo, vel minuendo, vel utcumque variando ea qua ſenſus attigerit; & ſi quid aliud commendatum & repoſitum eſt, quod non abſorbuit & ſepelivit oblivio.*

Ratiocinationum quoque innumerabilium, longâ ſerie imaginum, connexæ catenæ ibi ſunt, quas cogitativa hominis die noctéque tot annos contexuit.

Denique & maxima imaginum turba, quæ nec per ſenſuum externorum feneſtras intraverunt, nec ex ijs fabricatæ, ſic intraverunt, ſed ab Auctore naturæ in prima generatione ſunt infuſæ.

S. Th. q. 22. a. 7 de Verit.

Tales enim in brutis ſaltem agnoſcit S. Thomas: *Alijs enim animalibus*, inquit, *ſunt inditæ, ſecundum naturalem æſtimationem, quædam ſubſtantiales conceptiones, eis neceſſariæ; ſicut ovi, quod lupus ſit ei inimicus, & hujuſmodi.*

Scalig. Exerc. 138.

Hæ autem conceptiones, ſine ſpeciebus & ideis non formantur. Vnde Scaliger: *Habent bruta in ſe ſecum ſpecies concreatas, quarum ideâ motus, ſupervolantem milvum fugiet pullus, non fugiet corvum.*

Ac ſanè ſine ſpecie & ideâ aliquâ naturali filorum, & texturæ, quomodo araneus telam texeret, quam nunquam didicit, nec vidit?

ARTICVLVS IV.

Quomodo ſenſuum internorum operationes per ſpecies exerceantur.

HÆc res admirabiliſſima, & obſcuriſſima eſt, ſi quid ſit in tota rerum natura. Vnde nullus, quem ſciam, in hunc puteum Democriti ad fundum deſcendere, ne quidem conatus eſt: ſed Ariſtoteles, Themiſtius, Pachymerius, ceteriquе circa oram & ſuperficiem hærent, quam pinguibus quibuſdam ſimilitudinibus incruſtare, ſatis habent.

Atque in primis diſplicet nobis plurimorum recentiorum philoſo-

philoſophia, qui ſenſuum internorum operationes, ut phantaſiationem, memorationem, & reminiſcentiam, circa imagines recenter, aut olim ſpiritibus, vel cerebro impreſſas verſari negant; ſed proximè circa objecta quæ foris ſunt. Vt cùm quis meminit ſe vidiſſe leporem currentem, memoria, inquiunt, non intuetur & attingit imaginem leporis in cerebro aſſervatam, ſed ſolùm leporem ipſum, qui curſu trajiciebat campum. Imago enim aiunt, nullo modo eſt objectum actûs memorandi, ſed cum potentiâ memorativâ, ut cauſa partialis incognita, ad externi objecti tantùm cognitionem concurrit.

Quod tamen Ariſtoteli, Themiſtio, & omnibus veteribus Interpretibus, S. Auguſtino, & S. Thomæ repugnat. Ariſt. lib. de Memor. c. 1.

Ariſtoteles enim apertè docet, imaginem phantaſticam, quemadmodum imaginem in tabula pictam, duplici modo poſſe conſiderari: ut eſt pictura tabulæ, cujus colores & artificium contemplamur; & ut eſt εἰκὼν καὶ μνημόνευμα ἄλλου *imago & memoriale alterius*. Atque ita per talem imaginem, ſub ratione imaginis conſideratam, tanquam per objectum proximum, & præſens, ſenſus internus, uſque ad illius imaginis prototypum, actu memorandi ſe extendit. Vel ut Hermolai Barbari, Interpretis Themiſtij, verbis utar: *Cùm ſenſus internus non ipſum ſimulacrum in ſe conſiderat, ſed ut ſimulacrum alterius eſt, tunc repræſentatio dicitur, ad memoriam pertinens, & actus talis memoria nominatur.* Themiſt. lib. 1. c. 12. de Memor.

Deinde apud S. Auguſtinum ſæpiſſimè, ſimulacra & imagines illæ raptæ à ſenſibus externis, dicuntur à ſenſibus internis poſtea cognoſci & cogitari. *Cùm jam,* ait, *non ex corpore* (quod foris objectum ſensus externi fuit) *ſenſus corporis, ſed ex memoria formatur acies animi, cùm in ipſa memoria ſpecies inhæſerit corporis, quod forinſecus ſenſimus; illam ſpeciem, quæ in memoria eſt, quaſi parentem dicimus ejus quæ fit in phantaſia cogitantis. Erat enim in memoria priuſquam cogitaretur à nobis, ſicut erat corpus in loco, etiam priuſquam ſentiretur, ut viſio fieret. Sed cùm cogitatur, ex illa quam memoria tenet, exprimitur in acie cogitantis, & reminiſcendo formatur ea ſpecies* (expreſſa, ut hodie vocatur) S. Auguſt. lib. 11. c. 3. de Trin.

 quæ

quæ quaſi proles eſt ejus quam memoria tenet.

Videíne igitur, quomodo phantaſma expreſſum, ut jam loquimur, habeat ſe ad phantaſma impreſſum, quod in memoria latet, ſicut corpus externum ad viſionem, qua oculo ipſum videmus, ſitque proles ejus, ſicut viſio eſt proles corporis, quod ante nos intuemur?

Lib. 11. c. 18. Confeſſ. Et alibi: *Pueritia mea, quæ jam non eſt, in tempore præterito eſt quod jam non eſt: imaginem vero eius, cùm eam recolo & narro, in præſenti tempore intueor, quia eſt adhuc in memoria mea.*

Deinde, quàm ſæpe dicit, ſomniantes ſpeculari phantaſmata, quæ intus ſunt, non immediatè res ipſas, quæ geſtæ aut viſæ ſunt aliquando foris?

Lib. 4. c. 17. de origin. animæ. *Multa*, inquit alicubi, *videmus in ſomnijs, cælum, terram, mare, ſolem, lunam, ſtellas, fluvios, montes, animalia. Hæc qui corpora eſſe credit, incredibiliter deſipit: Sunt tamen corporibus omnino ſimillima.* Ac deinde: *Hujuſmodi ſpecies velut corporum, non tamen corpora, & vigilantium cogitatione formantur, & profunditate memoriæ continentur, & ex ejus abditiſſimis ſinibus, neſcio quo admirabili & ineffabili modo, cùm recordamur, prodeunt, & quaſi ante oculos prolata verſantur.*

In novellâ tamen Philoſophiâ, non ſunt ſpecies corporum, ſed vera corpora, licet abſentia, quæ in ſomnijs videntur. Nam qui de ſole, aut luna ſomniat, non intuetur ſimulacra ſolis aut lunæ, inquiunt, in cerebri ergaſtulo concluſa, ſed imaginatio foràs in ſolem & lunam, quos ſomnians aliquando in cælo vidit, immediatè tendit.

Vnde non ſe, ſed S. Auguſtinum potiùs deſipere, dicere debent, qui proximum illius ſomniculoſæ imaginationis objectum, ſolis & lunæ corpora eſſe affirmant. Negant enim ſpeciem phantaſticam, perinde ac ſpeciem ſenſibilem externi ſensûs, eſſe medium cognitum, ſed ſolùm incognitum, ducens immediatè phantaſiam in cognitionem objecti alterius. S. Thomas quoque, Ariſtotelis, in re naturæ, fideliſſimus diſcipulus, intellectum intueri, & ſpeculari phantaſmata, ſæpe dicit. Et ubi modum, quo dæmones ſenſibus internis illudunt, explicat, ſemper id fieri cenſet per motum localem ſpirituum,

ſpirituum, quo impreſſa ipſis phantaſmata, ante oculos quodammodo potentiæ imaginativæ adducant. *Aliud quippe*, ait, *præexiſtit in corpore, quod per quandam tranſmutationem localem ſpirituum & humorum, reducitur ad principia ſenſualium organorum, ut ſic videatur ab anima imaginariâ vel ſenſuali viſione.* S Th. q. 16. a. 11. de Malo & 1. p. q. 111 a. 3.

Idem denique experimentis ſomniorum probari poteſt. Nam quibus cerebrum pituitâ madet, torrentes, & aquarum diluvia ſomniare ſolent; quos bilis infeſtat, tenebras, & ſubterranea loca perambulare ſibi videntur. Scio, qui cùm in cœna particulam caſei flavi ſumpſiſſet, & hauſtulo vini Hiſpanici irroraſſet, ſecutâ nocte, ſomnio aviculæ flavi coloris huc illuc volitantis, occupatus fuerit. Flavedo caſei in aviculæ tincturam tranſierat; volitatio, ſpiritus vini erat: qui non ſatis confertus & mobilis erat, ut plenum volatum, ſed volitationem tantùm quandam aviculæ repræſentaret. Talia autem ſomnia ſatis indicant, phantaſmata quæ in ſpiritibus cerebri volant, aut pituitæ vel alijs cerebri ſordibus implicata ſunt, reverà à ſomniantibus aſpici. Vnde etiam laurus, & plantæ odoriferæ, aromata, tabaci ſuffitus, & ſpiritoſa omnia, vaga & inquieta ſomnia excitare ſolent; quia ſpiritus cerebri phantaſmatum vectores movent & ante oculos imaginationis traducunt.

Senibus autem ſæpius quàm juvenibus accidit, ut ſomnient de rebus concoloribus cibo aut potui, quos veſperi ſumpſerunt: quia ventriculus ſenilis, & cerebrum debile non ſatis valent ſpiritus nocturnos concoquere coloremq; mutare, qui è ventriculo in caput noctu exhalant. Hinc qui ante ſomnum, ſyrupum è viridibus plantis ſumunt ſæpe hortos & virentes campos ſomniant; quia phantaſmata, ſimili vaporum colore implicita, imaginatione conſpiciunt.

Nec tantùm ſenſus internos circa imagines in cerebrum hauſtas, ſed etiam ſenſus externos, circa ſpecies ab objectis externis impreſſas, proximè verſari (etſi paucos hodie mihi aſſenſuros prædixerim) ſuprà Cap. III. Art. XI. docuimus. Sed quomodo ſpecies hominis mihi noti, per oculos hauſta, & ſubſtantiæ cerebri impreſſa, aut in ſpiritibus natans, poteſt

poteſt hominis effigiem, cum capite, ventre, pedibus, repræſentare; cùm in nervorum opticorum tranſitu figura ſpeciei confundatur, nec imago diſtinctionem illam partium retineat, quâ in oculi pupillâ, vel tunicâ retinâ, ab objecto externo depicta fuit?

Quod hîc reſpondere poſſum, tantùm hoc eſt. Quia ſpecies phantaſtica, non ab objecto externo, ſed ab ipſa viſione formatá in oculo, trajicitur per nervos opticos in cerebrum: unde intentionalem tantùm, non formalem ſimilitudinem cum objecto externo habere debet, ut ejus colorem & figuram ſenſui interno repræſentet. Non enim tantùm objecti externi, ſed ſimul ipſiuſmet conceptûs viſivi (ex quo proximè fluxit) eſt imago. Sicuti enim conceptus phantaſticus veſtigium & ſimulacrum ſui, quo ejus poſtea recordari poſſimus, cerebro inſculpit; ita & ſensûs externi conceptus imaginem ſui, per nervorum ſenſoriorum canales, ad cerebrum tranſmittit: quæ imago imaginis eſt, & velut Copia ex priori Originali expreſſa.

Et hinc potentia imaginativa ex talis imaginis intuitu, non tantùm objectum extremum, quod oculus vidit, ſed etiam ipſam viſionem poteſt præſentem cognoſcere, aut ejus, ut præteritæ meminiſſe. Propter enim ocularis viſionis imaginem, quam anima in ſuo cerebro invenit, naturali inſtinctu cognoſcit viſionem illius rei tempore aliquo præterito ſe habuiſſe, à qua viſione imago illa in cerebrum fluxit. *Aſinus enim qui ſuperiore anno in foveam ceciderit*, ait Themiſtius, *ſi hodie locum videat, recognoſcet & meminerit ſe in ſcrobem collapſum fuiſſe.*

Themiſt. lib. 1. c. 5. de Memor.

Itaque ſicuti nobis ineffabile eſt, quá ratione bruta tempus præteritum, ex illa ſpecie phantaſtica, confusè ſaltem cognoſcant; ſic ignorantia noſtra modum non penetrat, quo aſinus vel etiam homo, ex tali ſpecie, in qua nec caput, nec pes eſt, hominem omnibus partibus ſuis abſolutum imaginatione depingere poſſit. In pleriſque enim talibus ad pontem iſtum aſinorum, & ignorantiæ aſylum recurrere oportet: Talis eſt natura rei: Eſſentiæ non datur ratio &c. Et perpetuò h[illegible]bere in ore debemus, quod tam ſæpe ingenioſus & humilis Auguſtinus: *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.*

Eccli. 3.

ARTI-

ARTICVLVS V.

Quomodo tanta imaginum turba cerebro tam anguſto contineri & ſpiritibus vectoribus, tantâ velocitate currere, & recurrere, ſine confuſione poſſint.

HOc maximum naturæ miraculum, & altiſſimum divinæ ſapientiæ profundum eſt. *Multa mihi ſuper hoc oboritur admiratio*, ait S. Auguſtinus, *ſtupor apprehendit me. Et eunt homines admirari alta montium, & ingentes fluctus maris, & latiſſimos lapſus fluminum, & Oceani ambitum, & gyros ſiderum. & relinquunt ſeipſos; nec mirantur.* S. Auguſt. lib. 10. c. 8. Confeſſ.

Quomodo enim tot & maximarum, & innumerabilium rerum imagines cerebro tam parvo inſcribi, ſine mutuâ oblitteratione, & confuſione poſſunt? An ſicuti fortaſſe in exiguâ oculi pupillâ, aut tunicæ retinæ plagulâ, integrum ferè cæli hemiſphærium, partibus tamen omnibus extra mutuum ſitum expanſis, depingi poteſt? Vix crediderim. Non enim in cerebro video organa neceſſaria ad refringendas, aut ſic modulandas phantaſticas ſpecies, ut ſingularum rerum imagunculæ, in diſtinctis cerebri particulis valeant depingi; quemadmodum in oculi fabricâ fieri poſſe conſpicimus. Ibi enim tunicæ & humores, per quos ſpecies viſibiles tranſeunt, verſus perpendicularem ita refringunt & modulantur ſpeciem v.g. cæli ſtellati, quod nocte ſerenâ & ſidereâ ſuſpicimus; ut ſingularum ſtellarum imagunculæ, diſtinctis tunicæ retinæ particulis punctatim valeant inſcribi.

Quale quomodo in cerebri imaginibus fieri poſſit, non intelligo.

Igitur infinita illa propemodùm imaginum cerebri turba, eandem cerebri partem occupant, eodemque ſpiritûs unius animalis vehiculo diſcurrunt: ſicut ſpecies intelligibiles Angelicæ, aut humanæ non in diſtinctis potentiæ intellectivæ (quas non habet) partibus, ſed eidem indiviſibili ſubjecto, ſine confuſione tamen, impreſſæ ſunt. Et licet in eodem

veluti punctuali ſitu intricatæ ſint, vocatæ tamen & citatæ, ordine ſuo, ſine confuſione (etſi quis longiſſimam Ciceronis Orationem ex memoriâ intellectivâ recitet) ex anguſtijs illis ſuis prodeunt.

Iuxta ſimilem igitur ferè modum, eidem parti diviſibili cerebri (aut fortè integræ totique medullæ cerebri, ut Galenus exiſtimare videtur) omnium rerum, quas memoriâ gerimus, imagines impreſſas eſſe exiſtimo. Deinde quaſdam earundem rerum imagines mobili ſpirituum animalium vehiculo infixas, ac per meatus, anfractus, gyroſque canalium cerebri, cum ſpiritu ſuo vectore, currere huc illuc, & recurrere.

Sed quâ causâ ſpiritus illos impellente, aut revocante? Fateor in naturæ arcanis hoc profundè abditum eſſe.

Imaginor tamen, hâc aut ſimili œconomiâ, rem iſtam adminiſtrari.

Vbi per quinque ſenſuum exteriorum canales, imagines rerum externarum poſtremam officinam cerebri, ubi ſpiritus animales ſicciſſimi, & in ultimam ſuam formam ſunt excocti, pervenerunt; imagines iſtæ tingunt pinguntque ſpiritus ibi repertos, actione quâ ſpecies una ſenſibilis alteram ſibi ſimilem propagat. Deinde ſpiritus iſti ſic picti & imaginoſi, partim per potentiam expultricem illius poſtremi ventriculi cerebri, in meatus Eraſiſtratæos, ſeu inteſtiniformes, qui ſubſtantiam cerebri penetrant, expuuntur; partim per potentiam tractricē, à meatibus illis ſpiritus animales, ex poſtremâ cerebri fornace attrahuntur: & hoc ad phantaſiæ, & appetitûs ſenſitivi imperium. Nimis enim pertinaces, & contra experientiam pugnaces illi Medici mihi videntur, qui negant ullum in animali motum voluntarium eſſe, niſi qui per muſculos aut nervos adminiſtretur. Certè enim, quando aliquid reminiſci volumus, experiri videmur, nos ſpiritus illos imaginū vectores ad certam aliquam cerebri regionem, ante quaſi oculos imaginationis revocare, & tandem imaginem quam volebamus, agnoſcere. *Ibi quando ſum* (per intentionem, qua aliquid reminiſci volo) *poſco ut proferatur*, ait S. Auguſtinus, de re iſta memo-

memoriæ philoſophans, *quidquid volo. Et quædam ſtatim prodeunt, quædam requiruntur. Quædam catervatim ſe proruunt; & dum aliud petitur & quæritur, proſiliunt in medium, quaſi dicentia: Ne fortè nos ſumus. Et abigo ea manu cordis à facie recordationis meæ, donec enubiletur illud quod volo, atque in conſpectum prodeat ex abditis. Alia faciliter atque imperturbatâ ſerie, ſicut poſcuntur, ſuggeruntur, & cedunt præcedentia conſequentibus, & cedendo conduntur, iterùm cùm voluero, proceſſura. Quod totum fit, cùm aliquid narro memoriter.* S. Auguſt. ibidem.

Cùm verò iidem ſpiritus tot imaginibus diverſiſſimarum rerum ſint onuſti, voluntas reminiſcentis ad illam potiùs, quàm ad aliam imaginem recognoſcendam, phantaſiam determinat; & una deinde imago alteram poſt ſe trahit, velut habitu quodam, aut catenatione (mirabile dictu, mirabile cogitatu) prout imago una quaſi juxta aliam collocata fuerit. Quod in memoria locali, eſt manifeſtius.

Quandoque tamen catena iſta rumpitur, & ab iſto catenæ annulo ad alterum diſtantem tranſilimus. Quod in Horarum Canonicarum recitatione, ubi diſtractiones mentis incidunt, ſæpe uſu venit. A verſu enim unius Pſalmi, qui certâ voce finitur, ſaltamus ex improviſo quandoque ad alterius Pſalmi verſum, quem ſimilis vox immediatè præcedit.

Quæret etiam aliquis. Quare adeò facilè obliviſcimur tam recentis lectionis alicujus Pſalmi è Horis Canonicis? In qua re magna crux poſita eſt hominibus ſcrupuloſis; qui identidem idem repetere ſolent, quia an recitaverint, memoria nulla manſit.

Reſp. Quia ab aſſuetis, ut dici ſolet, non fit paſſio. Species enim lectionis ita leviter, & vix ſpiritibus animalibus, vel cerebro imprimuntur, ut nullum veſtigium ad recordationem idoneum remaneat. Deinde, mente aliis cogitationibus diſtractâ, etſi ad voces & recitationem ſint utcumque attenti, nullam omnino temporis præſentis, ne quidem confuſam, cogitationem habent: unde nec illicò poſtea recitationem illam valent, cum reſpectu ad tempus jam jam præteritum, apprehendere. Ipſa etiam ſollicitudo ne diſtrahantur, avertit

imaginationem & animum ad cogitandam ipſam diſtractionem, facitque eos magis diſtrahi, & recitationis ſuæ obliviſci. Quare prudentes Confeſſarij vetant tales, ſi ſe legiſſe dubitant, unquam repetere.

Igitur, ut brevem iterùm horologij iſtius interioris, & motuum ejus imaginem ob oculos ponam.

Quatuor cerebri ventriculi bini priores, unus medius, & poſtremus in occipite, non ſunt ſenſuum internorum ſedes, ſed officinæ tantùm & fornaces ad ſpirituum animalium cocturam & perfectionem.

Senſuum verò ſedem eſſe exiſtimo in parte aliqua determinata anguſtiſſimorum meatuum & cuniculorum, qui per revolutiones cerebri ducuntur, & inſculpuntur, quas Eraſiſtratus elegantiſſimè, ut ait Veſalius, tenuium inteſtinorum revolutionibus comparat: unde meatus illos *inteſtiniformes* vocare poſſumus. Per hos multiplices gyros gyrat & diſcurrit ſpiritus animalis, imaginum bajulus.

Veſal. lib. 7 c. 4.

Quando verò imago ſatis perfectè impreſſa eſt organo, ubi facultas reſidet, ſtatim facultas poteſt recordari.

Si verò organum imagine caret, vel veſtigium tantùm tenue, nec recordationi ſufficiens habeat; anima, per potentiam attractricem, quæ in eodem organo, ad famulandum dominæ phantaſiæ adſidet, ex omnibus circumquaque cerebri gyris & revolutionibus ſpiritus advocat, & ante phantaſiæ, ſive memoriæ, oculos tranſire quaſi jubet, ut memoria imaginem, quam quærit, deprehendat. Sic enim paulò ſuprà S. Auguſtinus indicabat. *Ampli verò memoriæ campi, lata pratoria, aula ingens, penetrale amplum & infinitum, grandis receſſus, ineffabiles ſinus, theſauri diſtincti colorum, ſonorum, odorum, ſaporum, & tangibilium qualitatum*: quaſi imagines objectorum uniuſcujuſque ſenſûs externi, peculiare ſuum loculamentum ac theſaurum in cerebro haberent; nomina tantùm metaphorica ſunt, ad ſignificandam imaginum multitudinem, & varietatem inconfuſam.

S. Aug. lib. 10. c. 8. Confeſſ.

ARTICVLVS VI.

Quomodo inſomnia fiant.

SOmnum definit Ariſtoteles, vinculum ſensûs communis. Somnus enim formaliter eſt ceſſatio operationum ſenſuum externorum, inducta per obſtructionem nervorum ſenſoriorum, qui à ſenſu communi, ſive potiùs (ſecundum philoſophiam Medicorum) à ſede virtutis irradiativæ, ad ſenſuum externorum organa propagantur. Illis enim nervis, per vaporem aliquem roridum, è cerebro deorſum molliter relabentem, abſtructis, ſpiritus animales viam ad organa ſenſuum externorum invenire non poſſunt. Nec vis etiam irradiativa, quæ operationes ſenſuum adjuvat, radios ſuos illàc trajicere valet.

Ros iſte obſtruens vigiliæ portas, eſt illa aqua Lethes, quâ ſingulis noctibus deus Somnus, apud fabulatores Poëtas, implet ſuum cornu, irrigat animantia, & in ſoporem placidum, aut implacidum quandoque, ac gravibus inſomnijs ſollicitum, ſternit.

Cùm conſanguinei mixtus caligine lethi, Stat.
Rore madens Stygio, morituram amplectitur urbem
Somnus, & implacido fundit gravia otia cornu.

Interea enim ſæpiſſime non feriantur ſenſus interni, ſed circa imagines arcâ memoriæ incluſas negotiantur: quæ negotia, ſomnia vel inſomnia appellantur. Quæ quomodo fiant, non erit fortaſſe difficile, utcumque ex doctrina ſuperiori explicare.

Nam ſpiritus animales, variarum rerum imaginibus picti, levitate ac mobilitate ſuâ per cerebri gyros & anfractus, tempore ſomni vagantes, & ſinum illum cerebri, ubi phantaſia reſidet, præterlabentes, oſtendunt ei imagines ſuas, & ad earum aſpectum & conſiderationem movent. Hinc fabæ, inquit Plinius, & omnia ventoſa legumina, ac univerſim cibi Plin. lib. 18. c. 12. potuſque ſpiritoſi in cœna aſſumpti, inſomnia facere ſolent.

 Exhala-

Exhalationes enim è ventriculo in cerebrum evolantes, agitant ſpiritus imaginum vectores, & imagines ad locum ſensûs interni, ordine compoſito, vel perturbato adducunt, ut Lib. de Inſomnijs c. 17. Themiſtius docet. Hinc quoque temporibus ventoſis, & quâcumque causâ ſpiritus animales agitante, plura fiunt inſomnia. Memini hieme Anni 1627. finiente, & 1628. inchoante, ventoſiſſimâ & ſine gelu, omnes paſſim homines de inſomnijs & noctium inquietudine conqueſtos fuiſſe. Quia deinde reſpiratio ventilat cerebrum; qui volunt inquietudinem phantaſmatum, in oratione compeſcere, ſolent pulmonis flabellum continere.

Quibus exemplis etiam probari poteſt, ſenſum internum non in univerſo cerebro, ut Galenus putat, ſed in determinata cerebri cella, aut ſinu reſidere; ad quem ſucceſſivâ quadam ſerie, imagines appellant, & pertranſeant. Aliàs ſi in totâ cerebri medullâ, phantaſia diſperſa eſſet, pluribus ſimul locis, ab innumeris imaginibus, per omnes cerebri meatus palantibus, operationem & imaginationem ejus experiremur. Nobis quoque vigilantibus, & alia prorſus cogitantibus, non raro accidit, ut ſpirituum animalium fluctus advehat ex improviſo in conſpectum phantaſiæ imagines rerum abſurdarum, aut de quibus nulla antea erat cogitatio. Simili ſpirituum impulſu & vehiculo Deus, aut Angeli boni, Prophetis, & alijs interdum, futura aut occulta revelant in ſomno: dæmon verò etiam in vigilia fœdis & obſcœnis imaginibus animas pias in oratione ſua turbat.

Humores quoque, & cauſæ naturales morborum multiplicant, aut variant ſomnia; nec de nihilo Medici eruditi & experientes, ægros interdum rogant, quid ſomniaverint. Sciunt enim febrientes, qualibus ſomniorum chimæris aliquando exagitentur.

Amor denique, vel odium multorum ſomniorum aurigæ ſunt.

Venator defeſſa toro dum membra reponit,
Mens tamen ad ſilvas, & ſua luſtra redit.

Claudian. Appetitus enim inferior, qui non ſecus ac phantaſia vigilat in ſomno

ſomno, excitat potentiam attractricem ſpirituum, ut ſpiritus illarum imaginum, quas amant, vectores adducat ad phantaſiæ organum. Hinc amaſiorum de ſuis Corynnis, & Lesbijs ſomnia. Caſti verò, Ariſtotele & experientiâ teſte, caſtiùs ſomniant; adeò ut obſcœna ſomniorum ludibria, quæ dæmon dormientibus ingerit, abigere conentur, & dormientes, ex habitu quodam in appetitu inferiori relicto, faciant quod vigilantes ſolent.

Ariſt. lib. 1. c. 13. Ethic. & Probl. Sect. 30.

Dubitatum tamen meritò à ſapientibus, An intellectus humanus, & voluntas non ſe etiam immiſceant operationibus ſomniorum. Poëtæ enim, quaſi in Parnaſſo ſuo ſomniantes, verſus inter ſomnia interdum faciunt. Imò Theologi, quod mihi non ſemel contigit, de SS. Trinitate, & rebus maximè ſpiritualibus quandoque ſomniant. Rerum verò tam ſublimium ſomnia ad rationem, non ad ſolam phantaſiam ſpectare videntur.

Sed hoc argumentum non eſt infallibile. Nam quoties intellectus vigilantis de rebus etiam altiſſimis ratiocinatur, cogitativa, quæ ſenſus interior eſt, ſuam etiam argumentationem ſubnectit, & tanquam ſphæra inferior trahitur ad motum ſphæræ ſuperioris. Ideo quippe ratio inferior, & intellectus ratio ſuperior appellantur.

Inter ſomniandum igitur, ſi quis in Parnaſſo ſomniet, & componat verſus, per cogitativam hoc facere poteſt; uti etiam argumentari de omni materia, ex qua materialia quædam phantaſmata, tanquam rota figuli lutum, ſub majori rotâ rationis ſuperioris, convolvit & format.

Hæc igitur tam compoſita, & bene nexa phantaſmata, ſunt, quæ in eandem cogitativam recurrunt in ſomnijs.

Quo experimento etiam confutatur, quod Toletus & quidam alij Philoſophi credunt, ſupremum ſenſuum internorum, qualis eſt cogitativa hominis, & æſtimativa bruti, nullum in cerebro veſtigium relinquere expreſſi ſui phantaſmatis, quo operationem ſuam præteritam cognoſcere poſtea poſſit.

Tolet. lib. 3. c. 2. q. 3. de Anima.

Nam niſi argumentatio phantaſtica, quæ in vigilia, ſub intellectu argumentante, nexa & catenata fuit, aliquod phantaſma

taſma impreſſum reliquiſſet, inter ſomniandum occurrere non poſſet. Per iſtud præterea phantaſma impreſſum, ſive in vigilia, ſive in ſomno, prioris noſtræ ratiocinationis recordari poſſumus.

Sed ſi cogitativa hominis ſuæ propriæ operationis, per phantaſma impreſſum recordetur, ſenſus materialis, inquiunt, ſupra propriam ſuam operationem ſe reflectet.

Sed quidni per actum poſteriorem, memorativum prioris, hoc facere poteſt?

Arist. lib. de Memor. c. 2. & lib de inſom. c. ult. Scot. in 4. d. 45. q. 3. Certè enim hoc Doctor Subtilis, imò Ariſtoteles, docet, fatente etiam Suarez Lib. 3. c. 11. de Anima. Nec ullo argumento ſatis valente hactenus vidi oppoſitum firmari. Quod enim aſſerunt, videri nimiæ excellentiæ, & potentiæ ſpirituali proprium, ſupra actum ſuum ſe reflectere; tam facilè rejicitur, quàm gratis aſſumitur ſine magna ratione. Non enim fermè majoris perfectionis eſt, operationem ſensûs externi per ſpeciem phantaſticam à tali operatione (aut à ſenſu quodam agente, ut Suarez mavult) impreſſam, primâ vice cognoſcere; Suarez lib. 3 c. 9. de Anima. quàm propriam ſuam operationem phantaſticam præteritam, per phantaſma ab ea cerebro impreſſum, & in eo relictum, prioris ſuæ operationis meminiſſe. Nec ullâ, ut puto, ratione oſtendi poteſt, hoc altitudinem excellentiæ ſupremi ſensûs interni tranſcendere. Denique experientia favet ſatis apertè.

Sed demus tamen, in argumentoſis iſtis ſomnijs, aliquam etiam intellectûs operam miſceri: dormitabunda tamen adeo eſt hæc intellectûs operatio, ut vigilem & liberum voluntatis actum nequeat dirigere. Cogitativa enim, & appetitus inferior tempore ſomni dominantur; & illa intellectum, iſte voluntatem, naturali quadam ſequelâ poſt ſe trahunt, voluntaſque magis agitur, quàm agat ſeipſam; quomodo ſe agere debet, quando operatur liberè.

Arist. lib. 1. c. 13. Ethic. Hinc bellè Ariſtoteles: *Somnus eſt otium animæ, quæ bona & mala dicitur.* Quia videlicet, in ſomno nihil bene, aut malè agere, aut concupiſcere anima poteſt. Vnde S. Auguſtinus S. August. lib 2. c. 5. Civit. negat ullum in concupiſcentiâ ſomniantis culpam admitti. *Quòd ſi*, inquit, *illa concupiſcentialis inobedientia, quæ adhuc in membris*

membris moribundis habitat, præter noſtræ voluntatis legem, quaſi lege ſuâ movetur; quanto magis abſque culpa eſt in corpore non conſentientis, ſi abſque culpa eſt in corpore dormientis?

Nec refert, quòd cogitativa, non ſolùm ad præteritarum argumentationum reminiſcentiam, ſed etiam ad novarum inter dormiendum fabricationem ſe extendat. Hoc enim non indicat, intellectum tunc vigilare, aut ſe immiſcere phantaſticæ ratiocinationi; ſed cogitativam hominis ſublimiùs operari poſſe, quàm æſtimativam bruti; ideoque meritò rationem inferiorem appellari. Vnde, quia humana imaginatio vivaciùs in ſomno, rerum Venerearum imagines apprehendit, & perfectiùs operatur, quàm phantaſia bruti; Ariſtoteles docet ſolum hominem inter animalia, ſolere *ἐξονειρώττειν in ſomnio pollui.* Ariſt. Prob. Sect. 10. Et tamē ceteris animantibus ſomnia etiam contingere, canum exemplis, qui dormientes interdum latrant, probari poteſt.

Interim, quantumcumque ſomnia humana ad vigilias intellectûs videantur accedere, longè tamen adhuc diſtant; manifeſto hôc indicio: quòd ſæpe cum homine, quem mortuum ſcimus, in ſomnio, tanquam cum vivo, colloquamur, & expergefacti illicò ac in momento advertamus errorem. Latiùs quippe circumſpicit intellectus, & ubi phantaſma Platonis viventis mihi vigilanti ultrò fortè occurrit, evocato mortui phantaſmate, novit phantaſma prius abigere. Phantaſia autem ſomniantis obvium quodque phantaſma arripit, & circa illud ſine magna circumſpectione (niſi etiam circumſpectionis ipſius phantaſma ſeſe ingerat) negotiatur.

Sed neque ratio vigilat in noctambulis, qui ſomniantes è ſtratis ſurgunt, & huc illud ſemiſopiti ambulant, ac interdum tectorum ſublimia & præcipitia ſcandunt. Licet enim canalis ſpinæ dorſi pateat, quà ſpiritus motorij per nervos & muſculos ſpargi valeant; ſenſuum tamen viæ adhuc oppilatæ, & intellectus ligatus manet. Vnde nec voluntas in ipſis libera & ſoluta eſt. Iudicio enim phantaſtico, aut intellectivo quidem, ſed imperfecto, quòd ſimile eſt phantaſtico, in motibus ſuis perfectis & voluntarijs dirigi voluntas non poteſt. Hinc Clemens V. in Conc. Vien. negat fieri irregularem, *qui* Clement. unica de Homicid.

 dormiens

dormiens hominem mutilat, vel occidit. Quales dormientes ſunt illi noctambuli, aut quicumque manus ad feriendum movere poſſunt; etſi ſopiti ſint ſenſus. *Sicut enim aliqui dormiendo loquuntur; ita ſunt etiam qui dormiendo agunt*, ait ibi Gloſſa.

ARTICVLVS VII.

Imaginationis vires in ſignaturâ fœtûs.

HOc quoque inter maxima, & abditiſſima naturæ miracula cenſeri debet. Quâ enim viâ, & modo vis imaginativa gravidæ matris, aut incubantis avis, ad tingendum colore, aut figurandum certâ effigie fœtum, pervenire poteſt? Et tamen exemplis certiſſimis, tam in hominibus, quàm in brutis id fieri conſtat. Pueros enim non paucos rubrâ maculâ vultu deformes naſci videmus, quia gravida mater vino rubro, in convivio fortè perfuſa, aut pudore ſuffuſa, eam faciei partem defricuit. Fuit etiam nuper Antverpiæ, Patriciæ familiæ matrona, quæ faciem, & geſticulationem ſimiæ referret, quia mater ejus prægnans domeſticam ſimiolam in luſu & delicijs habuiſſet. Altera in eadem civitate, cùm felem armario apud petaſonem incluſam reperiſſet, & exterrita, palmâ manûs femur ſuum percuſſiſſet, puerum cum figura petaſonis femori inſculptâ peperit. Hippocrates quoque, ut S. Auguſtinus narrat, mulierem quandam accuſatione adulterij, quòd filium formoſiſſimum ex marito, & ipsâ matre deformi, genuiſſet, liberavit; *ſolvens quæſtionem*, ait Auguſtinus, *illis admonitis quærere, ne fortè aliqua talis picturâ eſſet in cubiculo: quâ inventâ, mulier à ſuſpicione liberata eſt.*

S. Auguſt. q. 93. in Geneſ.

Iul Scaliger in Norwegia & nivoſis locis, vultures, aquilas, accipitres, milvos, cervos, vulpes, candidos naſci refert.

Scalig. Exerc. 59.

Et in Allobrogum, inquit, *Alpibus, & perdices albas, & lepores eſtitavimus.* Et cauſam candoris exiſtimat: *quòd nivium aſpectus afferat matricum phantaſia, ſpeciem coloris hujus: ut vel parturiendo, vel incubando fœtus edant, aut excludant concolores.*

Sed

Sed nobile eſt hujus ſignaturæ fœtûs exemplum in ovibus Labani, quæ ex variorum colorum imaginatione, agnos varios & maculoſos pariebant: quia Iacob virgas detracto cortice candidas, viridibus virgis permixtas ponebat ubi bibebant, & ab arietibus aſcendebantur oves, *Vt in ipſo calore coitûs, intuerentur virgas.* Gen. 30.

Qua ratione verò id fieri poſſit, Philoſophorum, & Medicorum diſſenſus ſatis indicat, ſcientiam mortalium in iſtud Trophonij antrum penetrare non poſſe.

Ariſtoteles, qui in omnes naturæ rimas, & minutias naſum ingerere eſt ſolitus, hîc, præ deſperatione, credo, nihil eſt conatus. S. Auguſtinus, hoc ovium Labani exemplo, peccati originis à parentibus in filios propaginem adumbrans, tantùm ait: *Colores virgarum quas variavit Iacob, afficiendo tranſiviſſe in animas pecorum matrum; atque inde rurſus eâdem affectione tranſeundo, apparuiſſe in corporibus filiorum.* S. Auguſt. lib. 5. c. 14. contra Iul.

Similia alibi: ſed quo modo hoc fieri poſſit, explicat nullibi. Nemo, quod ſciam, in hoc naturæ arcanum altiùs intravit; aut potiùs, pluribus argumentis, ut introiret, ambitioſiùs circuivit, quàm Clar.mus quondam Academiæ noſter Archiater Thomas Fienus: ſed neque ſibi adhuc, neque alijs fecit ſatis. Tho. Fienus lib. de virib. Imaginat.

Plurimi, ut apud eum Lib. de virib. Imaginat. q. 14. videre eſt, putant phantaſma expreſſum, quod formatur in cerebro matris, imprimere ſpiritibus animalibus quandam ſpeciem phantaſticam, quæ deinde per nervos, vel certè (poſtquam communicata fuerit ſpiritui vitali, vel ſanguini) per arterias, vel venas illabatur in uterum, & ſemini materno ac paterno ita commiſceatur, ut virtus fœtûs conformatrix, eam, tanquam ideam aſpiciat, in conformando illo membro, quod debet cum ſimili ſignaturâ conſtrui.

Sed multa ſunt in hac opinione ferè incredibilia.

Nam in virtute conformatrice nullus ſenſus, nullus intellectus eſt, quo ideam illam valeat, in formando fœtu, aſpicere; ſed ſine cognitione operatur, ſicut agens merè naturale.

Deinde, ut ſpecies illa phantaſtica ad cor, & ad hepar à cere-

bro, aliquâ viâ trajici valeret, qua ratione ad uterum matris pervenire poſſet?

Per arteriam, & venam umbilicalem, fortaſſe inquient.

Sed qui ſic reſpondent, non cogitant, *in ipſo* etiam *calore*
Gen. 30. *coitûs*, ut Scriptura de ovibus Labani loquitur, cauſas ſignandi futuri fœtûs, in uterum cum primo ſemine poſſe illabi. Tunc verò umbilicus, aut arteriæ & venæ umbilicales, quibus fœtus utero matris adhæret, nondum ſunt conformatæ.

Quâ igitur viâ ſpecies illa phantaſtica, aut quæcumque ſpecies alia, in uterum penetrabit?

Deinde quo umbilico ova gallinæ, aut columbæ adhærent incubantium ventribus, ut ſpecies phantaſtica incubantis, ad pullum ovo incluſum trajici poſſit? Et tamen etiam pullos ab imaginatione incubantis ſignari, Medici, & Rei ruſticæ Scriptores in comperto habent. Nam Avicenna gallinam incubantem, à ſupervolante milvo perterritam, pullos milvino capite excluſiſſe ſcribit. Et Oppianus modum præſcribens, quo columbini pulli oſtro, aut flammeo colore, incubantium imaginatione tingi valeant, canit:

Stragula flammeolis oculis, rubroſq; tapetes,
Et veſtes oſtro perfuſas objicit auceps.
Sicq; oculos paſcens, animos eludit amantes,
Et pullos edit rubeo diſcrimine mixtos.

Itaque, ut ego etiam in iſtis tenebris manu aliquid palpem;
D. Tho. lib. 3. c. 103. contra Gent. cenſeo in primis, iſtud D. Thomæ eſſe verum: *Ex apprehenſione non ſequi aliquam immutationem corporis, niſi apprehenſione adjuncta fuerit affectio aliqua, ut gaudij, vel timoris, vel concupiſcentiæ, vel alterius paſſionis*. Vnde ſicut imaginatio non eſt cauſa ruboris propriæ faciei, niſi mediante aliqua paſſione, qua cor ſpiritum & ſanguinem effundit; ita ad ſignaturam fœtûs, paſſio matris intercedere debet, quæ ſit quaſi inſtrumentum
S. Auguſt. lib. 18. c. 5. Civit. imaginationis. Quod etiam exiſtimat S. Auguſtinus, ubi de Api, bove maculoſo, quem Ægyptij pro Deo colebant, & uno mortuo, alium ſimillimis coloribus maculoſum ſubſtituere debebant; ait dæmonem effeciſſe, ut talem reperire poſſent, objiciendo imaginationi alicujus vaccæ concipientis,

aut

aut prægnantis, imaginem tauri, Api concoloris; *Vnde libido matris attraheret, quod in ejus fœtu jam corporaliter appareret: ſicut Iacob de virgis variatis, ut oves & capræ variæ naſcerentur, effecit.*

Libido igitur, & ardens deſiderium appetitûs, ad imagnationem accedere debet, ut iſtâ libidine mediante ſignetur fœtus. Vnde imaginatio proximè movet appetitum cordis; cor verò ſpirituum ſuorum vitalium, & aliorum in receſſibus quibuſdam abditorum commotione, alterationem & æſtum ſuſcitat, qui per membranam uteri, & in avibus incubantibus, per teſtam ovi, ad ſpiritum illum pervenit, qui conformat & organizat materiam ſeminis; ac cum eo talem mixturam facit, ut inde occulta qualitas reſultet, quæ ſit virtutis conformatricis in colorando, vel figurando toto, aut in aliquâ certâ parte, fœtu, ſecundum imaginationis determinationem. In alijs quippe etiam multis cauſis, conditiones quædam extrinſecæ cauſalitatem cauſæ operantis determinant, & modulantur. Quod faciliùs intelligitur, quando determinatio fit per naturalem ſympathiam, qua actio una ad aliam actionem, eandam cauſam determinat. Qualis ſympathiæ quandam ſaltem imaginem hic reperire poſſumus.

Verùm, inter animam matris, & formam ſeminei ſpiritûs non poteſt eſſe naturalis ſympathia, inquit Fienus: quia ſympathia in eâdem animâ, quæ hîc unum effectum, alibi alium, à ſeipſa excitatâ operatur, radicari debet. Tho. Fienus lib. de virib. Imaginat. q. 15.

Reſp. Inter animam cerebri, & animam cordis bovini, aut alterius bruti animalis, eſt quædam naturalis ſympathia. Dum enim anima cerebri imaginatur, anima cordis appetit, & ſpiritum cordis ebullire facit. Et tamen plurimorum Philoſophorum & Medicorum Philoſophia ſtatuit, animas illas eſſe partes integrales realiter diſtinctas unius animæ totalis, diffuſæ per univerſum bovis corpus. Imò multi contendunt eſſe partes heterogeneas, & diverſæ ſpeciei Logicæ.

Si igitur inter duas tales partiales formas naturalis ſympathia eſſe poteſt; cur non etiam inter animam matris, & formam ſeminei ſpiritus à matre deciſi, & ad fabricandum fœtum, in ſuo utero permixti ſemini patris?

 Nam

Nam ſemen femineum eſt quodammodo pars animantis, & inſtar ſurculi, ex quo, tanquam particulâ, novum animans conſtruitur. Quamdiu ergo utero feminæ continetur, & cum ſemine virili miſcetur, foveturque, eſt quaſi pars matris; ſicut etiam poſtea ipſe fœtus, quando abſolutâ conformatione, per umbilicum alligatur utero matris. Pendet enim tunc à matre, ſicut pomum à ramo arboris. Pomum autem eſt quaſi pars rami; etſi formâ ſubſtantiali, ut opinor, ab arbore differat.

Sic etiam (quod magis mirum.) ſemen ovi gallinæ ſuppoſiti, quamdiu ab ea incubante fovetur & influxum ejus excipit, tanquam matris; ſympathiam cum anima, & imaginatione gallinæ habere poteſt.

Si me roges, quare pars iſta fœtûs, potiùs quàm altera, ſignetur per imaginationem matris?

Dic tu mihi priùs, quænam cauſa ſit, quæ iſtam partem ſeminis ad caput, alteram ad collum, aut ad pectus fabricandum determinat. De qua re tamen, Lib. II. Cap. I. Art. II. aliquid balbutire conati ſumus. Iſta quippe ſunt in putei Democriti fundo, & abſtruſiſſima in naturę theſauris. *Ignoras enim*, ait Sapiens, *qua ratione compingantur oſſa in ventre prægnantis.* Eccleſ. 11.

Si verò fœtus, non tantùm matris, ſed etiam patris imaginatione ſignetur, quod Franc. Valleſius exiſtimat; & inde colligit, quòd Scriptura, Iacobum non tantùm ante oves, ſed etiam ante arietes, poſuiſſe virgas narret (*ponebat*, enim inquit, *Iacob virgas in canalibus aquarum, ante oculos arietum & ovium, ut in earum contemplatione conciperent*:) non aliter fieri potuiſſe videtur, quàm ſi imaginatio, & ardor libidinis arietum, imaginationem & ardorem matrum adjuverit: ita ut ex mixtione ſpirituum & temperamenti utriuſque ſeminis, in tali fervoris, & ceterarum qualitatum gradu, reſultaverit occulta qualitas, quæ fuerit inſtrumentum virtutis conformatricis, in colorandâ, & figurandâ illâ ſignaturâ fœtûs, juxta determinationem imaginationis. Nam occultas quaſdam alias qualitates, præter primas & ſecundas vulgò notas, omnes jam paſſim Medici in lapidibus, plantis, &c. venenatis, aut medicamentoſis, experimentorum evidentiâ victi, admittere coguntur.

Valleſ. c. 11 Philoſ. ſacræ. Gen. 30.

Deinde

Deinde in diverſis partibus & receſſibus corporis, animalis variæ ſunt proprietates (quas Medici formis heterogeneis tribuere ſolent) quibus naturales, & in varia temperamenta, & occultas, mirabiliumque nonnunquam operum effectrices qualitates, decoquuntur. Hi verò ſpiritus, non ad omnes, ſed ad certas quaſdam imaginationes, per naturalem ſympathiam, è latebris ſuis ebulliunt, & evocantur, ſeminibuſque animalium permiſcentur; quorum mixturâ ac miniſterio virtus conformatrix mirabilia quædam, extra legem ordinariam, texturæ fœtûs quandoque, quaſi ludendo miſcet, & infercit.

Spiritus verò, aut humores certos, quibuſdam, non omnibus ſine diſcrimine, imaginationibus evocari, patet: quòd rei ſuavis & palato blandæ imaginatio ſalivam dulcem in linguam evocet; & hinc phraſis quâ dicere ſolemus: Hic, aut iſte cibus potuſve *mihi ſalivam movet.* Item limæ ſtridentis, aut panni mordicùs apprehenſi imaginatio, ſpiritus quoſdam pruritu fremituque ſuo moleſto laceſſentes, neſcio unde, in dentes attrahit, & eos quaſi exacuit.

Si quis deinde oculos lippientes, ſi tibiam alterius putreſcentem aſpiciat; ſpiritus in oculos proprios, aut in tibiam affluentes, qui alterationem aliquam efficiant, ſentiet.

Si denique alijs quibuſdam (quod facilè potes) de iſtâ ſignaturâ fœtus, interrogatiunculis me fatiges; ut me celerrimè expediam, in pontem aſinorum aufugiam, & clamabo: Talis eſt natura & eſſentia rei: Eſſentiæ non datur ratio.

CAPUT IX.

De appetitu ſenſitivo.

PRæter ſenſum, tam externum quàm internum, quo anima ſenſitiva verſatur circa objectum ſuum per cognitionem, eſt aliud potentiæ vitalis genus, quo in ipſum fertur per appetitionem.

Cùm enim *operans*, juxta Peripateticam S. Thomæ doctrinam,

S. Tho. 1. p. q. 78. a. 1. ctrinam, *debeat aliquo modo conjungi ſuo objecto, circa quod operatur;* hoc duobus modis fieri poteſt. Primò, ſi objectum vel per ſe, vel per aliquod ſui ſpecimen ad potentiam accedat, & ei conjungatur; ſecundò, ſi potentia ipſa per ſui inclinationem objecto quodammodò ſeſe admoveat. Priori modo potentia cognitiva, poſteriori appetitiva operatur.

Inclinatio verò iſta verſus objectũ, fieri iterùm dupliciter poteſt. Vel enim cæco modo, ac ſine prælucente cognitione; vel præeunte quadam veluti cognitionis lucernâ. Prima inclinatio vocatur appetitus naturalis; qualis eſt inclinatio corporis gravis ad centrum, item inclinatio materiæ primæ ad formam.

Secunda inclinatio vocatur appetitus elicitivus; qui eſt proprius animalium, & utentium cognitione. Hic enim eſt, qui amat, & odit: *quod autem quis prorſus ignorat,* ait S. Auguſtinus, *amare nullo pacto poteſt.* S. Auguſt. lib. 10. c. 1. Trin.

Deinde, ut ſapienter S. Thomas, appetitus naturalis non eſt multiformis, ſed ad unum appetendum determinatus; appetitus verò animalis plurima appetere debet, quibus animal indiget: unde per cognitionem præviam, ad hoc vel illud, hôc vel illo tempore, aut loco appetendum, determinari debet.

ARTICVLVS I.

Appetitus animalis in quo organo reſideat.

QVidam imaginantur, ſingulorum ſenſuum externorum organis inhærere peculiarem illi ſenſui appetitum, quo objectum conveniens appetat, inconveniens reſpuat.

Sed multitudo iſta appetituum non placet. Appetitus enim animalis, non judicium imperfectũ, & quale eſt ſensùs externi, ſed tantùm ſensùs interni, quod perfectius & eminentius eſt, immediatè ſequi poteſt, & debet. Vnicus ergo in toto animali appetitus, ſicut unica imaginatio eſt, cujus decreta & ſententias appetitus audit.

Hoc

Hoc enim aliter opinantes decepit: quòd dolor, qui ſenſum tactûs torquere dicitur, videatur eſſe actus elicitus ab appetitu quodam, qui illi ſenſui externo, in eodem organo, aſſiſtat.

Sed, ut Cap. VII. Art. II. nuper dicebamus, id quod in membro ſauciato, aut uſtulato nos torquet, non eſt ipſe dolor proprius & formalis, ab appetitu ſenſitivo elicitus; ſed qualitas quædam membro illi diſconveniens, quam non ſolùm tactus cognoſcere, ſed eminentiori phantaſiæ tribunali etiam ſiſti, & ab eo judicari debet: quo facto appetitus (ubicumque ille ſedem in corpore animalis habeat) eam qualitatem averſari poteſt.

Cujus rei ſignum eſt: Quòd ſi depravata, vel habitu quodam in contrarium indurata phantaſia fuerit, de qualitate illâ doloriferâ malè judicet, & mitiorem, quàm re verâ eſt, repræſentet, dolor tolerabilior erit; etiamſi tactus externus impeditus non ſit, & totam illius qualitatis ſævitiam perſentiſcat. E contrà verò, ſi phantaſia acerbiorem illius qualitatis cruciatum, quàm eſt & à tactu judicetur, apprehendat, appetitus quoque magis doloroſum actum eliciet. Igitur non ſequitur proximè judicium externi tactûs, ſed internæ imaginationis.

Igitur, pro omnibus ſenſuum externorum, & internorum objectis appetendis, unicus eſt appetitus ſenſitivus. Quem Ariſtoteles, & Peripatetici paſſim in corde, tanquam proprio organo, Medici verò in cerebro collocant, juxta ipſum imaginationis tribunal & organum, ex cujus dictamine ſe movere debet.

Sed neceſſe non eſt, in cerebro ponere. Quia etiamſi in corde ſedem habeat; per ſympathiam tamen, aut alium influxum, à phantaſia, quæ arcem cerebri tenet, dirigi poteſt.

Plura verò ſunt indicia, quare appetitus ſenſitivus in corde, quàm in cerebro ſtabiliendus ſit.

Nam omnes ejus paſſiones, ut amor, odium, ira, timor &c. cor alterant & arterias varijs motibus agitant. Sicut igitur ex melancholia, aut alijs cerebri humoribus vel alterationibus imaginationem depravantibus, conjectamus adverſus Ariſtotelē,

phantaſiam in aliquo cerebri anfractu delitescere; ita ſimili conjecturâ pro Ariſtotele, appetitum in aliquo cordis ſinu abditum eſſe colligimus.

Nec refert, facultatem aliquam à cerebro diſtantem (qualis v.g. eſt illa, quæ in partibus genitalibus pruritum ſpirituum libidinoſorum excitat) à phantaſia cerebri poſſe commoveri; nam aliâ longè ratione & modo cor excitari, quam partes genitales, aut quàm aliud membrum animalis, à regione cerebri diſtans, experiri videmur. Affectu enim amoris videtur ſe effundere, & quodammodo tentare erumpere è pectore cor noſtrum, ut ſe rei amatæ conjungat; & quia hoc non poteſt, ideo homo rem amatam pectori ſuo interdum apprimit, ut cordi quantum valet admoveat. Signum igitur eſt, glutinum illud amoris in corde ſedem habere.

Cui opinioni favet ubique ſacra Scriptura, quæ paſſim amorem in corde reponit. *Non concupiſcat pulchritudinem ejus cor tuum. Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere &c.* Et indifferenter *cor* tam pro appetitu inferiori, quàm ſuperiori accipitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: Obdurabo cor Pharaonis &c.*

Prov. 6. Job. 31.

Nam quia appetitus inferior, qui eſt in corde, appetitum ſuperiorem movet, idcirco ſuperior dicitur etiam in corde juxta ipſum reſidere; licet non in organo corporeo, ſed in anima ſpirituali ſedem habeat. Quomodo etiam ratio ſuperior in arce cerebri tribunal ſuum habere dicitur; quia ratio inferior, à quâ illa ſpecies ſuas intelligibiles haurit, & cujus phantaſmata ſpeculatur, in cerebro habitat.

Quo ſenſu verò, etiam ſenſus interni, & ratio dicantur operari in corde, & de corde exire pravæ cogitationes, nuper Cap. VIII. Art. I. dictum eſt. Certè S. Auguſtinus cogitativam & ſenſus internos in cerebri arcem ſubmovet, licet concupiſcentiam in corde locet.

An verò appetitus inferior in duas potentias reapſe diſtinctas, concupiſcibilem videlicet, & iraſcibilem, diſtinguere oporteat, hodie & olim dubitatum eſt. Plato diſtinguebat, & concupiſcibilem in hepate, iraſcibilem in corde ſtatuiſſe videtur.

detur. Alij contrà, concupiſcibilem in corde, iraſcibilem in hepate locant.

Sed Ariſtoteles organo eas non diſtinguit. Vtraque igitur ſit in corde.

D. Thomas credit duplicem eſſe potentiam, non tantùm differentes ejuſdem potentiæ actus: quia facultas iraſcibilis eſt quaſi miles, defendens bonum quod amat concupiſcibilis. Officium enim ejus eſt iraſci ijs qui boni iſtius aſſecutionem impedire, aut poſſeſſionem turbare volunt. D.Th. 1.p. q.81. a.2.

Negant tamen plurimi diſtinctionem iſtam potentiarum eſſe neceſſariam, ſed diſcrimen officiorum ejuſdem potentiæ ſufficere. Sic enim ratio concupiſcibilis, & iraſcibilis in voluntate ſunt conjunctæ. Facilè quippe intelligi poteſt, quomodo, ſicut idem appetitus concupiſcibilis bonum ſenſibile concupiſcit, & malum contrarium fugit; ita unus idemque iſte appetitus bonum concupitum etiam contra oppugnantes defendat. Vnicus quippe omnium iſtorum motuum eſt cardo: bonum nempe appetitum, quod & ad ſui amorem primariò trahit, ſecundariò ad contrarij fugam impellit, ac noviſſimè contra oppugnantes arma expedit.

Vnde videtur tam eundem appetitum, concupiſcibilis & iraſcibilis officio poſſe fungi, quàm eoſdem eſſe dentes, quibus canis unus oſſis ſui delicias rodit, & quos adverſus alterum canem competitorem ſtringit.

Sed in re diſtinctionis, D. Thomas ſolet eſſet ſimilis diviti patri familias, cujus culina & ſupellex multitudine ac varietate inſtrumentorum gaudet; ut diviſis officijs omnia ſine confuſione concinniùs peragi poſſint. Nec curat parſimoniam Nominalium, quibus tam curta & paupertina ſupellex, ut cum Diogene ſcutellam abjiciant, ſi cavâ manu bibere valeant; ingeminantes vulgare illud ubique ſuum: *Fruſtra fit per plura, quod fieri poteſt per pauciora.* Item: *Nomina plura, res autem una.* Vnde plurima quæ Thomiſtæ, & Scotiſtæ in res diſpertiunt, ipſi ad nominum tantùm pluralitatem redigunt: ut meritò Nominales vocentur.

ARTICVLVS II.

Quodnam ſit appetitûs ſenſitivi objectum.

APpetitûs ſenſitivi objectum eſt bonum ſenſibile, delectabile. Nec enim imaginatio aliud bonum, quàm delectabile appetitui proponere valet. Bonum enim honeſtum ſphæram activitatis ejus tranſcendit. Aliàs enim bruta, non tantùm imagine honeſtatis, ſed verâ honeſtate poſſent duci.

Bonum etiam utile non cognoſcunt; quia proportio medij ad finem, in qua ratio utilitatis conſiſtit, eſt incognita ipſis. *Vnde neſciunt*, ait Medina, *quomodo coitus ordinetur ad generationem, quomodo nidus ad incubandum ovis: igitur non poſſunt appetere aliquid ut utile ad finis conſecutionem.*

D. Tho. 1.2. q. 4 a. 1. Sed dicat potiùs Magiſter ejus S. Thomas. *Apprehenſio ſenſitiva*, inquit, *non attingit ad communem rationem boni, ſed ad aliquod bonum particulare, quod eſt delectabile.*

Idem 1.2. q. 16, a. 2. Poſtea etiam negat bruta uti membris ſuis, vel ullâ aliâ re; *Quia*, inquit, *Vti, importat motum appetitus ad aliquid in ordine ad alterum.* Quod ſolius rationis opus, unum ad aliud referentis, eſſe dicit.

Idem 1. p. q. 78, a. 4. Sed quomodo igitur ſibi conſtat, ubi alibi dicit: *Avis colligit paleam, non quia delectet ſenſum, ſed quia eſt utilis ad nidificandum?*

Reſp. Non delectat palea, qualitate aliquâ ſenſibili ſenſum externum avis, ſicut qualitates tangibiles primæ, vel ſecundæ delectant tactum; ſed delectat appetitum interiorem, ex imaginatione *intentionis, quam non percipit ſenſus exterior*, ut loquitur ibi D. Thomas. *Sicut ovis videns lupum venientem, fugit, non propter indecentiam coloris, vel figuræ, ſed quaſi inimicum naturæ.* Et rationem optimam addit: *Quia neceſſarium eſt animali, ut quærat aliqua, vel fugiat, non ſolùm quia ſunt convenientia, aut non convenientia ad ſentiendum; ſed etiam propter aliquas alias commoditates & utilitates, ſive nocumenta.*

Interim utilitates iſtæ, & nocumenta non ab imaginatione brutorum, ſed ab Auctore naturæ tantùm futura prævidentur;

tur; qui idcirco naturam bruti ſic inſtituit, ut avicula, v. g. tepore primi veris reſoluta & excitata judicet delectabile eſſe paleas ſic tractare, ut in nidum concinnentur: deinde ova ibi deponere, ac tandem incubare. Ita ut, licet non ſenſus exterior, phantaſia tamen tali veluti luſu, & ſerie actionum delectetur. Hæret enim phantaſia, & appetitus bruti in proximo ubique delectabili objecto, nec ulteriùs proſpicit; ſed naturæ inſtinctu, ab una actione ad aliam, ei naturali nexu devinctam, protruditur. Et ſic videtur in proximo objecto intueri utilitatem conducentem ad finem qui poſtea ſequitur, etſi hoc re verâ non faciat. Tantùm enim ab uno delectabili luſu ad alium connexum, pedem promovet. Nec mirum, quòd firmiori & conſtantiori paſſu, quàm homo, qui ex deliberatione medium ad aſſecutionem finis adhibet; quia ſapientia & potentia Auctoris naturæ, qui actiones brutorum tam arctè inter ſe devinxit, certior & validior eſt, quàm omnis humana virtus. Videſis quæ de hoc brutorum ingenio ſuperiùs Cap. I. Art. III. diſſeruimus.

Cùm igitur S. Thomas ſuprà dicebat paleam ab ave colligi, *quia eſt utilis ad nidificandum*; verum eſt, de materiali (ut ſic dicam) utilitate, quam non àvis ipſa, ſed naturæ Auctor cognoſcit. Avis verò in locum futuræ utilitatis, ſensûs interioris præſentem delectabilitatem ſubſtituit.

Quia deinde idem oppoſitorum eſt appetitus; potentia quæ in bonum delectabile & jucundum ſe inclinat, eadem ab oppoſito malo indelectabili & injucundo ſe avertit.

Iſta verò averſio, etſi virtualiter ſit converſio & quidam reditus indirectus ad bonum jucundum; eſt tamen (quidquid aliqui dicant) actus formaliter, & ſpecie à converſione diverſus. Longè enim aliter afficitur appetitus; quando avertitur ab amaro, & quando ad dulce convertitur.

An verò omnium animalium appetitus ſint unius ſpeciei infimæ, ſicuti ſunt externi ſenſus (viſus enim aquilæ, & noctuæ non creduntur ſpecie differre) ambigi poteſt.

Ego appetitum bovis non credo ejuſdem ſpeciei eſſe cum canis appetitu. Cur aliàs enim tota ſpecies bovina in fœno,

canina in oſſibus delicias reperiret?

Sed nec eorum phantaſiæ unius ſpeciei ſunt. Quare enim phantaſia bovis fœnum ſemper jucundum, nunquam oſſa, phantaſia canis contrà, perpetuò judicaret? Tanta etiam & innumerabilis ingeniorum diſtantia ac varietas (& hæc non in uno tantùm, aut altero individuo, ſed in tota univerſim ſpecie) ſpecificum phantaſiarum diſcrimen ſatis altè clamat.

Denique actus phantaſiæ, qui appetitui præire in appetendo, aut refutando objecto debet, non cujuſcumque modi, ſed judicativus eſſe debet; & imitari judicium intellectûs, quod appetitum ſuperiorem regit. Phantaſia enim bruti quoſdam actus per modum ſimplicis apprehenſionis, alios per modum judicij elicit. Ovis enim nonnunquam defixis oculis canem aſpicit, quaſi ſpeculans caniſne, an lupus ſit. Nec prius accedit, niſi poſtquam amicum canem eſſe judicaverit; neque lupum fugit, niſi poſtquam de lupo ut inimico ſententiam tulerit. *Iudicat enim ovis*, ait S. Thomas, *videns lupum, eum eſſe fugiendum, naturali judicio.*

D. Tho. 1. p. q. 83. a. 1.

Sed quomodo appetitus audire dictamen judicij phantaſtici poteſt, ſi judicium iſtud in cerebro, ſedes appetitûs in corde ſit, inquiunt Medici?

Sed ab iſtis viciſſim peto: Si appetitus ſenſitivus in arce cerebri, juxta phantaſiæ tribunal, ut volunt, reſideat; quomodo gaudio ſuo cor dilatat, & mœrore conſtringit?

Reſpondebunt, opinor, per naturalem ſympathiam.

Hoc idem repono ipſis. Phantaſia enim capitis, ſympathiâ quâdam, & radicatione in eâdem animâ, movet appetitum cordis, etſi à capite diſtet intervallo colli & pectoris. Nec enim, credo, fingent aliquam irradiationem, quâ phantaſma è cerebro ſpeciem quandam in cor ad excitandum appetitum, dejiciat. Nam appetitivæ potentiæ ad functiones ſuas obeundas, miniſterio ſpecierum non indigent.

At quomodo ergo reciprocè, phantaſia, inquies, ex arce capitis, affectum cordis cognoſcit, & imaginatione eum attingere valet?

Quidam cenſent, ab affectu cordis effluere quandam ſpeciem

ciem phantaſticam in cerebrum, quâ affectus ille ſe phantaſiæ repræſentet; ſicut à colore ſpecies viſibilis in oculum emicat. *Salvo meliori iudicio*, inquit Molina, *puto, ex motibus ſeu actibus appetitûs ſenſitivi in corde, & hepate reſidentibus* (vim Molin. 1. p. q. 57. a. 4. enim appetitûs concupiſcibilem in corde, vim iraſcibilem in hepate juxta fel conſtituit) *derivari ad phantaſiam, ſed reſidentem in capite, ſpecies, quibus illos intuitivè, & per experientiam cognoſcit. Ex tali verò cognitione remanere imaginem, & quaſi veſtigia quædam in theſauro memoriæ ſenſitiva, quibus illorum poſtea recordamur.*

Verùm, non opus eſt, novum genus ſpeciei phantaſticæ fingere, quæ ab actibus potentiarum appetitivarum in potentias cognitivas effluat. Nam licet affectus potentiarum appetitivarum poſſint quidem habitum, tanquam veſtigium ſui, in facultate ſua relinquere; non tamen ſpeciem, neſcio quam, in phantaſiam, vel in aliam potentiam cognitivam trajicere. Certè de tali ſpecie non memini alibi me legiſſe.

Deinde non apparet nervus aliquis à cerebro ad cor, vel ad hepar à natura factus, qui ſit canalis, per quem ſpecies illa à corde ad cerebrum tranſmeet.

Igitur, ſicuti D. Thomas docet actum voluntatis immediatè ſine alia ſpecie, ab intellectu percipi; ita etiam de affectu appetitûs ſenſitivi philoſophandum exiſtimo. S. Tho. 1. p. q. 87. a. 4.

Si objicias, affectum voluntatis eſſe intimè præſentem intellectui, cùm voluntas & intellectus ſint duæ facultates ejuſdem animæ indiviſibilis: & proinde ab intellectu facilè percipi poſſe. Reſp. Intimam illam præſentiam, ad cognitionem parum conferre. Nam habitus voluntatis ſunt etiam intimè intellectui noſtro præſentes; nec tamen eos immediatè percipimus, ſed ex facilitate actuum eos nobis ineſſe conjectamus.

Per ſympathiam igitur, & quia ab eadem anima vitaliter effluunt actus voluntatis & actus intellectûs, ideo intellectus actum voluntatis cognoſcit. Nam anima per intellectum proponit ſibi objectum amandum; deinde ſeipſam excitat ad amandum per voluntatem; & tertiò ſe amare, iterùm per intellectum cognoſcit. Vnde quia ſimilis ſympathia eſt inter appeti-

appetitum ſenſitivum & phantaſiam, eadem anima quæ in corde afficitur, cognoſcit in cerebro affectum ſui cordis. Sympathia enim, & identitas animæ faciunt, ut affectus cordis ſit phantaſiæ ſatis præſens, in ratione cognoſcibilis. Cognoſcit autem phantaſia illum affectum, ut cetera ſolet, non quid ſit, ſed an ſit.

Nec abſurdum eſt, animam ſenſitivam reflecti ſupra operationem ſuam, ſi operationes ad diverſas animæ potentias ſpectent. Sic enim etiam reflectitur, cùm ſe videre, aut cujuſlibet ſensûs externi operationem ſe exercere imaginatur.

Imò non tantùm eadem anima ſenſitiva, ſed etiam eadem animæ ſenſitivæ potentia ſupra actum ſuum priorem reflecti poteſt: ut quando memoria actûs, ſui præcedentis meminit, ſicut nuper docuimus.

Quando igitur vulgò jactatur: Potentiæ ſpiritualis, ſive intellectûs & voluntatis proprium eſſe ſupra ſeipſam reflecti; de perfecta & quaſi circulari reflexione id accipere oportet, ut Ferrarienſis alicubi ingeniosè dicit: per quam ſcilicet, animæ potentia, quæ eſt principium actûs, ſic in ſeipſam redit & reflectitur, ut ſit etiam proximus terminus extrinſecus, ſive objectum immediatum ſui actûs.

Ferrar. lib. 4. c. 11. contra Gent.

Tunc enim eſt perfecta reflexio, quando potentia non tantùm in actum ſuum priorem, vel in aliquid ſibi inhærens, ſed in ſeipſam immediatè redit: quomodo deſcriptio circuli abſolvitur, quando in idem punctum revertitur, à quo egreſſa fuit. Hoc pacto ſola ratio ſuperior, & appetitus ſuperior ſupra ſe reflectuntur; quia & intellectus ſub objecto adæquato intellectûs, & voluntas ſub objecto adæquato voluntatis continentur. Non ſic phantaſia, aut appetitus inferior intra latitudinem ſphæræ ſuæ activitatis, ſive objecti ſui comprehenduntur.

ARTI-

ARTICVLVS III.

Quot ſint paſſiones appetitûs ſenſitivi.

Actus appetitûs ſenſitivi vocantur ſpecialiter paſſiones, non tantùm, quia ſunt formæ quas patitur, & in ſe recipit potentia eas eliciens; ſed quia inſuper ad eas, in corpore animalis ſequuntur ſenſibiles quædam, per manifeſtam alterationem, paſſiones. Vt ad amorem ſenſualem dilatatio, ad odium conſtrictio cordis: ſpes vultum accendit, & erigit, metus in pallorem extinguit & dejicit.

Hæ autem paſſiones, ſi ſecundum rectæ rationis lineam funduntur, aut contrahuntur, vitioſæ non ſunt. Nam tales in Chriſto etiam fuerunt. Quem iratum, & pavidum legimus. Ioan. 2. Marc. 14.

Si autem limites rectæ rationis tranſiliant, *perturbationes* vocantur; quas Stoici in ſapientem cadere negant. Si quis enim ſupra id quod oportet, iraſcatur, aut paveat, jam non operatur, aut ſe habet, ut ſapiens.

Quia verò bonum, aut malum eſt id circa quod appetitus ſenſitivus verſatur, ideo paſſiones in duas claſſes rediguntur.

Circa bonum effunduntur, deſiderium ſive cupiditas boni abſentis, & fruitio, ſive gaudium boni præſentis. Circa malum, metus, ſive abominatio abſentis mali, & dolor, ſive triſtitia mali præſentis. Exprimit has quatuor paſſiones eleganter unico, nec toto, verſu Virgilius, ut S. Auguſtinus animadvertit: S. Auguſt. lib 14. c. 3. Civit.

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque. — Æneid. 4.

Præterea dantur aliæ duæ paſſiones, amor & odium, ut docet D. Thomas. Sed iſtæ ſunt tantùm principia & velut rudimenta aliarum; ideoq; illæ priores, principales appellantur.

Prima enim immutatio appetitus ab appetibili, vocatur amor, ait Sanctus Doctor. *Qui nihil eſt aliud, quàm complacentia appetibilis.* Eſt ergo amor (ut à deſiderio, & gaudio diſtinguitur) prima inclinatio, & ſimplex complacentia in bono ſecundum ſe, non conſiderando illud ut abſens, aut præſens. Vnde eſt D. Tho. 1. 2 q. 26. a. 2.

 velut

velut ſimplex quædam unio, & *coaptatio*, ut loquitur S. Thomas, *appetitus cum appetibili.*

Ex hoc ſimplici amore ſequitur deſiderium, ſive cupido abſentis boni: denique gaudium, ſive delectatio, vel fruitio boni præſentis. Hôc enim delectationis affectu anima quieſcit, aut volvit ſe ac revoluit quaſi circulariter in boni præſentis dulcedine, non evolvendo ſe, & tendendo ulteriùs. Loquendo tamen latiùs de amore, in deſiderio, & fruitione boni, aliquis etiam amor intrinſecè includitur, tanquam gluten quoddam quo appetitus cum objecto amabili abſente, vel præſente colligatur.

Odium eſt ſimplex mali diſplicentia. Inde ſequitur metus, ſive abominatio mali impendentis; ac poſtea de præſenti triſtitia. Græci deum amoris, flammeo telo armatum, ſimpliciter Ἔρωτα *Amorem* appellant, Latini Cupidinem; quia, ut opinor, cupiditas futuri & ſperati boni urit & cruciat, non ita ſimplex complacentia, aut gaudium boni præſentis.

Atque prædictæ ſex paſſiones, Amor, deſiderium, gaudium, odium, metus, dolor, ſunt appetitûs ſenſitivi, ut concupiſcibilis eſt. Appendix præterea gaudij in hominibus, eſt riſus: quem Valleſius *vibrationem quandam ſepti tranſverſi, & muſculorum thoracis ac oris*, definit. Motus autem iſte, ut verus non Sardonicus riſus ſit, debet ex gaudio proficiſci. Sed præter gaudium, jungendam etiam eſſe admirationem, ut riſus excitetur, contendit cum Fracaſtorio, adverſus Valeriolam Valleſius. Nam jucunda & nova ſimul conjuncta, inquit, ſolent excitare riſum. Iucunda verò gaudium, nova admirationem creant. Vel potiùs, modus quo excitatur riſus, ut videtur Quinctiliano, inenarrabilis eſt. Non omnes enim ijſdem de cauſis rident. Nihil tamen univerſim potentius ad excutiendum riſum, quàm ſubitum & inexpectatum quid, ſi cum jucunditate veniat. Riſus ſi in ſonitum pulmonum emicet, cachinnus vocatur.

Franc. Valleſ. lib. 5. c. 9. Contr.

Quinctil. lib. 6. c. 3.

Vt riſus gaudij, ita fletus triſtitiæ appendix eſt. Vnde eſt motus riſui contrarius. *Riſu enim* ait Valleſius, *dilatatur cor, & cum eo thorax, & faciei muſculi; quæ omnia per fletum conſtringuntur.*

guntur. Hæc compreſſio lacrymam exprimit. Si autem fletus in vocem exeat, lamentum, aut ejulatus appellatur.

Præter ſex ſuperiores appetitûs, ut concupiſcibilis eſt, paſſiones, numerantur quinque aliæ, ut eſt iraſcibilis: ſpes & contraria deſperatio, audacia & contrarius timor, & denique ira, quæ caret contrario.

Omnium harum paſſionum *objectum eſt ſenſibile bonum, vel malum*, ait D. Thomas, *non tamen abſolutè* (ſic enim ſunt objectum paſſionum concupiſcibilis;) *ſed ſub ratione difficultatis vel arduitatis*. Vis enim iraſcibilis eſt quaſi ſatelles virtutis concupiſcibilis: quæ, ubi bonum à concupiſcibili concupitum obtentu arduum eſt, vel malum quod fugit, evitatu difficile eſt, viam concupiſcibili, ſperando, audendo, iraſcendo facit. *Ad hoc enim tendit*, inquit iterùm S. Thomas, *ut ſuperet contraria, & ſupereminеat eis.* Si verò non ſatis animi habeat, deſperat, & timet. Quia verò præcipuè iraſcendo ſupereminet contrarijs, & impedimenta aſſecutionis boni, aut evaſionis mali disjicit; ideo ira dat ei nomen, vocaturque vis iraſcibilis potiùs, quàm ſperabilis &c. D. Th. 1. 2. q. 23. a. 2. Idem 1. p. q. 81. a. 2.

Timor autem, ſive metus ponitur paſſio tam iraſcibilis, quàm concupiſcibilis, ſed in diverſa ſignificatione. Eſt paſſio concupiſcibilis, prout ſimplicem fugam & receſſum à malo ſignificat; vocatur autem paſſio iraſcibilis, quatenus difficultatem evadendi reſpicit, & ne ab ea ſuperetur, trepidat.

Non eſt etiam neceſſe, vim iraſcibilem ſubjecto à vi concupiſcibili diſtinguere, ut nuper dicebamus; ſed utramque in corde, cum Ariſtotele locamus. Nec refert, quòd fellis, ſive bilis flavæ laguncula ex hepatis latere dependeat, ut vim iraſcibilem in hepate ſedem poſuiſſe, cum Molina conjectemus. Quia in ira non hepar, ſed cor maximè commovetur. Imò folliculus ille choleræ ex hepate dependulus, repurgat hepar, ejuſque ſanguinem à flava bile, ut animal miteſcat, & choleræ minùs obnoxium ſit; ſicut ſplen atram ei bilem exugit, ut minùs melancholici ſimus. Hinc enim natum, ut *ſplene ridere*, & cachinnones eſſe dicamur. Quod tamen Poëta tenebroſus aliorſum accepit, & putaſſe videtur, ſplenem in Molin. 1. p. q. 59. a. 4. Perſ. ſat. 1.

riſu & cachinnis, petulanti vibratione inſoleſcere.

Quid faciam? ſed ſum petulanti ſplene cachinno.

At fortaſſe aliquis objiciet, non tantùm in corde, aut hepate, ſed etiam in ventriculi orificio appetitum aliquem ſenſitivum eſſe. Ibi enim latrat fames, & hiat ſitis; qui ſunt appetitus ſicci, aut humidi.

Reſpond. famem, & ſitim non eſſe propriè actus appetitûs ſenſitivi animalis, ſed eſſe ſenſum quendam pruritûs & convulſionis ventriculi, qui antecedit actum appetitûs, quem Medici ponunt in cerebro, nos in corde. Dicit hoc eleganter Galenus. *Primum ſymptoma*, inquit, *eſt inanitio. Secundum eſt inanitarum partium naturalis* (non animalis) *appetentia. Hanc ſequitur per venas, quæ porriguntur in ventriculum, ſuctio. Deinde ſuctionis ſenſus: qui fames eſt. Poſtremò ipſa animalis appetentia, omnium ultima.*

Galen lib. 1 de ſympt. cauſis.

Quæ de paſſionibus appetitûs ſenſitivi tam concupiſcibilis, quàm iraſcibilis jam diſſeruimus, cadunt in appetitum hominis indifferenter, ſtantis, & lapſi. Tam enim ſecundum, quàm contra rectam rationem concupiſcere poteſt homo, & iraſci.

Aliud ergo in ſacris litteris ſignificat concupiſcentia, vel cupiditas, cùm paſſim ſumitur in malam partem. *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua, abſtractus & illectus. Deinde: concupiſcentia, cùm conceperit, parit peccatum.* Quam proinde peccati matrem, nomine filij ſui, *peccatum* Apoſtolus Paulus appellat. *Non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Nihil verò hoc peccatum aliud eſt, quàm *pars animi vitioſa*, ſive appetitus ſenſibilis, in omnes tam concupiſcibiles, quàm iraſcibiles paſſiones ſolutus & effrenis, merito culpæ originalis. Aut certè (& res tamen eòdem redibit) eſt *qualitas* quædam *affectionalis*, ut etiam interdum vocat eam S. Auguſtinus: ſive, ut alibi, *morbida*, aut *mortifera qualitas*, diſtincta ab appetitu, qui eſt animæ noſtræ pars ſive facultas. Qua affectionali qualitate, tanquam pondere, anima in rerum terrenarum affectus propendet. Eſt quippe S. Auguſtino perinde, ſive facultatem animæ ſic inclinatam, ſive pondus eam inclinans concupiſcentiam voces. Iſtud verò pondus & qualitatem morbidam non

Iac 1.

Rom. 7.

S. Auguſt. lib. 6. c. 18. contra Iul.

non videtur S. Auguſtinus à temperamento humani corporis, poſt ſublatum vinculum juſtitiæ originalis, diſtinguere: cùm dicat, *Amiſſo ſuo ſtatu, corpus primorum parentum duxiſſe morbidam & mortiferam qualitatem, quæ ineſt etiam pecorum carni.* Certè enim pecorum carni non alia morbida qualitas ineſt, quàm naturale temperamentum, animam pecoris in ſuam carnem altiſſimè deprimens. Vnde alibi: *Tanta*, inquit, *excellentia eſt, in comparatione pecoris, homo, ut vitium hominis, natura ſit pecoris.* Et ſæpe ingerit Iuliano, ſimilem concupiſcentiam, quæ mala eſt in homine, eſſe bonam in pecore; quia nulla in pecore eſt ratio, adverſus quam concupiſcentia valeat concupiſcere, & dimicare.

Idem lib. 11 c. 32. de Geneſ.

Idem lib. de pecc. orig. c. 40.

Et per Magiſtri ſui veſtigia ambulans S. Thomas, probat materiale peccati originis, ſive concupiſcentiam eſſe inæqualem in hominibus, quia temperamenta in quibus naſcimur, ponderibus inæqualibus in vitia, & rerum terrenarum amores nos inclinant. Nam *ſoluto vinculo juſtitiæ originalis*, inquit, *ſub quo, ordine quodam omnes vires animæ continebantur, unaquaque vis animæ tendit in ſuum proprium motum; & tanto vehementiùs, quanto fuerit fortior. Contingit autem vires aliquas animæ eſſe fortiores in uno, quàm in alio, propter diverſas corporis complexiones. Quòd ergo unus homo ſit pronior ad concupiſcendum quàm alter, non eſt ratione peccati originalis* formaliter ſumpti; *cùm in omnibus æqualiter ſolvatur vinculum originalis juſtitiæ, & æqualiter in omnibus partes inferiores animæ ſibi relinquantur; ſed accidit hoc ex diverſa diſpoſitione potentiarum.*

S. Th. 1. 2. q. 82. a. 4. ad 1.

Alio enim impetu & modo in diverſas appetitûs ſenſitivi vitioſas paſſiones cholerici, ſanguinei, phlegmatici, melancholici ruunt; alio armorum genere adverſus rationem & ſpiritum rebellant. Quantum verò temperamenta corporum ad inclinandum appetitum inferiorem, & eo mediante, ſuperiorem valeant, nimium quantum experimur, & legi poteſt apud Galenum, in Libello, *Quòd mores animi ſequantur temperamenta corporum.*

CAPUT X.

De potentia loco-motiva animalium.

POſt appetitum ſenſitivum, ſequitur potentia, quâ anima corpus loco movet, ad appetitûs imperium. Sæpe & maximoperè miratus ſum tenebras, quas ingenium humanum reperit in perveſtigatione & intelligentiâ naturæ motûs localis, quo tam evidenter noſipſos movemus, & quo in rerum natura nihil videtur nobis eſſe familiarius. Quando enim pedem, aut manum moveo: quid ago? Producóne aliquid, an non? Si aliquid, quid eſt illud? Quidquid autem iſtud eſt: evaneſcítne ceſſante motu, an permanet? Excitatúrne mediante impetu à ſe diſtincto, an à potentiâ animali immediatè funditur? Et plurima alia, quibus ingenium humanum fatigatur, poſſumus exquirere. Sed multa non ad hos Libros de Anima, ſed ad Librum 8. Phyſic. vel ad Staticam, aut Mechanicam ſpectant.

Vnum tamen, aut alterum dubium, quod omnem motum localem concernit, huc attrahere, & raptim attingere, non inutile, nec fortè injucundum erit.

ARTICVLVS I.

An Vbi, quod eſt terminus motûs localis, ſpatium aliquod imaginarium reſpiciat.

ARriſtoteles veteres illos Philoſophos refellit, qui inane quoddam ſpatium aſtruebant, cui per quandam veluti penetrationem dimenſionum immerſus eſſet hic Mundus, & extra ultimam cæli ſphæram, in infinitam undique expanſionem ſe extenderet. Hæc quoque opinio inter placita Stoicorum recepta: qui ideo Vniverſum à Mundo diſtinguebant. Vniverſum enim complecti etiam ſpatium illud inane ſupercæleſte, Mundum verò ultra cælum non

Lipſ. lib. 2. Diſſ. 6. Phyſiol.

non extendi, dicebant. *Cogitatio noſtra*, ait Seneca, *cæli munimenta perrumpit, nec contenta eſt id quod oſtenditur ſcire. Illud ſcrutor quod ultra Mundum iacet. Vtrúmne profunda vaſtitas ſit, an hoc ipſum terminis ſuis cludatur?* Graphicè autem & pulchrè imaginationem, quam de eo ſpatio inani formabant Stoici, Cleomedes Stoicus nobis deſcribit. *Simpliciſſima eſt ejus conceptio*, inquit, *ut quod incorporeum & intactile ſit, quod nec figuram habeat, nec ſit figuratum, quod neque agat, neque patiatur, ſed tantùm ſuſcipere corpus aptum ſit.* Prorſus tale, ni fallor, vacuum illud ſupercæleſte plurimi Philoſophi, nec pauci Theologi hodie ſibi mente figurant. Vnde ut Stoicos ſuos etiam hîc propugnet I. Lipſius: *Quid Auguſtinus*, inquit, *an non extra Mundum infinita ſpatia locorum cogitari oſtendit? Vt Stoicorum aſſertio neque tam ſingularis ſit, neque ex facili aſpernanda: imò Theologorum optimis etiam hodie propugnanda.* Sed Auguſtinus loco à te citato, I. Lipſi, cogitari quidem talia extra Mundum ſpatia dicit, non tamen cogitationem probat: *Si infinita ſpatia temporis ante Mundum cogitant*, ait, *in quibus eis non videtur Deus ab opere ceſſare potuiſſe; ſimiliter ergo cogitent extra Mundum infinita ſpatia locorum, &c.* Ac poſtea: *Si dicunt, inanes eſſe hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, cùm locus nullus ſit præter Mundum; reſpondetur eis, iſto modo homines inaniter cogitare præterita tempora vacationis Dei, cùm nullum tempus ſit ante Mundum.*

Senec. lib. de otio ſap. c. 32.

Ibid. Diſſ. 2.

S. Auguſt. lib. 11. c. 5. Civit.

Alibi verò cogitationem ſuam, quam ſibi in Manichæiſmo formaverat, de Dei eſſentiâ, tanquam de mari quodam immenſo, penetrante intra Mundum velut intra ſpongiam, & undique per infinita ſpatia circumquaque circumfuſum, reprehendit: vocatque lepidè, & ſubridendo, ſpatia illa inania, *ſpatioſum nihil.*

Idem lib. 7. c. 1. & 5. Confeſſ.

Vnde qui hodie ſpatia illa totis imaginationis viribus retinent, etiam imaginaria vocant, & in claſſe entium rationis, quæ nihil & conſequenter nullibi ſunt, ea reponunt. Et tamen (quod mirum) ſi verba & cogitationes ſuas attendant, ſic de iis loquuntur, ut in Stoicorum, & veterum Philoſophorum imaginationem prorſus recidant; & verum, non fictitium ens eſſe cogitent. Volunt enim eſſe quandam vacuam, immobilem

mobilem, nullave rarefactione, aut condenſatione mutabilem extenſionem; quæ proinde ſit vera & certiſſima menſura diſtantiæ, aut propinquitatis inter corpora. Hæ autem ſunt, ſine dubio, conditiones veri & realis ſpatij. Niſi enim ſpatium reale eſſet, non inde vera, realis, & certa menſura, ſed chimærica tantùm & fictitia, deſumi & menſurari poſſet.

Deinde volunt, tale ſpatium ab Vbi, ſive à præſentiâ locali, tanquam terminum eſſentialis habitudinis reſpici; & corpora per verum ac realem motum localem ad talis chimærici ſpatij partem appellere, ac ei velut immergi. Quod tamen tam eſt impoſſibile, quàm vero locali motu ad Chimæram accedere, & ſe ei per penetrationem dimenſionum immergere.

Quod verò, de judicio intellectûs fabricantis ens rationis, & habitudine eſſentiali Chimæram reſpicientis, tanquam ſimile allegant, ſimile non eſt. Nam proprium opus intellectûs eſt imagines & ſimilitudines objectorum exprimere & formare; poſſunt autem tam rerum falſarum, quàm verarum imagines fieri. Nihil quippe vetat, connexionem inter ea quæ cohærere nullo modo poſſunt, ab intellectu, per errorem cogitari; ut leonem, capram, & draconem in unius Chimæræ corpus, judicio errante colligari. Sed motus localis non fingit ſpatium imaginarium, ſed invenit in rerum natura jam exiſtens, & ei ſe admovet, aut immergit.

Vnde Philoſophi iſti & Theologi, ſi ad ſeipſos reflectant, re verà aliud ens æternum & incorruptibile, præter Deum, in rerum naturam invehunt.

Deinde, ſi quantitas, ſeu ſpatium reale, indiget altero ſpatio, quod imaginarium vocant, in quo locetur; quare hoc ſpatium imaginarium, adhuc alio imaginario perinde non indiget, & ſic detur τοῦ τόπου τόπος, καὶ τοῦτο εἰς ἄπειρον *loci locus, & hoc in infinitum*, ut Ariſtoteles olim veteribus objecit?

Ariſt. lib 4 c. 1. Phyſic.

Spatium quoque iſtud imaginarium plurimas in Phyſicam difficultates, præſertim circa condenſationem, & rarefactionem corporum, latenter invehit. Vix enim imaginabile eſt, quomodo condenſatio, ſine partium in illo ſpatio mutuâ penetratione; deinde quomodo rarefactio, ſine interjecto vacuo,

aut

aut ſine partium ex mutuo ſitu eductione, fieri poſſit.

Denique puto ipsâ experientiâ poſſe refelli. Nullum, inquam, eſſe ejuſmodi ſpatium immobile, cui hic Mundus immerſus ſit, & ad quod motus locales corporum, aut præſentiæ per motum productæ collineent, ac reſpiciant.

Dum enim ab annis jam compluſculis, pro ſtatu terræ, & motu cæli adverſus Copernicanos luctor, tandem experimento, & ratiocinatione didici, verum eſſe quod contendunt: Pondus è concavo clauſæ & velociſſimo flatu impulſæ navis demiſſum, tam rectâ lineâ in ſubjectum carinæ fundum decidere, quàm ſi navis in anchoris immobilis ſtaret.

Aio verò hoc impoſſibile eſſe, ſi aliquod ſit ſpatium, quale imaginantur, immobile, præter ſpatium verum & mobile aëris, intra alvum navis concluſi.

Nam ſi ſit aliud ſpatium immobile, per cujus aliquam lineam, glans v. g. plumbea, intra navem clauſam cadens, rectà verſus terræ centrum tendat, ut ſpatij imaginarij fabricatores volunt; neceſſe eſt, ut nave ventis celerrimè incitatâ, glans non in idem carinæ navis punctum cadat, in quod caderet, ſi quieſceret navis; ſed in aliud retrò verſus puppim; imò ultra puppim, ac extra totam navis longitudinem, ſi motus navis ſit admodum velox & rapidus. Quod tamen experientia longè refellit.

Quare verò in idem omnino punctum, directè per lineam aëris; puncto ſuperiori unde incipit caſus, oppoſitum, cadat, ſive ſtet, ſive moveatur navis; nulla alia eſt ratio, quàm quia pondus decidens nullam aliam lineam ſequitur, nec ſequi poteſt, præter lineam ſpatij aërei realis, quod pari paſſu vehitur cum navi, in qua aër tenetur captivus.

Nam linea illa aërea, per quam plumbum verſus terræ centrum initiò cadere incipit, non relinquitur retrò: nec ulla eſt alia cauſa, quæ plumbum retroagat, & faciat ad aliam aëris lineam migrare, ut non pergat cadere per eandem lineam, quâ incœpit.

Alio, ſed non diſſimili, experimento probari poteſt, motum & præſentiam localem tantùm aſpicere ad ſpatium

reale, non ad imaginarium. Nam ſi quis navi velificante ſaltet à puppi verſus proram, ſecundum curſum navis; non ſaltat (pari impetu & conatu) longiùs intra navem, quàm ſi navis immobilis ſtaret: ergo ſignum eſt, motum & impetum ſaltantis commenſurari immediatè ſolo ſpatio reali & extenſioni navis, non autem alicui ſpatio imaginario, quod decuplo, imò quandoque centuplo majus (prout navis ſegniùs, aut magis ſtrenuè volat) ſaltans conficit, eo tempore quo in aëre pendet ejus ſaltus: perinde atque comparatione alvei, vel riparum fluminis, longè plus ſpatij emetitur qui ſecundum curſum navis ſaltat, quàm qui æquali conatu ac labore, in nave quieſcente ſaltat. Quænam verò ſit hujus rei ſat admirandæ cauſa, verbo uno, in hoc tranſitu, dicam.

Quia ſicut ſedenti in navi communicatur, ſine labore & conatu, motus navis, reſultantibus in eo tot ſucceſſivè præſentijs, quoties navis ventis aut remis impulſa, locum mutat; ita dum in navi ſaltans, ſaltu ſuo in aëre pendet, reſultant in eo præſentiæ, comites motûs navis, præter illas, quas ſaltu ſuo, reſpectu ſpatij navis, efficit.

Ex his quoque colligitur: quòd ſi intra Mundũ, nullum ſit ſpatium, præter veram rerum extenſionem, nullum quoq; eſſe extra Mundum: ac proinde nec Deum magis jam in quadam immenſa ibi vacuitate eſſe, quàm erat in ſole, aut lapide antequam ſol, aut lapis crearentur. Hinc *omnes ferè antiqui Theologi*, ait Hugo Cavellus, *tenent ipſum modò non eſſe extra cælum.* Nulla quippe vacuitas, habens partem extra partem, ſicut imaginamur, magis ibi eſt, quàm Samariæ, aut Marathonij campi, quando eos cogitatione ſupra cælos expandimus. Aliàs non omnino abſurdè Epicurus alios infinitos Mundos extra hunc noſtrum ſtatuiſſet; quia, ut aiebat, tam abſurdum videtur, tantam vacuitatem unico Mundo occupari, quàm immenſum campum, pro unicâ ſpicâ creari.

Schol. ad Scot. 1. d. 37.

Difficulter tamen, niſi longâ meditatione, hanc ſpatij imaginarij imaginationem homines corrigunt. Cujus tamen vanitatem, adverſus Molinam, Suarem, Valentiam, Leſſium, ſat clarè oſtendit Lud. Mæratius Diſp. 3. de Deo. Atque opinionem

Leon. Leſſ. lib. 2. c. 2. de divin. perfect.

nem Leſſij ſtatuentis (*extra cælum vera intervalla, aut ſpatia realia, non quidē corporalia, ſed ſpiritalia, quæ nō niſi ratione ab immenſitate Dei diſtinguuntur*) nec *Deo, nec ingenio Leſſij dignam eſſe* dicit.

Argumenta autem quæ pro fabricando iſto ſpatio imaginario ſtrui ſolent, attentè inſpecta, ſophiſtica & veram realemque extenſionem in re chimæricâ perpetuò imaginari & ſupponere mihi videntur. Vnde ad corrigendam falſam iſtam imaginationem, plurimum juvabit, loco ſpatij imaginarij, ſubſtituere Chimæram, cum tota ſua longitudine & extenſione, quam habet à dentibus uſque ad caudam. Quando verò Scripturæ affirmant Deum eſſe excelſiorem cælis, cælos cælorum eum non capere &c. non aliud volunt, quàm terræ & cæli Orbem non eſſe ſphæram adæquatam ſuæ immenſitatis, ſed alios & alios ſine fine cælos, & Mundos poſſe condere, quos perinde atque hunc implere valeat. Antequam verò ullum Mundum condidiſſet, nullibi erat, ſed in ſeipſo, ut SS. Patres loquuntur, hoc eſt, non in alio. Iob. 11. 3. Reg. 8.

Quòd verò difficulter apprehendamus, aliquid exiſtere, & tamen in nulla parte ſpatij, exiſtentiam ejus quaſi defixam eſſe, ideo accidit; quia omnia quæ ſenſibus corporis hîc videmus, aut attingimus, in aliquo ſpatio eſſe experimur; unde ex hac aſſuetudine, ſimilem ad Deum imaginationem perperàm transferimus, quaſi ante Mundi fabricationem, in *ſpatioſo* quodam *nihilo*, ut S. Auguſtinus ſuprà loquebatur, otioſus deſidêret. Cùm tamen non magis in tali ſpatio, quàm in Chimæra fuerit. Nec tantùm de modo loquendi, ut quidam putant, ſed de re ipsâ etiam, eſt hîc contentio. S. Auguſt. lib. 7 c. 1. Confeſſ.

Quomodo? inquiunt: nonne, ſi Deus aërem inter duos cubiculi parietes medium annihilet, & vacuum ibi faciat, Deus in medio remanebit?

Reſpondeo, caſum iſtum impoſſibilem eſſe. Parietes enim iſti proximi & immediati neceſſariò jam fient, ſi nulla vera extenſio, ac reale intervallum ſit poſitum in medio. *Vacuum enim etſi videatur eſſe aliquid, nihil tamen omnino eſt*, ait Ariſtoteles, contra veterum & cæcutientium Philoſophorum hallucinationes. Implicat enim contradictionem, cor- Ariſt. lib. 2. c 7. de generat. animal.

 pora

impetûs, ſeu impulsûs ad motum prævij. Sic etiam poteſt Angelus ſeipſum, aut aliquod corpus immediatè de loco in locum, ſine impulſu prævio tranſportare. Cur enim potentia ejus loco-motiva, ſine tali interpoſito inſtrumento, non poteſt Vbi illud fluens (ut motum localem Scotus appellat) ſucceſſivè producere?

Attamen, in quibuſdam motibus, movens principale videtur uti impetu, aut alio ſimili inſtrumento.

Patet in virtute illa attractiva, quam magnes imprimit ferro. Hæc enim diſtincta eſt à motu, cùm ceſſante motu, non ſtatim evaneſcat, ut fugitivus impetus ſolet; ſed multis diebus, & annis permaneat in ferro magneti affricato.

Motus quoque projectorum non facilè expediri poteſt ſine fugace aliquo impetu, à projiciente impreſſo: quo durante lapis, aut telum per aëra, abſente projiciente, volat, ceſſatque illo impetu evaneſcente.

Ariſtoteles tamen ubique, motum projectorum, non ab impetu impreſſo, ſed ab aëre lapidem, aut ſagittam vehente fieri dicit; quem plerique veterum Peripateticorum, & inter recentiores Hieron. Dandinus ſequuntur, Scaliger ceſpitat, D. Thomas eum deſerit. Statuit enim virtutem quandam (quam impetum ſolemus vocare) à projiciente imprimi, ſimilem quodammodo virtuti, quæ ſemini imprimitur à generante; cum hoc tamen diſcrimine: quòd *virtus illa quæ eſt in ſemine à patre, ſit virtus permanens ab intrinſeco, non fluens ab extrinſeco, ſicut virtus moventis, quæ eſt in projectis.* (Ariſt. lib 8. c. 8. Phyſic. Lib. 3. c. 2. Cæli &c. Dandin. lib. 2. Digreſſ. 11. de Anima. S. Tho. q. Vnic. de Anima. 11.)

Ariſtoteles tamen quendam etiam impetum, cujus ſucceſſivâ accumulatione gravia motum deorſum, cadendo accelerant, videtur admittere. Nam Lib. 1. c. 8. de Cælo indicat incremento gravitatis, celeritatem motûs naturalis elementorum gravium verſus centrum, augmentum proportionale colligere. Cùm enim propria & permanens gravitas lapidis non creſcat cadendo, oportet de gravitatione tranſitoriâ, ſive de impetu per gravitationem ſucceſſivè producto, ſententiam illam ejus accipere.

Hanc gravitationem (ut barbarè jam appellamus) alibi

reale
ſaltet
ſaltat (
navis
ſaltantis
ſioni navis
plo ; imò q
aut magis ſt
aëre pendet
vel riparum flu
dum curſum n
in nave quieſce
mirandæ cauſa,

Quia ſicut ſedent
natu ; motus navis,
tijs, quoties navis
dum in navi ſaltans,
præſentiæ, comites m
reſpectu ſpatij navis, e

Ex his quoque collig
ſpatium, præter veram re
extra Mundum: ac proinde
immenſa ibi vacuitate eſſe,
Schol. ad Scot. 1. d. 37. antequam ſol, aut lapis crea
Theologi; ait Hugo Cavellus,
lum. Nulla quippe vacuitas, h
cut imaginamur, magis ibi eſt,
nij campi, quando eos cogitatio
Aliàs non omnino abſurdè Epicu
extra hunc noſtrum ſtatuiſſet; quia,
videtur, tantam vacuitatem unico M
immenſum campum, pro unicâ ſpicâ

Difficulter tamen, niſi longâ meditatio
Leon. Leſſ. lib. 2. c. 2. de divin. perfect. ginarij imaginationem homines corrigunt
nitatem, adverſus Molinam, Suarem, Valent
clarè oſtendit Lud. Mæratius Diſp. 3. de Deo.

ne[illegible] impetûs, ſeu impulsûs ad motum prævij. Sic etiam poteſt
[illegible]lus ſeipſum, aut aliquod corpus immediatè de loco in
[illegible], ſine impulſu prævio tranſportare. Cur enim potentia
A[illegible]co - motiva, ſine tali interpoſito inſtrumento, non po-
[illegible] illud fluens (ut motum localem Scotus appellat)
na[illegible]è producere?
lemq[illegible]en, in quibuſdam motibus, movens principale vide-
ſuppo[illegible]etu, aut alio ſimili inſtrumento.
iſtam [illegible] virtute illa attractiva, quam magnes imprimit
rij, ſub[illegible] enim diſtincta eſt à motu, cùm ceſſante motu,
tenſione[illegible] vaneſcat, ut fugitivus impetus ſolet; ſed multis
verò Scrip[illegible]us permaneat in ferro magneti affricato.
los cælor[illegible]ne projectorum non facilè expediri poteſt ſine
terræ & ca[illegible]petu, à projiciente impreſſo: quo durante la-
menſitatis, [illegible]er aëra, abſente projiciente, volat, ceſſatque
condere, qu[illegible]icente.
verò ullum [illegible]n ubique, motum projectorum, non ab im- Ariſt. lib 8. c 8. Phyſic.
ut SS. Patre[illegible]b aëre lapidem, aut ſagittam vehente fieri Lib. 3. c. 2.
Quòd verò [illegible]e veterum Peripateticorum, & inter re- Cæli &c.
tamen in nulla [illegible]ndinus ſequuntur, Scaliger ceſpitat, Dandin.
eſſe, ideo accid[illegible]it. Statuit enim virtutem quandam lib. 2. Digreſſ. 11.
mus, aut atting[illegible]s vocare) à projiciente imprimi, ſi- de Anima.
hac aſſuetudine [illegible]tuti, quæ ſemini imprimitur à gene-
transferimus, quæ [illegible]imine: quòd *virtus illa quæ eſt in* S. Tho. q.
dam *nihilo*, ut S. Aug[illegible]*ens ab intrinſeco, non fluens ab ex-* Vnic. de
ſideret. Cùm tamen [illegible]*e eſt in projectis.* Anima. a. 11.
mæra fuerit. Nec ta[illegible] etiam impetum, cujus ſucceſ-
tant, ſed de re ipſa [illegible]um deorſum, cadendo acce-
Quomodo? inqui[illegible]ib. 1. c. 8. de Cælo indicat
biculi parietes me[illegible]motûs naturalis elemento-
in medio remanent[illegible]gmentum proportionale
Reſpondeo, [illegible]manens gravitas lapidis
enim iſti proximi [illegible]atione tranſitoriâ, ſive
la vera extenſio, ac n[illegible]producto, ſenten-
Vacuum enim etſi [illegible]
Ariſtoteles, contra[illegible] appellamus) alibi
rum hallucinationes. [illegible] Ariſto-

Ariſt. lib.4. c. 1. de Cælo, Ariſtoteles ῥοπὴν *inclinationem* poſſe vocari dicit. Impetum verò Io. Keplerus, inter Copernicanos nuper celeberrimus, *ſpeciem motûs* (ſive, quâ mediante efficitur motus) appellat; ex ſpecierum viſibilium quadam, ut opinor, ſimilitudine: quia impetus res tenuis eſt, immateriata, & inviſibilis; quæ conditiones ſpeciebus viſibilibus ſolent tribui. *Ex anima jaculantis* Io. Kepler. Lib. de Marte c. 34 *lapillos*, inquit, *ſpecies motûs in lapillis adhæreſcit, quâ provehuntur illi, etiam cùm qui jaculatus eſt, manum ab illis reduxit.*

Quando etiam Angelus non manu, non ullo corporeo membro (quo caret) lapidem jacit, non videtur alio modo id facere poſſe, quàm ex potentia ſua loco-motrice talem ſpeciem, ſive impetum in lapidem effundendo, quo deinde, tanquam vehiculo, ſuccolletur & promoveatur ulteriùs.

Cùm enim Angelus non magis proximè in diſtans, quàm homo agere valeat, ſi per potentiam ſuam loco-motricem immediatè, ſine impetu, lapidem ex loco proximo dimoveat, producendo novum Vbi ad ſpatium ſequens; lapis ibi manebit, niſi ipſe Angelus ſequatur, & per ſingula ſpatia ulteriora protrudat. Cùm igitur potentia loco-motiva aliquando immediatè, aliquando miniſterio impetûs motum localem efficiat; an progreſſiva animalium, impetu utatur in movendo corpus, aut membra animalis, an ſine impetu, mox apparebit. Sed antè diſpiciendum,

ARTICVLVS III.

In qua parte corporis, potentia loco-motrix animalis organum ſuum habeat.

RIxantur hìc Ariſtoteles & Peripatetici cum Galeno & Medicis. Ariſtoteles principium motûs animalis in corde ponit. Quod hoc ſenſu verum eſſe poteſt: quia ex corde, tanquam primâ officinâ fluunt ſpiritus motorij, qui deinde in primis cerebri ventriculis recoquuntur, ac denique in poſtremo perficiuntur, ut ſint idonea inſtrumenta motûs animalis.

Sed in

Sed in hoc Ariſtoteles, rudi adhuc tunc temporis, Anatomiâ, erravit; quòd nervos motorios, quibus motus animalis perficitur, à corde originem ducere credidit. Galenus & Medici contrà (quod omnino verum) à cerebro propagines nervorum naſci, & inde ſpiritus motorios, tanquam à fonte, fluere dicunt. Nam à cerebro ſpinæ medulla traducitur; ab iſtâ medullâ nervi, ſicut rami è trunco, funduntur.

Dat ergo Ariſtoteli Galenus, cor principium eſſe motûs naturalis, quo ſe & arterias ſecum perpetuâ diaſtole ac ſyſtole, die ac nocte movet; motum tamen voluntarium animalis, quem appetitus imperat, in cerebro principium habere, & meritò, contendit. Galen.lib.2 de Placit.

Itaque Medici in poſteriori cerebri cellâ vim quandam irradiativam reſidere docent, non tantùm ad influendum in organa ſenſuum; ſed etiam (ſive eadem, ſive alia potentia ſit) quæ in cavitatem medullæ ſpinæ dorſi, & in propagines nervorum ex ea ſparſas, quandam virtutem loco-motricem effundat. Hinc enim, ſi via illa ſpinæ obſtruatur, vel incidatur, omnis partium inferiorum motus interit. Deinde, ſicuti præter cerebri virtutem irradiativam generalem, in organis ſenſuum eſt quædam potentia particularis, quæ irradiationem illam ad certam actionem ſenſitivam determinat, ut viſus ad viſionem, auditus ad auditionem &c. ita in muſculis, quibus propagines & fibræ nervorum inſeruntur, eſt potentia locomotiva exequens, quæ irradiationem cerebri excipit, & ad motum localem voluntarium, ſive animalem determinat.

Eleganter Laurentius: *Facultatem movendi defert nervus, ſpirituum animalium lator; muſculus ſpiritûs radijs illuſtratus, ſtatim contrahitur, partemque variè, pro voluntatis* (aut appetitûs ſenſitivi, in brutis) *imperio immediatè agitat. Et ut eques habenis equum impellit; ita vis animæ fictrix* (ſive imaginativa) *in cerebro ſedens, nervis quaſi habenis, muſculos movet.* Andr. Laurent. lib. 5. cap. 5.

Et quia imaginatio non proximè, ſed mediante appetitu motum imperat, idem alibi ait: *Facultas animæ appetens, in cerebro pro tribunali ſedens, nervis quaſi habenis, muſculos equis ſimillimos movet.* Cui tamen, appetitum in cerebri arce locanti, non conſentimus. Idem lib. 4 cap. 14.

ſentimus. Antea enim ſedem ejus, cum Ariſtotele, à cerebro in cor retraximus.

Quia igitur muſculus eſt inſtar equi, in quo reſidet potentia loco-motiva quæ equitem portat, aut currum trahit; in parte quoque animalis, quæ muſculus appellatur, potentia illa, quâ animal motu voluntario corpus ſuum, aut aliquod membrum, ut pedem, caput, manum &c. movet, ponenda erit. Vnde Veſalius: *Eſt muſculus, voluntarij motûs inſtrumentum, uti oculus visûs, & lingua guſtûs.*

Veſal lib. 2 cap. 2.

Muſculum autem Hippocrates *σάρκα περιφερία carnem orbicularem* vocat. Nomen habens à quadam muris ſimilitudine: unde in eo caput, caudam, & ventrem diſtinguunt Medici.

Cùm verò muſculis variæ partes quibus conſtant, ut venæ, arteriæ, fibræ, nervi, tendines, caro, inſerantur, diſputant Medicorum filij, quænam muſculi pars ſit proprium & immediatum movendi organum.

Veſalius, & plures carnem fibroſam eſſe conſentiunt. Hæc enim eſt præcipua, & velut ſubſtantialis muſculi pars, cui nervorum canales ſpiritum animalem, & virtutem cerebri irradiativam infundunt.

Hæc autem caro, propter fibras nerveas quibus contexitur, firma & robuſta eſt, ac ad motum ſuſcipiendum, & alijs partibus communicandum maximè idonea. Tendines verò quibuſdam muſculis adduntur, ad majus robur, & intendendam motûs vehementiam. Incredibili enim robore opus eſt, ut muſculi quidam, non tantùm in equis, bobus, camelis, elephantis, graviſſima onera vehant, aut ſuſtentent; ſed etiam in hominibus. Vt exempli gratiâ, *Polydamas in Olympijs*, ait S. Baſilius, *currentes agitatoſque currus manu iniectâ retinebat. Et Milo à ſcuto oleo peruncto & lubricato, nullâ vi, nullo impulſu amoveri poterat; ſed tanquam ſtatua quædam plumbo conglutinata reſiſtebat.*

S. Baſil. Homil. 24.

Mutium Sfortiam, Principem claritudinis Sfortianæ gentis in Inſubribus, tam firmâ digitorum compage ac fortitudine fuiſſe narrat Iovius, ut diſtractam in diverſum utrâque manu, equi ferream ſoleam facilè diſrumperet.

ARTI-

ARTICVLVS IV.

Quo modo exerceatur motus voluntarius animalis.

HÆc quæſtio magnâ ex parte, in Artic. præcedenti deflorata fuit. Quemadmodum enim vis irradiativa, ex ultimo & ſicciſſimo cerebri ventriculo, in organa ſenſuum per nervos ſenſorios, tanquam cauſa univerſalis influit; ita eadem, aut alia ſpecie diverſa virtus, per canalem ſpinæ dorſi, & nervos inde effuſos & dependulos, irradiationem in muſculos trajicit. Hîc potentiam motivam, motûs voluntarij executricem invenit, & eam ad movendum primò ipſum muſculum, ac eo mediante, oſſa & reliquas partes vicinas, adjuvat.

Qualitas verò, muſculo irradiata, unà cum facultate motrice permanenter organo infixâ, ac cum animâ muſculi, quendam impetum immediatè (nam inde incipit motus) muſculo imprimunt; ſimili ferè modo, quo virtus magnetica ferro imprimit, vel quo Angelus, ſine manu, aut alio ſimili inſtrumento corporeo, effundit impetum in lapidem quem projicit.

Impetum autem, non motum localem immediatè, cùm moventur animalia, muſculo imprimi inde colligere poſſumus: quod animal in pleno curſu, motum ſuum illicò abrumpere & ſiſtere non poſſit, etſi maximè velit; ſed procurrat longiùs, quòuſque impetus à facultate motrice impreſſus ipſum aufert.

Hic quoque impetus eſt cauſa, cur animalium curſus non ſtatim in initio, ſed paulò pòſt, ubi multiplicatis impreſſionibus, impetus vires acquiſivit eundo; ſoleat eſſe velociſſimus.

Hinc Iul. Cæſar, narrante Plutarcho, Pompeij in pugna Pharſalica, meritò damnavit conſilium: quòd aciem ſuam ſtare immobilem, & Cæſarianos magno impetu advolantes, pede fixo excipere juſſiſſet. Impetus enim ex curſu auctus (modò laſſitudine miles ſpiritum, & vires non amiſerit)

corpori ac animo robur, ad findendas & disjiciendas contrarias acies, addit.

Nec potentia motiva animalis ſolùm impetum fugacem ac tranſitorium, qualem projectis imprimimus, efficit; ſed etiam permanentem & ſtatarium; qualis eſt ille, quo corpus noſtrum in eodem ſtatu & ſitu (ne proprio, aut ſuperpoſito pondere collabatur) retinemus.

Sicut enim anima vegetativa habet potentiam loco-motricem merè naturalem, qua ſine directione cognitionis, non ſolùm impetu tranſitorio, ſuperfluum alimenti abigit, ſed etiã quod utile eſt trahit, & ſibi apprimit, firmiterque retinet; ita animam ſenſitivam, in motu voluntario ſui corporis, ſimilibus facultatibus inſtructam eſſe oportet. Quales quoque facultates abigendi, attrahendi, retinendi ferri, in quibuſdam corporibus magneticis Philoſophi Naturales agnoſcunt.

Et ſanè, ſine ejuſmodi, & quidem validiſſimâ, potentiâ muſculos, tendines, & oſſium ligamenta firmandi, ac in eodem ſtatu, ne ſub onere fatiſcant, retinendi, quomodo ſacci-geri, ceterorumque graviſſimorum onerum bajuli; pondera illa corpore tam fragili valerent ſuſtinere? Nimis enim pinguis eſt comparatio Sorani & Tertulliani, qui credere videntur, corpus (ab animâ corporeâ, ut putant) ſicut navem à mari ſuſtentari.

Tertull. lib. de Anima c. 8.

Hoc denique magnam habet admirationem: quomodo animalia bruta ſtatim atque ex utero, vel ovo excluſa, omnium inſtrumentorum quibus membra ſua movent, uſum cognoſcant.

Galen. lib. de format. fœt.

Galenus cauſam eſſe putat: quòd *anima partes illas inſtrumentarias conſtruxerit, & non ab alio factis utatur.*

Sed faber ferrarius ſecurim etiam conficit, nec tamen illicò eâ uti, & fabri lignarij opus exercere novit.

Dicendum igitur potiùs: quòd ſive anima muſculos, nervos tendines, & vincula ſui corporis (id eſt inſtrumenta motûs) ſive cauſa alia ſublimior ac divinior (quod dubitat Galenus) architectata ſit; nullo ſenſu externo, aut interno inſtrumenta illa, aut eorum uſum propriè cognoſcat. Lepus

enim

enim currens non novit quid muſculus, quid nervus; neque cogitat, quomodo iſta inſtrumenta contrahenda, aut explicanda ſint, ut curſus fiat.

Imò homo, tanto ſapientiæ intervallo beſtijs excellentior, quando pedem vel manum movet, de muſculis, & ceteris inſtrumentis motûs nullam omnino plerumque cogitationem habet. Nec enim corpora noſtra muſculis & nervis, ficut fabri trabes funibus & trochleis, quorum inſtrumentorum uſum ab arte didicerunt, movemus; ſed inſtrumenta noſtra, à naturâ opifice fabrefacta, ex naturæ ejuſdem inſtinctu ad opus cæco modo applicamus.

Nec refert, quòd motus iſti tam in brutis, quàm hominibus appellentur voluntarij. Ad hoc enim ſufficit, ut confuſa quædam cognitio motûs localis, & voluntas, ſive appetitio eum exercendi præcedat; etiamſi nulla alia determinata notitia inſtrumenti motûs, aut modi illo utendi adjungatur, ſed ex priori illâ confuſâ cognitione, & appetitione motûs localis, applicatio talis inſtrumenti, & modus utendi, per naturalem ſympathiam reſultet. Nam ideo ſolùm iſti motus dicuntur voluntarij, ut à motibus merè naturalibus, qui nullâ omnino præcedente cognitione, & appetitu elicito, à ſuis cauſis effluunt, diſtinguantur. Quali motu merè naturali cor palpitat, arteriæ micant, chylus ad hepar trahitur, ſanguis per venas in totum corpus diſpenſatur.

PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ
DE ANIMA
LIBER QVARTVS
De Anima rationali.

TAndem per inferiores animæ gradus, ad ſupremum & rationalem aſcendimus.

Materia philoſophandi vaſta, varia, & difficilis. *Quanta difficultas probandi, tanta operoſitas ſuadendi*, inquit Tertullianus; *ut meritò Heraclitus ille tenebroſus, vaſtiores caligines animadvertens apud examinatores animæ, tædio quæſtionum pronunciarit: terminos animæ nequaquam inveniſſe, omnem viam ingrediendo.*

Tertull. lib. de Anima cap. 2.

Ipſe verò Tertullianus, certius aliquid ſe inveniſſe putans: *Chriſtiano*, ait, *paucis ad ſcientiam hujus rei opus eſt. Nam & certa ſemper in paucis, & amplius illi quærere non licet, quàm quod inveniri licet. Infinitas enim quæſtiones Apoſtolus prohibet. Porrò non amplius inveniri licet, quàm quod à Deo diſcitur. Quod autem à Deo diſcitur, totum eſt.*

1. Tim. 1.

Verùm, quantum quandoque exerrent, qui à Deo ex Scripturis ſanctis ſe doceri putant, exemplo hîc ſuo egregiè docuit Tertullianus; qui animam humanam, homuncionem quendam corporeum, capite, pectore, manibus, pedibus, ac omnibus membris expreſſum, corpori majori, tanquam thecæ aut vaginæ, inſertum eſſe credidit.

S. Auguſt. lib. 10. c. 25 Geneſ.

Non ob aliud, inquit S. Auguſtinus, *niſi quòd animam incorpoream cogitare non potuit; & ideo timuit, ne nihil eſſet, ſi corpus non eſſet.*

2 Cor. 4. Luc. 16.

Vndè non ſatis eſt, rapere fragmina verborum ex Libris Scripturarum, veluti *Hominem qui intus eſt*, à Paulo, *Linguam*

animæ Epulonis, à Luca; & inde animam in inteſtinis noſtris habitantem, linguâ, dentibus, capite, & omnibus, inſtar exterioris corporis noſtri, membris fabricare, ut factum à Tertulliano; ſed verum & interiorem Scripturarum ſenſum, non vacuum corticem oportet in hanc de Anima doctrinam convertere.

Inter SS. Patres autem, de ſubſtantia animæ rationalis, ejuſque operationibus, nemo plura Auguſtino ſcripſit. Quæ Deus illum docuit, dum adverſus Manichæos & Pelagianos, pro fide Chriſtiana dimicat; quorum errores circa animæ ſubſtantiam, & operationes maximè verſabantur. Vnde vir modeſtiſſimus, licet multa ſe adhuc ignorare dicat: *Ego tamen*, audenter dicit, *quàm multa poſſim de hominis natura ſcientiſſimè diſputare, ſi explicare velim, plura volumina implebo.* S. Auguſt. lib. 4. c. 2. de orig. animæ.

Et hanc de Anima Philoſophiam tam familiarem habuit, ac tantas in ea delicias invenire ſolitus, ut *in hoc genere obſcuriſſimarum rerum*, ait alicubi de eo Eraſmus, *perlibenter verſari ſoleat: adeo ut ſi quando caſu inciderint, illic veluti viator ad amœnum fontem, itineris propemodum oblitus, deſideat.* Eraſm. ad calcem lib. S. Aug. de Trin.

Cujus igitur potiùs, quàm S. Auguſtini Scholam, ad diſcendum quæ animæ noſtræ ſunt, intrabimus?

CAPUT I.

De immortalitate animæ rationalis.

THaletem primum inter Philoſophos, animæ noſtræ immortalitatem aſſeruiſſe, ſunt qui exiſtiment, ait Laërtius. Sed Cicero eam laudem Pherecydi, Pythagoræ præceptori defert. Cui credidiſſe videtur S. Auguſtinus. Nam Epiſtolâ ad Voluſ. ait: *Quis nunc extremus idiota, vel quæ abjecta muliercula non credit animæ immortalitatem, vitamque poſt mortem futuram? Quod apud Græcos olim primus Pherecydes Aſſyrius cùm diſputaſſet, Pythagoram Samium, illius diſputationis novitate permotum, ex Athleta in Philoſophum vertit.* Cic. lib. 1. Tuſc. S. Auguſt. Epiſt. 3.

Vterque autem, Thales, inquam, & Pherecydes origine Syrus fuit, & facilè potuit, ut à vicinis Hebræis veritas iſta ad

ad ipſos manaverit. Potuit quoque Pherecydes à Thalete accepiſſe. Nam Euſebius Thaletem Romulo ſynchronum, facit aut paulò vetuſtiorem, regnante apud Iudæos Achaz: Pherecydes verò citerior, *meo regnante gentili*, inquit Cicero, id eſt Servio Tullio, qui quintus à Romulo fuit.

Hanc autem, de immortalitate animæ, *opinionem diſcipulus Pherecydis Pythagoras maximè confirmavit*, addit Cicero; *qui cùm regnante Tarquinio Superbo, in Italiam veniſſet, tenuit magnam illam Græciam cùm honore & diſciplina, tum etiam auctoritate. Multaque ſecula poſtea ſic viguit Pythagoreorum nomen, ut nulli alij docti viderentur.*

A Pythagoreis deinde ad Anaxagoram, Socratem, Platonem, Ariſtotelem, & nobiliſſimos quoſque, ac ſublimioris ingenij Philoſophos fluxit eadem opinio. Democriti maximè Scholâ, ac Epicuri deinde in diverſum abeunte, & hominum mores, unà cum animæ immortalitate, interficiente.

Plutar. lib. de animæ generat. Quapropter Plato, qui in iſtos animorum carnifices *acriùs invehebatur, quàm ejus ætas ferret*, ut narrat Plutarchus; ita Democritum oderat, ut inter Philoſophos habendum negaret, & in tot ſuis Libris, ne minimâ quidem mentione eum dignatus ſit.

Democritus enim & Epicurus materiales, & pinguiſſimæ Minervæ Philoſophi, nil niſi corporeum, & atomorum concurſu cohæſum, ac deinde ſolutile, apprehendere poterant. Vnde etiam Cicero, cum omnium de immortalitate animæ ſententias recenſeret, ubi ad Democritum ventum eſt: *Democritum*, ait contemptim, *illum magnum quidem virum, ſed levibus & rotundis corpuſculis efficientem animum concurſu quodam fortuito, omittamus. Nihil enim eſt apud illum, quod non atomorum turba conficiat.*

Stoici verò ut lepidè idem ait, *uſuram nobis largiuntur, tanquam cornicibus; diu manſuros aiunt animos, ſemper negant.* Id eſt, morienti corpori ſuperſtites quidem manere dicebant, ſed poſt annorum aliquas periodos diſſolvi. Animas enim ſubtilem quendam ignem eſſe credebant, qui, cùm tardiſſimè, publicâ Mundi Conflagratione abſumeretur. Et tunc tales nos futuros dice-

Vid. I. Lipſ. lib. 3. diſſert. 11. Phyſiol. Stoic.

dicebant, quales fuimus antequam naſceremur, id eſt, futuros nihil.

Etſi enim virtutem, & ſapientiam jactarent & creparent Stoici, craſſo tamen adhuc admodum ingenio erant, nec ſpiritum igneo ſubtiliorem poterant cogitare. Vnde anima rationalis, imò Deus ipſe, ſpiritus igneus & corporeus ipſis erat.

Sed quinam ſunt illi, quos Tertullianus animam *pluſquam immortalem affirmaſſe* dicit? *Alij*, inquit, *immortalem negant animam, alij pluſquam immortalem affirmant.* Tertull. lib. de Anima cap. 3.

Sine dubio, Gnoſticos, & ejus farinæ hæreticos (quos ſecuti deinde Manichæi & Priſcillianiſtæ) intelligit, qui animam divinæ particulam auræ, ſive Dei partem integralem eſſe delirabant. Si enim pars Dei eſt, *pluſquam immortalis* erit; quia non per participationem tantùm, ut creatura, ſed per eſſentiam, ut Dei pars, paris immortalitatis cum ſuo toto.

Peſtilentem verò Epicuri, *quem tamen doctiſſimus quiſque contemnit*, aiebat olim Cicero, de animorum noſtrorum mortalitate opinionem, à ſeſqui jam ſeculo inſtauravit in Italia Pet. Pomponatius, *edito volumine* (ait Paul. Iovius, ejus in Schola Bononienſi auditor) *quo animas, poſt corporis mortem interituras, ex ſententia Ariſtotelis probare nitebatur; ſecutus Aphrodiſei placita. Cujus dogmate ad corrumpendam juventutem, diſſolvendamque Chriſtianæ vitæ diſciplinam, nihil peſtilentius induci potuit.* Cic. lib. 1. Tuſc.

Hoc infame & pluſquam hæreticum dogma tot Macciavellos, novos Epicureos, & Diagoras, alioſque per Italiam Atheos genuit. Vnde paulò poſt, in Conc. Lateranenſi Leo X. adverſus eos Decretum vulgare coactus fuit: quod hîc adſcribere inutile non erit.

Decretum Leonis Papæ X. in Conc. Lateran. Seſſ. VIII. Anno MDXIII.

CUm diebus noſtris (quod dolenter referimus) zizaniæ ſeminator, antiquus humani generis hoſtis, nonnullos pernicioſiſſimos errores à fidelibus ſemper exploſos, in agro Domini ſuperſeminare, & augere ſit auſus, de natura præſertim animæ rationalis: quòd videlicet mortalis ſit, aut unica in cunctis hominibus; & nonnulli temerè philoſophantes, ſecundum ſaltem Philoſophiam, verum id eſſe aſſeverent. Contra hujuſmodi peſtem opportuna remedia adhibere cupientes, hoc Sacro approbante Concilio, damnamus & reprobamus omnes aſſerentes animam intellectivam mortalem eſſe, aut unicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes. Cùm illa non ſolùm verè, per ſe & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat; ſicut in Canone felicis recordationis Clementis Papæ V. prædeceſſoris noſtri, in Generali Viennenſi Concilio edito, continetur; verùm & immortalis, & pro corporum quibus infunditur, multitudine, ſingulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda ſit. Quod manifeſtè conſtat ex Matt. 10. *Evangelio, cùm Dominus ait:* Animam autem occidere non poſſunt. *Et alibi:* Qui odit animam ſuam in hoc Mundo, in vi- Io. 12. tam æternam cuſtodit eam. *Et cùm æterna præmia, & æterna ſupplicia, pro merito vitæ judicandis repromittit. Aliàs Incarnatio, & alia Chriſti myſteria nobis minimè profuiſſent, nec reſurrectio expe-* 1. Cor. 15. *ctanda foret, & ſancti ac juſti* miſerabiliores eſſent, *juxta Apoſtolum,* cunctis hominibus.

Cumque verum vero minimè contradicat, omnem aſſertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, omnino falſam eſſe definimus: & ut aliter dogmatizare non liceat, diſtrictiùs inhibemus. Omneſque hujuſmodi erroris aſſertionibus inhærentes, veluti damnatiſſimas hæreſes ſeminantes, per omnia ut deteſtabiles & abominabiles hæreticos & infideles, Catholicam fidem labefactantes, vitandos & puniendos fore decernimus.

Inſuper

Inſuper omnibus & ſingulis Philoſophis in Vniverſitatibus ſtudiorum generalium, & alibi publicè legentibus, diſtrictè præcipiendo mandamus, ut cùm Philoſophorum principia, aut concluſiones, in quibus à recta fide deviare noſcuntur, Auditoribus ſuis legerint ſeu explanaverint, hoc eſt, de animæ mortalitate, aut unitate, & Mundi æternitate, ac alia hujuſmodi, teneantur eiſdem veritatem religionis Chriſtianæ omni conatu manifeſtam facere, & perſuadendo, pro poſſe, docere, ac omni ſtudio hujuſmodi Philoſophorum argumenta, cùm omnia ſolubilia exiſtant, pro viribus excludere atque reſolvere.

Ex hoc Leonis X. & Conc. Lateranenſis Decreto ſumptum videtur ſolenne illud juramentum, quo Facultas Artium Vniverſitatis noſtræ Lovanienſis in Promotione ad Licentiam poſt exactum ſtudij Philoſophici biennium, ſuos obſtringit.

Iurabitis inſuper, quòd ſi contingat vos quæſtionem aliquam determinare debere, quæ & Philoſophiam & Fidem tangat; quòd eam determinabitis pro Fide, & rationes contra Fidem ſolvetis, prout vobis ſolvendæ videbuntur.

ARTICVLVS I.

Quid Ariſtoteles de animæ immortalitatē ſenſerit.

ALexander Aphrodiſeus, Græcus, & Pet. Pomponatius, Latinus Ariſtotelis Interpretes, magna profectò injuria præceptorem ſuum affecerunt, dum eum animarum noſtrarum carnificem fecerunt.

Hinc enim factum, ut Athei Macciavelliſtæ, & novi Epicurei Philoſophum omnium ingenioſiſſimum, quem Averroës *humani ingenij finem* vocat, in infamem Scholam ſuam attrahere conentur. Vnde Vrbanus Papa VIII. cùm adhuc Bononiæ Legatum ageret, juſſit Auguſtinum Oregium, Philoſophum inſignem, diligenter in ſententiam Ariſtotelis inquirere: ut ſi hujus erroris ac infamiæ compertus inveniretur, re ad Summum Pontificem relatâ, Lectiones ejus de ea materia, à Scholis Chriſtianorum proſcriberentur. Sed Oregij calculo abſolutus eſt.

Oreg. lib. de Immortal. animæ cap. 5.

Nec tamen nova hæc eſt de mente Ariſtotelis dubitatio. Nam præter Scotum, Henricum, Hervæum, Beverum noſtrum, Conimbricenſes, & pauculos alios Scholaſticos, qui inter mortalitatem & immortalitatem fluctuaſſe volunt, ſanè S. Gregorius Nazian. *Ariſtotelis mortales de anima ſermones* appellat. Origenes quoque, Gregorius Nyſſenus, alijque quidam ex Patribus in ſequiorem partem eum interpretantur.

Scot. in 4. d. 43. q. 2.

Naz. Orat. 33.

Sed iſtam de mente ejus dubitationem mos ſcribendi Ariſtotelis, credo, fecit, qui datâ operâ ac ſtudio ſæpe tortuoſus & obſcurus eſt. Vnde veteres eum ſepiam appellabant, qui ſuo ſe atramento infuſcaret. Deinde, ut docti quidam animadverterunt, non omnia uno loco edicere ſolet; ſed quæſtiones hîc excitatas, non rarò in aliam, quam proſpicit, majorem opportunitatem differt: aut certè, quia ſe, vel Lectorem ſuum propriâ cogitatione pauliſper ſuſpendere, maturitatis & prudentiæ intereſſe putat.

Plurimis verò teſtimonijs intima ejus de immortalitate animæ mens oſtendi poſſet, & ante factum ab alijs; ſed paucula, & quæ manifeſtiſſimè, ni fallor, eam nudant, ſeligemus.

I. Famoſus eſt ille Lib. 1. c. 1. de Anima locus. *Si eſt aliqua operatio animæ propria,* ait, *continget utique eam ſeparari; ſi nulla operatio eſt propria, non erit ſeparabilis.*

Vbi animam illam à corpore ſeparabilem, & mortuo corpori ſuperſtitem fore affirmat, ſi operationem aliquam propriam, non corpori communem habeat. Operationem autem communem vocat, quam anima per organum corporeum exercet.

II. Libro autem 2. c. 2. de Anima hanc dubitationem reſolvere incipiens: *De mente autem*, inquit, *& ſpeculativa potentia, nihil adhuc manifeſtum eſt* (ex ijs quæ hactenus dixerat:) *ſed videtur genus aliud animæ eſſe; & hoc ſolum poſſe ſeparari, ſicut perpetuum à corruptibili.*

III. Sed Lib. 2. c. 3. de Generat. animal. reſolutiſſimè. Cùm enim dixiſſet, *animas brutorum non poſſe ſeorſum à corpore exiſtere; quia quorum principiorum operatio eſt corporalis, hæc ſine*

corpore eſſe non poſſe manifeſtum eſt, addit: *Reſtat igitur ſolam mentem* (ſic animam rationalem, ſecundum ſupremum rationalitatis gradum appellat) *extrinſecùs advenire, ſolamque divinam eſſe. Nihil enim cum ejus operatione communicat operatio corporalis*. Quid magis diſertè poteſt? Libros autem iſtos ſenem & poſt Libros de Anima (quos aliquoties in iſtis memorat & citat) ſcripſiſſe conſtat.

Ex eodem etiam loco patet, quam *operationem animæ propriam* Libro 1. c. 1. Tex. 13. de Anima, Ariſtoteles vocaverit; nempe eam, cui opponitur operatio, quam hoc Lib. 2. c. 3. de generat. animal. ἐνέργειαν σωματικὴν *operationem corporalem* appellat: quæ videlicet per organum corporale ab anima exercetur, ac in illud recipitur. Talis quippe operatio non eſt animæ rationali propria, ſed ei cum corpore communis. Propria, autem eſt, in qua οὐ κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνέργεια *non communicat operatio corporalis*, ut ait.

Si igitur talem operationem propriam mens humana in corpore exercere valeat: ut quando ultra omnia ſenſibilia, ad res ſpirituales, uſque ad Angelos, & Deum ipſum cogitandum, aciem ſuam elevat, ſignum eſt, eſſe immaterialem, & minimè à corpore dependentem; ac proinde diſſoluto corpore ſuperſtitem permanere. Cùm enim operari ſit quædam proprietas naturaliter fluens ex eſſentia principij operantis, debet eſſe ei naturali quadam proportione commenſurata. Vnde ſi operatio ita ſit independens à corpore, ut nullo ne quidem inſtrumento corporeo indigeat, non eſt ratio, cur à corpore dependeat, & cur ſine unione ad corpus, talem operationem exercere non valeat.

Quod à contrario, per animarum brutalium corruptibilitatem oſtendi poteſt. Hujus enim incorruptibilitatis radix eſt, quòd illæ animæ nullam naturalem operationem habeant, niſi corporalem & exercitam per corpus. Vnde ſi à corpore ſeorſim exiſterent, eſſent *immobiles, & ad modum glirium dormientium torperent*, ut lepidè S. Hieron. inactuoſæ videlicet & fruſtrà; cùm tamen Deus & natura nil fruſtrà faciant, aut eſſe patiantur in rerum ratione. Hinc paulò antè citatus Ariſto-

S. Hieron. contra Io. Ieroſol.

Ariſtoteles, tantâ aſſeveratione dicebat: *quorum principiorum operatio eſt corporalis, manifeſtum eſſe, ſine corpore non poſſe exiſtere.*

Atque licet prædicta Ariſtotelis demonſtratio, quæ incorporalitatem animæ colligit ex incorporalitate cujuſdam operationis quam in corpore exercet, non ſit tam evidens & certa, ut protervum ingenium cogere ac convincere valeat; ad perſuadendum tamen ingenuo & bene diſpoſito homini, ſufficit. *Non oportet enim*, ait alicubi Ariſtoteles, *exactam certitudinem ubiq; requirere, ſed in ſingulis juxta materiæ ſubjectæ capacitatem.* Ariſt. lib. 1. c. 7. Ethic.

IV. Quid deinde iſto teſtimonio luculentius? Libro enim 1. c. 4. de Anima dicit: *Mens* (ſive anima rationalis) *videtur ingigni, eſſentia quædam exiſtens* (per ſe ſubſiſtens, etiamſi corpori inexiſtat) *neque corrumpi.* Cujus aſſertionis luce Alex. Aphrodiſeus, qui alibi ad animæ mortalitatem Ariſtotelem deducere non ceſſat, perſtrictus, dat hîc manus, & re verâ Ariſtotelem ſenſiſſe animam noſtram incorruptibilem, tandem fatetur.

V. Imò Lib. 8. c. 1. Metaphyſ. ipſemet Aphrodiſeus non tantùm Ariſtoteli, ſed veritati reconciliatus: *Anima*, inquit, *non omnis ſeparatur à materia, ſed tantùm particeps rationis.* Item: *Nunquam forma materialis abſque materia eſſe poteſt, ſed illæ ſolùm, quæ rationis ſunt compotes.*

Eant jam ergo Niphus & Scaliger, & Aphrodiſeum *animorum carnificem* appellent. Ab iſta igitur macula meritò eum purgat Eugubinus: ac protrocinio ejus poſthac abſtineant novi Epicurei & Pomponatius.

VI. Libros deinde Ethicorum Ariſtoteles ad filium ſuum Nicomachum ſcripſit: quem moriens (& eum amici Nicanoris tutelæ tradens) in teſtamento ſuo *puerum* appellat. Vnde patet, non dudum ante mortem Libros illos conſcriptos fuiſſe; cùm filio dedicaverit, qui in morte parentis, *puer* adhuc erat.

Libro autem Ethic. 10. c. 6. & 7. duos homines in uno homine diſtinguit, ait eruditus ejus Interpres Euſtratius: *Vnum, qui animâ & corpore conſtat; alterum* (*qui verè, maximè, & præcipuè homo eſt*) *eſſe mentem noſtram. Cujus altiſſima contemplatione homo efficitur felix. De qua mente, progrediendo, ita dicit: Separata autem à corpo-*

à corpore, eſt ipſum id quod eſt. Quibus ex verbis, addit Euſtratius, *patet, eos qui dicunt Ariſtotelem mortalem eſſe animam opinari, nihil dicere.*

Hinc in eundem Libri 10. Ethic. locum Io. Major: *Ego ſanè reor*, inquit, *Ariſtotelem velle, conſequenter ad dicta Libro 3. de Anima, animam immortalem dicere. Et non ſolùm hoc; ſed etiam, eam ſeparatam perpetuò contemplari cæleſtia, & non habere commercium cum vita humana.*

Et nonne locus etiam iſte Lib. 3. c. 5. de Anima, ſatis eſt illuſtris? *Intellectus agens*, inquit, *ſeparabilis eſt, & immiſtus, ac impaſſibilis*: paſſione videlicet corruptivâ. Intellectus autem agens, S. Thomæ & optimorum Interpretum explanatione, potentia animæ eſt, non ſubſtantia aliqua ſpiritualis, extrinſecus animæ aſſiſtens. VII.

Mens quoque Ariſtotelis ſatis liquida, ex Lib. 4. c. 10. de partib. animal. *Solus homo omnium animalium erectus eſt*, ait, *quia natura ejus & eſſentia divina eſt. Officium quippe diviniſſimi eſt, intelligere & ſapere*, Hæc autem eſſentia hominis divina, intelligens, & ſapiens, non eſt hominis corpus, ſed rationalis ejus anima. VIII.

Cùm autem Ariſtoteles aliquam eſſentiam *divinam* vocat, ἄφθαρτον *incorruptibilem* intelligit, & Deo, per quandam æternitatem participatam, ſimilem.

Libro 12. c. 3. Metaphyſic. poſtquam dixiſſet, nullam formam compoſito ſuo antiquiorem eſſe: *An verò*, ait, *aliqua poſteriùs maneat, conſiderandum eſt* (alibi, videlicet in Libris de Anima.) *In quibuſdam formis enim nihil prohibet. Veluti, ſi anima talis ſit, non omnis, ſed mens.* IX.

Nec refert, quòd videatur dubitare, cùm ait, *Si anima talis ſit*. Nam mos Ariſtotelis fuit, ut ubi etiam ſententia ei firmiſſimè ſedet, molliſſimè tamen, & quaſi dubius, ſecumque adhuc diſputans, loquatur, per particulas, *Si hoc eſt*, vel, *fortaſſe*, aut, *videtur* &c. ne aliorum Philoſophorum Scholas offenderet, quæ Athenis tunc oppoſitum fortiter ſuſtinebant. Vnde in illo Metaphyſicæ loco, immediatè ſubdit: *Omnem namque animam fortaſſis impoſſibile eſt*, nempe poſteriùs manere, diſſoluto

luto corpore. Vbi vides additum *fortaſſis*: cùm tamen in Schola ipſius certum & affirmatiſſimum eſſet, non omnem animam (non enim brutorum) ſeorſum remanere. Sed propter Pythagoricos & Platonicos, qui animas hominum per μετεμψύχωσιν *tranſanimationem* cenſebant in corpora brutorum migrare, ſic ſuam ſententiam emollit.

Et ut morem iſtum ejus in alio exemplo oſtendam: quid in Lyceo ejus magis fixum & reſolutum, quàm continuum non componi ultimo ex atomis indiviſibilibus? Nam alicubi ſine ullo fluctu dicit: *Manifeſtum eſſe, quòd omne continuum ſit diviſibile in ſemper diviſibilia.* Item: *Demonſtratum eſſe, quòd impoſſibile ſit, ex indiviſibilibus aliquod continuum eſſe.* Et tamen Lib. 13. c. 2. Metaphyſ. quaſi dubitans ait: *Nihil ex lineis, aut ex ſuperficiebus, aut ex punctis videtur conſiſtere poſſe.*

Ariſt. lib 6. c. 1. & 2. Phyſic.

Hac animadverſione plurima loca Ariſtotelis facilè exponi poſſunt, quæ nobis objectantur ab ijs, qui contendunt eum de animæ immortalitate ambiguum fuiſſe.

Hoc denique addamus. Lib. 3. c. 4. de Anima laudat Anaxagoræ ſententiam, qua dixit: *Neceſſe eſſe, mentem, quia omnia intelligit, eſſe impermixtam, ut ipſa dominetur, id eſt, ut cognoſcat.* Debet quippe ſpiritualitate quadam extra conditiones corporis mens noſtra elevari, nec ei, quemadmodum animæ brutorum, immergi ac permiſceri, ut omnia, etiam ſpiritualia, valeat cognoſcere.

Anaxagoram autem hoc dixiſſe, quia animam rationalem cenſeret immortalem, eſt in comperto.

Hinc indignanti cuidam, quòd extra patriam, in ſolo alieno moreretur, *Reſpondit* Anaxagoras, inquit Laërtius, *bono animo eſto: æqualis undique in Infernum eſt deſcenſus.* Vbi manifeſtè ſupponit animam mortuo corpore ſuperſtitem, ad Inferos, aut cælum ire. Nam & alteri cuidam iraſcenti & interroganti (quia amore Philoſophiæ cetera omnia prorſus negligebat:) *Ergóne nulla patriæ cura tibi eſt?* illicò repoſuit Anagoras: *Mihi verò patriæ cura, & quidem ſumma eſt; digitum in cælum intendens.*

Laërt. in Vita Anaxagor.

Laërt.

Quid Cicero? Nonne ſententiam Ariſtotelis ſic interpretatur,

Cic. lib. 1. Tuſcul.

tatur, ut *quinta quadam natura ab Ariſtotele inducta, primùm deorum ſit, & animorum: eſſeque ſingularem quandam naturam, atque vim animi, ab his uſitatis notiſq; naturis ſeiunctam?*

Et quidquid illud eſt quod ſentit, quod ſapit, quod vult, quod viget, cæleſte & divinum eſſe; ob eamque rem æternum ſit, neceſſe eſſe? Et Eruditiſſimus Ariſtotelis interpres Themiſtius: *Intellectum potentiæ* (quem jam poſſibilem vocant) *nulla dubitatio eſt, quin impatibilem, & ſeparatum Ariſtoteles putaverit. Item, qui cum corpore miſceri non poſſit, & cui nullus uſus corporei inſtrumenti ſit.* Themiſt. lib. 3. c. 39. de Anima.

Quid Theophraſtus, Ariſtotelis diſcipulus, & in Schola ſucceſſor? Nonne ex Magiſtri ſui diſciplina, immortalitatis animorum eſt aſſertor? Denique tot teſtimonijs & ſignis Philoponus, nobilis & acutus Ariſtotelis Interpres, hoc pateſcere exiſtimat, ut *inſanire eos* dicat, *qui putant Ariſtotelem opinari animam eſſe mortalem*. Et eruditus quidam apud Photium: Philop. lib. 1. Text. 66. de Anima.

Plato & Ariſtoteles unanimi conſenſu, inquit, *immortalem dicunt animam; licet quidam profundam Ariſtotelis mentem non penetrantes, putent dixiſſe eam eſſe mortalem.* Phot. Bibliotec. ex Vita Pythagoræ.

De Platone verò nulla unquam dubitatio. Nimis enim dilucidè & ex profeſſo (cum ira etiam adverſus Democritum & aliter ſentientes) animas noſtras immortales aſſeruit. Nec mirum, cùm animam non informare corpus, ſed regere, ut nauta navem, cenſuerit. Unde Cleombrotus Ambraciota, lecto Platonis de Anima Libro, ubi ejus immortalitatem tantâ affirmatione inculcaverat, mori geſtiens, ait S. Gregor. Naz. de altiſſimo muro ſe præcipitavit. Simile fermè de Uticenſi Catone Lactantius. *Romanæ ſapientiæ princeps Cató*, ait, *antequam ſe occideret, perlegiſſe Platonis Librum dicitur, qui ſcriptus eſt de æternitate animarum, ad ſummum nefas, Philoſophi auctoritate compulſus eſt.* S. Naz. Orat. 3. Lactant. lib. 3. c. 18

Et in eadem mente fuerunt omnes, quos Cicero Philoſophos *Conſulares*, Lactantius *Reges Philoſophorum* appellat; ceteri, ut Democritus, Epicurus &c. *plebeij* tantùm ſunt, nec in hoc Senatu audiendi. Cic. lib. 1. Tuſc.

ARTI-

ARTICVLVS II.

Quibus conjecturis Ariſtoteles mortalitati animæ faviſſe putatus eſt.

CApitale hoc eſt, & quo non tantùm Aphrodiſeus & Pomponatius præcipuè moti, ſed etiam Cajetanus, qui ubique alibi Ariſtotelem, cum S. Thoma in bonam partem interpretatur, Commentario Libri 1. de Anima, mutatâ ſubitò ſententiâ, cadit in adverſam, & Ariſtotelem animæ interfectæ reum agit.

I. Nam Lib. 1. c. 1. Ariſtoteles definitè ait: *Si intelligere animæ eſt imaginatio quædam, aut non ſine imaginatione, non continget utique hoc ſine corpore eſſe.* Atqui Lib. 3. c. 8. de Anima dicit intelligere animæ non eſſe ſine imaginatione. Ait enim: *Neceſſe eſſe ſpeculantem, aliquod ſimul phantaſma ſpeculari.*

Reſp. Ariſtotelem ibi loqui de ſpeculatione, qua intellectus ſpeculatur rem ſenſibilem, mediante phantaſmate, quod à ſenſu externo rapuit. Vnde addit: *Talia phantaſmata eſſe*, reſpectu intellectûs ea ſpeculantis, *veluti ſunt ſenſibilia*, reſpectu externi ſensûs.

D. Thom. lib. 2. c. 80. contra Gent.

Quod clariſſimè interpretatus D. Thomas: *Intelligere*, inquit, *licet non ſit operatio per aliquod organum corporeum exercita; tamen objecta ejus ſunt phantaſmata, quæ ita ſe habent ad ipſam; ut colores ad viſum.*

Talis quippe rei ſenſibilis ſpeculatione, intellectus in phantaſma illius rei, tanquam in objectum proximum; ſicuti ſenſus externus in externum ſenſibile, tendit.

Sed ubi intellectus res ſpirituales, ut juſtitiam, ſapientiam, aut Dei eſſentiam, quæ nullum proprium phantaſma habent, ſpeculatur, in quonam, quæſo, phantaſmate, ut objecto proximo, res illas ſpeculatur?

Ac licet interea, dum intellectus ſpeculatione ſua in Dei uſque eſſentiam erectus eſt, phantaſia, per naturalem cum intellectu noſtro ſympathiam, circa aliquod phantaſma (quod propriè Dei phantaſma nō eſt) ludat; hoc tamen non oſtendit illam

illam intellectûs operationem ita alligatam eſſe phantaſmati, & conſequenter, corpori, ut ſine corpore eſſe non poſſit.

Prior ergo illa Ariſtotelis ſententia: *Si intelligere animæ non eſt ſine phantaſticâ imaginatione, non continget illud eſſe ſine corpore*, hoc modo accipienda eſt: Si intellectus nihil intelligere poſſit, niſi in phantaſmate, quod ideo imaginatio ei proponit, ut rem aliquam aliam in eo phantaſmate intueatur; profectò talis intellectio ſeparari à phantaſmate corporeo non poterit; quandoquidem ipſa à tali phantaſmate, ut ab objecto proximo eſſentialiter dependeat.

Secundò, Libro 3. c. 5. de Anima, docet, inquiunt, παθητικὸν νοῦν φθαρτὸν εἶναι *paſſivum intellectum corruptibilem eſſe*. II.

Reſp. Themiſtium, Philoponum, Averroëm, D. Thomam, Buridanum, Bricotum (& quis non?) *intellectum paſſivum* interpretari phantaſiam, ſive cogitativam hominis, quæ ratio inferior appellatur & potentia organica eſt, quâ homo ſenſitivus ratiocinatur & diſcurrit ſub homine ſpirituali, id eſt, ſub animâ intellectivâ, ut rota inferior ſub ſuperiori. Hæc autem inferior ratio, in morte hominis, ſicut ceteræ omnes potentiæ organicæ, corrumpitur.

De intellectu autem ſpiritali & à corpore ſeparabili, ibidem ait, μόνον ἀθάνατον, καὶ ἀΐδιον εἶναι *ſolum immortalem, & ſempiternum eſſe.*

Tertiò, Libro de Memoria c. 1. ait memoriam & reminiſcentiam non poſſe eſſe ſine phantaſmate. Ac proinde reminiſci *competere per ſe ſenſitivo primo*, id eſt, principali ſenſui interno; *per accidens verò competere intellectui*: gratiâ videlicet phantaſmatis, quod intellectus in reminiſcendo debet intueri. Ergo Ariſtoteles non potuit exiſtimaſſe animam intellectivam eſſe à corpore ſeparabilem: quia aliàs poſſet anima ſeparata ſine phantaſmate, per ſpecies intelligibiles olim à phantaſmatibus hauſtas, eorum quæ in hac vita egit reminiſci. III.

Reſp. Poſſe re verâ animam ſeparatam tali modo reminiſci. Sed *reminiſcentia*, apud Ariſtotelem, *eſt phantaſmatis cuiuſdam inventio*, inquit Philoponus. Phantaſma autem iſtud in aliquo, ut ſic dicam, memoriæ angulo, aut ſinu deliteſcens,

poteſt ab ipſo principe ſenſu interno, ſive cogitativâ hominis, per diſcurſum ex propoſitionibus ſingularibus inveniri, & recognoſci; vel per intellectum, ſpirituali cognitione in memoriæ ſenſitivæ theſaurum deſcendentem, & ibi phantaſma ejus rei veſtigantem, cujus volumus reminiſci. Tali autem, & tam ſenſitivo, ac, ut ſic dicam, demiſſo modo anima ſeparata reminiſci nequit; quia ſenſitivæ memoriæ arcam ſecum non aſportat, quam aperire, & phantaſma aliquod in ea quærere, ac invenire valeat.

S. Auguſtinus autem ab Ariſtotele (quem nunquam in ea re, aut in tota Phyſica legerat) diſcedens, Nebridium ſuum docet, ad hujus etiam vitæ reminiſcentiam, nullo proprio phantaſmate eſſe opus. Sicut enim negat res ſpirituales in aliquo phantaſmate, tanquam proximo objecto, à nobis primùm intelligi; ita, quando reminiſcimur, negat intellectũ noſtrum ad aliquod memoriæ ſenſitivæ phantaſma debere converti, & in arca illa memorię ſenſitivę illud quærere. *Quamobrem enim, ut alia omittam*, inquit, *æternitas, nec aliqua imaginaria figmenta requirit, quibus in mentem, quaſi vehiculis veniat, nec tamen venire poſſet, niſi eius meminiſſemus; poteſt eſſe quarundam rerum, ſine ulla imaginatione, memoria.*

S. Auguſt. Epiſt. 72.

Simili modo diſſolvitur, quod ex Libro Ariſtotelis de Longitud. vitæ c. 2. objici poteſt; ubi *corruptis animalibus, ſanitatem & ſcientiam corrumpi* dicit.

Nam in morte brutorum, ſcientia eorum phantaſtica, cum anima irrationali, prorſus interit: in morte hominum, habitus ſcientiæ in intellectu animæ ſeparatæ manet; ſed ejus à phantaſmatibus dependens uſus, qualem habuit in corpore, perit, dum avellitur à corpore.

Ariſt. lib. 1. c. 6. Poſter.

Sic alibi docet Ariſtoteles, per morbum, vel per oblivionem medij, ſcientiam corrumpi. Non quòd habitus ſcientiæ, qui eſt in anima, deleatur; ſed quia actus & uſus ejus intercipitur, deletâ, aut aliter impeditâ ſpecie phantaſticâ, ſine quâ phantaſia operari, & intellectui phantaſmata ſpeculanda objicere, aut ei cooperari nequit.

IV.

Quartò, Ariſtoteles negat ullum dari poſſe infinitum actu. Si

Si tamen animæ rationales, ejus opinione, ſint incorruptibiles, numerus earum jam erit infinitus actu. Opinatur enim Mundum fuiſſe ab æterno, & conſequenter, infinitos annos elapſos eſſe, intra quos infiniti homines ſint mortui, quorum animæ jam ſuperſtites maneant.

Reſp. Averroëm hujus argumenti anguſtijs concluſum, ut evaderet, infame illud paradoxum confinxiſſe: Vnicam nempe in omnibus hominibus, præteritis, præſentibus, & futuris, animam incorruptibilem eſſe. Quod in Conc. Lateranenſi à Leone Papa X. hæreſeos damnatum, ut in Decreto ejus ſuprà recitato vidimus.

Eruditus Beſſarion hâc, & alijs conjecturis contendit, Ariſtotelem fuiſſe in errore ſui Platonis, & Pythagoræ, de animarum μετεμψυχώσει *tranſanimatione*, quâ dicuntur de corpore uno hominis morientis, in aliud naſcentis tranſmigrare. Sic enim, etſi homines per infinitorum ſeculorum ſucceſſionem fuerint infiniti, non eſt tamen neceſſe totidem animas fuiſſe, & jam ſimul coëxiſtere. Nam anima Euphorbi, in bello Troiano à Menelao occiſi, tot annis poſtea, per μετεμψύχωσιν migraverat in Pythagoræ corpus, ſi credere vis Pythagoræ hoc affirmanti. Beſſar. lib. 2 c. 7. contra Calumniat. Plat.

Et Io. Craſſotius Beſſarioni aſſentiens, inde conjecturam facit, Ariſtotelem Pythagoricam illam tranſmigrationem animarum non longè rejeciſſe: *quòd ipſe eam non oppugnet pro ſententiæ celebritate, & ſuâ in oppugnandis alienis conſuetudine.* Io. Craſſot. lib. 3. c. 4. de Anima.

Auguſt. Oregus exiſtimat Ariſtotelem hanc quæſtionem de animæ immortalitate, cum Mundi æternitate nunquam contuliſſe, *quod ego ſciam*, inquit, *adhibitâ multorum annorum diligentiâ*. Idem ante eum opinatus eſt Durandus. Durand. in 2. d. 18. q. 3.

Sed incredibile eſt, tam acuto, & in omnem partem verſatili Ariſtotelis ingenio, colliſionem duarum illarum opinionum nunquam in mentem veniſſe.

Vero ſimilius igitur eſt, de Mundi æternitate dubitaſſe; quia quærebat modum, & nondum invenerat: quomodo eam cum animarum immortalitate poſſet conciliare. Vnde alicubi: *Sunt de quibus*, ait (*quia magna & ardua ſunt*) *ſtatuere* Ariſt. lib. 1. c. 9. Topic.

 nihil

nihil poſſumus, rati difficilem eſſe cauſæ explicationem: veluti, Vtrum Mundus ſit æternus, nec ne.

D. Tho. lib. 2. c. 81. contra Gent. Avicenna denique & Algazel, quos ſequi maluit D. Thomas, volunt *Ariſtotelem in corporibus tantùm naturalibus, non autem in ſubſtantijs immaterialibus negaſſe infinitum actu.*

Cujus ſanè rei non obſcurum indicium: quòd Lib. 3. c. 5. Phyſic. (ubi tamen inimici ejus clamant, quarumcumque rerum infinitudinem eum rejeciſſe) expreſſe dicat: *Fortaſſe hac quæſtio eſt univerſalior, Vtrum fortè contingat infinitum aliquod eſſe in rebus mathematicis, & in ijs quæ ſolo intellectu apprehenduntur, ac in ijs quæ carent magnitudine* (quales profectò ſunt animæ rationales.) *Nos enim* (in Libris iſtis Phyſic.) *contemplamur ſenſibilia, & ea quorum doctrinam hîc ſcribimus, Vtrum in ijs ſit, an non ſit infinitum accretione.* Vbi Philoſophus negat ſe de rerum ſpiritualium infinitudine quidquam decernere.

V. Quintò, Lib. 1. c. 11. Ethic. cenſet abſurdum eſſe, *hominem mortuum dicere felicem*: igitur animam humanam à morte corporis ſuperſtitem eſſe non exiſtimat.

Reſp. De felicitate non ſolius animæ, ſed totius hominis, ut compoſiti phyſici eum loqui. Aliàs in calce ejuſdem capitis: de proſperis, & adverſis amicorum rebus dicit aliquid ad defunctos pervenire. *Conferre aliquid*, ait, *defunctis proſperi amicorum ſucceſſus videntur, ſimili modo etiam infortunia. Ita tamen ac tantum, ut neque felices reddere infelices, neúe quippiam talium efficere valeant.*

ARTICVLVS II.

Quid Hippocrates ſenſerit de animæ inmortalitate.

S. Auguſt. lib. 14. c. 19 de Trin. *VT antiquis Philoſophis, hiſque maximis, longeq́; clariſſimis placuit* (ait Cicero in Dialogo Hortenſio apud S. Auguſtinum) *æternos animos ac divinos habemus.* Inter autem maximos Philoſophos, omnium conſenſu, fuit Princeps

I. Lipſ. Epiſt. ad Ianum Doulam. Medicorum Hippocrates: quem I. Lipſius noſter (& Homerum, Ariſtotelemque ei conjungit) *in hominibus humanum faſtigium exceſſiſſe* credit.

Qui-

Quidam tamen Hippocratem tam cæcum faciunt, ut animæ humanæ immortalitatem vidiſſe negent.

Docet enim, inquiunt, *animam hominis uſque ad mortem ſemper gigni.* Item. *ignis & aquæ habere concretionem.* Hæc autem certiſſima mortalitatis ſigna ſunt. Hippocrat. lib. de Diæta.

Sed, ut optimè eum explanat Laurentius, non de anima rationali, ſed de anima Medica loquitur: quæ nihil eſt aliud, quàm *calidum innatum, humido primigenio, & ſpiritibus undique perfuſum.* Andr. Laurent. lib. 10. q. 1.

Hanc enim animam præcipuè curant Medici, ſatagentes tantùm, ut eam in corpore alant, & quàm puriſſimam conſervent. Eſt quippe humidum illud, quod alij radicale vocant, veluti nexus animæ rationalis cum humano corpore. Vnde eo exſiccato, aut fugiente, anima quoque rationalis deſerit corpus.

An verò ſit alia, præter illam, anima rationalis in homine, aut irrationalis in bruto, nihil ad Medicum, ut Medicus eſt. *Theologi quippe ſibi ſolis*, inquit Veſalius, *liberam de reſurrectione, animarumque immortalitate altercationem, & ſententiam vendicant.* Veſal. lib. 1. c. 28. Hippocratem tamen ut Philoſophum, animam præterea aliam agnoviſſe rationalem & immortalem, quam *naturam inviſibilem, & inalterabilem* appellat, verbis ejus Laurentius demonſtrat.

Hippocrates enim, ait Laurentius, *ſub finem Libri primi de Diæta, verbis auro inſculpendis: Anima noſtra, inquit, quoad eſſentiam mutari non poteſt, aut alterari, ſive cibi, ſive potûs, ſive cujuſcumque rei alterius acceſſu. Referenda eſt enim alterationum omnium cauſa, aut ad ſpiritus, quibus ſe immiſcet, aut ad vaſa, ſive organa, quæ permeat.* Andr. Laurent. lib. de Melanch. c. 2.

Galenus verò Hippocrate ſuo longè ſtupidior, animæ humanæ eſſentiam ſe ignorare, ſæpiſſime fatetur: & eo argumento, Quòd animi mores temperiem corporis ſequantur, inclinat, & ferè labitur, ut, animam tam humanam, quàm brutalem, corporis temperamento nihil amplius eſſe dicat. Galen. lib. Quod mores animæ, corporis temper. ſeq.

Ambigit tamen perpetuò; ſicut & de plurimis alijs quæ ad animam pertinent. Vt, *Cur nimis refrigeratum, aut calore æſtuans*

 corpus

corpus, penitus ab anima relinquatur, longâ indagine, inquit, *fatigatus, nondum reperi. Veluti neque, cur flavâ bile copioſiore in cerebro collectâ, deſipimus; atrâ verò, melancholiâ vexamur. &c.*

Sed ex iſta morum animæ, cum temperamenti corporis mutatione: *Noli, ô Athee*, inquit Laurentius, *deducere animam in eſſentia quidquam perpeti, adeoque corruptibilem eſſe. Nunquam alterationem ſubit ipſa, neque patitur quidquam; ſolum ipſius organum offenſum maleq; diſpoſitum eſt.*

Andr. Laurent. lib. de Melanchol. cap. 2.

Percipies hoc, ſi lubet, ſolis exemplo. Quemadmodum ſol nullam fulgoris ac luminis ſui diminutionem patitur; licet obſcurari, aut deliquium pati videatur (ſit aut nubium craſſitie, aut lunæ interpoſitione:) ita anima noſtra pati nonnunquam videtur, cùm tamen non niſi inſtrumentum, & organum ipſius malè affectum ſit.

Sed neque ex ſimilitudine, & paritate ſinuum cerebri humani & brutorum, colligere licet animæ noſtræ communem cum brutis mortalitatem. Nam licet *ſimias, canes, equos, oves nullo cerebri ſinu ſuperari ab homine, inter diſſecandum ſe conſpexiſſe, & cetera omnia (ſi modò molem, & temperamenti ad juſtitiam integritatem excipias) inter ſe ſimillima*, Veſalius fateatur; illud tamen temperamenti ac molis diſcrimen, & occultæ aliæ, ſine dubio, qualitates cerebrum hominis ad ſublimioris & immortalis animæ ſuſceptionem præparare valent. Aliàs enim, ſi ex ſolo numero ac ſimilitudine ventriculorum cerebri, ad identitatem ſpecificam animarum liceat argumentari; concludemus animam pulli gallinacei, ejuſdem eſſe rationis & ſpeciei cum anima bovis; quia ſimillimam habet ſinuum cerebri conformationem.

Veſal. lib. 7. cap. 6.

Sed ſicut araneus in eodem Muſæo texit telam, in quo Socrates philoſophatur; ita nihil vetat, animam bovis in ſimillimâ cellâ cerebri tantùm imaginari, ubi anima humana etiam ratiocinatur. Vnde Veſalius non ideo deſerit animæ humanæ immortalitatem. Sicut eam quoque retinet, imò ſeriò & fortiter inculcat Io. Fernelius, quem Gallicum Avicennam Galli appellant. Sed & Avicenna Arabs idem cenſet, & quicumq; Medici aliquid amplius ingenij, & æthereæ mentis habent, ut ſupra id quod in corporum humanorum diſſectione

Fernel. lib. 5. c. 18. Phyſiol.

vident

vident & palpant, intellectum ſuum attollere valeant. *Magni quippe ingenij eſt, ut ait quidam* (M. Tullius eſt) *ſevocare mentem à ſenſibus*, inquit S. Auguſt. *& cogitationem à conſuetudine abducere.* S. Auguſt. Epiſt. 3.

Vnde pinguia & obtuſa quorundum Medicorum ingenia ad Epicureiſmum interdum tentantur, ex tam vicinâ boum, porcorum, & præcipuè ſimiarum, cum humanorum corporum membris ſimilitudine. Figuræ enim cerebri, cordis, jecoris, & partium vitalium interiorum, ſimillimæ ſunt. Ac etiam quantum ad membra externa,

Simia quàm ſimilis, turpiſſima beſtia nobis? M. Ennius

Omnia quippe in ſimia ſimilia homini; niſi, quòd ἐπὶ τὸ θηριωδέστερον *modo quodam magis fero*, ait Ariſtoteles. Arist. lib. 2. c. 8. Histor. Nec dubito denique, quin etiam in conformatione partium cerebri, ſit leve ſaltem aliquod diſcerniculum, quod Anatomicorum oculos fugiat, inter hominis & brutorum cerebrum: & in iſtis magis rudem & ἐπὶ τὸ θηριωδέστερον eſſe figurationem, quàm in homine; ubi conformatio exactior requiritur, ut ſuperioris cauſæ, ſive humanæ mentis eſſe valeat inſtrumentum.

ARTICVLVS IV.

In Veteri Teſtamento parciùs & obſcuriùs, in Novo ſæpiſſimè & clariſſimè indicata animæ humanæ immortalitas.

QVia Teſtamentum Vetus, bonorum temporalium hujus vitæ, Novum ſpiritualium futuræ promiſſionem maximè continet; ideo animæ immortalitas in iſto ſæpiùs, quàm in illo revelata fuit.

Adeò autem nebuloſa in Pentateucho Moyſis, ejus rei eſt inſinuatio, ut S. Auguſt. tractans juxta 70. verſionem, locum Num. 19. *Omnis qui tetigerit mortuum ab omni anima hominis, ſi mortuus fuerit, & non fuerit purificatus, tabernaculum Domini polluit; exterminabitur anima illa ex Iſraël*, ſubjungat: *Notandum eſt*, inquit, *quòd difficillimè reperitur in his Libris aliquid evidentius de vita animæ poſt mortem, fuiſſe conſcriptum.* S. Auguſt. q. 33. in Num. Exponens videlicet ita locum iſtum; ut exterminatio illa uſque ad pœnam animæ

poſt

poſt mortem corporis etiam extendatur: quemadmodum & iſta verba Gen. 17. ſecundum eorundem 70. verſionem: *Maſculus qui non circumcidetur carne præputij ſui octavo die, interibit anima illa de genere ſuo*, de interitu damnationis animæ poſt hanc vitam, ſæpiſſime contra Pelagianos interpretatur; & inde peccatum aliquod originale in parvulo incircumciſo hæſiſſe probat, propter quod animula illa à corpore ſuo, ante expiationem ſeparata, puniretur, ac è populo numeroque Sanctorum expungeretur.

Idem lib. 16. c. 27 Civit. Lib. 2. c. 6. contra Iul. &c.

Gen. 2.

Indicari quoque animę immortalitatem, S. Auguſtinus exiſtimat, quando initio Geneſeos dicit Moyſes: *Inſpiravit* Deus *in faciem ejus (* hominis *) ſpiraculum vitæ*: cùm non ſic de productione animarum brutalium, ſed, *Producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta, & reptilia &c.* loquatur.

S. Auguſt. lib. 13. cap ult. Civit. Ariſt. lib. 2. c. 2. de generat. animal.

Nam *animam rationalem*, inquit, *non ſicut aliarum carnium, aquis & terrâ producentibus, ſed Deo flante creatam voluit intelligi.* Hoc eſt, quod Ariſtoteles ait, Animam humanam θύραθεν *extrinſecus* in corpus hominis ingredi; animas verò brutorum in potentiâ materiæ contineri, ac inde quodammodo educi.

2. Machab. 7.

Hinc quicumque in populo Iudæorum verè pij, credebant animæ immortalitatem, & unà corporis reſurrectionem; ſicut, præter Sanctos Prophetas, in matre 7. Machabæorum, & filijs ejus eſt manifeſtum.

Act. 23.

Erant tamen inter Iudæos Sadducæi, qui animam mori cum corpore contendebant, Græcorum Epicureis ſimillimi. *Sadducæi enim dicunt*, ait S. Lucas, *non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque ſpiritum*; id eſt animam, à corpore, quod ipſa animabat, ſuperſtitem.

Matt. 10

In lege verò Euangelica ubique fermè iſta immortalitas aut palàm revelatur, aut implicitè inſinuatur. Quid apertius illis Chriſti verbis, quibus Leonem X. in Conc. Lateran. adverſus iſtos animæ canifices uſum eſſe, ſuprà narratum eſt: *Animam autem non poſſunt occidere?*

Philip. 1.

Et Paulus *deſiderium habebat diſſolvi & eſſe cum Chriſto.*

2. Cor. 5.

Et alibi: *Scimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum*

non

non manufactam, æternam in cælis.

Eleganter autem corpus *terreſtrem* animæ *domum* appellat. *Certè enim*, ait Tertullianus, *domus animæ caro eſt, & inquilinus carnis anima. Inquilinus autem non tibicinatur* (id eſt, non fulcitur) *ſed continetur à domo ſua.* Significat ergo Apoſtolus, animam humanam non fulciri & ſuſtentari à corpore ſuo, ut animas brutorum, neque deſtructâ domo unà diſſolvi, ſed ſuperſtitem permanere. Tertull. lib de Anima. c. 38.

Hinc Scriptura mortem hominis, ſæpenumerò ſomnum vocat; quia altera ejus pars incolumis manet, reparato corpori reunienda, ut utraque ſimul, velut ex ſomno, ad vigiliam redeat, ac in pedes reſurgat. Non ſic autem de morte brutorum loquitur; nec enim equum aut canem, cùm moritur, dormire dicet. 1. Cor. 7.

ARTICULUS V.

Ex ſpeculatione, qua intellectus ſe ſupra phantaſmata elevat, animæ humanæ probata immortalitas.

DEmonſtrationi Ariſtotelis, qua ex operatione intellectûs, ut Artic. I. meminimus, animæ immortalitatem probavit, addendum ex SS. Patribus & Platonicis aliquid, unde lucem, & firmamentum accipiat.

Nam licet anima noſtra, parte ſuâ inferiori, qua in ſenſuum operationes influit, animæ bruti ſimillima ſit; parte tamen ſuperiori (etiam cùm de rebus materialibus & ſenſibilibus differit) modum cognoſcendi infinitò quodammodò ſublimiorem omnibus, etiam ſagaciſſimis brutis, à natura habet. Nam non tantùm coloris, ſoni, odoris &c. exiſtentiam, ut ſenſus tam externi, quàm interni ſolent, intellectus cognoſcit; ſed eſſentiã ab exiſtentia abſtrahit, eſſentiã in genus & differentiam reſolvit, genus in ſuas ſpecies dividit, proprietates ab eſſentia manantes conſiderat; & plurima alia in ejuſmodi rebus ſenſibilibus, *ſecundum rationes incorporales & ſempiternas*, ut loquitur S. Auguſtinus, *iudicamus*. Hic autem cognoſcendi S. Auguſt. lib. 12. c. 1. Trin.

 modus

modus altiùs ſupra omnes ſenſus & phantaſmata brutorum elevatur, quàm cælum à terra diſt.t.

Omnes rerum ſenſibilium figuras, viſu & tactu cognoſcere nobiſcum poſſunt bruta: ſed figurarum proprietates indagare: ut, An triangulus contineat tres angulos duobus rectis æquales, An quadranguli diameter ſit incommenſurabilis coſtæ, & ſexcenta ſimilia, quæ Euclides & Geometria docet, nullum prorſus phantaſma, nulla cogitatio brutis eſſe poteſt. Nam *de corporalibus iſtis iudicamus*, ait idem S. Auguſtinus, *ex ratione dimenſionum atque figurarum, quam incommutabiliter manere mens novit*. De iſtis autem bruta imaginatio nihil novit. Vnde ſi contingat noſtram imaginationem circa objectum ſenſibile errare (ut cùm baculum rectum in aquam defixum, curvum eſſe putat) ſeipſam ex Opticæ rationibus & regulis corrigere non poteſt, ſed ad intellectum, qui in tribunali ſuperiori, ſenſibus & ſenſuum judicijs præſidet, hoc referri debet.

S. Auguſt. ibid.

Vbi verò jam intellectus circa ſenſibilia, per regulas & rationes inſenſibiles eſt philoſophatus, in objecta ſublimiora, quæ omni phantaſmate carent, ſed phantaſmatum, tanquam nubium regionem ſupergrediuntur, aciem ſuam erigit.

De ſeipſo enim, & actibus ſuis ſpiritualibus, de vitijs & virtutibus, de Vniverſi ſummo etiam Numine & Rectore, de ejus providentia, & alijs attributis, quæ nullo phantaſmate depingi poſſunt, diſſerit. Vnde verba iſta Apoſtoli, *Inviſibilia eius per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur*, enarrans S. Thomas: *Intellectu enim*, ait, *cognoſci poteſt Deus, non ſenſu, vel imaginatione quæ corporalia non tranſcendit; Deus autem ſpiritus eſt, Io. 4.*

Rom. 1. S. Tho. ibid. Lect. 6.

Vnde patet, quid ſibi velit S. Thomas, cùm toties cum Ariſtotele ſuo dicit: In omni naturali operatione ſua, intellectum ſpeculari phantaſmata. Non enim vult phantaſiam ſemper formare phantaſma illius objecti, quod intellectus ſpeculatur. Hic enim apertè negat, Deum, & inviſibilia ejus quæ Philoſophi per creaturas, intellectu cognoverunt, aliquo imaginationis phantaſmate potuiſſe cognoſci. Sed tamen, dum intellectus Deum ſpeculatur, imaginatio, per ſympathiam, ut ſuprà Artic. I. dictum eſt, circa aliquod phantaſma rei

ſenſibilis

ſenſibilis ludit; ad cujus quodammodo ſimilitudinem ſpeculatio intellectùs declinat, luxque ſpiritualitatis ejus, nebulâ aliquâ phantaſmatis quaſi obvolvitur; ſive, ut S. Thomas aliâ phraſi ait: *nondum ab appendicijs materiæ abſolvitur*. Speciebus quippe non divinitus infuſis, ſed è nubilo phantaſmatum raptis utitur: quas deinde per multas *ſimplificationes*, ut D. Thomas loquitur, & velut per alembicorum ſublimationes, idoneas reddit, ut ſemen aptum ad rei ſpiritualis formandum conceptum eſſe valeant. S. Th. q. 19. a. 1. de Verit.

Vnde qui ſinceriùs res divinas & ſpirituales intelligere volunt, omnia, quantum poſſunt, phantaſmata abigere, aut mentis aſpectum ab ijs avertere ſolent. Hôc naturæ rationalis inſtinctu indicante: eſſe quendam alium intelligendi modum, quo anima noſtra ſeparata à corpore, extra phantaſmatum nubem, ſpiritualia valeat cognoſcere, & *nuda cum eſſentijs illis nudis*, ut ait D. Gregorius Naz. *converſari*. Naz. Orat. 19.

Nec in objectis iſtis ſpiritualibus ſtat intellectùs noſtri elevatio, ſed rerum ſpiritualium ſphæram ſtationemq; tranſcendens, in omne ens imaginabile, & intelligibile, ſupra omne tempus, & omnem locum ſe diffundit; æternitatem ſine principio & fine, immenſitatem nullo ſpatiorum termino circumſcriptam apprehendit.

Cùm autem modus cognoſcendi ex modo eſſendi naturaliter conſequatur, ut teſtantur Philoſophi, ſignum ſat evidens eſt, animam, cujus intellectus tam amplam & quaſi infinitam intelligendi ſphæram habet, ſupra corpus ſuum naturali ſubſiſtentiâ eminere; ac in altiori ſubſtantiarum gradu conſiſtere, quàm ignobiles illas ac brutas animas, corporibus ſuis ita immerſas, ut nihil cognoſcant, niſi quod per ſenſus corporis ad ipſas intravit: aut certè pauca præterea quædam inſenſata, ut vocant; veluti amorem, odium &c. quæ aliquo confuſo & imperfecto modo, (ſive per *ſpeciem* aliquam *naturalem*, ut Marſil. Ficinus exiſtimat, ſive per naturæ inſtinctum, ſine ali a ſpecie) apprehendunt, quantum ad conſervationē talium animalium neceſſariū erat. Sic ovis amicitiam canis, odium lupi imaginatione quodammodo concipit; ut illi tanquam defenſori Marſil Ficin. lib. 9. c. 4. Theol. Plat.

ſori ſe conjungat, hunc ut inimicum fugiat.

Denique ſublimitas humani intellectûs manifeſtatur ex luminibus & fulguribus ſupernaturalibus, quibus ad res divinas contemplandas, multæ piæ animæ quandoque abripiuntur.

S. Auguſt. lib de quant. Animæ c. 33.

S. Auguſtinus, ubi ſex cognitionum & affectionum in anima rationali gradus diſtinxiſſet: *Iam verò in ipſa viſione atque contemplatione veritatis*, inquit, *qui ſeptimus atque ultimus animæ gradus eſt, neque iam gradus, ſed quædam manſio, quò illis gradibus pervenitur: quæ ſunt gaudia, quæ perfruitio veri & ſummi boni, cuius ſerenitatis atque æternitatis afflatus, quid ego dicam? Dixerunt hæc, quantum dicenda eſſe judicaverunt, magnæ quædam & incomparabiles animæ, quas etiam vidiſſe, ac videre iſta credimus.*

Ac deinde de hujus contemplationis puritate & ſublimitate, iterùm: *Tanta autem in contemplanda veritate*, ait, *voluptas eſt, quantacumque ex parte eam quiſque contemplari poteſt, tanta puritas, tanta ſinceritas, tam indubitata rerum fides; ut neque quidquam præterea ſciſſe ſe aliquando aliquis putet, cùm ſibi ſcire videbatur: & quò minùs impediatur anima toti tota inhærere veritati, mors quæ antea metuebatur, id eſt, ab hoc corpore omnimoda fuga & elapſio, pro ſummo munere deſideretur,*

Quis igitur dubitet, animum quæ in hac mortali vita, ſupra omnia mortalia, contemplatione & affectu ſic evehi poteſt, ut mortem & à corpore abrumpi, pro ſummo munere habeat, eſſe incorpoream & immortalem? Eſt quippe talis anima in horizonte diei & noctis, lucis ac tenebrarum, & tenebras à corporeis phantaſmatibus ſibi aſpergi indignata, plenam diei lucem ſupra ſe proſpiciens, corporis nexum, ut toto & liquido die perfruatur, frangere geſtit.

S. Gregor. lib 8. c. 18. Moral.

Eleganter S. Gregorius: *Superna gratia carnalem cogitationem noſtram, per admixtionem ſuæ contemplationis irradiat, & ab originali cæcitate hominem ad intellectum reformat.* Ac paulò pòſt: *Divinitatis contemplatio ſenſum tangit, ſed plenè mentem non reficit; quoniam perfectè animus conſpicere non valet, quod adhuc, quia caligo corruptionis præpedit, raptim videt. Ecce enim electorum mens iam terrena deſideria ſubjicit: iam cuncta, quæ conſiderat præterire,*

tran-

tranſcendit: iam ab exteriorum delectatione ſuſpenditur, & quæ ſunt bona inviſibilia rimatur. Atque hæc agens, plerumque in dulcedinem ſupernæ contemplationis rapitur: iamque de intimis aliquid, quaſi per caliginem conſpicit, & ardenti deſiderio intereſſe ſpiritalibus Angelorum miniſteriis conatur, guſtu incircumſcripti luminis paſcitur, & ultra ſe evecta, ad ſemetipſam relabi dedignatur. Sed quia adhuc corpus quod corrumpitur, aggravat animam, inhærere diu luci non valet, quam raptim videt. Ipſa quippe carnis infirmitas tranſcendentem ſe animam retrahit, atque ad cogitanda ima, ac neceſſaria ſuſpirantem reducit.

Non ambigo, quin ex proprio ſuo experimento, hoc narret S. Gregorius. Nam de ſimili etiam S. Auguſtinus: *Aliquando intromittis me in affectum multum inuſitatum introrſus, ad neſcio quam dulcedinem. Quæ ſi perficiatur in me, neſcio quid erit, quod vita iſta non erit. Sed recido in hæc ærumnoſis ponderibus, & reſorbeor ſolitis, & teneor, & multum fleo, ſed multum teneor.* S. Auguſt. lib. 10. c. 40. confeſſ.

Lucem autem quandam dulcedini iſti fuiſſe mixtam, in fundo animæ lucentem, in qua divina eſſentia (licet adhuc ſub nubilo & in ænigmate) reluceret, exiſtimat ſublimis Contemplator Io. Thaulerus: *Philoſophus quidam*, ait, *alteri æquè Philoſopho, dignam Philoſopho ſententiam depromſit: Percepi quippiam in me, reſplendens intellectui meo. Quod equidem aliquid eſſe experior, ſed quid ſit intelligere nequeo. Videtur tamen mihi, ſi apprehendere poſſem, omnem me, veritatem perſpecturum.* Io. Thaul. Dominic. 1. poſt Nativit.

De hoc etiam S. Auguſtinus ait: Senſi quiddam in me, reſplendens animæ meæ: quod ſi perficeretur in me, dicere non dubitarem, id vitam eſſe æternam. Occultat ſe, & nihilominùs manifeſtat ſe; indicat ex parte, ut per hoc animam alliciat, provocet, & poſt ſe trahat, imò & ſibiipſi auferat.

Per ejuſmodi verò experimenta, Contemplativi, & ſimplices ac ineruditæ quædam animæ clariùs & certiùs animæ humanæ nobilitatem immortalitatemque cognoſcunt, quàm Ariſtoteles, Plato, ac omnes Mundi Philoſophi. Unde ſtatim pòſt Thaulerus: *Quis novit quantam excellentiam & nobilitatem Deus naturæ humanæ contulerit; necdum ab ullo Philoſopho conſcriptum, ſed illis omnibus abſconditum? Quotquot enim Philoſophi de animæ nobilitate aliquid in ſcriptis reliquerunt, eò dumtaxat pertin-*

 gere

gere potuerunt, quò naturalis eos ratio perducebat. Necdum verò in ipſum fundum devenerunt. Vnde & plurima illis occulta manſêre & incognita.

ARTICVLVS VI.

Si aliquod in Vniverſo, rerum humanarum providens Numen eſt, anima humana eſt immortalis.

HOc argumentum, à providentia Dei præmiante bonos, puniente improbos, non tantùm SS. Patres Auguſtinus, Nazianzenus, Chryſoſtomus, Damaſcenus, Lactantius, D. Thomas &c. ſed etiam Plutarchus alijque Philoſophi Gentiles melioris mentis & ingenij, validum ad probandam animæ immortalitem cenſuerunt.

Ex cæleſtium enim motu, & tota Vniverſi gubernatione (quidquid Diagoriſtæ & Epicurei reganniant) ſatis conſtat, aliquem eſſe Mundi Rectorem, qui præcipui ſaltem Mundi incolæ, hominis, inquam, habeat providentiam, & gerat curam.

Conſtat deinde, multos homines, tam in deſertis, aut Monaſterijs, quàm in mediâ etiam ſeculi frequentiâ, ab illicitis voluptatibus, & Mundi illecebris corpus & animum caſtum ſervare, & ultroneâ patientiâ, propter divini Numinis amorem, multa mala, totâ hac vitâ mortali, tolerare. Quoſdam verò alios inter voluptates & blandimenta vitiorum, nullo reſpectu, aut metu Numinis, ducere omnes dies ſuos. Quando igitur illi præmium, iſti pœnam recipient? Certè neutri in hac vita recipiunt; ergo reſtat altera, in qua juſtitia in utroſ-
Luc. 16. que exerceatur. Cujus rei imaginem apud S. Lucam Chriſtus in paupere Lazaro, & divite Epulone nobis figurat, dum Abrahamum dicentem inducit:

Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.

Scot. in 4. d. 43. q. 2. Hoc tamen argumentum ſubnervare conatur Scotus. Primò: *Quia non apparet per rationem naturalem*, inquit, *quòd ſit unus*

Rector

Rector hominum, ſecundum leges juſtitiæ retributivæ & punitivæ. Secundò. *Eſto ſit. Dicetur tamen, quòd unicuique in bono actu ſuo, ſit retributio ſufficiens; & in malo punitio* Nam, ut Hugo Cavellus eum explicat: *Bona opera trahunt ſecum conſolationem ſuam, & mala ſuum conſcientiæ vermem.* Cavell lib. de Anima diſp. 1. ſect. 13.

Sed à Melchiore Cano, & Thomiſtis utrumque refellitur. Nàm ſicut Romulus v. g. Romanam civitatem imprudenter condidiſſet, ſi nulla præmia bonis, nulla ſupplicia improbis conſtituiſſet; ita multo magis Deus Vniverſitatis conditor, hanc Mundi Remp. malè & perperàm inſtituit, ſi bonos & morigeros nullo præmio afficit, malos nullâ pœnâ mulctat. In Deum verò nulla imprudentia, nulla ordinis ab eo inſtituti indecentia cadere poteſt. Deus quippe eſt eſſentialiter ipſa decentia, omniſque decentiæ creatæ exemplar: cui non magis aliqua inſipientiæ labes miſceri poteſt, quàm juſtitiæ ejus injuſtitia, vel ſapientiæ inſipientia. Hinc enim celebre illud S. Anſelmi pronunciatum: *Sicut in Deo quantumlibet parvum inconveniens ſequitur impoſſibilitas; ita quantamlibet parvam rationem, ſi maiori non vincitur, comitatur neceſſitas.* S. Anſel. lib. 1. c. 10. Cur Deus homo.

Vnde adverſus Scotum clamat Melchior Canus: *Demonſtratum eſt, animas eſſe immortales tam evidenti & neceſſaria ratione quæ refelli non valeat, niſi Deum facias aut improvidum eſſe & negligentem rerum humanarum, aut eam urbem ſtultè conſtituiſſe, in qua nullus ſupplicij timor ſit, præmij expectatio nulla.* Melch. Can. De Loc. c. ult.

Gaudium verò, quod ex actibus virtutum, in hac vita, percipiunt boni, non eſt propriè præmium, ſed tanquam propria quædam paſſio, ex ipſis actibus naturaliter effluens; ut hòc veluti pauxillo melle amaritudinem, quæ actibus virtutum ſæpe allinitur, Deus conſolaretur, & animos adderet ad perſeverantiam.

Deinde præcipuum gaudium ex futuræ retributionis ſpe venit. Sicut enim de ſpe mellis Poëta olim dixit, *Spes alit agricolas*; ita dicere poſſumus, Spes æternæ vitæ bonos alit. Egregiè Plutarchus: *Athletæ non quamdiu pugnant, ſed poſt pugnam coronantur. Ita ſibi bene conſcij, qui ſecum reputant, bonis poſt hanc vitam præmia retribui, mirum in modum propter virtutum* Plutar. lib. contra Epicur.

ſuarum

ſuarum conſcientiam, & ſpem illam futurorum exultant.

Si autem anima poſt hanc vitam ſuperſtes non manet, objectum talis ſpei prorſus euaneſcit.

Et Plutacho ſuccinens Lactantius, negat hanc vitam eſſe idoneum, ad recipiendam virtutis mercedem, tempus. *Virtutem enim*, inquit, *cùm finita eſt, merces ſequitur. Virtus autem nunquam niſi morte finitur: quoniam & in morte ſuſcipiendâ, ſummum eius officium eſt. Ergo præmium virtutis poſt mortem eſt.*

Denique tantillum gaudij, quo multæ animæ ſanctæ in hac vita aſperguntur, nimis tenue, & ut ſic dicam, macrum eſt, ſi ad labores & ærumnas earum comparetur: & mali homines ex ſeculi voluptatibus ſæpenumerò longè ampliorem fructum decerpunt.

Abſurdiſſimum autem prouidentiæ genus eſt, quo præmium grandius hominibus ſceleſtis, quàm probis conſtituitur. Ideoque Apoſtolus intulit, nos *miſerabiliores omnibus, ſi in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus;* nec ulla alia quies & præmium poſt hujus vitæ agonem nos ſequitur. (1. Cor. 15.)

Vnde S. Auguſtinus, de ſtatu vitæ deliberans, fatetur ſe palmam Epicuro fuiſſe daturum, ſi animam cum corpore exiſtimaſſet mortalem. *Non me revocabat*, ait, *à profundiore voluptatum carnalium gurgite, niſi metus mortis, & futuri iudicij tui; qui per varias quidem opiniones, nunquam tamen receſſit de pectore meo. Et diſputabam cum amicis meis Alipio & Nebridio de finibus bonorum & malorum, Epicurum accepturum fuiſſe palmam in animo meo, niſi credidiſſem poſt mortem reſtare animæ vitam, & tractus meritorum; quod Epicurus credere noluit.* (S. Auguſt. lib. 6. c. ult. Confeſſ.)

ARTICVLVS VII.

Naturali quodam omnium hominum inſtinctu probata animæ humanæ immortalitas.

Chryſ Homil. 7. in 1. Cor.

NOtat Chryſoſtomus Diaboli aſtutiam, qui Gentilium Philoſophos in falſis unanimes, in veris, & præcipuè in animarum immortalitate (undè plurimum utilitatis in mores hominum redire poterat) diſcordes fecit. Sic enim

enim adverſus Academicos & Peripateticos ſuſcitati ab eo Epicurei & Stoici, qui immortalitem ab illis aſſertam conarentur labefactare.

Nihilominùs naturalis ille omnium nationum inſtinctus, non ita multitudine argumentorum & ſophiſmatum, etiam in ipſis Epicureis obrui potuit, quin aliqua ſemper immortalitatis ſuſpicio reliqua in animis ipſorum manſerit. Illuſtre exemplum eſt in C. Caſſio illo, qui inter primos in Iul. Cæſaris necem conjuratores fuit. Plutar. in Iul. Cæſar. Cùm enim ſectâ Epicureus eſſet, & animas, aut manes poſt mortem corporis ullos ſupereſſe negaret; ubi tamen in Curiam Pompeij (ubi cædes patranda erat) cum Cæſare & conjuratoribus veniſſet, oculos in ſtatuam Pompeij, quæ ibi poſita, erexit, cum ſubmiſsâ manium Pompeij invocatione, ut ſibi eſſent auxiliares. Contra tamen Philoſophiæ ejus, & Epicuri decreta, inquit Plutarchus.

Ceteri quoque Epicurei, addit alibi idem Auctor, mortem ita horrebant, ut ad ſolum mortis nomen, expalleſcerent. Plutar. lib. contra Epicur. Quidquid eos magiſter Epicurus objurgaret, qui concupiſcendam, aut metuendam mortem negabat. Quid enim tantopere times, Senec. Epiſt. 24. ſi mors omnia delet, nec anima ſceleſta ad pœnam ſuperſtes manet? Hac quippe cogitatione timorem pellunt, & ſe *ad fruendum bonis* invitant illi apud Sapientem Epicurei. *Quia ex nihilo*, inquiunt, *nati ſumus, & poſt hoc erimus* Sap. 2. *tanquam non fuerimus.*

Et licet iſti, aut alij ſimiles ſic obtenebrati eſſent, ut ultima veritatis illius ſcintilla extincta foret: *ſpecimen* tamen *naturæ* non à talibus, ſed *ex optima quaque natura capi debet*, inquit M. Tullius. Cic. lib. 1. Tuſcul. *Omni autem antiquitate uti poſſumus; quæ quo propiùs*, ait, *aberat ab ortu, & divinâ progenie, eo meliùs ea fortaſſe quæ erant vera cernebat. Vnum verò illud erat inſitum priſcis illis, quos Caſcos appellat Ennius: eſſe in morte ſenſum, neque exceſſu vitæ ſic deleri hominem, ut funditus interiret. Idq; cùm multis alijs rebus, tum è Pontificio iure, & ceremonijs ſepulchrorum intelligi licet: quas maximis ingenijs præditi, nec tantâ curâ coluiſſent, nec violatas tam inexpiabili religione ſanxiſſent, niſi hæſiſſet in eorum mentibus, mortem non interitum eſſe omnia tollentem atque delentem; ſed quandam quaſi*

 migra-

migrationem commutationemq́; vitæ, quæ in claris viris & feminis dux in cælum ſoleret eſſe; in ceteris humi retineretur, & permaneret tamen.

Ac deinde inferiùs: *Omni in re conſenſio omnium gentium, lex naturæ putanda eſt. Quis eſt igitur, qui ſuorum mortem primùm non eo lugeat, quòd eos orbatos vitæ commodis arbitretur? Sed illa lugubris lamentatio, fletuſq́; manens ex eo eſt, quòd eum quem dileximus, vitæ commodis privatum arbitramur, idq́; ſentire. Atque hæc ita ſentimus naturâ duce, nullâ ratione, nullâq́; doctrinâ.*

Senec. Epiſt. 117. M. Tullio conſentienter etiam Seneca: *Multa dare ſolemus,* ait, *præſumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum eſt, aliquid omnibus videri. Cùm de animarum æternitate diſſerimus, non leve momentum apud nos habet conſenſus hominum, aut timentium Inferos, aut colentium.*

Tertul. lib. de Anima c. 2. Et de hoc tam publico immortalis animæ ſenſu, & unde eum habeamus, Tertullianus diſſerens: *Naturâ pleraque,* inquit, *ſuggeruntur, quaſi de publico ſenſu, quo animam Deus ditare dignatus eſt.*

Denique ex tam admirabili Chriſtianæ religionis, & cum tantâ eminentiâ auctoritatis, toto Orbe diffuſione eandem animæ immortalitatem probat S. Auguſtinus.

S. Auguſt. lib. 6. c. 11. Confeſſ. *Non vacat, non eſt inane,* inquit, *quòd tam eminens culmen auctoritatis Chriſtianæ fidei toto Orbe diffunditur. Nunquam tanta & talia pro nobis divinitus agerentur, ſi morte corporis etiam vita animæ conſumeretur.*

ARTICVLVS VIII.

Reditus quoque animarum defunctorum ad vivos, earum immortalitatem probat.

PLurima de animarum defunctorum reditu ad vivos, per hiſtorias & Vitas Sanctorum ſparſa, colligere poſſem, niſi Mart. Delrius, Diſquiſ. Magic. lib. 2. q. 26. ſect. 5. hoc me labore levaſſet.

Si autem animæ, à morte, in corporibus aſſumptis adhuc apparent; ergo poſt corporis funus ſuperſtites manent. Nec ulla

ulla cauſa eſt, quæ eas poſtea corpore nudatas interficiat: ſicut Stoicis placuit, qui animas corporeas & igneas eſſe, ac extingui poſſe corpore jam exutas, ut ignes, exiſtimaverunt.

Si verò animæ incorporeæ & ſpirituales ſunt, ſicut fides divina & veriſſima Philoſophia probant, per nullas cauſas naturales poſſunt corrumpi, ubi corporibus fuerint nudatæ. Si igitur unâ horâ, aut momento, poſt corpus ſuperſtites ſunt, ſemper manebunt.

Nam ex optima philoſophia S. Thomæ: *Nulla forma corrumpitur, niſi vel actione contrarij, vel per corruptionem ſui ſubiecti, vel per defectum ſua cauſæ.* S. Tho. lib. 2. c. 79. contra Gent.

Quia verò anima à corpore ſeparata, in nullo ampliùs eſt ſubjecto, non poteſt aut per introductionem contrarij in ſubjectum, aut per corruptionem ſubjecti, perire. Sed neque etiam per defectum cauſæ; ſicut per occaſum ſolis corrumpitur lumen in noſtro aëre: quia Deus, à cujus ſolâ Omnipotentiâ anima ſeparata, per creationem conſervativam ſuſpenditur, nec moritur, nec mutatione locali, præſentiam ſuam ſubducere poteſt; quemadmodum ſol per occaſum à noſtro hemiſphærio ſe ſubducit. Nec denique ulla alia occaſio naturalis occurrere poteſt, propter quam Deus influxum conſervativum ab anima ſeparata retrahat.

Animas autem defunctorum quandoque redire, omnium ſeculorum memoriæ teſtantur. Nam præter tot animas, quas Chriſtus, & Apoſtoli, alijque tam in veteri quàm novo Teſtam. in corpora ſua revocaverunt; innumeras manium & & umbrarum apparitiones, non tantùm levibus & imaginoſis mulierculis, ſed viris graviſſimis factas, citare poſſemus: quas omnes falſas & illuſorias fuiſſe, ſine pertinaci impudentia contendere nemo poteſt. Plurimæ enim fuerunt ſanctorum hominum animæ, quæ pias & juſtiſſimas reditûs ad vivos cauſas habuerunt.

Famoſa quoque inter alias eſt, animæ Marſilij Ficini, celeberrimi Philoſophi Platonici, poſt mortem nuper apparitio; quam narrat, & à Michaëlis Mercati Miniatenſis nepote, *probato morum, atque doctrinâ ſpectato viro*, ſe audiviſſe refert Cæſ.

 Baronius

Baron. Tom. 5. Annal. Baronius ad An. Chriſti CCCCXI.

Cùm enim Marſilius & Michaël Mercatus, ambo Philoſophiâ Platonici, de animæ immortalitate ex Platone ſuo, quondam ſolito ferventiùs diſputaſſent, eò diſputatio provecta, ut uterque jurejurando alteri ſponderet, appariturum ſe ſocio poſt mortem, ut animæ ſuperſtitis ſtatum edoceret.

Elapſo inde non pauco temporis ſpatio, Michaël Mercatus quodam ſummo manè ſtudijs ſuis intentus, audivit celerem equi prætervolantis curſum; & cum pauliſper ante domûs ejus fores reſtitiſſet, equitem notâ Marſilij Ficini voce clamantem audivit: *O Michaël, O Mihaël, vera, vera ſunt illa.* Vnde amici ſui Marſilij vocem agnoſcens, apertâ illicò feneſtrâ, vidit à tergo equitem candidatum, concolori equo aufugientem; & cùm ipſe *Marſilium, Marſilium* inclamaret, ex oculis evanuit. Et ſtatim miſſo Florentiam, qui viſeret quidnam Marſilius rerum ageret, defunctum eâdem horâ, quâ eques apparuerat, invênit. Inde Michaël Mercatus *valedicens Philoſophicis diſciplinis*, ait Baronius, *ſolius Chriſtianæ Philoſophiæ, ceteris eminentioris, propenſior cultor effectus, quod reliquum fuit temporis, Mundo defunctus, ſoli vitæ futuræ vixit; ſpecimen edens abſolutiſſimi omnibus numeris Chriſtiani, qui inter Philoſophos ſui temporis magna cum laude claruerat, nulli ſecundus.*

Sed negabunt aliqui fortaſſe ſpiritus defunctorum eſſe, ſed Genios, ſive Angelos bonos, aut malos, talibus eventibus, hominibus vivis apparere.

Verùm hoc reſpondere non poſſunt Epicurei, qui tam olim quàm hodie omnem ſpiritum, non tantùm humanum, ſed etiam Angelum perimunt. Vnde Hebræorum Epicurei, Sad- Act. 23. ducæi *dicebant*, teſte S. Lucâ, *non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque ſpiritum*, humanum ſuperſtitem corpori. Et C. Caſſius, dux alter Romani exercitûs cum M. Bruto, bello civili adverſus Auguſtum & M. Antonium, cùm ſectâ Epicureus eſſet, collegam ſuum Brutum, nocturno ſpectro Plutar. in Bruto. (quod ei dixerat: *malus Angelus tuus ſum, & apud urbem Philippos*, ubi proprio gladio ſe interfecit Brutus, *me videbis*) perterritum irriſit: quia ex Epicuri ſui diſciplina, *ſpiritus, aut Angelos*

ullos

nullos eſſe negabat, ait Plutarchus.

Nec ſanè immeritò duo iſta ſpirituum genera ſimul ita copulantur, ut qui unum rejicit, vel admittit, alterum quoque rejicere, vel admittere debeat.

Vterque enim ſpiritus iſte, ut S. Gregorius Naz. dicit, ad Vniverſi perfectionem & complementum ſpectat: ut Deus *tam ſuperum, quàm inferum laudatorem habeat.* Superus laudator, Angelus eſt, inferus homo: qui tam pro ſe, quàm pro ceteris creaturis corporalibus, quæ Creatorem ſuum agnoſcere non poſſunt, eum laudare debet. Naz. Orat. 39.

Deinde, ſicut in Vniverſo dantur creaturæ purè materiales, ut beſtiæ, & purè ſpirituales, ut Angeli; ita ad complementum, quædam ex utriſque mixtæ dari debent: ut homo, corpore materialis, animâ ſpiritualis, ſuperiorum inferiorumque horizon, & Vniverſi compendium. Hoc eſt quod Conc. Lateranenſe An. MCCXV. ſub Innoc. III. definit: *Deum condidiſſe creaturam humanam, quaſi communem, ex ſpiritu & corpore conſtitutam.* Cap. Firmiter de ſumm. Trin.

Nimis autem futile eſt, quod Plinius metuit: ne ſedes & locus tot umbrarum & animarum hominum à tot ſeculis defunctorum, capax inveniri non poſſit. *Quæ ſedes enim*, inquit, *quantave multitudo tot ſeculis animarum, velut umbrarum? Puerilium iſta deliramentorũ, avidæq́; nunquam deſinere, mortalitatis commenta ſunt.* Plin. lib. 7. c. 55.

Imò, tu ipſe puer Plini. Vmbræ quippe iſtæ, quas vocas, ſine corpore ſunt, nec ſedem ullam aut locum implent.

Cùm verò etiam de animâ corpore ſuo exutâ interrogas: *Vbi cogitatio illi? Quomodo viſus, auditus, aut quid agit, qui uſus ejus, aut quod ſine his bonum?* jam oſtendis Lipſium noſtrum falli, qui te inter Stoicos ſuos reponit; cùm verba iſta tua: *Quod ſine his* (corporis ſenſibus) *bonum?* te purum putum Epicuri de grege porcum fuiſſe clamant. Stoici enim non in voluptate ſenſuum corporis unicum, aut ſummum bonum, ut tu, ſed in animo ponunt. I. Lipſ. lib. 2. diſſert. 13. Phyſiol.

Anima verò avulſa à corpore ſenſus ſuos, id eſt, intellectum, pro cunctis ſenſibus corporis, habet, ut otioſa (quod metuit Plinius) non ſit, ſed agere aliquid poſſit.

Plinio denique & Epicuro fratres gemelli ſunt, qui apud
Eccleſ. 3. Sapientem iſta garriunt: *Vnus interitus eſt hominis & iumentorum, & aqua utrinſque conditio. Sicut moritur homo, ſic & illa moriuntur; ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius.*

Et poſtea: *Quis novit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendit ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum?* Nam hanc impiorum
Eccleſ. 12. quæſtionem infrà reſolvit ipſe Salomon: *Revertitur pulvis* (corpus hominis) *in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redit ad Deum qui dedit illum.* Verba enim priora, ore impiorum de-
D.Tho.lib. 2. c. 79. contra Gent. promi D. Thomas, & SS. Patres paſſim interpretantur. Niſi mavis (quod aliqui faciunt) Sapientem loqui in propria quidem perſona, ſed de vita corporali hominis, quæ inſtar vitæ pecudum, generatur, adoleſcit, ſeneſcit, moritur, nullo ſæpe evidenti diſcerniculo; ideoque mirum non eſſe, quòd pius ab impio, in hac vita nequeat diſcerni, ſed diſcrimen in futurum reſervetur. Vnde addit ibidem Sapiens: *Iuſtum & impium iudicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit.*

Quando verò interrogat: *Quis novit, ſi ſpiritus &c.* non ambigit de veritate, ſed cognoſcendi difficultatem inſinuat, ut S. Hieronymus & alij interpretantur.

ARTICVLVS IX.

An anima humana ſecundum ſupremum rationalitatis apicem, quo eſt immortalis & à corpore independens, ſit forma corporis.

Error Platonis in Scholis famoſus eſt, qui docebat animam noſtram eſſe in corpore, non ſicut forma eſt in ſubjecto, ſed *ſicut nauta in navi*, aut Diogenes in dolio; vel potiùs, *ut limax vel oſtreum in ſua cochlea*, cui adhæret aliquo nexu.

Vnde Plato dicebat, *hominē eſſe animā corpore veſtitam*, inquit Nyſſenus. Idem quoque Philoſophus Anaxarchus; qui cùm à Nicocreonte Cypri tyranno vivus in mortario cōtunderetur.

Tunde,

Tunde, tunde, clamabat: *Anaxarchi follem tangis, non Anaxarchum.*

Quid aliud dicit Tertullianus, cùm animam, homuncionem quendam eſſe imaginatur, corpori noſtro exteriori, ut pyxidi vel vaginæ inſertum? Imò univerſim Stoici, *qui hominis animam, divini ſpiritûs* (hoc eſt, ætherei ignis, ut interpretatur Lipſius noſter) *partem eſſe, ac veluti ſcintillas quaſdam aſtrorum, in terras deſiluiſſe, atque alieno loco hæſiſſe*, cenſebant; negare quoque debebant eſſe formam corporis. Ignis enim, qui ligno, aut volanti pyroboli chartæ adhæret, chartam quidem quodammodò animat, ſed non informat. Senec. lib. de Vita beat. cult.

Campanella verò *negat animam ſenſitivam eſſe formam ſui corporis, ſed ſpiritum corporeum, mobilem, tenuem, non affixum organo*, diſcurrentem de uno in aliud, ut per muſicorum organorum fiſtulas, ventus. Campanel. lib. de ſen. ſu. c. 18.

De anima verò rationali, propter Clementis V. in Concilio Viennenſi definitionem, id dicere non audet; ſic enim non eſſet forma corporis. De anima autem ſenſitiva, ſupponunt potiùs, ex Philoſophia Peripatetica, Concilij Patres, quàm opus fuerit hoc definire. Nam plerique omnes Platonici & Averroiſtæ, qui animam rationalem negant eſſe formam informantem, de ſenſitiva brutorum non dubitant.

Concil. Viennenſe veritatem illam Philoſophicam definire voluit, propter Hæreſiarcham quendam illius ævi, Petrum Ioannis nomine, qui ex Schola Averrois, inter ceteros ſuos errores, aſſerebat: *Subſtantiam animæ rationalis ſeu intellectivæ, verè ac per ſe humani corporis formam non eſſe.* Adverſus quem editum hoc Decretum: *Quiſquis deinceps aſſerere, defendere, ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, quòd anima rationalis ſeu intellectiva, non ſit forma corporis humani per ſe & eſſentialiter, tanquam hæreticus eſt cenſendus.* Anno MCCCXI.

Multa enim abſurda contra fidem Chriſtianam ex eo errore Philoſophico ſequuntur. Vnde *etiam ante Concil. Viennenſe*, ait Guido Carmelita, *talis fuiſſe hæreticus iudicandus eſt. Quia per hoc negatur meritum & demeritum in homine: negatur neceſſitas ſacramentorum, & peccatum. & virtus: negatur totale fundamentum fidei, & fides ipſa, quæ præcipitur habenda hominibus: & vita æterna, & ſalutaris* Guid Carmel. c. 2. De erroribus Pet. Ioan.

ſalutaris adventus Christi in carnem, & adventus ad iudicium, & miſſum Spiritum ſanctum ad ſanctificandum homines, & cetera quæ fide creduntur; ſi homo non habeat tanquam veram & eſſentialem formam, animam rationalem per eſſentiam.

Nam ſi anima rationalis non informet, ſed aſſiſtat ſolùm corpori animâ ſenſitivâ cogitativâ informato (quod eſt ſomnium Averrois) re verâ homo bruti ſpecies quædam eſſet, & veluti aſina Balaami, quem ſubſtantia ſpiritualis intelligens, ſine informatione inhabitaret, eique ſolùm extrinſecùs imaginationem & linguam moveret. Actum verò intelligendi aut volendi, communicare ei non poſſet. Vt enim verè & vitaliter homo intelligat aut velit, non ab altero actum intelligendi aut volendi, ſed à ſemetipſo recipere, hoc eſt, ſibi imprimere debet.

Vnde anima rationalis homini ſolùm aſſiſtens, intelligere quidem, ſeu in ſe actum intelligendi formare poterit; non tamen efficere, ut ſuppoſitum illud cui aſſiſtit, illo eodem actu intelligat. Aliàs pileus meus intelligens denominari poſſet, quia caput meum illi inexiſtens, intelligit.

Cajet. 1. p. q. 76. a. 1. Non igitur de nihilo, ſed verè, & unà facetè Cajetanus: *Averroëm, & ſequaces eius eſſe* (propriâ ipſorum opinione) *eſſentialiter animalia bruta; & propterea non eſſe mirum, ſi nihil intellexerint de ſeipſis.*

Sed dicent fortaſſe, vocem iſtam *homo* non tantùm ſignificare compoſitum phyſicum ex corpore & animâ cogitativâ, ſed complecti etiam animam rationalem, quæ tali compoſito aſſiſtit.

Verùm hoc pacto, homo non erit verum animal; cùm ens per ſe non ſit: omne autem animal ſit inferius entis per ſe. Nec aliter homo differet à ſimiâ, aut ſatyro, quàm compoſitum ex equo & equite differt à nudo equo qui inſeſſore caret. Fac ergo, ut anima rationalis aſſiſtens, deſerat ſuum ex animâ cogitativâ & corpore ſuppoſitum; ecce jam ex homine relinquetur nobis ſatyrus; qui hominum ſocietatem fugitans, ſilvarum latebras quæret. Quod quidam Averroiſtarum (credo, ut nos delectent, & rideamus) non verentur concedere.

Alij

Alij tamen arctiorem unionem inter illud cogitativum ſuppoſitum,&animam rationalem interponunt, quàm ut tam facilè abrumpi poſſit.

Sit ergo homo Averroicus,ut Hippocentaurus, ex equo & homine concretus, aut ut oſtreum, ex teſtâ ſuæ cochleæ & animali adhærente compoſitum

Attamen unio iſta non erit per ſe, ſed inſtar plumbaturæ, quâ unum metallum cum alio, ut ferrum cum cupro, aut lapis cum ligno ferruminatur. Vnde homo non erit magis unum per ſe, quàm ſedes, aut domus, cujus partes non propria unione integrali, ſed ferrumine & ligaturâ tantùm inter ſe devinciuntur: quidquid dicat Plotinus & Platonici: qui licet animam rationalem informare corpus negent, *ita tamen ei alligant*, ait Ficinus, *ut ex ea & corpore unum animal componatur: ideoque à materia mox ita inficiatur, ut & paſſionibus fiat obnoxia, & motus immoderatos, more corporis, ſubeat in exceſſum atque defectum.* Marſil. Ficin. comment. in Ennead. 1. c.4. Plot.

Sed hæc animæ rationalis ab animæ ſenſitivæ paſſionibus infectio, potiùs indicat unionem animæ rationalis ad corpus eſſe eſſentialem, ſeu informativam; atque eandem eſſe animam, quæ & operationum ſenſitivarum, & rationalium ſit origo ac principium.

Quod etiam ex ſympathia, qua actiones humani intellectûs interpellant actiones ſenſitivas; ut cùm vehemens & attenta ſpeculatio actionem videndi,vel audiendi,aut motum progreſſivum ſuſpendit, colligitur. Quod profectò non fieret, ſi anima rationalis ſenſitivo animali extrinſecùs tantùm aſſiſteret. Nec enim ſpeculatio attentiſſima equitis motum equi progreſſivum interpellat, aut impedit.

Hinc ergo patet, veram eſſe Philoſophiam Ariſtotelis, qui animam rationalem non extare quodammodò, & attollere apicem mentis ſupra hominem ſenſitivum, ſentit, ſed eam uſque ad corporis ſui informationẽ deprimit. Etſi tamen in uno homine, *duplicem hominem conſtituat*, ait nobilis ejus Interpres Euſtratius: *Vnum qui ex anima & corpore conſtat; alterum intellectum. Vocat autem intellectum, ipſam rationalem animæ partem: Quem ſanè intellectum & verè, & primò, & maximè hominem eſſe ſtatuit,* Euſtrat. in 10. Ethic.

Hhhhh Prorſus

Prorſus cum Apoſtolo noſtro Paulo conſentienter, qui rationalem & ſupremam animæ partem, *hominem interiorem*; partem ſenſitivam ac inferiorem, *hominem exteriorem* appellat. Hominem quoque interiorem eſſe maximè hominem ſignificat, quando negat ſe facere, quod pars ſenſitiva, ſecundum concupiſcentiæ legem in ipſo agit; ſed illud quod pars rationalis, ſecundum æternam Dei legem operatur. *Si quod nolo*
Rom. 7. *illud facio: iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatum.*

Si autem anima rationalis ſupra corpus & ſupra animam ſenſitivam ſic emineret, ut corpus non informaret, nulla ſanè virtus, aut vitium, meritum, aut demeritum homini ſenſitivo tribui poſſet, & omnia abſurda illa ſequerentur, quæ Guido Carmelita Petro Ioannis hæretico, in initio Articuli objectabat.

Inter res enim ſpecie, & tam longè differentes, quàm differunt anima rationalis & corpus, non poteſt alia unio per ſe unum conſtituens, intercedere, præter eſſentialem, qua extrema per modum actûs & potentiæ copulantur. Vnde virtus & vitium, ac univerſim intellectûs & voluntatis operationes, animæ tantùm extrinſecùs aſſiſtenti, non homini proprio, quod eſt animal ſenſitivum, tribuentur. Nec enim homo (qui debet eſſe ens unum per ſe) intra ſignificationis ſuæ peripheriam, animam rationalem ſic extantem ut non informet, poterit circumplecti.

ARTICVLVS X.

Argumenta aliquot, contra animæ humanæ informationem objecta, reijciuntur.

SEd anima rationalis eſt ſpiritualis & indiviſibilis, igitur materiam corporalem & diviſibilem informare non poteſt, inquiunt. Vulgare quippe axioma eſt: Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur.

Reſp. Axioma iſtud ſumptum eſſe à liquoribus, qui poculis & vaſis infuſi, ſuperficie ſuâ convexâ, modum & figuram ſuperfi-

ſuperficiei concavæ vaſorum rapiunt.

Poſtea longiùs tractum eſt; ita ut jam omnis forma in ſubjectum ſuum, ad modum recipientis recipi dicatur. Sic albedo ovi, ad modum ſubjecti ſui recipitur; quia figuram ovalem induit, ſimilem figuræ teſtæ ovi.

Denique adhuc longiùs illud axioma extenſum eſt: ut univerſim quælibet forma dicatur recipi ad modum recipientis, ſi ſufficientem cum ſubjecto receptivo proportionem habeat; adeo, ut modus ille ſubjecti, nihil aliud eſſe videatur, quàm aptitudo ſubjecti, correlativè reſpondens aptitudini informandi, quæ eſt in forma. Aliàs enim ſi forma deberet induere omnes modos & conditiones ſubjecti in quod recipitur; accidens non poſſet in ſubſtantiam recipi, niſi quandam ſubſtantialitatem ab eo contraheret.

Igitur anima rationalis in materiam corporis ſui, ad modum recipientis recipitur, eo ipſo, quo materia illa eſt ens phyſicè incompletum, ſuſceptivum cujuſlibet formæ incompletæ, quæ ad ipſam dicit eſſentialem ordinem. Inter quas formas eſt anima rationalis.

Sed qua ratione, ſubſtantia animæ partium integralium expers, per omnes partes integrales ſui corpus poteſt diffundi?

Dic tu mihi antè: qua ratione Angelus ſine partibus, ſphæram ſuæ replicationis, aut Deus totum Vniverſum implet? Nam S. Auguſtinus inexiſtentiam animæ in corpore, cum inexiſtentia qua Deus Mundum replet, ſolet comparare. Sed de re iſta plura proximo Capite.

Secundò objiciunt: Potentiæ animæ rationalis, ut talis eſt, nempe intellectus & voluntas, non ſunt potentiæ organicæ, procumbentes in materiam corporis: ergo anima propter illas non poſtulat informare corpus; imò puriùs & ſinceriùs operationes potentiarum ſpiritualium exercet, quando ſeparata eſt à corpore.

Reſp. ſubſtantia animæ rationalis, quæ eſt radix, non tantùm vegetativarum & ſenſitivarum, ſed etiam ſpiritualium potentiarum, eſt eſſentialiter ens incompletum, & appetens materiæ complexum. Vnde licet intellectus ejus non jaceat

& ſuſtentetur in materia, ut potentiæ organicæ; ei tamen connaturale eſt, ut ſpeciebus intelligibilibus, hauſtis ex fumo, ut ſic dicam, corporalium phantaſmatum utatur. Hæ enim ſpecies, ut ait S. Thomas, ſunt magis accommodatæ imperfectioni humani intellectûs, qui in genere intellectuum eſt infimus.

S. Tho. 1. p. q. 89. a. 2.

Ad fabricandas igitur tales, & iſti modulo ſuo commenſuratas ſpecies intelligibiles, anima etiam ut rationalis, naturâ ſuâ communicationem & complexum cum materia corporis ſui flagitat.

Species autem Angelicis ſimiles, quæ animæ ſeparatæ infunduntur, puriores quidem & ſinceriores ſunt, ſed minùs intellectui humano accommodæ, ut philoſophatur S. Thomas. Unde *licet Angeli*, inquit, *per huiuſmodi ſpecies habeant perfectam & propriam cognitionem de rebus; animæ tamen ſeparatæ tantùm confuſam*: Sicut fortè ſpecies lucis ſolaris, oculis aquilinis licet accommodæ, oculos tamen noctuæ obturbant, & imperfectam ſolummodò viſionem gignunt. Aut ſi alia comparatio placet: Sicut convexæ lentes in ſpecillis, oculorum ſeneſcentium lumina plerumque clarificant; & tamen myopas, quibus brevis eſt oculorum acies, confundunt. Quæ tamen comparationes, quia à rebus ſenſibilibus ad ſpirituales tranſlatæ ſunt, cave, ne nimis exactas eſſe putes, & eas quatuor pedibus (ut dici ſolet) facias currere. Sententiæ enim S. Thomæ ſufficit, ut quemadmodum anima noſtra eſt forma poſtulans naturaliter unionem ad corpus, & conjunctionem cum phantaſmatibus, à quibus ſpecies in intellectum ſuum rapit; ita tales ſpecies, & actus intelligendi ex talibus geniti (quamvis Angelicis imperfectiores) humano intellectui magis & aptiùs quadrent.

Idem 1. p. q. 89. a. 4.

Tertiò, ſi unio animæ rationalis ad corpus eſt ei naturalis; igitur ſeparatio, inquiunt, erit contra naturam. Et tamen S. Thomas dicit ſolùm eſſe *præter naturam*. *Eſſe enim ſeparatæ à corpore*, inquit, *eſt præter rationem naturæ ſuæ; & ſimiliter, intelligere ſine converſione ad phantaſmata, eſt ei præter naturam.*

Idem 1. p. q. 89. a. 1.

Reſp. ſtatum ſeparationis re verâ eſſe animæ contra naturam. Unde aliquid *eſſe præter naturam*, uſurpatur hìc à S. Thomâ pro

pro, *eſſe contra naturam*. Imitatur quippe Ariſtotelis ſui phraſim, qui motum contra naturam (ut gravium ſurſum, levium deorſum) paſſim vocat παρὰ φύσιν *præter naturam*. Hoc ex comparatione S. Thomæ ibidem patet. *Habet anima*, inquit, *alium modum eſſendi, cùm unitur corpori, & cum fuerit à corpore ſeparata; manente tamen eâdem naturâ. Non ita, ut uniri corpori ſit ei accidentale, ſed per rationem ſuæ naturæ, corpori unitur. Sicut nec levis natura mutatur, cùm eſt in loco proprio, quod eſt ei naturale, & cùm eſt extra proprium locum, qui eſt ei præter naturam.* S. Thô. 1. p. q. 89. a. 1. & q. 76. a. 1. ad 6.

Ecce, quomodo locum deorſum, qui eſt contra naturam corporis levis, vocet *præter naturam*, & comparet cum ſtatu animæ extra corpus. Vnde alibi apertè, & extra omnis dubitationis nubem: *Anima corpori naturaliter unitur. Eſt enim ſecundum eſſentiam ſuam corporis forma. Eſt ergo contra naturam animæ, abſque corpore eſſe.* S. Thom. lib. 4. c. 79. contra Gent.

Hæc autem philoſophia, & modus loquendi S. Thomæ verior eſt, quàm multorum Recentiorum, qui ſtatum ſeparationis, *neutrum*, aut *præternaturalem* (qualis eſt circularis motus elementi ignis;) aut *aliquo modo naturalem* vocant.

Licet enim ſententia D. Thomæ ſit difficilior, ut fatetur Cajetanus, naturam tamē animæ rationalis profundiùs penetrat; *ideoque*, inquit Cajetanus, *S. Thomas ubique ſemper hanc tradit doctrinam, nec unquam voluit Avicennæ facilitatem ſectari.* Docet verò Avicenna utrumque animæ ſtatum eſſe naturalem ſucceſſivè: ſicuti homini naturale eſt, primùm in utero concipi, deinde naſci, poſtremò extra uterum vivere. Cajet. 1 p. q. 89. a. 1. Avicen. lib. 9. Metaph.

Sed ſtatum ſeparationis eſſe contra naturam, conformius eſt Concilio Viennenſi, quod decernit *Animam rationalem verè, per ſe, & eſſentialiter formam corporis eſſe.* Si enim illi ut ſic, ſive ſecundum præciſum rationalitatis gradum (qui Concilij ſenſus eſſe debet; nam quin ſecundum inferiores gradus, forma corporis eſſet, nemo ambigebat) per ſe & eſſentialiter competit eſſe formam corporis; profectò naturale eſt corpori conjungi, & cùm abrumpitur à corpore, naturalis quædam ejus proprietas deſtruitur, ſub cujus merâ privatione extra corpus manet; non autem ad

aliam proprietatem æquè naturalem ſucceſſivè tranſitur: ſicut (quæ eſt Avicennæ ſimilitudo) quando à conceptione pueri in utero,ad partum,&deinde ad vitam extra uterum gradatim aſcenditur.

Si denique ſtatus animæ extra corpus eſt ſecundum naturam, nulla jam ratio naturalis adverſus Platonem & Origenem ſatis valida eſt; cur animæ noſtræ ante corpora, in ſtatu ſuo naturali, ac velut in aëre ſereniſſimo, extra omnium phantaſmatum nebulas, creatæ non ſint; & deinde in corpora, tanquam in tenebroſos carceres,contra naturam detruſæ. Vnde S. Hieronymus adverſus Origeniſtas diſputans, ante omnia deſtruit ſtatum animæ naturalem extra corpus, per argumentum ab abſurdo, quod inde ſequeretur.

S. Hieron. lib. contra Io. Ieroſol.

Si enim, inquit, *naturale eſt animæ eſſe ſine corpore, ergo contra naturam eſt eſſe in corpore. Si contra naturam eſt eſſe in corpore, ergo reſurrectio corporis contra naturam erit. Sed non fiet reſurrectio contra naturam. Ergo iuxta ſententiam veſtram, corpus quod contra naturam eſt reſurgens, animam non habebit.* Vbi etiam cernis, S. Hieronymum, nullum in hac materiâ ſtatum medium inter *ſecundum naturam*, & *contra naturam* agnoſcere; ſed immediatè inferre, ſtatum in corpore futurum contra naturam, ſi ſtatus extra corpus ſit naturalis, ut credebant Origenes & Platonici.

Atque hactenus de appetitu naturali animæ, qui nihil eſt aliud, quàm paſſiva aptitudo ad unionem cum corpore, locuti ſumus. Appetitu verò elicito, anima ſeparata ſtatum iſtum ſeparationis, quantumvis contra naturam ſit, præferre poteſt reditui ad corpus mortale quod aggravat animam. Tot enim miſeriarum torrentes, quæ ex vitiatâ peccato primi hominis origine, corpus noſtrum incurrerunt, ſufficere poſſunt, ut anima malit ſub dio, ut ſic dicam, permanere, quàm domum adeò incommodam ſubire. Vt enim rectè olim Theophraſtus: *Anima profectò multum corpori ſolvere debet pro uſu hoſpitij ſui.*

Verùm, ſi corpus immortale, quale erit in cælo, aut quale etiam in primo homine factum eſt, animæ proponatur, deſerto

deſerto, ut opinor, ſeparationis ſtatu, in corporis complexum, tanquam maximè connaturalem ruet.

Imò S. Auguſtinus tam vehementem hunc animæ ad corpus appetitum (cum fluctu tamen dubitationis) eſſe credidit; ut Beata anima, corpore exuta, *retardetur quodammodo, ne totâ intentione pergat in illud ſummum cælum* (Deum: quem tertium cælum interpretatur, ad quod S. Paulus eſt raptus) *quamdiu non ſubeſt corpus, cujus adminiſtratione appetitus ille conquieſcat.* Quæ etiam eſt S. Bernardi, Haymonis, & olim S. Thomæ ſententia; licet in Summa eam deſeruiſſe videatur.

S. Auguſt. lib. 12. c.35. Geneſ. S. Ber. ſer. de Omnib. Sanct. Haym. c. 6. Apocal. D. Thom. q. 93. a. 2. Suppl.

Sed ſanè, non difficulter fortaſſe defendi poteſt. Gratia enim naturam non deſtruit. Eſt autem anima ſeparata ens quoddam ſolùm dimidiatum, quod cum altera ſua comparte in unum tertium compoſitum coaleſcere poſtulat. Ex iſtâ verò naturâ mutilâ, ut ſic dicam, & dimidiatâ emicat naturale deſiderium ad corpus: quod per modum ſimplicis velleitatis, cum abſolutâ reſignatione in Dei beneplacitum, in animâ ſeparatâ manere, ad manifeſtandam ejuſmodi animarum imperfectionem, ſinit Deus.

Poſſe autem actûs ſupernaturalis fervorem remitti per actum naturalem; adeoque inter eos ſympathiam intercedere, experiri videmur in actibus charitatis hujus viæ, quos alicujus boni creati permixtus amor debilitat. S. Thomas etiam 2. 2. q. 175. a. 4. ad 1. eandem ſympathiam indicat; Theodor. Smiſingus, contra multos recentiores, Tract. 2. de Deo d. 6. q. 9. n. 293. inſigniter probat.

Interim, qui ſympathiam illam inter viſionem beatificam & naturale deſiderium corporis, quam aſſerere videtur S. Auguſtinus, tam longè ab anima beata rejiciunt, viderint, qua probabiliori conjecturâ explicent, quod S. Auguſtinus ibidem dicit: *Minimè eſſe dubitandum, raptam hominis à carnis ſenſibus mentem, & poſt mortem ipſam carne depoſitâ, & tranſcenſis etiam ſimilitudinibus corporalium, non ſic videre poſſe incommutabilem ſubſtantiam, ut Sancti Angeli vident.* Sed nec in hoc plerique fortè S. Auguſtino credent; quidquid dicat: *Minimè eſſe dubitandum.*

S. Auguſt. lib. 12. c 35. Geneſ.

CAP-

CAPUT II.

De animæ rationalis indiviſibilitate.

QVi animam rationalem, corpoream faciunt, ut Stoici & Epicurei, integraliter quoque diviſibilē fabricant. Idem quoque facit Tertullianus, ex hiſtoria animæ Lazari & Epulonis Luc. 16. ubi anima iſtius, *punitur in flamma, cruciatur in lingua, de digito felicioris implorat ſolatium roris.* Et ex revelatione cujuſdam ecſtaticæ ſororis (de hæreſi Montani erat) quæ Tertulliano narraverat, ſe in ſpiritu vidiſſe animam *teneram, & lucidam, & aërei coloris, & formâ per omnia humanâ.* Dabat ergo animæ & caput, & manus, ceteraque membra humani corporis: ita ut hominis interioris (ſic animam appellabat) capitellum in capite, pectuſculum in pectore, corculum in corde, brachiola in brachijs, manciolæ in manibus, pediculi in pedibus hominis exterioris, ſive corporis noſtri, tanquam pyxidi aut vaginæ inſererentur.

Tertull. lib. de anima c. 7. 9.

Gemella imaginatio Vincentij Victoris, qui, ut narrat S. Auguſtinus, dicebat, *interiorem hominem* (id eſt, animam) *veluti in formâ vaginæ corporalis incluſum, & per membra exterioris hominis cucurriſſe, & gelaſſe, ut figmentum fuſile in formâ luteâ.*

S. Auguſt. lib. 4. c. 14. de orig. Animæ.

Quia tamen Victor & Tertullianus, ut Chriſtiani, animam immortalem eſſe dicebant, negabant in partes ſuas dividi poſſe; veluti cælum Peripateticum ſuis partibus integratur, in quas tamen naturaliter eſt indiviſibile.

Si enim corpuſculum animæ membratim concîdi poſſet, ſanè etiam conſumi tandem ac interfici valeret.

Sed philoſophiam iſtam Tertulliani, tam obeſam & pinguem admirans S. Auguſtinus: *Quis hunc crederet*, inquit, *cum iſto corde tam diſertum eſſe potuiſſe? Sed tremenda iſta ſunt, non ridenda. Ad hoc enim nunquam cogeretur, ſi aliquid cogitare poſſet, quod & ſit, & corpus non ſit.*

S. Auguſt. lib. 10. c. ult. Geneſ.

Hæc autem opinio eſt contra fidem Chriſtianam; quia animam

animam corporis formam eſſe negat. Deinde oporteret illi animæ, ſive homuncioni interiori aliam adhuc ſecundam animulam inſerere: quia ille homuncio non per materiam corpuſculi ſui, ſed per aliud principium, materiæ infuſum, vitales operationes, & præcipuè intellectûs & voluntatis, adminiſtrat.

Aliorum (& inter iſtos nobilis inter Germanos Medici Dan. Sennerti) ſententia eſt, animam rationalem ſic informare corpus, ut pars animæ partem corporis, & tota totum informet; & nihilominùs ſit immortalis. *Breviter enim reſpondemus*, inquit Sennertus: *Omnem formam, quæ materiam informat, eiq; unitur, & cum ea unum compoſitum conſtituit, extendi ad extenſionem materiæ, & propterea totum in toto corpore, partem autem ipſius in parte eſſe.* Dan. Sennert. lib. 6. c. 1. Epit.

ARTICVLVS I.

Anima rationalis eſt integraliter indiviſibilis.

PLatonici & Ariſtotelici, quanto Stoicis & Epicureis acutiores & ſapientiores, qui animæ rationalis ſpiritualitatem, & indiviſibilitatem cernere potuerunt!

Iſti verò nihil ultra ſenſus & imaginationem ſapientes, & animam, & Deum ipſum corporeum eſſe ſtatuebant. Meritò igitur de Stoicis & Epicureis S. Auguſtinus:

Eos iam noſtrâ, inquit, *ætate ſic obmutuiſſe conſpicimus, ut vix iam in Scholis Rhetorum commemoretur tantùm, quæ fuerint illorum ſententiæ.* S. Auguſt. Epiſt. 56.

Ariſtoteli igitur *νοῦς mens*, ſive anima rationalis, *ἀμερὴς impers*, ac indiviſibilis. Quod & S. Auguſtinus ſibi certum & perſuaſum eſſe dicit. *Incorpoream eſſe animam*, ait ad S. Hieronymum, *etſi difficilè tardioribus perſuaderi poteſt; mihi tamen fateor eſſe perſuaſum.* Et ſenſum ſuum explicans: *Per totum quippe corpus, quod animat*, inquit, *non locali diffuſione, tota ſimul adeſt, nec minor in minoribus, & in maioribus maior, ſed alicubi intentiùs* (per operationem) *alicubi remiſſiùs, & in omnibus tota, & in ſin-* Ariſt. lib. 1. c. 3. de Anima. S. Auguſt. Epiſt. 28.

gulis tota eſt. Hoc autem eſt, quod jam dicere ſolemus: Eſſe totam in toto, & totam in ſingulis partibus.

Hôc autem inexiſtendi modo evidentiùs ſe oſtendit animæ immortalitas, & independentia ejus à materiâ. Nam materiæ coëxtendi, & non colligi per omnia membra totam, ſed partem formæ parti materiæ coaptari, ſignum eſt, talem formam procumbere in materiam, & ab ea ſuſtentari, ſicut animæ brutorũ, aut formæ accidentales materiales procumbunt.

Deinde, quis talium partium in animâ immortali eſt uſus? Certè enim vis intelligendi partibus integralibus ſui ſubjecti non indiget. Quod probant ſubſtantiæ Angelicæ, quæ tanto intelligendi acumine pollent; & tamen partes nullas integrales habent.

Nec etiam ad informandum, & implendum ſuum corpus, anima partibus indiget; quia replicatione indiviſibilis ſubſtantiæ ſuæ hoc facere poteſt; ſicut Angelos & animam humanam, ſubſtantiæ ſpiritualitate, & ijs quæ talem ſpiritualitatem conſequuntur (inter quæ eſt indiviſibilitas ſubſtantiæ) comparat, & æquiparat tacitè. Conc. Lateranenſe: *Deus ab initio temporis*, inquit, *utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam: ac deinde humanam, quaſi communem, ex ſpiritu & corpore conſtitutam.*

Cap. Firmiter. De ſum. Trin.

Ecce, quomodo *ſpiritum* corpore humano indutum, nudæ *creaturæ ſpirituali Angelicæ* faciat ſimilem.

Tertiò, ſi anima rationalis per partes ſuas, ſicut animæ brutorum, membratim coëxtenditur corpori: igitur in nutritione hominis, nova pars animæ, virtute caloris naturalis, in materia alimenti, ab anima viventis producetur. Hæc autem productio tantùm poteſt eſſe eductiva, non creativa: ergo pars illa animæ eſt corruptibilis; cùm è potentia materiæ ſuſtentantis educatur.

Quartò, cùm abſcinditur homini brachium: vel pars animæ informans brachij materiam, interit; aut retrahit ſe in reliquum corpus; aut corpore abſoluta vagatur.

Si interit, ergo anima immortalis non eſt; cujus omnes partes

partes cæſim & carptim poſſunt interire. Si retrahat ſe, *& in alias corporis partes, denſando ſe colligat*, ut Vincentio Victori placet: igitur anima proximæ partis intenditur, per acceſſum partis animæ, quæ erat in brachio abſciſſo. S. Auguſt. lib. 4. c. 18. de orig. animæ.

Attamen formæ ſubſtantiales non intenduntur, publico ferè Philoſophorum conſenſu. Quis enim talis intenſionis uſus? Simplex enim, & ſine intenſione anima, modò naturalibus ſuis potentijs accincta ſit & adjuta, ad omnium functionum ſuarum vitalium exercitia ſufficit. An fortè quiſquam expertus eſt actiones vitales, in corpore brachijs & cruribus mutilato, magis ſtrenuè exerceri quàm antè; ſicut experimur calorem vehementiùs agere, poſtquam ei nova acceſſit intenſio? Non credo.

Si denique pars animæ deciſa, nuda jam & ſine corpore per inane vagatur; profectò, ne toto illo tempore, inſtar ſomniculoſi gliris, ut S. Hieronymus loquitur, nihil agat; potentias ſuas ſpirituales, intellectum, voluntatem, & locomotricem ſecum deferre debet. Quomodo enim ſine iſtis potentijs vagaretur, & loco ſe moveret? Vnde jam non tantùm eſt pars animæ, ſed integra anima.

Et quia non eſt eadem quæ manſit in reliquo corpore; erit ergo quidam velut ab ea reciſus ſurculus. Vnde ſicut ex unius arboris ramis innumeri decîdi poſſunt ſurculi, qui in alias arbores adoleſcant; ita ex membris unius hominis reciſis, novæ ſine fine animæ rationales decerpi poterunt, quæ à corpore abſolutæ, inter lemures, larvas, & umbras volabunt. Quæ omnia imaginationum ludibria, & ægroti veteris ſomnia ſunt.

ARTICVLVS II.

Argumenta quibus animæ rationalis indiviſibilitas oppugnari poteſt.

Videmus caput hominis à corpore reciſum adhuc ſaltitare, & mordere. Imò corpus truncum ſine capite, aliquot interdum paſſus conficere. Nam *corpus amputato capite progredi poſſe, nihil eſt abſurdi*, inquit Ariſtoteles. Ariſt. lib. 3. c. 10. de partib.

Alia exempla reviſere potes, quæ Lib. I. Cap. IV. Artic. III. attulimus.

Ex quibus confici videtur, animam, ſicut corpus ipſum, in duas partes dividi; cùm utraque corporis pars ſe moveat. Et unde, niſi à partibus animæ, quæ utrimque in partibus corporis manent?

Sed ſi caput, & truncus humani corporis ſeorſim adhuc vivunt; eadem potiùs indiviſibilis anima rationalis, intercisâ unionis continuitate, tantiſper durat, donec exhalante calore naturali, temperies in tantum mutata ſit, ut jam cadaveris, vel alia forma, in materiam illam, pulsâ animâ rationali, ſuccedere debeat.

Aut certè, ſi eadem anima rationalis materias diſcontinuas informare nullo caſu poſſit, ſaltus ille partium abſciſſarum, non ab anima, ſed à ſpiritibus vitalibus & animalibus fiunt, qui per arterias, nervos, ceteroſque corporis meatus, in illa extrema fuga tumultuantur, & corpus agitant.

Iul. Scalig. Exerc. 246. Et à ſimili causâ, *bovis exciſam linguam per totum diem palpitaſſe, & vervecis cor exemptum, horam ampliùs unam totam fluctuaſſe* (quorum illud Cardanus, iſtud ſe vidiſſe Scaliger teſtatur) exiſtimo. Etiamſi enim bovis & vervecis animas, diviſibiles eſſe fortaſſe ſit verum; partes tamen animæ perfectorum animalium non tam diu in partibus illis avulſis permanere poſſunt.

Certè tamen corpus humanum capite & cerebro truncum, motu animali progredi non poteſt; cùm imaginationis & cerebri influxu careat, qui ad motum animalem eſt neceſſarius.

Sed quomodo, inquiunt, ſi anima ſpiritualis & indiviſibilis eſt, materiæ corporali ac diviſibili adfibulari & connecti valet?

S. Auguſt. lib. 21. c. 24. Civit. Naz. Orat. 26. n. 24. Fateor hujus rei imaginatio eſt difficilis. Vnde S. Auguſtinus: *Deus incorpoream corporeamq́;*, ait, *naturam miris modis copulans & connectens, animantem facit.* Ac Nazianzenus: *Deus arcano & ineffabili modo, terram cum mente, & mentem cum ſpiritu alligat.*

Attamen, ſicut Angelus & Deus, quadam veluti replicatione

tione totius ſubſtantiæ ſuæ, ſpatio diviſibili & continuo præſentiam ſuam exhibere poſſunt; ita anima rationalis & præſentiam ſuam, & unà ſubſtantialem quandam ſui unionem omnibus partibus corporis quod informat, infigere poteſt.

An igitur, inquiunt, ſolis materiæ ſuæ punctis infigitur & unitur anima? Nequaquam: ſed etiam partibus ſine fine diviſibilibus. Quid ſi enim in materiâ, nulla (quod multi probabiliſſimè putant) puncta indiviſibilia ſunt? Deinde ſint ſanè puncta: ſed ſicut puncta partibus diviſibilibus immediatè copulantur, quidni & indiviſibilis animæ ſubſtantia ijſdem partibus uniri poterit? Nec tamen unicum in continuo ſitum habet, ſicut puncta ſingula; ſed per totam materiam ſuam, & omnia organa diffundi poſtulat, ut omnibus ſuis potentijs materialibus per organa diſpoſitis præſens adſit, & in earum operationes influat. *Anima enim non eſt indiviſibilis ut punctum,* ait S. Thomas, *habens ſitum in continuo: contra cuius rationem eſſet, in loco diviſibili eſſe. Sed eſt indiviſibilis per abſtractionem à toto genere continui. Vnde non eſt contra rationem eius, ſi ſit in aliquo diviſibili toto.* S. Tho. q. de ſpir. creat. a. 4. ad 16.

Diſpoſitiones enim quæ præeunt, & quaſi locum unioni animę cum materia præparant, non tantùm per materię puncta, ſed etiam per partes in infinitum diviſibiles diffunduntur.

ARTICVLVS III.

Verius eſt, unionem indiviſibilis animæ ad corpus diviſibile, eſſe in partes integrantes diviſibilem.

GAbr. Vaſquez, contendens præſentiam Angeli ad ſpatium diviſibile, eſſe nihilominùs indiviſibilem, ait hoc *facile poſſe intelligi. Nam ſicut,* inquit, *modus in anima rationali, quem habet in corpore, quando illi unitur, in ſe eſt indiviſibilis; ſic etiam modus Angeli poteſt ipſum corpori diviſibili unire, etiamſi in ſe indiviſibilis ſit.* Vaſq. 1. p. d. 188. c. 7.

Sed profectò obſcurum per æquè tenebroſum declarat. Non enim minùs obſcurum eſt, unionem animæ ad corpus,

 quàm

quàm præſentiam Angeli ad ſpatium, eſſe indiviſibilem. Pro omni verò ratione; quare unionem animæ, & præſentiam Angeli neget diviſibilem Vaſquez, hoc adfert: Quia extenſio localis *videtur eſſe propria corporis, & accidentis corporei; cuius capax non eſt ſubſtantia ſpiritualis.*

Atqui hoc ſane eſt, de quo diſputamus: an capax non ſit extenſionis cujuſdam, non corporeæ, ſed ſpiritualis. Cùm enim alia ſit pars materiæ in capite, & collo, in manu, & brachio hominis, videtur etiam eſſe alia unio ejuſdem indiviſibilis animæ ad materiam manûs, & ad materiam brachij; ac proinde extenſio quædam ſpiritualis in tali unione, ex diverſis partialibus unionibus conſutâ.

Negat tamen iſtam diverſitatem Vaſquez. Et ſuppetias fert ei Hurtadus. Quia ſi unio animæ, inquit, vel accidens ſpirituale poſſit eſſe diviſibile in partes integrales extenſivas; nullum jam eſt argumentum, quo ex ſpiritualitate animæ indiviſibilitatem ejus colligamus.

Pet. Hurtad. diſp. 2. ſect. 3. de Anima.

Sed reſponderi poteſt: ſpiritualitatem cum ſubſtantia ſtrictæ entitatis (qualis eſt anima rationalis, & Angelus) inducere indiviſibilitatem in partes integrales; quia multitudo partium integralium in tali ſubſtantia eſſet ſuperflua & inutilis. Deus autem & natura abhorrent à ſuperfluis.

In puris verò modis (quales ſunt unio animæ & Angelicum Vbi) magna partium extenſivarum poteſt eſſe utilitas, imò neceſſitas: ut videlicet modus ſpiritualis, per tales partes, non tantùm punctum ſpatij, ſed ſpatium diviſibile occupet; quod ad alium effectum, neceſſarium eſſe poteſt. Vt v. g. talem unionis ſuæ extenſionem anima poſtulat, ut ſimul omnibus corporis ſui organis præſens eſſe poſſit.

Sed eádem indiviſibili, & in omnibus organis replicatâ unione hoc fieri poteſt, aiunt Vaſquez & Hurtadus. Et *Doctores Theologos ac Philoſophos noſtri temporis vehementer miror*, ait ille, *quòd de Angelis* (aut anima rationali) *ſpiritualibus diſſerentes, nondum corporea hæc & materialia obliviſcantur, & in ſubiecto ſpirituali & omnino indiviſibili conſtituant aliquod accidens formaliter loco extenſum, & ut dici ſolet, loco commenſuratum, cujus partes*

Vaſq. ſupra.

partes inter ſe diſſitæ ſunt, & loco diſtantes.

Qua Vaſquij admiratione ſe perſtrictum ſentiens Suarez: *Non erubeſco*, ait modeſtè, *confiteri ingenij mei tarditatem. Nam ſuppoſitis nonnullis principijs in quibus convenimus, intelligere non valeo; quomodo eſſe poßit talis modus* (Vbi Angelicum, vel unio animæ rationalis) *indiviſibilis in ordine ad ſpatium, vel ad corpus; vel cur oppoſita diviſibilitas repugnet ſpirituali accidenti, in ſubiecto ſpirituali exiſtenti.* Suar. lib. 4. c. 17. de Angel.

Quæ ſententia Suarij mihi quoque longè videtur verior. Nam veluti res ſpiritualis (etiam ſtrictæ entitatis) partium integralium intenſivarum capax eſſe poteſt, ut in habitibus intellectûs & voluntatis patet; ita nil vetat, quin ſpiritualis aliquis modus partes extenſivas recipere poſſit. Manebit enim nihilominùs ſpiritualis: quia ſpirituale, ſive incorporeum vocatur; quod nec corporeæ quantitatis capax eſt (qualiter materia prima) nec à corpore ut ſubjecto ſuſtentatur, ſicut color, calor, & cetera accidentia corporalia.

Vbi autem Angelicum nec eſt capax corporeæ quantitatis, nec à corpore ſuſtentatur, ſed à ſubjecto ſpirituali. Vnio etiam animæ rationalis eſt incorporea, ſive ſpiritualis, ſi ex parte animæ tantùm, ut ſubjecto, ſe teneat, & materiam corporis, ut terminum reſpiciat.

Si verò tam animam quàm materiam proximè afficiat & *προσπερονᾷ adſibulat*, ut loquitur Plato; ſic ut non unicum tantùm extremum, ſed utrumque ſimul inſtar fibulæ, immediatè mordeat; tunc corporea potiùs dici debet, quàm ſpiritualis. Nam abſolutè à corpore, ut ſubjecto, pendet, licet interim ſimul à ſubjecto ſpirituali etiam pendeat. Sed non ideo ſpiritualis dici debet. Bonum enim (quale eſt eſſe ſpirituale) oriri debet ex integra cauſa, malum ex ſingulis defectibus. Vnde ſi à materia prima corporea ſimul dependeat, non eſt (ſimpliciter loquendo) ſpiritualis, ſed corporalis.

Hôc autem argumento, adverſus Vaſquium & Hurtadum, ſatis probatur non eſſe eandem prorſus & indiviſibilem; quia aliàs, quando abſciſſo brachio, unio inter animam & materiam brachij ſubſtantialiter deſtruitur, uno ac eodem ictu, unio

unio eadem per univerſum corpus ſparſa deſtrueretur, & homo totus interiret. Quod enim ſubſtantialiter in uno loco interficitur, in omni loco cadere debet. Exiſtentiâ enim ſubjecti ruente, omne ejus accidens (qualis eſt præſentia localis) corruere oportet.

Deinde, quando in nutritione accedit nova pars materiæ hominis, unio in omnibus partibus corporis renovari deberet. Nam unio antiqua quæ præerat, non reſpiciebat eſſentiali habitudine novam iſtam materiam alimenti quæ acceſſit; quam tamen nova hæc jam unio reſpicit. Si ergo eadem indiviſibilis unio ſit unà cum animâ, in toto corpore replicata; alia profectò jam eſt in omnibus partibus corporis (ut in corde, cerebro &c.) quàm immediatè antè fuit; atque ita priori homine interempto, novus, ex eàdem quidem animâ & corpore, ſed novâ unione, gignitur.

Nec verò hanc unius hominis in alium metamorphoſin evitat, quod Vaſquez addit: *Vnionem tamen eſſe diviſibilem eo modo, quo habitus dicitur habere diviſionem, cùm extenditur ad plures concluſiones; quam vocant diviſionem virtualem.* Vaſq. 1. p. d. 188. c. 7.

Hôc enim modo videtur ei unio animæ quæ præerat, poſſe ſine acceſſione novæ partis, ſe extendere ad uniendam corpori partem materiæ alimenti quæ accedit.

Sed certè non poteſt. Nec exemplum habitûs eſt ſimile. Nam extenſio ejuſdem habitûs ad varias concluſiones, eſt effectiva, ſive, per varios aſſenſus, quos habitus nunc ad hanc, nunc ad illam concluſionem ſe vertendo, elicit: extenſio verò unionis ad novas partes materiæ, quæ accedunt, non eſt effectiva, ſed formalis, fitque per acceſſum unionis, quæ novam partem materiæ cum anima formaliter copulat.

Imò exemplum illud in Vaſquium regeri poteſt. Sicut enim habitus non eodem actu, ſed per alios & alios aſſenſus, ad diverſas concluſiones ſe extendit; ita unio quæ in corpore præerat, ad hanc, & ad iſtam materiæ alimenti accedentis partem, non per ſe & immediatè, ſed per diverſos novarum unionum quaſi ramuſculos ſe porriget.

Hanc quoque laciniam extremo hujus Articuli non ineptè

poſſumus

poſſumus aſſuere. Scaliger ait, Ariſtotelem Lib. 2. de generat. animal. c. 3. *animam rationalem adeò divinam agnoſcere rem, ut nefas putaverit, ſine medio conjungi poſſe corpori corruptibili, cui illud illam conciliaret.* Scalig. Exerc. 107. §. 20.

Subtilis Scotiſta Hugo Cavellus dari quoque poſſe animæ ſeparatæ & Angelis materiam quandam ſpiritualem; ac S. Thomam in eandem ſententiam, ſed fruſtrà, ſollicitat. *Anima quippe*, ait S. Thomas, *unitur corpori* (corruptibile utique intelligit) *ut forma ejus: forma autem unitur materiæ abſque omni medio. Per ſe enim competit formæ, quòd ſit actus corporis, & non per aliquid aliud.* Igitur corpus illud ſpirituale & incorruptibile impediret potiùs, quàm promoveret & adaptaret unionem animæ rationalis cum corpore noſtro corruptibili. Cavell lib. de anima q. 15. S. Tho. lib. 2. c 71. contra Gent.

Deceptus autem videtur Scaliger interpretatione Ariſtotelis falsâ, licet primâ fronte, veriſimili. Ait enim Philoſophus, Πάσης ψυχῆς δύναμιν, *Omnis animæ potentiam videri participare aliud corpus magis divinum, quàm ea quæ elementa appellantur.* Mox autem ſubdit, divinum iſtud corpus eſſe, πνεῦμα ἐν τῷ ἀφρώδει σπέρματος, *ſpiritū in parte ſpumoſa ſeminis.* Addit deinde, ἀνάλογον εἶναι τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ, *Analogiam & proportionem habere cum ſtellarum elemento.* Ariſt lib 2. c. 3. de generat. animal.

Loquitur ergo Philoſophus, non de materiâ aliquâ ſpirituali, inter animam rationalem & corpus corruptibile interjectâ, ſed de ſpiritu ſpumoſo, corporis animalis conformatore, & ſimili ſpiritu, quo anima in ſuis operationibus vitalibus utitur. Vnde de *omni anima*, non de ſola rationali loquitur. Et quia potentia animæ eſt, quæ proximè illo inſtrumento utitur, ideo ſignanter ait, *potentiam omnis animæ participare* illud corpus divinum, ſeu cæleſte. Nec tamen dicit, eſſe cæli vel ætheris partem, ut multi falsò commentantur; ſed *analogum* quid cum cælo, & *ſtellarum elemento.* Eſt quippe in eo ſpiritu calor quidam, non craſſus & amburens, qualis ſolet eſſe elementaris, ſed ſubtilis & vitalis, quali ſol & ſidera terram, & animantium omnium ſemina fecundant.

CAPUT III.

De animæ rationalis creatione.

S. Auguſtinus, tam ſublimis, & illuminati divinitùs ingenij vir, uſque ad finem vitæ dubitavit: An anima rationalis, nova in ſingulis hominibus à ſolo Deo crearetur ex nihilo; An, ſicut corpora poſterorum Adæ ex corpore ejus, ita animæ illorum ex hujus animâ traducerentur. Sic enim via facilior ad explicandum, quomodo peccatum originale in poſteros manaret, aperiri videbatur, ſi ab illa una anima, quæ in primo homine peccavit, animæ poſterorum

S. Auguſt. lib. 10. c. 15. Geneſ. originem & traductionem haberent. *Illa enim anima* (inquiebat, & ſecum diſputabat Auguſtinus) *cui quadam contagio tracta de carne peccati, ſi de illa prima anima peccatrice non creata eſt, nullo modo imputari poteſt. Neque enim ullo peccato, ſed naturâ, quâ ſic facta eſt, & Deo dante, carni data eſt. Cur alienabitur ab æterna vita, ſi baptizando infanti nemo ſubvenerit?*

Ibid. c. 13. Et ante: *Quid meruit anima infantis, unde illi pernicioſum ſit, non percepto Chriſtiani baptiſmi ſacramento, exire de corpore, ſi nec proprium aliquod peccatum commiſit, nec ex illa eſt, quæ in Adam prima peccavit?*

Ibid. c. 11. Et antea iterùm: *Anima innocentiſſima eſt, ſi ex Adam propagata non eſt. Vnde quomodo poſſit juſtè ire in condemnationem, ſi de corpore, ſine baptiſmo exierit, quiſquis iſtam ſententiam de anima tenens, potuerit demonſtrare, mirandus eſt.* Rem enim iſtam abdi-

Ibid. c. 15. tiſſimam eſſe exiſtimabat Auguſtinus. Vnde infrà: *Hic pro ſua cauſa quid reſpondere poſſint, qui ſecundum Scripturas ſanctas, vel quod apud eas inveniatur, vel quod eis non adverſetur, conantur aſſerere animas novas, non de parentibus tractas, corporibus dari, nondum me audiſſe, vel uſpiam legiſſe fateor.*

Metuebat quippe cautiſſimus & prudentiſſimus Pater, ne Deum peccati originalis auctorem facere videretur, ſi diceret eum creare animas prorſus novas, & eas innocentes membris humani corporis inſerere, à quibus contaminarentur. Nam ideo Pelagiani fortiſſimè contendebant animas parvulorum

lorum non traduci ex anima parentum,ſed novas à Deo creari, ut majori veriſimilitudine garrirent, impoſſibile eſſe ut peccato aliquo originis inficerentur; niſi Deum illius peccati auctorem impiè vellemus conſtituere.

Vnde timebat Auguſtinus, ne ſi tam certò & incunctanter aſſereret, *Hæreticos* Pelagianos *adiuvaret; qui propterea*, inquit, *perſuadere conantur, ab omni noxa puras eſſe animas parvulorum; ne ſcilicet eadem noxa in auctorem Deum recurrat & redeat; quòd inſontes animas, quibus nec lavacrum regenerationis ſubventurum eſſe præſcivit, dando carni peccatrici, eſſe compulerit peccatrices; nullâ baptiſmi gratiâ ſubventurâ, qua liberentur à damnatione perpetuâ:* S. Auguſt. lib. 4. c. 11. de orig. Animæ.

Hinc tam ſæpe Iulianus S. Auguſtinum, & Catholicos *Traducianos*, per ludibrium appellat: quia ad facilitatem doctrinæ peccati originis, traductioni animarum magis interdum, quàm puræ creationi favere videbantur.

Contumelioſo ore Traducianos, ait ei Auguſtinus, *vocas Cyprianum, Ambroſium, Gregorium, ceteroſq; ſocios eorum, confitentes originale peccatum.* Et ſanè tamen *maxima pars Occidentalium*, teſte S. Hieronymo, *autumabant, ut quomodo corpus ex corpore, ſic anima naſceretur ex anima; & ſimili cum brutis animantibus conditione ſubſiſteret.* S. Auguſt. lib. 1. c. 7. Oper. imperf. S. Hieron. Epiſt. 82.

Quod profectò mirum eſt, ſi verum eſt, *propagationem animarum ex anima Adami, propagationem peccati originis non iuvare*, ut Bellarminus, & multi Scholaſtici affirmant. Vnica quippe ratio, cur Auguſtinus, & tot Patrum Occidentalium acerrima ingenia animarum traductioni, quàm creationi, proniores fuerint, erat adjutorium, quod ex iſta philoſophia ad expediendas peccati originis difficultates, ſperabant. Bellar. lib. 4 c. 11. de amiſſio. grat.

Vnde ſignum non obſcurum eſt, veteres illos Patres aliâ viâ & modo quàm modernos quoſdam Theologos, peccatum primi hominis in poſteros traduci exiſtimaſſe.

Tempore S. Gregorij Magni, id eſt ducentis fermè poſt S. Auguſtinum annis, iſta quæſtio in eadem caligine & ambiguo verſabatur. Nam S. Gregorius Epiſtola ad Secundinum: *Dulciſſima mihi tua charitas ſciat, quia de origine animæ inter Sanctos Patres requiſitio non parva verſata eſt; ſed, utrum ipſa* S. Gregor. lib. 7. Epiſt. 53.

 ab

ab Adam deſcenderit, an certè ſingulis detur, incertum remanſit. Eamque in hac vita inſolubilem faßi ſunt eſſe quæſtionem. Gravis enim eſt quæſtio, nec valet ab homine comprehendi. Quia ſi de Adami ſubſtantiâ, anima cum carne naſcitur; cur non etiam cum carne moritur? Si verò cum carne non naſcitur, cur in ea carne, quæ de Adam prolata eſt, obligata peccatis tenetur?

Imò uſque ad tempora S. Anſelmi, hoc eſt Annum Chriſti M. C. in Occidente duraſſe videtur hæc de animarum traductione dubitatio. Nam cùm paulò pòſt moriturus S. Pater decumberet, dixiſſe ſcribit familiaris & convictor ejus Edinerus: *Si Deus mallet me adhuc inter vos ſaltem tam diu manere, donec quæſtionem, quam de animæ origine, mente revolvo, abſolvere poſſem, gratioſius acciperem: eo quòd neſcio, utrum aliquis eam, me defuncto, ſit abſoluturus.*

Ediner. in Vita S. Anſel. apud Surium die 21. April.

ARTICVLVS I.

Quænam ſit illa traductio, quâ quidam Patres putaverunt, aut dubitaverunt, animam rationalem à parentibus in filios traduci.

QVoniam SS. Patres paſſim Tertulliani nimis craſſum, de animæ rationalis corporalitate, errorem rejecerunt; S. Auguſtinus, & ceteri qui de animæ traductione ambigui, ſpiritualem quandam traductionem, non corporalem imaginabantur.

S. Auguſt. Epiſt. 157. ad Optat.

Dicat S. Auguſtinus: *Illi qui animas,* inquit, *ex una propagari aſſerunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt; ſi Tertulliani opinionem ſequuntur, profectò eas non ſpiritus, ſed corpora eſſe contendunt, & corpulentis ſeminibus exoriri. Quo perverſius quid dici poteſt?*

Idem Epiſt. 28.

Quia igitur S. Auguſtinus, alijque Orthodoxi Patres animam rationalem incorpoream, ſive ſpiritualem, indiviſibilemque (ut veritas habet, & S. Auguſtinus Epiſtolâ ad S. Hieronymum fatetur) eſſe credebant; non de traductione, quæ *corpulentis ſeminibus* fieret, ſed de ſpiritali quadam propa-

propagatione animæ ſpiritalis ab anima ſpiritali, tota fuit diſputatio.

Hanc autem duobus modis fieri poſſe meditabantur.

Primò, *ut ſicut lucerna de lucerna accenditur*, ait S. Auguſtinus, *& ſine detrimento alterius alter inde ignis exiſtit; ſic anima de anima parentis fiat in prole, vel traducatur in prolem.* S. Auguſt. Epiſt. 157.

Alter modus, ſi cogitetur *incorporeum ſemen animæ, ſuâ quâdam occultâ & inviſibili viâ ſeorſum ex patre currere in matrem, cùm fit conceptus in femina; vel, quod eſt incredibilius, in ſemine corporis lateat.*

Vt autem modi illi metaphorici traducendi, penitiùs intelligantur: quid propriè traducere, aut propagare; quid traduces, & propagines in re ruſticâ ſint, dicere raptim oportet.

Traduces vocantur, vitium, aut aliarum fruticum, vel arborum rami, qui de una arbore in aliam traducuntur. Vnde *validam vitam in ramos diducere cenſeo*, inquit Columella, *& traducibus diſpergere atque diradiare.* Et iterùm: *Cùm annis & robore vitis convaluit, traduces in proximam quamque arborem mittendæ.* Columell. lib. 5. c. 6.

Alius modus traductionis vocatur propagatio: cùm arboris in terram depreſſus ſtolo, aut ramus ſinitur fibras ac radices concipere. Deinde à matre ſua abſcinditur, fitque arbuſcula nova ac ſingularis. M. Catonem audi: *Propagatio pomorum, ceterarumq; arborum ſic fit. Arboribus ab terra pulli* (in arboribus enim etiam *pullos*, Caſci illi Romani dicebant; ſicut & hodie arbores in ſtolones & ramos pullulare aut pullulaſcere dicimus) *qui nati erunt, eos in terram deprimito, & extollito, uti radicem capere poßint.* M. Cato lib. de re ruſtic. c. 133.

Inde tranſlatione factâ, ſemen maſculi animalis, in feminam traducti & propagati, tradux & propago appellari cœpit. Et animalia quæ ſic generantur, per traducem aut propaginem generari dicuntur. Semen quippe eſt quaſi pars animalis, quæ in feminæ terram depreſſa, in animal novum regerminat.

Metaphora deinde longiùs protracta eſt ad cauſas quaſcumque univocas, etiamſi nullum ſemen inter cauſam & effectum

effectum interjiciatur. Sic lucerna lucernam, ignis ignem dicitur per traducem & propaginem accendere: quia licet non eadem numero flamma, eadem tamen ſpecies flammæ, ab uno individuo in alterum ſe quaſi traducit & propagat. Quando enim cauſalitas eſt univoca, ſive effectus unius ſpeciei infimæ cum ſua cauſa, ſecundum caſtigatiſſimam S. Auguſtini phraſin, effectus *traducitur, propagatur, naſcitur, & emanat* à ſua cauſa. Quod non ita propriè dicitur, quando cauſa & effectus toto genere, aut ſpecie diſſident. Vnde S. Auguſtinus, *corpus, animam, & ſpiritum viri ac mulieris*, dicit, *non ex Deo nata, vel tracta eſſe, vel manaſſe*, *ita ut*, inquit, *eius naturæ ſint.* Sic etiam animalia inſecta, vel aurum in terræ viſceribus à ſole traduci, propagari, trahi, vel emanare non dicimus. Nec enim profectò natura ſolis in ejuſmodi æquivocos effectus ſe traducit, aut propagat: etiamſi cauſalitate æquivocâ ab eo effici credantur.

S. Auguſt. lib. 1 c. 17 de origin. animæ.

Iam igitur explicemus traducem & propaginem illam animæ, quam SS. Patres Occidentis & Orientis tam celebri diſputatione inter ſe olim ventilaverunt.

Ac in primis, quia animam rationalem eſſe ſpiritalem, ſimplicem, ac incorpoream nobiſcum eſſe cenſebant, nulla veriſimilitudine credere poterant, eodem planè modo traduci ab anima parentis, ſicut corpus à corpore: quod ſic traducitur, ut parens materiam ſeminalem ſubminiſtret, quæ in membra & corpus prolis formatur. Anima quippe ſimplex forma eſt, carens membris & corpore.

Vnde traductionem animæ hominis, traductioni animæ pecoris (quia propiùs ad eam accedebat) magis comparabant, quàm traductioni corporeæ molis corporis humani.

Quomodo autem anima pecoris à parentibus traducitur?

An equus partem animæ cum ſemine in equam transfundit? Medici nonnulli hoc quidem aſſerunt, ut Lib. 1. Cap. 11. Artic. 1. narratum; ſed nos cum doctioribus rejecimus. Semen enim animalis negat Ariſtoteles animatum eſſe animâ corporis à quo deciditur.

Tradux ergo animæ equinæ eſt genitura, ſive ſemen inanimum

animum, in quo vehitur vis corporis equini conformatrix, & materiam corporis ad animæ equinæ introductionem diſponens; ac animam etiam fortaſſe pulli equini, tanquam inſtrumentum ſeparatum animæ parentis, ſeipſam propagantis, producens: ſub Omnipotenti tamen Dei manu, virtutem illam ſeminalem (ſive hæc forma ſubſtantialis ſpiritûs ſeminis ſit, ſive facultas aliqua accidentalis) ad productionem animæ equinæ elevantis.

An ſimili igitur aliquâ ratione, anima rationalis à parentibus in prolem propagaretur, inter SS. Patres non immeritò dubitatum eſt.

Cujus enim, quæſo, contradictionis, aut inſignis abſurditatis manifeſtus erit, qui animam rationalem, quantumvis immortalem, dicet *ex traduce, iuxta bruta animalia, ut quomodo corpus ex corpore, ſic animam ex anima generari?* S. Hieron. Epiſt. 61. c. 6.

Nonne enim nec pauci hodie Philoſophi, Theologique docent, Deum, ſine ulla contradictionis implicantia, poſſe in creatione animæ rationalis, vel Angeli, creato inſtrumento uti? Sit ergo fortaſſe ſemen aliquod ſpiritale (hoc eſt virtus quædam ſpiritalis) ab anima parentis productum in materia ſeminis, unà cum virtute conformatrice & temperatrice humani corporis. Semen verò illud ſpiritale talis fortè naturæ eſſe poterit, ut à manu creantis Dei eouſque elevari poſſit, ut animæ rationalis creationem, unà cum Dei Omnipotentia inſtrumentaliter valeat attingere.

Aut certè (ſine ullâ talis virtutis ſpiritalis fictione) ipſa fortè vis formatrix & temperatrix humani corporis, ubi officio ſuo circa corpus functa fuerit, apta & ſufficiens etiam erit, ut ad creationem animæ aſſumi valeat & attolli.

Eſt enim nobilior & excelſior virtute conformatrice & temperatrice pecorini corporis. Ideoque fortaſſe non valde mirum, ſi ut inſtrumentum Dei, ſub manu ejus, ad productionem ſubſtantiæ ſpiritalis, & à materia independentis, poſſit cooperari. Multi enim credunt ſaltem unionem animæ (quam modum ſubſtantialem ſpiritualem eſſe putant) à virtute corporei ſeminis inſtrumentaliter phyſicè attingi. Phantaſma-

taſma quoque corporeum, à plurimis exiſtimatur concurſum quendam phyſicum ſpiritalem, ad ſpeciei intelligibilis, cum intellectu agente, generationem conferre.

Quæ à me dicuntur & cumulantur, ut oſtendam, non tam longe & abſurdè extra rationalis Philoſophiæ oleas iviſſe illos Patres, qui animam humanam, inſtar pecorinæ, propagari olim crediderunt, ex humani ſeminis traduce. Interim tamen etiam à Deo creari dicebant: quia *creare*, aut *condere*, SS. Patres ſolùm tribuere ſolent cauſæ principaliſſimæ, quæ nullius ſuperioris concurſu & adjutorio indiget. Vnde negant cauſas ſecundas phyſicas ſuos effectus creare, ſed hoc tribuunt ſoli Deo. Nec accipiunt verbum *creandi*, tam ſtrictè, quàm Philoſophi hodie; qui creationem diſtinguunt ab actione eductiva, qua aliquid dependenter à materia producitur.

Vnde SS. Patres Deum Creatoris officio fungi, & creare etiam dicunt, quando quippiam actione eductiva facit. *Deus enim creat hominem, quem homo generat*, S. Auguſtini phraſi.

S. Auguſt. lib. 6. c. 14. contra Iul.

Notanda etiam (ne Philoſophi hodie aliter loquentes decipiantur) altera hæc S. Auguſtini phraſis: *Quæritur*, inquit, *an Deus nova quidem corpora faciat ex uno, animas verò novas ex nihilo*. Item alibi: *Quærendum eſt, anima hominis unde ab illo efficiatur, à quo efficiente donatur: Vtrum ex parentibus, an ex nihilo*. Vbi, *ex nihilo*, non tantùm ſignificat, Ex nulla cauſa ſecunda materiali; ſed generaliùs, Ex nulla cauſa ſecunda etiam efficiente; qualis eſſet vis aliqua ſeminalis, qua Deus ut inſtrumento uteretur in creatione animæ.

Idem Epiſt. 157.

Idem lib. 1. c. 14. de orig. animæ.

Nam in tota hac de origine animæ quæſtione, opponit, *Creare ex nihilo*, & *Creare ex parentum traduce, aut propagine*. Opponit quoque inter ſe, Animas *novas*, *&* *Animas de parentibus tractas*. Denique *Animam quæ ex parentibus*, & *quæ deſuper ſit*.

Lib. 10. c. 15. de Geneſ.

Ibid. c. 21.

Si enim Deus immediatè & ſolus eas creet, ſunt *deſuper*, quia nullam cauſam coefficientem hîc inferiùs reperiunt; qualem habent animæ brutorum, quæ ex traduce & propagatione parentum, à Deo fiunt.

Sunt

Sunt etiam ſpeciali modo *novæ*, interprete eodem Auguſtino: *quia nulla earum ratio cauſalis præceſſit in primis illis ſex dierum operibus Dei.* Ibid. c. 3.

Si verò ab una anima Adami tunc creatâ ceteræ per propagationem jam fluunt, cenſentur veteres, ab initio conditi Orbis in ſua cauſa productæ, & Adamo, in illa una anima, inſufflatæ. Hinc illud ſæpe repetitum: *Dicuntur animæ novæ naſcentibus inſufflari* (ſicut nempe prima anima corpori luteo inſufflata eſt;) *non de parentibus trahi.* Trahi, inquam, ſine tamen diminutione: ſicut *ignis lucernæ integer manet, cum de illa altera accenditur.* S. Auguſt. lib. 1. c. 19. de orig. animæ. Ibid. lib. 3. c. 4.

Verùm quid iſta animarum ab una propagatio facilitatem fluxûs peccati originis in poſteros adjuvaret? interrogant Scholaſtici quidam, admirantes S. Auguſtini & Patrum Occidentis, hac in quæſtione imaginationem.

Sed profectò adjuvat plurimùm. Faciliùs enim intelligitur, qua ratione labes illa, non tantùm corpora, ſed etiam animas poſterorum inficiat, ſi ipſæ animæ ab anima primi hominis peccatrice, proximâ, vel remotâ origine defluant, aut ſicut flamma lucernæ poſterior à priore, accendantur. Hôc enim modo, animæ poſterorum in illâ unâ, ut causâ efficiente, & ſeipſam uſque ad ipſas propagante, continebuntur, ac ipſæmet in illâ ſuâ causâ peccaverint.

Solet enim S. Auguſtinus peccati originalis propagationem, quæ per omnes Adæ poſteros, fluxu naturalis generationis tranſit, exemplo hereditariorum morborum qui à parentibus in filios vulgantur, explicare; non autem, ut multi Recentiores, virtute alicujus pacti cum Adamo initi, cujus vinculo etiam conſtringi poſſent qui ab eo non eſſent geniti.

Nec refert (quod quidam objectant) animam parentis non poſſe trajicere morbum originalem in filij animam, ſi parens baptizatus, ab eo morbo ſanatus ſit.

Nam licet baptizati anima malo illo, quod eſt quaſi formale in peccato originali, careat; cauſam tamen morbi, quæ eſt concupiſcentia, & quædam animæ ad res terrenas depreſſio, adhuc retinet: quæ cauſa ſi in animam filij trajiciatur,

formale peccati originalis in ipſa quodammodò reſultabit; licet eo tempore in parente eſſe deſiiſſet. Sic pater à podagra ſanatus, podagroſum tamen filium generat, quia podagræ cauſas in ſemine adhuc hærentes, in filij ſui temperiem tranſfundit.

Si tamen animæ à Deo ſolo, ſine traductione, immediatè creantur; ſpecies cujuſdam injuſtitiæ ſe ſtatim ingerit; quaſi animæ innocentes, quæ nec in ſeipſis, nec in ſuis cauſis quidquam mali deſignarunt, corporibus infectis concludantur, à quibus labem & tabem contrahant. *Si enim anima noſtra* S. Auguſt. Epiſt. 157. *nullam de illa peccatrice originem ducit*, ait S. Auguſtinus; *qua cauſa eſt animæ ſubeundi originale peccatum? Nec enim Deus cogit inſontem; quia peccati auctor non eſt: nec ulla mali natura; quia non eſt.*

ARTICVLVS II.

Anima rationalis non traducitur à parentibus, ſed à Deo ſolo creatur.

PAtrum Orientis, S. Hieronymo teſte, ſententia fuit, animam filij non ab anima parentis traduci, ſed interciſo propagationis (qualis inter pecudum animas eſt) filo, immediatè à Deo creari.

Hæc quoque S. Hieronymi inter Occidentales, opinio Epiſt 28. ad Hieron. erat. Vnde S. Auguſtinus ad eum: *Licet*, inquit, *nemo faciat optando, ut verum ſit quod verum non eſt; tamen ſi fieri poſſet, optarem ut hæc ſententia vera eſſet. Sicut opto, ut ſi vera eſt, abs te liquidiſſimè atque inviciſſimè defendatur.*

Epiſt. 157. Et de eadem ſententia, ad Optatum: *Id quod ille* (Hieronymus) *ſentit, promptiſſimè ac libentiſſimè defenſurus ſum, ſi me docere potuerit: quomodo animæ non ex Adam veniant, & tamen ex illo juſtam ſortem damnationis inveniant, niſi ad remiſſionem peccatorum renaſcendo perveniant.*

Etſi igitur inter utramque ſententiam ambiguus eſſet Auguſtinus; pronior tamen in eam erat, quę animas novas quotidie creari, & corporibus inſpirari, non à parentum animâ traduci,

duci, affirmabat; niſi juſtitiæ Dei, animas à ſe creatas & corporibus labe originis infectis incluſas, damnantis, indignum aliquid metuiſſet.

Nunc tamen res iſta ſatis ab Eccleſia cenſetur eſſe determinata, aut indicata, in Conc. Lateranenſi ſub Leon. X. Vbi anima humana *immortalis, & pro corporum quibus infunditur, multitudine: ſingulariter multiplicabilis*, dicitur. Si enim infunditur, ergo *foris venit*, ut loquitur Ariſtoteles, non intus ex parentum traduce ſemine fabricatur.

Conc. Lateran. ſeſſ. 8.

Ariſt. lib. 2. c. 3. de generat. animal.

S. Hieronymus tractans illud Eccleſiaſtæ 12. *Revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*: ait *Manifeſtum eſſe, Deum patrem animarum eſſe, non homines. Ex quo ſatis ridendi ſunt*, inquit, *qui putant animas cum corporibus ſeri, & non à Deo, ſed à corporum parentibus generari.*

S. Hieron. Eccle. 12.

Verùm S. Auguſtini ingenio locus iſte minimè ſatisfecit, etiamſi ex eo *ſatis ridendos*, qui animas cum corporibus ſeri putant, S. Hieronymus dixerit.

Nam facillimè reſpondetur, ait ſubtilis Auguſtinus: *Corpus in terrã de qua factum eſt primum hominis corpus, & ſpiritus ad Deum, à quo facta eſt prima hominis anima, reverti. Sicut enim noſtrum corpus*, *inquiunt* (animarum Traduces) *quamvis ex primo illo corpore propagatum ſit, eò tamen redit, unde ipſum primum corpus effectum eſt ſic anima noſtra quamvis ex illâ animâ propagata, non ad nihilum, quia immortalis eſt, ſed ad illum redit, à quo prima anima facta eſt.*

S. Auguſt. Epiſt. 157.

Alios quoque Scripturæ locos ab Hieronymo objectos, veriſimili aliâ interpretatione hic declinat Auguſtinus, ut traductionem animæ non validè feriant. Vnde fidenter dicit, ſe *aliquid certum de anima origine nondum in Scripturis Canonicis comperiſſe.*

Et hinc vereor, ne loci illi, quos tam ſplendidæ claritatis adverſus animarum Traduces, Beza exiſtimat: *Fortiſſime Deus ſpirituum: Deus fingens ſpiritum hominis in eo: Pater ſpirituum &c.* facillimè etiam ab Auguſtino aliorſum valeant exponi. *Vtrum enim*, inquit, *cùm Deus fingit, ex alio fingat, an ex nihilo, incertum eſt.* Idem reſpondet, cùm appellatur *Deus*, ſive *Creator, aut Pater ſpirituum*. Nam Deus phraſi Scripturæ, vocatur Creator omnium

Num. 16. Zachar. 12. Hebræ: 12. S. Auguſt. Epiſt. 157.

nium quæ facit; etiamſi actione generativa & ex aliqua materia, aut cum aliqua alia cauſa ſecunda aliquid faciat: propter ſcilicet ſublimiſſimum, & profundiſſimum agendi modum, quo in omnium effectuum exiſtentias neceſſariò penetrare debet, ut à cauſis ſecundis è nihilo ſuo extrahi valeant. Vnde non tantùm animarum noſtrarum, ſed etiam corporum, S. Hieronymo etiam teſte, Creator appellatur. *In generatione hominum*, inquit, *recipit terra, id eſt vulva, quod ſuum eſt, & receptum confovet, confotum corporat, corporatum in membra diſtinguit. Et inter illas ſecretas ventris anguſtias, Dei manus ſemper operatur, idemq́ eſt corporis, & animæ Creator.*

S. Hieron. Epiſt. 61. c. 6.

Sed licet Traductores animarum, ex Scripturis obrui, ſine rixa, nequeant, imò tela etiam, quibus ſe in ſpeciem defenſent, inde rapere poſſint; Eccleſia tamen jam dudum in S. Hieronymi & Patrum Orientalium, toto agmine diſceſſit ſententiam; favente Ariſtotelis & Platonis philoſophiâ.

Nam vis ſeminalis, quæ humani fœtûs materiam conformat & temperat, non poteſt (niſi fortè maximo & ſupernaturali miraculo) animam rationalem immortalem, & per ſe ſubſiſtentem, naturali cauſalitate, etiam inſtrumentaliter & ſub Dei principaliter operantis manu, attingere.

Modus enim agendi cauſæ efficientis, ex modo eſſendi fluit. Vnde ſicut virtus illa ſeminalis ſemini, ut ſubjecto inhæret, & ab eo ſuſtentatur; ita nullam connaturaliter formam, niſi ſubjecto inhærentem, ac per actionem eductivam, producere poteſt. Cùm igitur anima rationalis è potentia materiæ non educatur, nec ab ea dependeat, ſed per ſe ſtet, à virtute ſeminali effici non poteſt. Si enim poſſet, à materia ſuſtentaretur, & tam mortalis, quàm animæ brutorum, eſſet. Et hac ratione, & ſenſu D. Thomas pronunciavit, *Hæreticum eſſe dicere, quòd anima intellectiva traducatur cum ſemine.* Hôc enim modo traduci, nihil eſt aliud, quàm dicere mortalem, inſtar animæ equi & muli, in quibus non eſt intellectus. Sed de tali traductione; nullus fluctus, nullum dubium S. Auguſtino fuit; qui omnibus ſuis dubitationibus, animæ humanæ immortalitem ſemper ſuppoſuit.

D. Thom. lib. 2. c. 86. contra Gent.

Idem 1. p. q. 118, a. 2.

Si

Si autem intercisâ omni propagine, anima à ſolo Deo creetur, ſicut veritas habet; quomodo tamen originali labe infici poſſet, declarat adverſus Iulianum S. Auguſtinus. *Profectò*, inquit, *aut utrumque* (corpus & anima) *vitiatum ex homine trahitur, aut alterum* (anima) *in altero* (corpore) *tanquam in vitiato vaſe, corrumpitur.* Ita videlicet, ut labes corporis, in animam ei infuſam, refundatur. S. Auguſt. lib. 5. c 4. contra Iul.

Hoc egregiè dicit Auctor Libri de ſpiritu & anima, qui non Auguſtinus, ſed tamen doctrinâ Auguſtinianus eſt. *Parvuli*, ait, *habent originale peccatum non per animam, ſed per carnem utique contractum, animæque refuſum.* Quid ita? Quomodo poteſt anima ſpiritualis à carne corporali ſic infici? *Carni namque*, inquit, *ita unitur anima, ut cum carne ſit una perſona.* Quia enim anima eſt forma incompleta, & dimidiata tantùm, naturâ ſuâ unionem arctiſſimam cum corpore, tanquam altero integri hominis dimidio, flagitat, & in ens per ſe unum unamque perſonam cum eo coaleſcit. Dicat iterum ille Auctor: *Auctore Deo ſit*, ait, *caro & anima unum individuum, unus homo. Vnde ſalvâ natura utriuſque proprietate, adjicitur carni quod animæ eſt, & animæ quod carnis eſt, pro unitate perſonæ, non pro diverſitate naturæ.* Lib. de ſpir. & anima. c. 41. Ibid.

Propter ergo illam naturæ utriuſque incompletionem, & arctam unionem, ita concreſcunt in unum, ut mutuas proprietates ſibi communicent, *& per carnem*, ut ait S. Auguſtinus, *anima fiat carnalis.* S. Auguſt. lib. 1. c. 33. de nupt.

Aut, ut apertiùs, ac ſine ullo verborum involucro res eadem dicatur.

Quia anima noſtra eſt naturaliter forma informans ſui corporis, eademque à parte rei, cum gradu vegetativo & ſenſitivo, quorum operationes corporales ſunt, & per organa corporea exercentur; ideo ſupremus animæ apex, qui mens dicitur, & intellectum voluntatemque comprehendit, deorſum cum gradibus illis inferioribus, in carnem deprimitur, fitque quaſi caro & ſanguis; niſi Conditor eum relevet, & graduum inferiorum pondera ſuſpendat: quemadmodum in prima hominis creatione factum eſt. Aliàs enim *gratiâ divinâ*

S. Auguſt. lib. 2. c. 8. de nupt. 2. Pet. 2.

non ſubveniente, quid ſunt homines, inquit S. Auguſtinus, *niſi quod ait Apoſtolus Petrus, Velut muta animalia, procreata naturaliter in captivitatem & interitum?*

Idem lib. contra Secund c. 11. Pſal. 2.

Tam altè enim mens noſtra, quæ animæ caput eſt, intra carnem & corpus ſuum affectu demergitur ut *defectivo appetitu quodammodo corporaſcat*. Vnde divinus Plaltes meritò clamat ad Dominum: *Domine gloria mea, & exaltans caput meum*, Id eſt, *ſpiritum meum*, ait Auguſtinus, *quod eſt caput animæ & carnis*.

Itaque ſicut decebat, ut anima primi hominis, quæ corpori tam erecto, & affabre harmoniceque, divini figuli arte formato inſtitutoque, primùm inſpirabatur; gratiâ etiam ſuâ erigeretur ornareturque, ne à habitaculo ſuo abnormis eſſet, & incola vilis palatio veluti regio intruderetur: ita, ubi peccato illius primi hominis, diſſoluta eſt harmonia primævi corporis, & poſteros corpore ſibi ſimiles jam homo generat, congruebat, ut anima quoque, dono primæ gratiæ nudata & deformis, deformi corpori, in viſceribus maternis, inſpiraretur.

Nuditatem iſtam gratiæ, quæ inſtar calvitiei cujuſdam, caput animæ deformat, eſt id quod in peccato originali, formale appellatur: materiale verò eſt concupiſcentia habitualis, ſive temperamentum beſtiale & infrene, quod appetitum animæ inferiorem, in voluptates carnis & terrenas, excuſſo rationis freno, abripit, & ea quæ non oportet, concupiſcere facit.

Dicit autem S. Auguſtinus peccatum originis, naturali generatione transfundi in liberos; quia cum humano ſemine directè transfunditur quod materiale eſt peccati originalis: hoc eſt, temperamentum illud pecorinum & infrene (*eſt enim morbida & mortifera qualitas, quæ etiam pecorum carni ineſt*) quod primò appetitum inferiorem, animæ prolis deinde ex conſequenti, ſuperiorem in res terrenas inclinat, & à divinis avertit. At ex iſta averſione, in parte ſuperiore animæ reſultat formale peccati originalis, quod animulam à primæ Adami animæ origine diſcordem, & Deo odibilem facit.

S. Auguſt. lib. 11. c. 32. de Geneſ.

Nec refert, quòd anima parentis animam filij, ſicut flamma una candelæ alteram flammam, phyſicâ efficientiâ non pro-

propaget ac traducat, ſed anima filij à Deo ſolo, ut à phyſicâ causâ creetur. Non enim idcirco Deo imputari debet peccatum originis, & conſpurcatio animæ in vaſe impuro viciati corporis. Lex quippe naturæ ſtatuta eſt, ut corpori, virtute humani ſeminis ſic conformato, & temperato anima infundatur. Et quia à nullo agente ſecundo, propter ſuam excellentiam, ſed à Deo ſolo creari poteſt; non tenetur Deus naturæ legem infringere, & creatione animæ abſtinere, ne ipſa ſpurci corporis in ſe contagium rapiat. Quemadmodum etiam nullo æternæ ſuæ ſapientiæ dictamine prohibetur, ne cauſis ſecundis, ad malè agendum paratis, concurſum generalem adjungat.

Denique ſi res illa ex propinquo & attentè inſpiciatur, quandam hîc animæ prolis ab anima parentis traductionem, ſi non phyſicam, moralem tamen (ut Philoſophi hodie loquuntur) videbimus.

Nam eo ipſo, quo anima parentum ſemen præparat, fermentat, digerit, & in membra, temperiemque humanam conformat, morali quoque cauſalitate animam prolis propagat; quia Dei Omnipotentiam ad creandum invitat & determinat. Imò philoſophiâ etiam multorum probabili, unionem animæ à Deo creatæ, phyſicè producit, & corpus animamque confibulat. Sic anima Caini, & Sethi ab anima primi parentis Adami, morali propaginis traduce fluxit, & inde ſimili traductionis flumine ad nos uſque defluxit.

ARTICVLVS III.

Philoſophi quidam Gentiles, ſolo ratiocinationis ductu, arbitrati ſunt animam humanam alitèr olim à Deo creatam, quàm in hoc ærumnoſo & mortali corpore.

PHiloſophi ingenio, & rerum divinarum ſapientiâ ſublimiores, quales Platonici, alienum à divina providentia, bonitate & juſtitiâ exiſtimaverunt, animas humanas à manibus Dei creantis recentes, illicò mortalibus corporibus,

ribus, ſine ulla ſua culpa, includi. Crediderunt ergo nudas ſeorſim à corporibus, inter ſidera olim creatas, & pro malis vitæ ſuperioris meritis, intra corpora hæc ærumnoſa detrudi. Vnde *σῶμα corpus* dictum eſſe, quaſi *σῆμα ſepulchrum* putabat Plato: in quo corpore velut mortuo & putreſcente, anima foret ſepulta, & unà computreſceret.

Hanc verò animæ depravationem, à materia, & malignis corporis qualitatibus fieri dicebant.

Ennead. 1. lib. 8. c. 5. Plot.

Hinc ſententiam Plotini, principis inter ævi ſui Platonicos, enarrans Marſil. Ficinus: *Concludit Plotinus*, ait, *animam non eſſe mali principium; quia non eſt naturâ mala, cùm intellectualis natura ſit, & intellectus ſit ipſi bono quàm proximus. Quippe cùm ad ipſum bonum* (quod Deus eſt) *& intellectus proximè, & per intellectum anima convertatur.* Vnde igitur in malitiam iſtam depravatur? Dicit mox: *Quatenus*, inquit, *ad materiam & materiale quiddam afficitur. Ex quo animus latenter avertitur à Deo; dum ſcilicet convertitur ad oppoſitum.* Ac infrà: *Quamvis*, ait, *anima natura divina ſit; quia tamen eſt proxima naturalibus, ſenſim malum admittit: quia nimium init cum natura inferiori commercium.*

Galen. lib. Quòd mores animæ temperam. corpor. ſeq.

Vnde verò hoc eveniat, ut anima tam nobilis & ſpiritalis, in illud cum corpore ſuo & rebus corporalibus commercium adeò inclinata ſit, Galenus ex Platonis & Hippocratis ſui ſententia exponit: *Hippocrates voluit, non ſolùm iraſcibilis appetitivaq; partis animæ*, ait: *ſed etiam cogitatricis vires & facultates corporis temperaturæ adhærere, atque illam omnino ſequi. Nec ſecus Plato, ex terræ diverſis habitationibus, ex vario ſpiritu, & inſolationibus: ac deniqueex varietate nutrimentorum, non ſolùm ipſorum corporum, ſed animorum etiam profitetur naſci diverſitates, temperamento ipſo interveniente.*

Galen. ibid.

Ac de eodem Platone: *Ex vitioſo corporis habitu*, ait, *languere animam, ac neminem ſponte eſſe malum, ſed ob pravam habitudinem corporis, ac rudem educationem, & proinde non debere turpia vituperari, profeſſus eſt Plato in Timæo.*

S. Auguſt. lib. 10 c. 17. de Geneſ.

Quod S. Auguſtini doctrinæ aſſidet, ubi illud Sap. 9. *Sortitus ſum animam bonam*, verſans: *Vnde bona aut magis bona, ſeu non bona vel minùs bona anima, niſi vel moribus ſecundum liberum voluntatis*

voluntatis arbitrium, vel differentiâ temperaturæ corporum; dum aliæ magis, aliæ minùs gravantur corpore, quod corrumpit & aggravat animam? Ac deinde: *Sortitus ſum animam bonam, videlicet ex paterno ingenio, vel corporali temperamento.* Nam *ſicut quidam parentes* (ut ebrioſi, aut Venerei &c.) *aggravant originale peccatum,* ait S. Proſper, *ita quidam* (temperantes) *relevant; ſed nullus tollit, niſi ille de quo dictum eſt, Ecce Agnus Dei &c.* S. Proſp. Sent. 306.

In eo tamen erroris compertus Plato, quod negavit, Galeno teſte, *turpia debere vituperari:* quia licet concupiſcentia, temperamento corporis deprimente, voluntatem ad turpia inclinet, non tamen cogit, nec libertatem ejus ita præcipitat, ut interimat.

Ex quibus probabiliſſimè etiam colliges, vitium illud originale, quod *ineſt carnali parentum ſemini, & cujus contagio ex carne peccati, anima obruitur, cùm membris inſeritur, quæque etiam peccorum carni ineſt,* non aliud eſſe, quàm beſtiale & infrene quoddam corporis humani temperamentum: quod ita animam aggravat, & mentem in appetitum inferiorem, rerumque terrenarum affectus deprimit; ut miſer Galenus animam humanam eſſe mortalem, ac aliud nihil, quam corporis temperamentum, ſuſpicari ſe dicat. S. Auguſt. lib. 6. c. 4. contra Iul. Lib. 10. c. 16. lib 11. c. 32. de Geneſ. Galen. lib. Quod animi mores &c.

Ariſtoteles verò, qui animam immortalem, nec ante corpus creatam exiſtimavit, vehementer iſtam nobiliſſimæ animæ conjunctionem cum carne tam vitiosè temperatâ miratus eſt, neſciens, unde hoc carnis vitium duceret originem. Vnde ex Ciceronis Hortenſio refert S. Auguſtinus, Ariſtotelem dixiſſe (etſi in Libris ejus, qui hodie exſtant, minimè reperiatur) *Simili nos affectos eſſe ſupplicio, atque eos qui quondam, cùm in prædonum Hetruſcorum manus incidiſſent, crudelitate excogitatâ necabantur. quorum corpora viva cum mortuis, adverſa adverſis accommodata quàm aptiſſimè colligabantur. Sic noſtros animos cum corporibus copulatos, ut vivos cum mortuis eſſe conjunctos.* S. Auguſt. Lib 4. c. 15 contra Iul.

Quam crudelitatem in Mezentio Hetruſcorum Rege depingens Virgilius, ait:

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis, Virgil. Æneid. 8.
Componens manibuſq; manus, atque oribus ora,

Mmmmm *Tormenti*

Tormenti genus. Et ſanie taboque fluenti,
Complexu in miſero, longâ ſic morte necabat.

Apta ſane comparatio. Sicuti enim Mezentius, & alij Hetruſci tyranni, aut latrones, homines vivos ventribus adverſis, mortuorum cadaveribus ſuperligabant, ut unà computreſcerent; ita anima humana, corpori ſuo, per peccatum primi hominis tabefacto, ſuperfuſa & colligata, ſimul cum eo contabeſcit, & in terrenos affectus *computreſcit, ut iumentum in ſtercore ſuo.*

Ioël. 1.

Vnde illi Philoſophi Pelagianis multo ſapientiores fuerunt: cùm vel aliquod vitæ ſuperioris peccatum, ut Plato, vel occultam aliam, quam ignorare ſe fatebantur, cauſam ſubeſſe, ut Ariſtoteles, exiſtimaverunt; quare Deus tam nobilem animæ humanæ ſubſtantiam corpori tam iniquo & adverſo illigaſſet. *Neque enim nulla iniquitas eſt,* ait S. Auguſtinus, *cùm in uno homine vel ſuperiora inferioribus turpiter ſerviunt, vel inferiora ſuperioribus contumaciter reluctantur; etiamſi vincere non ſinantur.* Pelagiani verò hoc ſine ullius prioris peccati, ſaltem originalis, merito, evenire pertinaciter contendebant. *Cùm tamen conſiderando divinam providentiam,* ait D. Thomas, *& dignitatem ſuperioris partis humanæ, ſatis probabiliter probari poßit, huiuſmodi defectus eſſe pœnales: Et ſic colligi poßit, humanum genus peccato aliquo originaliter eſſe infectum.*

S. Auguſt. lib. 6. c. 8. contra Iul.

D. Tho. lib. 4. c. 52. contra Gent.

CAPUT IV.

De Intellectu, ſupremâ animæ rationalis potentiâ.

IN ſupremo humanæ mentis apice, & veluti capite, eſt intellectus, tanquam ſpiritalis quidam oculus, quo ſurſum, & undique in orbem anima noſtra rerum univerſitatem circumſpiciat.

Quia verò Ariſtoteles negabat Platoni, animas ante corpora creatas, & ideis ac ſpeciebus intelligibilibus à Deo ſignatas, in carceres corporum ſuorum demitti; ſed intellectum animæ recèns in viſceribus maternis creatæ, eſſe *inſtar tabulæ raſæ*

Ariſt. lib. 3. c. 4. de anima.

raſa, cui nihil actu inſcriptum eſt; idcirco debuit illi tabulæ apponi aliqua manus, quæ ſpeciebus intelligibilibus eam conſcriberet, ſine quibus non magis intelligere quidquam poteſt, quàm pupilla, aut tunica retina oculi, ſine ſpecie viſibili poteſt videre.

Itaque excogitatus eſt intellectus agens, ſpecierum intelligibilium inſcriptor, quique reſpectu oculi animæ, ſive intellectûs paſſibilis, tali officio fungeretur, quale colores & lumen externum oculo corporis præſtant, quando ſpeciebus viſibilibus ad viſionem neceſſarijs illum depingunt.

ARTICVLVS I.

Quid intellectus agens, & ejus officia.

INtellectum duplicem facit Ariſtoteles, paſſibilem (quem vulgò poſſibilem appellitant) & agentem. Paſſibilis ſpecies intelligibiles, ab intellectu agente ſibi impreſſas recipit ac patitur; & deinde ijs in intelligendo utitur. Solus enim intellectus paſſibilis propriè eſt potentia intellectiva; cùm ſolus vitales intelligendi actus eliciat, & in ſe recipiat: intellectus verò agens ſpecies intelligibiles tantùm efficiat, & actione tranſeunte eas in intellectum paſſibilem trajiciat. Et à tali actione, intellectus agens appellatur. Eſt enim quaſi miniſter intellectûs paſſibilis, intellectionis inſtrumenta ei fabricans & miniſtrans. Sub judice tamen lis eſt: An ab intellectu paſſibili reapſe diſtinctus ſit.

D. Thomas tamen, & plures diſtinguunt: quia familia animæ noſtræ, ut ſic dicam, bellior & concinnior erit, ſi in eá tam diverſa officia deputentur diſtinctis miniſtris, non unus plura obire debeat. In artibus quoque, ſubalterna à ſubalternante diſtingui ſolet; nec in civitate rectè inſtitutâ, idem molitor & piſtor, typopœus & typographus eſſe ſolet. Opus autem intellectûs agentis eſt ſubalternum operi intellectûs paſſibilis. Ille enim huic fabricat & ingerit typos, quibus vitales ſuas intellectiones in tabula mentis ſuæ efformet.

Io. Major tamen & Nominales apertæ falſitatis revinci

non poſſunt, qui in eandem animæ potentiam, intellectûs agentis & paſſibilis officia confundunt.

Sed de Nominalibus nihil mirum, qui nec intellectũ paſſibilẽ, nec voluntatem, nec ullam omnino potentiam vitalem ab anima reipsâ diſtinguunt: homines nominum divites, rerum pauperrimi. Imò, qui Thomiſtas, alioſque realium diſtinctionum paulò liberaliores, quaſi per ludibrium, Reales vocare ſolent.

Sed quare, inquiunt, idem intellectus non poteſt ſpecies intelligibiles ſibi imprimere, & iiſdem, intelligendo, uti?

Res non eſt tanti. Sibi hoc habeant, ſi pertinaciter retinere velint. Philoſophi verò quidam, & maximè Arabes, Deum intellectûs agentis officium erga hominum animas exercere jubent. Cùm enim ipſe ſit Intellectus agens Angelorum, quibus ſpecies intelligibiles infundit; cur non & idem animabus noſtris præſtare velit?

Sed inter animas humanas, & Angelos manifeſtum eſt diſcrimen.

Nam anima eſt forma corporis, ſpecieſque ſuas ad intelligendum neceſſarias, per ſenſuum feneſtras in intellectum rapere debet; adeo, ut vulgato Ariſtotelis axiomate, Nihil dicatur eſſe in intellectu, quin priùs aliquo modo fuerit in ſenſu. Angeli verò incorporei non illâ viâ ſpecies attrahere poſſunt, ſed à Deo Creatore, tanquam Intellectu ipſorum agente, accipere debent. Vnde etiam puriores, ſinceerioreſque ſunt eorum ſpecies, nullo phantaſmatum fumo infuſcatæ; quemadmodum ſpecies intelligibiles humanæ.

Intellectûs autem noſtri agentis varia aſſignantur officia.

Ariſt. lib. 3. c. 3. de Anima. Primum eſt, illuminare phantaſmata. Vnde Ariſtoteles vocat intellectum agentem, *οἷον τὸ φῶς ſimilem lumini*. Sicut enim ſol illuminans medium, & colores, facit, ut color ſpecies ſuas effundat in oculos; ita intellectus agens phantaſmati aſſiſtens, eſt cauſa principalis, cur phantaſma, tanquam intellectûs agentis inſtrumentum, vires accipiat imprimendi ſpeciem

Cajet. 1. p. q. 79. a. 3. intelligibilẽ rei ſenſibilis in intellectum paſſibilem. *Non autem imaginandum eſt*, ut rectè monet Cajetanus, *quod ab intellectu*

agente

agente fluat aliquod lumen in phantaſma, & quòd phantaſma illo ſuffultum lumine, producat ſpecem intelligibilem, quemadmodum corpus coloratum movet viſum.

Ingenioſius, & per ſubtiliores ambages iſtam illuminationem Ferrarienſis extricare conatus: *Nihil eſt aliud*, inquit, *Intellectũ agentẽ illuminare phantaſmata, quàm eſſentiam animæ, ex hoc quòd eſt intellectiva, & fundamentum intellectûs agentis; producere, ſecundum naturalem concomitantiam, virtutem phantaſiæ talem, ut ab ipsâ phantaſmata clara & habilia, ad concauſandum cum ipſo intellectu agente ſpecies intelligibiles in intellectu poſſibili, provenire poſſint.* Ferrar lib. 2. c. 77. contra Gent.

Sed hoc profectò non eſt phantaſmata ab intellectu agente illuminari, ſed à radice intellectûs agentis, ſive ab anima intellectiva perfectiorem potentiam phantaſticam (quæ in homine cogitativa appellatur) reſultare.

Secundum intellectûs agentis officium eſt, exuere phantaſma ſuâ materialitate. Quod non fit abſtrahendo rem aliquam à phantaſmate, ſed ſpiritalizando ipſum, non formaliter, ſed effectivè. Quia cùm ob ſuam materialitatem ineptum ſit ad producendam ſpeciem intelligibilem ſpiritalem, ex conſortio tamen intellectûs agentis, activitatem ejus elevantis, ad talem actionem ſpiritalem aptum redditur.

Hinc opinio Buridani refellitur, qui à ſolo phantaſmate materiali, ſine ope ullius intellectûs agentis, credit ſpeciem intelligibilem produci. Io. Burid. lib. 3 q. 7. de Anima.

Sicut enim color ſpeciem ſui trajicit in oculum, & deinde viſio oculi aliam ſpeciem propagat ad ſenſum communem, à cognitione ſenſûs communis alia iterùm ad imaginativam, & ab imaginativa denique, ad cogitativam trajicitur; ita à phantaſmate in cogitativa (quæ ſenſuum internorum apex & culmen eſt) expreſſo, in intellectum paſſibilem irradiari ſpeciem intelligibilem ſpiritalem exiſtimat. Et ne tamen omnem intellectum agentem negare & deſtruere videatur, nomen intellectûs agentis, Deo, concurſu ſolùm generali activitatem phantaſmatis adjuvanti, tribuit.

Sed materialitas phantaſmatis nimis obeſa & pigra eſt, ut ſic dicam, & in altum ab alia cauſa principali ſuccollari &

elevari debet, ut productionem ſpeciei intelligibilis ſpiritualis valeat attingere. Vt enim poſſet eſſe cauſa principalis, deberet perfectione effectum ſuum ſuperare, aut ſaltem adæquare: ſpecies autem intelligibilis eſt nobilior phantaſmate.

Licet ergo ſpecierum ſenſibilium perpetua catena, à ſenſu externo, uſque ad culmen ſupremi ſensûs interni, ſine ullius ſensûs agentis (quem aliqui inutiliter interponunt) adjutorio, currere poſſit: ubi tamen eò uſque perventum eſt, alia cauſa (quam intellectum agentem vocamus) ſupremo phantaſmati manum velut injicere & ipſum attollere debet, ut activitatem ſuam in ſuperiorem rerum ſpiritualium regionem valeat extendere.

Tertium officium aſſignatur, denudare phantaſma à conditionibus individuantibus, & ſpeciem intelligibilem, quæ ſolam naturam ſpecificam, aut genericam repræſentet, ab eo abſtrahere.

Sed de hoc officio magna & longa eſt controverſia.

Cur enim intellectus agens non abſtrahit directè ſpeciem intelligibilem rei ſingularis, quæ relucet in phantaſmate? Phantaſia Platonis v. g. videt hunc equum; quare intellectus agens directè & immediatè hujus ejuſdem equi ſpeciem intelligibilem non abſtrahit? Eſt enim agens naturale, & agit quantum poteſt & valet, juxta totam & ultimam phantaſmatis determinationem.

An fortè nobilitas intellectûs paſſibilis humani tam determinatæ ſpeciei capax non eſt?

Verùm, conceptûs rei ſingularis capax eſt (cùm etiam intellectus Angelicus, imò divinus hunc ſolem ſingularem, aut hunc Deum repræſentet:) cur igitur intellectus noſter ſpeciem intelligibilem rei ſingularis reſpuet, & rem ſingularem, ut v. g. hunc ſolem, tantùm per converſionem ad phantaſma hujus ſolis, conceptum illum ſingularizans, intelliget?

Quare enim non directè conceptum ſuum ad hunc ſolem, per ſpeciem intelligibilem hujus ſolis, determinare poteſt?

Certè enim anima noſtra corpore ſuo exuta, & omnibus phantaſmatum nubibus diſſipatis, hoc facere poterit.

Denique rem facere univerſalem, ſive ſub ſtatu univerſalitatis eam conſtituere, videtur eſſe immediatum opus intellectûs illius qui intelligit, id eſt, paſſibilis, non autem intellectûs agentis. Ex multorum enim individuorum collatâ & intellectâ ſimilitudine, natura communis, per conceptum abſtrahitur. Hic autem conceptus, non intellectûs agentis, ſed paſſibilis & intelligentis eſt effectus.

Cùm ergo Ariſtoteles dixit: *Senſum ſingularium, intellectum univerſalium eſſe;* de intellectu paſſibili, non de agente hoc intellexit. Dicere enim voluit: Senſus corporeos tam externos quàm internos, repræſentationes, quas in ſe formant, in aliquid ſingulare objectum ſemper defigere; intellectum verò poſſe etiam altiùs, & in objectum univerſale cogitationem ſuam attollere.

Omnibus igitur ritè perpenſis, omnia illa intellectûs agentis officia, unico actu abſolvuntur, quo ſpeciem intelligibilem ſpiritualem, concurrente unà corporeo phantaſmate, efficit, & intellectui paſſibili imprimit. Vnde officiorum illa multiplicatio, ex quibuſdam Ariſtotelis phraſibus metaphoricis nata, ad confundendam potiùs & obſcurandam (ut quidam prudenter notarunt) quàm ad digerendam & illuſtrandam rem iſtam valuit.

Dubitatione etiam non caret: An concurſus phantaſmatis cum intellectu agente, phyſicus ſit, an tantùm moralis.

Res, quantum exiſtimo, ferè pendet inde: An quando actus unus vitalis alterum in eâdem ſuâ potentiâ, vel in aliâ excitat, phyſicâ cauſalitate illum alterum efficiat. Vt, An aſſenſus antecedentis aſſenſum conſequentis; aut amor finis electionem medij; vel denique judicium intellectûs amorem voluntatis phyſicè producat.

Si enim hoc verum eſt, tunc quoque phantaſma phyſicam cauſam ſpeciei intelligibilis eſſe, nihil vetabit.

Sed tamen, quia magis propendeo, ut inter actus illos, unus alterum morali tantùm impulſu excitet, & potentiam in illum inclinando determinet; ideo etiam promior ſum, ut phantaſma, citra phyſicam efficientiam, intellectum agentem, ad producendam

cendam

cendam & imprimendam ſpeciem intelligibilem objecti ſenſibilis, quod in phaſmate expreſſo relucet.

ARTICVLVS II.

An neceſſe ſit, intelligentem phantaſmata ſpeculari.

Ariſtoteles lib 3.c.7.8 de Anima. CElebre eſt illud Ariſtotelis pronunciatum: *Animæ rationali phantaſmata, ut ſenſibilia ſunt. Quapropter nunquam ſine phantaſmate intelligit anima.* Item poſtea: *Quando intellectus ſpeculatur, neceſſe eſt,* ἅμα φαντάσματι *unà cum phantaſmate,* (vel ut legit Theod. Gaza, diviſo vocabulo, ἅμα φάντασμά τι *ſimul phantaſma aliquod*) *ſpeculari.* Et rationem addit. *Nam phantaſmata velut ſenſibilia ſunt; præterquàm quòd ſint ſine materia.*

Quæ Ariſtotelis verba, niſi ad improprietatem detorqueantur, ſignificant intellectum ſpecie intelligibili quamvis ſignatum, reflectere tamen & figere obtutum ſuum in phantaſmata; quemadmodum ſenſus externus, v.g. viſus figit in S. Tho. 1. p. q. 84. a. 7. ſenſibilem colorē, quem ante ſe intuetur. Quæ eſt S. Thomæ etiam interpretatio, ubi Articulo expreſſo hanc quæſtionem tractat, & reſolvit: *Impoſſibile eſſe, intellectum ſecundum præſentis vitæ ſtatum, quo paſſibili corpori coniungitur, aliquid intelligere in* Idem 1. 2. q. 50. a. 4 ad 1. & 3. *actu, niſi convertendo ſe ad phantaſmata.* Et alibi: *Phantaſma comparatur ad intellectum poſſibilem, ut objectum; ſicut dicitur in lib.* 3. *de Anima.* Et iterùm: *Vires apprehenſivæ interius præparant intellectui poſſibili proprium objectum: ideo ex bona diſpoſitione harum virium, ad quam cooperatur bona diſpoſitio corporis, redditur homo habilis ad intelligendum.*

Hoc autem maximè & propriè verum eſt, in primâ intellectione, qua intellectus paſſibilis objectum ſenſibile externum, per ſpeciem intelligibilem immediatè à phantaſmate talis objecti ſenſibilis hauſtam, intelligit. Tunc enim in opinione Ariſtotelis, S. Auguſtini, & S. Thomæ (de qua Lib. III. Cap. III. Artic. XI. pluribus diſſeruimus) intellectus ſuam ſpeciem intelligibilem apud ſe cognoſcit, & eâ mediante phantaſ-

phantaſma ex quo hauſta fuit; tertiò ſensûs externi operationem; ac denique objectum ipſum ſenſibile, circa quod occupatur ſenſus externus. Vna enim eâdemque cognitione, intellectus videntis ſolem, ſe imaginari, & deinde ſe videre ſolem, ac ipſum etiam ſolem cognoſcit. Vnde illa operatio intellectûs, ex apice mentis (ubi reſidet intellectus) non locali motu, ſed vitali quadam intentione, & habitudine eſſentiali, per phantaſma, & operationem ſensûs externi (ſi ea præſens adeſt) uſque ad objectum externum decurrit. Et id videbimur, ut puto, experiri, ſi quis attentè operationis ſuæ decurſum & flexus apud ſe perpendat, & intelligat.

Acumine tamen ad hoc experiundum, eſt opus; propter denſas nebulas, quibus animæ noſtræ operationes involutæ ſunt; & quas nos quidem ipſi operamur, ſed tanquam nocturnus faber, ad modicæ lucis ſcintillas incudem ſuam tundens, & formans ferrum in tenebris.

Verumtamen, ubi jam per ſpecies intelligibiles recenter & proximè è phantaſmatibus hauſtas, intellectus componendo, dividendo, ratiocinando, ac diſcurrendo, longiùs ſe extra nimis ſenſibilium phantaſmatum evolvit caligines, ſpecieſque illas primas *ſimplificavit*, ut loquitur S. Thomas; non videtur neceſſe, ut in talium ſpecierum uſu, intellectus intueatur phantaſmata; quia res ejuſmodi nullum proprium phantaſma habent, quo depingi & figurari valeant. Nam Deus, Angeli, anima noſtra, virtutes, & vitia animi, proprijs phantaſmatibus carent. Vnde S. Auguſtinus contra quoſdam nimis pinguis Minervæ homines, qui non niſi corporaliter quidlibet concipere & intelligere ſolent: *Ita feruntur in phantaſias vel phantaſmata imaginum, quæ cogitatio de corporibus verſat, ut his ſubtractis tanquam per inane pereundum ſit, reformident. Ita neceſſe eſt, ut & iuſtitiam, & ſapientiam pingant quodammodo in cordibus ſuis, cum formis & coloribus; quia non poſſunt incorporeas cogitare. Nec tamen dicunt, quando iuſtitiâ vel ſapientiâ moventur, ut vel laudent eas, vel ſecundum eas aliquid agant, quem colorem, quam ſtaturam, quæ lineamenta, vel quales formas conſpexerint.*

S. Tho. q. 19 a. 1. de Verit.

S. Auguſt. lib. 10. c. 24 de Geneſ.

Sed de his aliàs, inquit, *& multa iam diximus, & ſi Deus voluerit,*

ubi res videbitur poſtulare, dicemus.

In explicandâ enim, & illuſtrandâ tenebroſiſſimâ hujus Philoſophiæ parte, quæ ſenſuum, & mentis noſtræ operationes ſpectat, multus ubique eſt S. Auguſtinus, & ut Eraſmus alicubi ait, *In hoc genere perlibenter verſari ſolet: adeo ut ſi quando caſu inciderit, ille veluti viator ad amœnum fontem, itineris propemodum oblitus, deſideat*: Vnde non ambigo, quin plurima in iſtâ phantaſmatum, & rerum obſcuriſſimarum nocte, ex ſuperioris & divinæ lucis fulgetris ac illuſtratione S. Auguſtinus aſpexerit.

Eraſm. in fine libr. de Trin.

Attamen, licet juſtitia, ſapientia, veritas, & res ejuſmodi ſpiritales nullo colore, nullâ figurâ phantaſmatis depingi valeant; interea tamen dum intellectus eas animo verſat, *per comparationem ad corpora ſenſibilia, quorum ſunt aliqua phantaſmata, illas cognoſcit*, ait S. Thomas. *Sic veritatem intelligimus ex conſideratione rei, circâ quam veritatem ſpeculamur. Deum autem, ut Dionyſius dicit, cognoſcimus ut cauſam, & per exceſſum* (ſupra res ſenſibiles & creatas) *& per remotionem* (negationem, quâ omne ens ſenſibile & creatum ab eo removemus.) *Alias etiam incorporeas ſubſtantias, in ſtatu præſentis vitæ cognoſcere non poſſumus, niſi per remotionem, vel aliquam comparationem ad corporalia. Et ideo cùm de huiuſmodi aliquid intelligimus, neceſſe habemus converti ad phantaſmata corporum; licet ipſorum non ſint phantaſmata.*

S. Tho. 1. q. 84. a. 7.

S. Dionyſ. lib. de divin. nominib. c. 1.

Vnde patet, non eſſe neceſſe, ut intellectus noſter objectum ſuum in phantaſmate ipſum repræſentate contempletur; ſed ſufficere, ut, quando objectum proprio phantaſmate caret, intellectus oculum ſuum in alterius rei phantaſma ſimul detorqueat; ad cujus comparationem, vel per cujus remotionem, objectum illud intelligit. Et tam latè accipiendum eſt, quod Ariſtoteles pronunciavit, *Neceſſe eſt intelligentem*, ἅμα φάντασμά τι *ſimul aliquod phantaſma ſpeculari.* Vel, ut lectio alia, & clarior, habet, ἅμα φαντάσματι *unà cum phantaſmate ſpeculari.*

Ariſt. lib. 3. c. 8. de Anima.

Nec iſta philoſophia cum S. Auguſtino pugnat, ubi adverſus Democritum & Epicurum (qui omniâ per imagines corpo-

corporum in animos noſtros influentes, nos intelligere dicebant) diſputans, ac irridens, ait: *Quaſi verò non multa, ac propè innumerabilia cogitentur incorporaliter atque intelligibiliter, ab eis qui talia cogitare noverunt, ſicut ipſa ſapientia, & veritas.* S. Auguſt. Epiſt. 56.

Negat enim ſolùm Auguſtinus, ſapientiam, & veritatem, ac ejuſmodi virtutes ſpiritales, proprio phantaſmate corporali poſſe ab imaginatione depingi; non autem negat, cùm de ijs cogitamus, oculum mentis ad aliquid ſenſibile, *obliqua tuentibus hirquis*, nos unà reſpicere. Se enim explanans deinceps ſubjungit: *Quam* (veritatem) *ſi iſti non cogitant, miror, quomodo de illa utcumque diſputent. Si autem cogitant, vellem mihi dicerent, vel de quo corpore* (unde fluere dicebant ſapientiæ & veritatis imagines, tanquam corporum illorum exuvias) *vel qualis in eorum animos veniat imago veritatis.*

Aliquando verò, licet res corporalis ſub phantaſma directè cadat, & eo exprimi poſſit; ita tamen per intellectum conciditur, ut ad illas minutias decreſcat, quas imaginatio apprehendere, & dividendo, ſequi intellectum non poſſit. Dicit hoc egregiè & mathematicè S. Auguſtinus.

Ratio docet, inquit, *minutiſſima etiam corpuſcula infinitè dividi. Cùm tamen ad eas tenuitates vel minutias perventum fuerit, quas viſas meminimus, exiliores minutioreſq; phantaſias iam non poſſumus intueri; quamvis ratio non deſinat perſequi ac dividere.* Idem lib. 11. c. 10. Trin.

Imaginativa ergo, quia non poteſt minores, & minores partes in infinitum apprehendere, quamlibet magnitudinis particulam ſub aliquantulà extenſione imaginari debet; eo quòd omnis ſpecies ſenſibilis phantaſtica objectũ ſuum aliqua latitudine expanſum repræſentet. Stat ergo imaginatio in grani v. g. ſinapis, aut milij magnitudine, vel minutiſſimæ ſcobis, aut farinæ atomo. Intellectus nihilominùs ex ratiocinatione partium infinitarum cujuſlibet continui, pergit dividere, relictâ retrò imaginatione.

Vnde Democritus, & Epicurus, ac quotquot hodie ex atomis & punctis continuum conſuunt, imaginationem ſuam potiùs, quàm intellectum & ratiocinationem ſequuntur. Puncta enim quædam rotunda, id eſt orbiculos &

ſphærulas tam minutas, quàm phantaſia eorum apprehendere valet, in unam lineam (quaſi Roſariolum precatorium) conglomerant.

Ex qualibus punctis, ſive ſphærulis, in quibus eſt ſua circumferentia & centrum, magnitudinem ampliorem poſſe componi, non dubitavit Ariſtoteles. Si autem intellectu apprehenderent, quid ſit punctum mathematicum, puderet eos, credo, S. Auguguſtino, Ariſtotele, Euclide, & totâ Geometriâ reclamante, continuum ex ejuſmodi verè & mathematicè indiviſibilibus punctis velle componere.

Præcedentibus hoc quoque addendum. In viſionibus quibuſdam ſupernaturalibus, intellectum ſine ullo omnino phantaſmate, tanquam in aëre ſereno & omnibus fumoſis imaginibus enubilato, interdum res divinas intelligere.

Nam D. Auguſtinus duo raptuum genera eſſe dicit: unum à ſenſibus externis (cùm anima à ſenſu externo averſa, tantum contemplatur ſimilitudines rerum ſenſibilium, ſeu phantaſmata quæ in memoria ſenſitiva ſunt;) alterum à ſenſibus etiam internis; quando ceſſante omni luſu & ſtrepitu phantaſmatum, anima ſpiritalibus intellectivæ partis delicijs unicè vacat. *Si enim*, ait, *anima, quemadmodum rapta eſt à ſenſibus externis corporis, ut eſſet in iſtis ſimilitudinibus corporum, quæ ſpiritu videntur* (ſpiritum vocat interiorem partem ſenſitivam animæ, quæ nobis cum brutis adhuc eſt communis:) *ita & ab ipſis ſimilitudinibus rapiatur, ut in illam quaſi regionem intellectualium, vel intelligibilium ſubvehatur: ibi ſine ulla corporis ſimilitudine, perſpicua veritas cernitur, nullis opinionum falſarum nebulis offuſcatur. Ibi virtutes animæ non ſunt operoſæ ac laborioſæ. Neque enim opere temperantiæ libido frenatur, aut opere fortitudinis tolerantur adverſa, aut opere iuſtitiæ iniqua puniuntur, aut opere prudentiæ mala devitantur. Vna ibi & tota virtus eſt, amare quod videas, & ſumma felicitas, habere quod amas. Ibi enim beata vita in fonte ſuo bibitur: unde aſpergitur aliquid humanæ vitæ, ut in tentationibus huius ſeculi temperanter, iuſtè, prudenterq́ vivatur.*

S. Auguſt. lib. 12. c. 2. de Geneſ.

Et de illa ſublimi, ſupra phantaſmatum nubes, purè intellectuali contemplatione Doctor Extaticus: *Rear*, inquit, *quòd*

Dion. Carthuſ. Art. 7.

quòd viſio S. Stephani fuit anagogica pura, & intellectualis ſine admixtione phantaſmatum: medio modo ſe habens inter viſionem viæ per fidem, & patriæ per ſpeciem. Eratque per ſplendidiſſimam quandam irradiationem increatæ æternæ lucis, in ſuperiori parte animæ eius; imò in apice intellectûs: ſicut in contemplatione myſticæ Theologiæ, ſeu unitivæ ſapientiæ fieri ſolet. Vnde quia tales ſine phantaſmate videntes, quid viderint, explicare alijs inexpertis non poſſunt.

Et propter fortaſſe has cauſas & caſus, Philoponus negat illud dictum Ariſtotelis: *Oportet intelligentem ſpeculari phantaſmata*, eſſe univerſim verum: *etſi paucæ tamen ſint*, inquit, *operationes intellectûs, ſine imaginatione. Nam & quando*, ait, *circa divina operatur, prætercurrit imaginatio ante ea quæ figuris & typis carent, typos & figuras imponens.* Philop lib. 3. text. 55. de Anima.

ARTICVLVS IV.

Phantaſmatum puritas & agilitas quantum ingenio conferant.

SI igitur ſemper aut plerumque oporteat intelligentem phantaſmata contemplari, profectò jam intelligimus, quantum ad ingenij & mentis acumen referat digeſta quædam ac ordinata claritas puritaſque phantaſmatum, ex quibus & ſpecies intelligibiles abſtrahi, & in quibus humanarum divinarumque diſciplinarum principia & concluſiones à nobis debent cerni.

Sicuti enim magni refert, ex quo fonte hauſta ſit aqua; ita an à phantaſmate limpido, an turpido ſpecies intelligibilis ſit abſtracta. Aut, quia ſpecies iſtæ per quandam veluti ſublimationem ex phantaſmatibus educuntur; mirum non eſt, ſi ſpecies intelligibiles adhuc tenuibus umbris phantaſmatum reſperſæ ſint; cùm quintæ Chymicorum eſſentiæ reſipiant humores, unde extractæ & ſublimatæ ſunt.

Puritas verò & agilitas phantaſmatum, quæ intellectui, & ejus ratiocinationi velut ſatellites deſerviunt, ex optimâ conformatione, & temperie cerebri, ac ſpirituum animalium pendent.

Hinc capita ferè rotunda, molliter tuberante occipite,

optima ingenio creduntur, ſi pro modo & reliquorum membrorum corporis ſymmetriâ, nec nimis grandia ſint, ut nanorum, nec nimis exilia, ut fatuorum eſſe ſolent. Totius verò corporis ſtatura nec ſtolida ſit & ingens, nec in pumilam brevitatem ſuppreſſa. Mediocrem enim altitudinem, ad ingenium, omnibus præfert Plato.

Plat. in Timæ.

In capite amplo, ventriculi & ſinus omnes cerebri ſpatioſiores ſunt, & mobilitati ac agilitati ſpirituum, in quibus phantaſmatum ſpecies vehuntur, vias laxant & expediunt. In minuto autem & arguto capite, anguſtiæ viarum impedimento ſunt.

Peſſima capitis conformatio putatur, anguſta & in verticem turbinata; qualis plerumque ſtultorum, & Therſitis, turpiſſimi omnium ducum qui in bellum Troianum ſunt profecti.

Sic enim eum nobis Homerus depingit:

Homer. Iliad. 2.

Strabo erat, claudus altero pede, humeri
Curvi, & in pectus contracti, ac deſuper
φοξὸς ἔην κεφαλὴν *Acuto erat capite.*

φοξὸν enim *acutam & faſtigiatam in modum ambicum*, interpretatur Athenæus. Ambices autem poculi genus acuminatum erat.

Athenæ. lib. 11.

Capitum verò iſta turbinatio & acumen ſuperiorem fortè cerebri partem, quæ ad cranij verticem eſt, & ſinus illos Eraſiſtratæos nimis comprimit, quorum Lib. III. Cap. VIII. Artic. II. ex Veſalio mentionem fecimus, & ſenſuum internorum regionem ac ſedem ibi locavimus.

Sedibus autem imaginatricis ac cogitativæ humani capitis nimiâ anguſtiâ compreſſis, libertatem ſpirituum impediri, figuram organorum depravari, ac deinde potentiarum functiones turbari, certum eſt.

Non omnia tamen φοξὰ & Therſiticæ formæ capita, fatua ſunt. Nam Lælius Biſciola pleraque Genuenſium capitella ejuſmodi eſſe dicit, & nos antè Lib. III. Cap. VII. Art. VI. trium præſtantiſſimi ingenij virorum capita exilia, & acuminata vidiſſe narravimus.

Iraque

Itaque in quibuſdam, quod pravâ capitis figura denormat, temperamenti bonitas, aut alia cauſa reſtituit.

Porrò temperamenti calore ingenium excitari, in comperto eſt. Vnde Belgis, qui amplius aliquanto quàm Galli, Itali, Hiſpani, phlegmatis habent, modicâ vini ſorbitione ingenium creſcit: & virum eruditum novi, qui mihi dixit, calore febris ingenium ſibi ita notabiliter accendi, ut quæ aliàs in diſciplinis intelligere non poterat, ſervaret in acceſſum febris, à qua lumen intelligentiæ affulgere ſentiebat.

Hinc pueri cholerici vulgò ingenioſi putantur; quamvis deſultorij eſſe ſoleant & leves. Ingenio verò tardi, moribus ſolent eſſe graves. Vnde Plato in rarâ adoleſcentis Theæteti laude ponit; quòd gravis, & tamen ingenioſus eſſet. Plat. in Theætet.

Si autem puerili choleræ, aliquid melancholiæ artificialis, ſtudio acquiſitæ, ſuperveniat, quæ calorem temperet, & ſpirituum volubilitatem tarditate modicâ alliget, tunc ingenio judicium accedit, & ſapientem facit. Hòc, credo, ſenſu Ariſtoteles omnes ſapientes melancholicos fuiſſe dicit.

Magni refert, quali in corpore locati ſint animi, inquit Cicero. *Multa enim è corpore exiſtunt, quæ acuant mentem, multa quæ obtundant. Ariſtoteles quidem ait omnes ingenioſos melancholicos eſſe; ut ego me tardiorem eſſe, non moleſtè feram.* Sanguinei enim & feſtiviſſimi ingenij erat Cicero. *Enumerat multos* (Philoſophos, Poëtas, Rectores civitatum, Heroas.) *Idq́ quaſi conſtet, rationem, cur ita fiat, affert.* Miſcet autem Ariſtoteles melancholiæ calorem, qui frigus ejus molliat, & tarditatem excitet. Nam aliàs pura & terreſtris, id eſt frigida & ſicca, melancholia excellenti ingenio eſt inepta. Cic. lib. 1. Tuſcul. Ariſtotel. Problem. Sect. 30.

Ceterùm Argenterius meritò Montanum, & Akachiam ſugillat, *qui dicunt ingenium nihil aliud eſſe, quàm virtutem quæ recipit ſpecies rerum.* Argent. lib. 3. in artem. Gal.

Hoc enim memoriæ potiùs, quàm ingenij munus eſt. Magnæ autem memoriæ adeo plerumque ingenio deſtituuntur, ut Galli, cùm ingenij in viro notare tarditatem volunt, dicere ſoleant: *Habet bonam memoriam.* Et certe Claudius, Cæſar tam memorioſus, ut totam Homeri Iliadem memoriter teneret,

teneret, ſtupore tamen ingenij tam inſignis & attonitus.

In pueris tamen memoriam, pro futuri ingenij prognoſtico habet Quinctilianus. *Ingenij ſignum in parvis*, ait, *præcipuum, memoria eſt. Eius duplex virtus, facilè percipere, & fideliter continere.*

Quinctil. lib. 1. c. 4.

In altero tamen Galenum immeritò carpit Argenterius; quòd dixerit, *Ingenium oſtendere cerebri ſubſtantiam eſſe tenuium partium*. Si enim cerebri textura ſit tenuium partium, & diaphana, ſive ex talibus partibus contexta, quæ in multas ſuperficies conciſæ non ſunt, plurimum hoc valere ad ingegenium excellentes Medici exiſtimant.

Argenter. ibid. ſuprà.

Per talium quippe partium cerebri texturam, & perſpicuitatem, ſpiritus animales, & vis irradiativa liberiùs penetrant, & diffunduntur; ut ſenſuum internorum officijs ubique præſtò adeſſe valeant. Licet enim virtus cerebri irradiativa, alterius ſpeciei lumen fundat, quàm ſol vel ignis; nimiâ tamen opacitate, & multitudine ſuperficierum in quas offendit, retunditur ad modum luminis ſolaris. Ideo enim, in morbo, quem Medici *guttam ſerenam* vocant, per nervi optici meatus humore opaco oppletos, uſque ad oculum pervadere non poteſt.

An autem cerebrum ex tenuibus, vel craſſis partibus ſit contextum, ex ſanguine intelligi poteſt. Nam hominum ingenioſorum ſanguis cerebro ſimilis eſt, brevi & tenui texturâ; hebetum verò & ſtupidorum ſanguis, fibroſior & longiori craſſiorique ſtamine contextus. Quod facilè apparebit, ſi ſanguinem utrumque in pelvi concretum diſcutias, & attentè fibras ac ſtamen introſpicias.

Præſtantia igitur ingenij ex tribus: calore melancholiam pauliſper accendente, ex cerebri figurâ, & denique ex ſubſtantiâ partium, tenui filo contextâ, intelligitur. Inde enim puritas, & agilitas ſpirituum, quibus puriora quoque & ſplendidiora phantaſmata imprimuntur, & expeditiùs celeriuſque Imaginationi & cogitativæ hominis ſubſerviunt. Cogitativa verò velox & expedita, ratiocinationẽ & diſcurſum intellectûs mirè adjuvat ac incitat. Currit enim ac recurrit cogitativæ

motus

motus ſub diſcurſu mentis, ut rota minor ſub majore. Quibus porrò celer & agilis eſt mentis diſcurſus, ij ingenioſi appellantur. Quid enim aliud eſt ingenium, quàm *perfectio diſcurſivæ virtutis*, inquit Argenterius? Argenter. in Artem Galen.

Sed & quartum hoc accedere debet ad conſummandam ingenij perfectionem; vigor nempe virtutis tam expulſivæ, quam attractivæ ſpirituum animalium. Antè enim Lib. III. Cap. II. Artic. IV. & alibi docuimus, ſpiritus animales, in poſtremo occipitis ventriculo perfectos & elimatos, inde in omnium ſenſuum externorum, & internorum organa expui; ac inſuper, in ſingulis organis vim aliquam eorum attractricem, & retentricem eſſe. Si igitur vis iſta ſpirituum motrix morbo, aut ſenio debilitata ſit, ſpiritus lentè per canales ſuos eunt, & ſegniter imaginationi & cogitativæ ſerviunt.

Hinc varijs de cauſis ſenum memoria pigrior, & ingenium labaſcit. Quia videlicet defectu caloris, & humore viarum, ſpirituum agilitas tardatur, & vis illa ipſos movens, ætate ſegnior efficitur. Nec de nihilo Medici quidam dicere ſolent: nullum eſſe certius ſenectutis indicium, quàm memoriæ, aut ingenij antea ſtrenui, oborta lentitudo ac ſegnities.

Inde adagium, *Bis pueri ſenes*. Etſi enim multarum rerum, quas totâ vitâ collegerunt, ſpecies in theſauro memoriæ ſenilis reconditæ ſint; perinde tamen habentur, ac ſi nullæ, aut paucæ forent, ſicut in pueris rerũ inexpertis eſſe ſolent. Nam etſi nimio humore, aut dilapſu ſpirituum, vel partiũ cerebri, nondum extinctæ ſint, inutiles tamen, aut ſegniter cogitativæ facultati miniſtrant ac deſerviunt. Non pauci enim ſenes Claudio Cæſari ſimiles ſunt: *In quo inter cetera*, ait Suetonius, *mirati ſunt homines & oblivionem & inconſiderantiam: vel, ut Græcè dicam*, μετεωρίαν καὶ ἀβλεψίαν. In talibus quippe ſpiritus ac ſpecies phantaſticę, vel è memoriæ theſauro citatæ non obediunt facultati motrici, quæ eas mittit aut trahit ad organum cogitativæ; vel certè aliò divertunt, vel anguſtijs viarum, aut humore replente implicitæ, pervenire non poſſunt quò vocantur. Unde peſſimam cogitativæ ac reminiſcentiæ facultatem in Claudio his exemplis notat Suetonius: *Occiſâ*, ejus juſſu, Sueton. Claud. c. 39.

Meſſalinâ uxore ſuâ, *paulò poſtquam in triclinio decubuit, Cur domina non veniret, requiſivit. Multos ex iis quos capite damnaverat, poſtero ſtatim die & in convivium, & ad aleæ luſum admoneri juſſit; & quaſi morarentur, ut ſomniculoſos per nuntium increpuit.*

Sed tanta oblivio & attonitus ſtupor in Claudio minimè fortè mirandus; quem ejus mater Antonia *Portentum hominis, nec abſolutum à natura, ſed inchoatum tantùm dictabat.*

Sueton. Claud. c. 3.

ARTICVLVS V.

An noſter intellectus quædam in ideis, ſeu rationibus divinis & æternis intelligat.

Senec. Epiſt. 58. S. Aug. Lib. 83. q. 46.

SEneca *Ideas propriam Platonicorum ſupellectilem* appellat. Sed S. Auguſtinus id refellit. *Credibile enim eſt,* inquit, *etiam præter Græciam, fuiſſe in aliis Gentibus ſapientes. Quod etiam Plato ipſe, non ſolùm peregrinando, ſapientiæ perficiendæ gratiâ, ſatis teſtatus eſt; ſed etiam in Libris ſuis commemorat. Hos ergo ſi qui fuerunt, non exiſtimandum eſt, ideas ignoraſſe, quamvis alio fortaſſe eas nomine vocaverint.*

S. Auguſt. ibid.

Et explicans, quidnam ſint iſtæ tam famoſæ Platonicorum ideæ: : *Sunt,* inquit, *ideæ, principales formæ quædam, vel rationes rerum ſtabiles atque incommutabiles, quæ ipſæ formatæ non ſunt; ac per hoc æternæ, ac ſemper eodem modo ſeſe habentes quæ in divinâ intelligentiâ continentur. Et cùm ipſæ neque oriantur, neque intereant, ſecundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri & interire poteſt, & omne quod oritur & interit.*

Vnde inſigniter præceptori ſuo impoſuit Ariſtoteles, dum interpretatur, eum ideas quaſdam per ſe, extra divinum intellectum ſubſiſtentes finxiſſe.

S. Th. 1. p. q. 15. a. 3.

Duo verò genera idearum, quæ S. Auguſtinus ſimul convolvit, evolvit & diſtinguit S. Thomas. *Cùm ideæ,* inquit, *à Platone ponebantur principia cognitionis rerum, & generationis ipſarum; ad utrumque ſe habet idea, prout in mente divina ponitur. Et ſecundum hoc quod eſt principum factionis rerum, exemplar dici poteſt; & ad practicam cognitionem pertinet. Secundum autem quod eſt princi-*

eſt principium cognitivum, propriè dicitur Ratio ; & poteſt etiam ad ſcientiam ſpeculativam pertinere.

Hòc igitur loco ideam per modum rationis, & ut eſt principium cognoſcendi accipimus.

Sæpe autem ſic loquitur S. Auguſtinus, ut propoſitiones neceſſariæ veritatis in rationibus æternis, à nobis videri dicat. Et de puero illo apud Platonem celebrato, qui de rebus quibuſdam mathematicis, quas nunquam didicerat, interrogatus, rectè tamen ac conſequenter reſpondebat. *Credendum eſt*, ait S. Auguſtinus, *mentis intellectualis ita conditam eſſe naturam, ut rebus intelligibilibus, naturali ordine diſponente conditore, ſubjuncta, ſic iſta videat in quadam luce ſui generis incorporea; quemadmodum oculus carnis videt quæ in hac corporea luce circumadjacet; cujus lucis capax eiq; congruens eſt creatus.*

Plat. in Phæd.

S. Auguſt. lib. 12. c. 15. Trin.

Quibus verbis ſignificare videtur, ideas & rationes in quibus intellectus noſter intelligit v. g. hominem debere eſſe rationale animal, aut circulum debere omnes lineas rectas à centro ad circumferentiam, habere æquales &c. eſſe lumen quidem creatum, animæ rationali circumadiacens & circumfuſum, ſicut lumen ſolis, coloribus circumfunditur: ſed tamen eſſe radium increatæ lucis, quem Deus ſuper animam rationalem ſigillat, & ei quandam divini ſui luminis participationem imprimit, quando animam creat. Etiamſi, ut quidam interpretantur, illarum propoſitionum aſſenſus, uſque ad ipſas ideas & rationes increatas, quæ in Deo ſunt, non aſcendat & penetret : veluti etiam, quando colorem in circumfuſo lumine ſolis videmus, non ſemper ſolem ipſum eodem videndi actu attingimus.

Quo modo S. Auguſtini phraſin interpretari videtur D. Thomas. *Cùm enim quæritur*, inquit, *Vtrum anima humana in rationibus æternis omnia cognoſcat : Dicendum eſt, quòd aliquid in aliquo dicitur cognoſci dupliciter. Vno modo, ſicut in objecto cognito: ſicut aliquis videt in ſpeculo ea, quorum imagines in ſpeculo reſultant. Et hoc modo anima, in ſtatu præſentis vitæ, non poteſt videre omnia in rationibus æternis. Sed ſic in rationibus æternis cognoſcunt omnia Beati, qui Deum vident, & omnia in ipſo.*

D. Th. 1. p. q. 84. a. 5.

 Alio

Alio modo dicitur aliquid cognoſci in aliquo, ſicut in cognitionis principio. Sicut ſi dicamus, quòd in ſole videntur ea quæ videntur per ſolem. Et ſic neceſſe eſt dicere, quòd anima humana omnia cognoſcat in rationibus æternis; per quarum participationem omnia cognoſcimus. Ipſum enim lumen intellectuale quod eſt in nobis, nihil eſt aliud, quàm quædam participata ſimilitudo luminis increati, in quo continentur rationes æternæ. Iuxta illud, Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine. Quaſi dicat, per ipſam ſigillationem divini luminis in nobis, omnia demonſtrantur.

Pſal 4

S. Auguſt. lib 14.c 15. Trin.

Et juvabit in hunc ſenſum, inſignem S. Auguſtini locum adſcribere. *Etiam impij*, inquit, *cogitant æternitatem, & multa rectè reprehendunt, rectèque laudant in hominum moribus. Quibus ea tandem regulis iudicant, niſi in quibus vident, quemadmodum quiſque vivere debeat, etiamſi nec ipſi eodem modo vivant? Vbi eas vident? Neque enim in ſua natura; cùm procul dubio mente iſta videantur, eorumque mentes conſtet eſſe mutabiles, has verò regulas immutabiles videat, quiſquis in eis & hoc videre potuerit Nec in habitu ſuæ mentis; cum illæ regulæ ſint juſtitiæ, mentes verò eorum conſtet eſſe injuſtas. Vbinam ſunt iſtæ regulæ, ubi quid ſit juſtum & injuſtus agnoſcit, ubi cernit habendum eſſe quod ipſe non habet? Vbi ergo ſcriptæ ſunt, niſi in Libro lucis illius, quæ veritas dicitur? Vnde omnis lex iuſta deſcribitur, & in cor hominis qui operatur iuſtitiam, non migrando, ſed tanquam imprimendo transfertur; ſicut imago ex annulo in ceram, & annulum non relinquit. Qui verò non operatur, & tamen videt quid operandum ſit, ipſe eſt qui ab illa luce avertitur, à qua tamen tangitur.*

Propter verò illam impreſſionem, quaſi imaginis ex annulo in ceram, dicit alibi animam connexam eſſe, & pendere ex divinis rationibus.

Idem lib. 3. c. 5. de libero arb.

Humana anima naturaliter divinis, ex quibus pendet, connexa rationibus, cùm dicit, hoc meliùs fieret quàm illud: ſi verum dicit, & videt quod dicit, in illis, quibus connexa eſt, rationibus videt.

Ex quibus, & tot alijs locis, colligi poteſt, mentem S. Auguſtini eſſe, ut participatio illa divini intellectûs, ſive lumen intellectuale quod humanæ animæ imprimitur, ſurſum reflectatur in Deum per aſſenſus propoſitionum, quæ æternam verita-

veritatem, & exiſtentiam omnibus expoſitam, & ſemper manentem habeant: ſive, ut loquitur alibi S. Auguſtinus, *quam omnes ratiocinantes, ſuâ quiſque ratione atque mente communiter videant. Cùm illud quod videtur præſto ſit omnibus, nec in uſum eorum quibus præſtò eſt, commutetur, quaſi cibus aut potio, ſed incorruptum integrumq; permaneat, ſive illi videant, ſive non videant.* S. Auguſt. lib. 2. c. 8. de Lib. arb.

Quando autem cogitamus, ubinam ſit talis æterna veritas; non alibi profectò, quàm in Deo ipſo invenire poſſumus; cujus ſolius exiſtentia, & veritates immobiles ei quaſi inſcriptæ, eſt æterna. Nam veritates quæ in intellectu humano vel Angelico ſunt, non magis æternæ eſſe poſſunt, quàm intellectus, quibus ſunt infixæ. Res quoque, ſive propoſitiones objectivæ, quæ à talibus intellectualibus veritatibus reſpiciuntur, nullam in rebus creatis, ſed ſolùm in Dei eſſentia propriam æternitatem ſemper manentem habent.

Unde D. Thomas cum S. Auguſtino Platonizans: *Dicendum eſt*, inquit, *quòd ratio circuli, & duo & tria eſſe quinque, habent æternitatem in mente divina.* S. Tho. 1. p. q. 16. a. 7.

Et cùm ſibi objeciſſet, quòd etiam rerum creatarum eſſentiæ, & univerſalia dicantur eſſe ubique & ſemper; ergo æterna etiam eſſe: Reſpondet, *Aliquid eſſe ſemper & ubique poſſe intelligi dupliciter. Uno modo, quia habet in ſe, unde ſe extendat ad omne tempus & ad omnem locum; ſicut Deo competit eſſe ubique & ſemper. Alio modo, quia non habet in ſe, quo determinetur ad aliquem locum vel tempus. Et per hunc modum, quodlibet univerſale dicitur eſſe ubique & ſemper, in quantum univerſalia abſtrahuntur ab hic & nunc. Sed ex hoc non ſequitur ea eſſe æterna, niſi in intellectu, ſi quis ſit æternus.* Ibid.

Quandoquidem igitur regulæ agendorum, ad quas lege naturæ aſtringimur, & etiam omnes propoſitiones ſpeculativæ, quæ vocantur æternæ veritatis, ut *duo & tria eſſe quinque &c.* concipiantur à nobis fixæ & immobiles in publico velut aliquo Libro, ad quem omnes poſſint aſpicere, & ubi in æternum ſic incommutabiliter permaneant; ſignum eſt omnium hominum, etiam Gentilium Philoſophorum, aliorum-

que qui illas regulas apprehendunt, intelligentiam uſque ad *Librum lucis*, ut ſuperiùs S. Auguſtinus appellabat, extendi.

S. Auguſt. lib. 14. c 15 Trin.

Vnde, quia iſte *Liber lucis* Dei intellectus, & Deus ipſe eſt, quicumque regulas illas & veritates non tantùm ſecundum eſſe poſſibile, ſed etiam ſecundum eſſe exiſtentiæ, immobiliter cum æternitate ſtantes cogitant, intellectum ſuum uſque ad Deum, ſub ratione entis immobilis & æterni, in quo regulę illę & veritates incommutabiles ſcriptę ſunt, extendunt.

Propoſitiones verò ceteræ, quæ non ſunt neceſſariæ & æternæ veritatis, non cenſentur omnibus in illo *Libro lucis* expoſitæ, neque omnes qui oculos ad Librum vertunt, eas ibi ſcriptas inveniunt: & tamen videntur ſcintillà illà creati luminis, quam ab infinita luce divini intellectûs anima humana participat. Vnde S. Auguſtinus, quando dicit regulas illas juris naturæ immobiles, & propoſitiones æternæ veritatis in *Libro lucis* conſcriptas ab omnibus poſſe legi & videri; aliquid amplius velle videtur, quàm lumine ab illa æterna luce deciduo & participato videri.

ARTICVLVS VI.

An Philoſophi Gentiles, præſertim Platonici, ſublimiori, & ſupernatali cognitione fuerint aliquando Deum contemplati.

ADmiranda prorſus ſunt, quæ Platonici de divinis luminibus & fulguribus, quibus intellectus ipſorum, ſupra omnes phantaſmatum nebulas in Deum interdum ſubvehuntur, referunt, & Sancti Patres etiam dicunt.

S. Auguſt. lib. 9. c. 16. Civit.

Apud S. Auguſtinum Apuleius Platonicus ait: *Vix ſapientibus viris, cùm ſe vigore animi, quantum licuit, à corpore removerint, intellectum huius Dei* (ſummi & omnium Creatoris) *& id quoque interdum velut in altiſſimis tenebris rapidiſſimo coruſcamine, candidum lumen intermicare.*

Marſ. Ficin. lib. 16. c. 8. de immortal. animæ.

Et alius citerioris ævi Platonicus: *Totum hoc Philoſophiæ ſtudium, ut inquit Plato, eſt meditatio mortis. Siquidem mors eſt animæ à corpore liberatio. Nec terribilis mors eſt Philoſophis: quoniam familiaris*

ſamiliaris ipſis & domeſtica eſt. Nec latet eos, qualis futurus ſit poſt obitum puri animi habitus. Talis enim erit, qualem fermè experiuntur quotidie in ſummo contemplationis faſtigio, Tranquillus videlicet atque ſerenus, & idearum formulis, quaſi ſtellarum radijs, circumfuſus, & divini ſolis ſplendore coruſcans.

Et quia Platonicus iſte, Chriſtianus erat, oſtendit fidei quoque noſtræ conſentienter iſta dici: *Hinc Propheta Daniel*, inquit: *Fulgebunt docti tanquam ſplendor Firmamenti, & qui multos ad iuſtitiam erudierint, tanquam ſtellæ in perpetuas æternitates.*

Hinc illa Platonicorum Gentilium, ætate S. Auguſtini ſuperbia, quá ſe ſupra Chriſtianos efferebant. *Quia enim nonnulli eorum*, ait S. Auguſtinus, *potuerunt aciem mentis ultra omnem creaturam tranſmittere, & lucem incommutabilis veritatis quantulacumque ex parte contingere; quod Chriſtianos multos ex fide interim ſolâ viventes, nondum potuiſſe derident.* S. Auguſt. lib 4. c. 15. Trin.

Et profectò Plotinus, Porphyrius, alijque Platonici tanta de ſeipſis & alijs ſuperioris, aut ſui ævi Platonicis jactant, quanta de ſanctiſſimis Chriſtianis, & ſublimiſſimá contemplatione in cælum elevatis mentibus, SS. Patres, & poſterioris temporis Contemplativi Thaulerus, Rusbrochius, Gerſon, Dionyſius Carthuſianus, & alij id genus Theologi Myſtici narrare ſolent.

Quàm enim excelſas & ecſtaticas contemplationes iſtas Platonis eſſe oportuit? *Ego ſæpius*, inquit ipſe de ſe, *animo contemplans, relicto corpore viſus ſum perfrui ſummo bono cum voluptate incredibili. Quare hæſi quodammodo attonitus, me eſſe partem quandam ſuperioris Mundi, atque me adeptum vitæ immortalitatem ſentiens, ſub luce maxima, quæ neque oratione exprimi poteſt, neque auribus percipi, neque cogitatione comprehendi. Tandem verò hac contemplatione defeſſus intellectus recidit in phantaſiam; tuncque illa luce deficiente, factus ſum triſtior.* Auctor divinæ ſapient. ſecundum Ægypt. lib. 1. c. 4.

Narrat quoque in Vita Iamblichi Platonici Eunapius, eum aliquando tanto orationis fervore exæſtuare ſolitum, ut pluſquàm decem cubitis in aërem toto corpore elevatus, ſuſpenderetur à terra. Quid aliud de noſtris Sanctis, pro maximis & divinis miraculis Scriptores noſtri Eccleſiaſtici referre ſolent? Eunap. de Vitis Philoſoph.

Quid

Thauler. ſer. 2. in feſto S. Io. Bapt.

Quid ergo hîc dicimus? An quod alicubi ſublimis Contemplator Io. Thaulerus? *Certè Gentiles quidam*, inquit, *fundo ſuo tam fuerunt familiares, ut contemptis caducis omnibus hoc ſolum ſectarentur, huic ſoli vacarent.* Vnde factum eſt, *ut miram ex ipſo notitiam conſequerentur.* Et Platonem ac Proclum, in exemplum tot aliorum citans: *Hoc verò*, addit, *quàm nobis turpe eſt quàmq́ ignominioſum, dilectiſſimi, dum nos miſeri ac ſteriles, tametſi Chriſtiani ſimus, tantaq́ undique quæ nobis auxilio ſunt habeamus: puta Dei gratiam, ſacram fidem, veneranda Sacramenta, & plura alia maxima adminicula; ſemper tamen velut cæcæ gallinæ circumimus, & neque noſipſos, neque quid in nobis ſit agnoſcentes, nec ullam fundi noſtri vel tenuiſſimam habentes notitiam. Cuius ſi à me ratio poſcatur, ipſiſſimam reddo: Quòd plùs ſatis in multa diſtrahamur, plùs ſatis externi ſimus, plùs ſatis ſenſibus operemur, ac noſtris conceptibus & inſtitutis inordinatè inhæremus, ſolis externis exercitijs perpetuò incumbentes. Vtpote, multæ vocali orationi, lectioni, ſtudijs ex propria voluntate propriaque quæſitione, neglecta vitiorum mortificatione, aſſumptis impedimur ac detinemur; ut ad noſipſos nuſquam ingredi, nec ad animæ noſtræ fundum, nudi ac puri pertingere queamus.*

Quamvis autem tam altè à terra in divinorum contemplationem evecti quidam Platonicorum, non tamen naturæ terminos tranſcenderunt, ut Thaulerus fatetur. Magna enim & acuta, ſubtiliſſimique ſpiritûs ingenia ita phantaſmata extenuare, &, verbo S. Thomæ, *ſimplificare* potuerunt, ut ſpecies intelligibiles, quæ inde abſtrahebantur, vix cum aliquâ tenui ſenſibilitatis umbrâ, objecta ſua repræſentarent.

Deinde ſi intellectui in rerum ſpiritalium contemplatione occupato, craſſiora, ut ſic loquar, phantaſmata ſe ingerant ſublimia illa ingenia altiùs ſe elevant, ut phantaſmatum nubes infra ſe deſpiciant. Intra quas tamen, tandem fatigati, ut antè dicebat Plato, recidunt, tenebriſque earum rurſus implicantur.

Quâ autem ratione id fiat, res eſt abditiſſima. Fieri tamen beneficio cujuſdam lucis interioris & velut ſcintillæ, quæ ex inferiori cerebri ſtatione in verticem emicare, & ibi ſe dilatare vi-

tare videatur, quidam Contemplativi narrant. Quod proximo Articulo, Deo dante, dilucidare conabimur. Nullum enim unquam Scriptorem legi, qui quid illa lucis interioris ſcintilla eſſet, niſus ſit explicare.

Interim tanta elevatio mentis ſupra nebuloſa rerum ſenſibilium phantaſmata, fortaſſe pure naturalis eſt, nec etiam omni phantaſmate carens: ſicut aeris ſerenitas nunquam tam liquida & enubilata eſt, quin tenuiſſimi ſaltem vaporis livore ſit inumbrata.

Quidam etiam videntur exiſtimare, Platoni aliquid ſupernaturale, ſaltem quoad modum, tanquam gratiam gratis datam contigiſſe. Tales enim gratias Deus quandoque etiam impijs & infidelibus, propter taleſ-quales virtutes, aut virtutum umbras, ſolet elargiri. Sic Sibyllæ ob virginitatis meritum, factæ putantur Propheti ſſæ: ſic *inter Catholicos Ioannes Evangeliſta, inter Ethnicos Plato*, ait Conradus, *altiùs de divinis ſcripſerunt. Quia vitæ ſanctitas atque integritas magnam apud Deum meretur illuminationem, & ſignanter caſtitas.* Vnde negabant Plato & Platonici, omnes homines ad tam ſublimes divinorũ contemplationes, ſed ſolùm puras à vitijs craſſioribus animas, & præſertim quæ vitæ contemplativæ amore ac ſtudio tenerentur, idoneas eſſe. *Talis enim Deo chariſſimus videtur*, inquit Ariſtoteles. *Nam ſi aliquam humanarum rerum curam dij habent, ſicut habere videntur; conſentaneum eſt, ipſos re illâ quæ optima eſt, atque ipſis maximè cognata, delectari, quæ eſt intellectus: eoſque qui ea maximè amant & honorant remunerari. Vtpote qui eorum, quæ ipſis ſunt amica, curam habeant, rectéq; ac honeſtè agant.*

Conrad. Tract. 7. de contract. q. 100. concl. 1.

Ariſt. lib. 10. c. 9. Ethic.

Platonici tamen poſteriores, præſertim Plotinus, Porphyrius, Olympius, Amelius, Iamblichus, alijque qui circa tempora Diocletiani Imp. & deinde vixerunt, *Magicarum rerum curioſitate depravati ſunt*, vt narrat S. Auguſtinus. Nam cùm à peccatis, quibus mentes ſuas gravari ſentiebant, liberari vellent, nec à ſeipſis poſſent; quærentes mediatorem, ut ait alibi idem S. Doctor, in dæmones ſuperbiæ ſuæ ſocios inciderunt, & ſacrificijs ijs oblatis ſe expiare tentaverunt.

S. Auguſt. Epiſt. 56.

Idem lib. 10 c. 42. Confeſſ.

Et profectò Plotinum, cujus Schola uſque ad Conſtantinum Magnum Romæ floruit, Magicis artibus implicitum oſtendit Porphyrius diſcipulus ejus. Nam narrat eum *dæmonem familiarem habuiſſe, ad quem divinum ſemper ſuæ mentis oculum ſublimiùs erigeret.*

Porphyr. in Vita Plot.

Talis igitur familiaris dæmon mentem Platonicorum altiùs evehere potuit, & per imaginariam quidem, ſed excellentioris phantaſticæ lucis coruſcationem, ſpiritum ab inferiori animæ parte, ſine divino miraculo, eo modo quo mox dicemus, ſeparare, & Sanctorum Chriſtianorum contemplationes & ecſtaſes imitari. Non enim de nihilo eſt, quòd ſtatim poſt tempora Chriſti, plerique omnes Platonici ad Magicas artes defluxerint; diabolo id providente, ne Chriſtiani aliquid præcipui in ſanctitate, raptibus, ecſtaſibus, & miraculis habere viderentur, quo ſupra Philoſophos Ethnicos apparent excellere.

Paracelſiſtæ quoque, homines plerumque non nimis ſancti, & nigræ Magiæ in quibuſdam comperti, aut ſuſpecti, rerum naturalium cognitionem ex lumine aliquo ſimili interiori, non ex Libris & ſtudio ſe haurire jactant; quod Articulo ſequenti narrabitur.

ARTICVLVS VII.

Diſcrimen inter Platonicorum, & Chriſtianorum illuſtrationes.

EXercitijs pænè ijſdem, quibus Chriſtiani pij ac ſancti Contemplatores, Platonici ad ſublimes illas mentis illuſtrationes & ecſtaſes perveniſſe videntur. Mentem videlicet perpetuò à rerum ſenſibilium voluptatibus avertendo, & introrſus in animam ſuam, ubi Dei & virtutum locus eſt, reflectendo.

Porphyr. in Vita Plot.

De magiſtro ſuo Plotino Porphyrius: *Simul ſecum erat*, inquit, *& cum alijs, intentionemq́; mentis ad ſe converſa nunquam intermittebat, niſi forſan cum dormiret. Quamvis & ſomnum ab eo procul excuſſerit tum cibi parcitas (ſæpe enim pane etiam abſtinebat) tum*

tum aſſidua quadam converſio ipſius ad mentem.

Ac de Platone, & alio Platonico, Proclo Thaulerus: *Quòd ſi quis*, ait, *ad ſuum intimum fundum cerebrò ſe reciperet, eiq; foret familiaris, perciperet inde perplures nobiliſſimos fulgores, per quos, quid ſit Deus, multo lucidius apertiùſque cognoſceret, quàm oculi eius corporei materialem hunc viſibilemque ſolem cognoſcant. Certè Gentiles quidam huic fundo tam fuère familiares, ut contemptis caducis omnibus, hoc ſolum ſectarentur, huic ſoli vacarent. Vnde factum, ut miram ex ipſo notitiam conſequerentur. Succeſſerunt deinde præclari Philoſophi, ut Plato, & Proclus, & alij complures: & ipſi alijs, qui per ſeſe eam tam exactè reperire non poterant, planiſſimam apertiſſimamq; huius notitiam tradiderunt. Inde eſt, quòd & S. Auguſtinus fateatur Platonem, S. Ioannis Euangelium, uſque ad id loci ubi dicitur,* Fuit homo miſſus à Deo, *integrè pronunciaſſe; licet abditis & tectis verbis.* Thauler. ſer. 2 in feſto Nativit: S. Io. Bapt. S. Auguſt. lib. 7. c. 9. Confeſſ.

Continua quippe illa mentis, à voluptatum externarum illecebris, introrſum refuga converſio, phantaſmatum nubes extenuat & illuſtrioribus enubilatæ mentis coruſcationibus adaptat. Vnde de Epicureis, Cyrenaicis, Stoicis, Peripaticis nihil ſimile, atque de Platonicis legimus. Quanquàm ex Ariſtotelis lib. 12. Metaph. narret Cajetanus, Deum erga ſubſtantias intellectuales ſingularem providentiam exercere; *quia ſunt in Vniverſo velut filij. Et animas noſtras ratione immaterialis naturæ, ſuperiores influxus intellectualium aliquo modo recipere. Ac tanto magis, quanto magis ab his corporalibus recedunt, ut eodem libro Ariſtoteles dicit.* Cajet. 1. p. q. 82. a. 4.

Peripatetici tamen, voluptatibus carnis ſuæ magis impliciti, non uni animo excolendo, & ultra humana in Deum attollendo, perinde ac Platonici, ex profeſſo ſtudebant.

Quia tamen ſuperbiâ omnes univerſim Philoſophi tumidi, non verâ magnitudine alti erant; præcedenti Artic. Magicum quid, Platonicorum elevationibus & ecſtaſibus ſe interdum miſcuiſſe, ſuſpicati ſumus.

Quod de Paracelliſtis etiam vehementer metuendum. Doctrinam enim ſuam Paracelſiſticam non ſtudio, ſed ab inno quodam & divino lumine ſibi affundi jactant. Vnde ſtu-

dium Academiarum in ludibrio & riſu habere ſolent.

Vide Sennert lib de Conſen.c.; *Eſſentialis enim intrinſeca cognitio*, ait Crollius, *non eſt ex carne & ſanguine, nec in multitudine librorum & lectionis, nec in pluralitate experientiæ, & antiquitate dierum, nec in perſuaſionibus humani verbi, & contentione rationis, ſed in ipſa paſſione divinorum; non in diſcendo, ſed in patiendo, hominis mens perficitur.*

Sed profectò, ſi diſcipuli iſti non ſint magiſtro ſuo Paracelſo (quantum nobis eum Thomas Eraſtus deſcribit) ſanctitate vitæ puriores; veriſimile non eſt, tam ſpurcis vaſis divinum Chymiæ & Medicinæ Paracelſiſticæ lumen cælitùs infundi. Adde, lumen illud, ceu fatuum, non quale à Deo fundi & venire meretur, à Galeniſtis infamari.

Etiamſi verò Platonicorum ſublimes coruſcationes à Deo & cælo eſſent, longo tamen intervallo, ab illis quas S. Auguſtinus, S. Bernardus, Thauleriſtæ, & Myſtici Chriſtiani expertos ſe fatentur, diſtant. Platonica enim illa fulgetra, lumen ſunt ſine igne, ſcientia inflans, ſine charitate ædificante.

Rom. 1. Magna quippe ingenia, ſolâ etiam humanâ ratiocinatione, ſine extraordinariâ illâ luminis interioris coruſcatione, *inviſibilia Dei, à creatura Mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpexerunt: & quod notum eſt Dei, manifeſtum fuit in illis; Deus enim illis manifeſtavit.*

Sed *cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt.* Quid ita? *Illa quippe manifeſtatio, qua cognoverunt Deum qui cognitum non dilexunt*, ait Fulgentius, *gratiam non habuit, qua Deus ſic cognoſcitur, ut ametur.* Non enim Deum, ſed ſeipſos amaverunt, illum ad ſe reflectentes. *Quò enim appropinquaverunt intelligentiâ, inde ſuperbiâ receſſerunt*, ait de Pythagora & Platone divinus Auguſtinus: quos tamen *multo excellentiore ceteris Philoſophiâ nobilitatos fuiſſe* dicit.

S. Fulg. lib. 1 c 22 de verit. prædeſt.

S. Auguſt. lib. 4. c. 3. contra Iul

Act. 10 Vel ſi rariſſimi quidam inter ipſos, Cornelio Centurioni ſimiles, verâ pietate Deum coluerint, *non ſine aliqua fide* (ut S. Auguſtinus de Cornelio loquitur) id faciebant.

S. Auguſt. lib. de prædeſt. ſanct. cap. 7.

Rom. 1. Plerique verò ferè omnes alij, ſicci & frigidi ſpeculatores erant, *evaneſcentes in cogitationibus ſuis*; in quibus locum nullum

nullum habebat charitas, quia totum occupabat vanitas.

Et hinc alterum diſcrimen naſcitur: Quòd pij quidam & humiles Chriſtianorum Contemplatores, quia illuſtrationi intellectûs charitatem voluntatis ſemper ſociare ſtudent, & *raptim ſub quodam quaſi coruſcamine ſcintillula tranſeuntis, tenuiter vix attracti, amore, inardeſcunt*, ut S. Bernardus loquitur; ad illam tandem contemplationis celſitudinem, Dei gratiâ ſuccollati, quandoque aſcendunt, ut radijs ſupernæ lucis perpetuò colluſtrentur, *nullâ terrenâ ac turbidâ re*, ait Nazianzenus, *ſe immiſcente, atque in lumen divinum incidente*. Talibus quippe Contemplativis, inquit Rusbrochius, *tam facile, promptum, & paratum eſt contemplationi fruitionique vacare, quàm vitam vivere naturalem.* Et quid mirum? *Hi enim perfecti, excellentes, atque nobiles homines* (ſublimis Contemplator Thaulerus loquitur) *omnia tranſcendendo, nihil omnino vel amore, vel intentione proſequuntur, niſi ſolum Deum purè in ſeipſo. Et quidquid ex illius munere perceperunt in ipſum omni tempore & purè referunt, offerunt, refundunt; nec quidquam ſibi inde uſurpare vel adſcribere præſumunt. Et quemadmodum flumina ex mari exeunt, & in ipſum, tanquam ſuam originem, revertuntur: ita & hi præclariſſimi homines omnia divina chariſmata & dona ad illam referunt ac refundunt originem unde profluxerunt, ſimulq; cum eis in Deum refluunt.*

S. Ber. ſer. 18. in Cant.

Naz. Orat. 8

Rusbroc. lib. de calculo filior. Dei c. 13.

Thauler. ſer. 1. Dom. Septuag.

Cui nihil umquam ſimile in ſanctiſſimis Gentilium Philoſophis auditum: qui perpetuò in ſeipſos, aut aliam creaturam, non in Deum, tanquam omnis amoris ſui centrum recurrebant. Aut ſi quandoque, hoc facerent certe rariſſime id accidebat; nec niſi quando inter denſas illas Gentilitatis tenebras, tenue divini luminis fulgetrum raptim intermicabat, quod non tantùm eorum intellectum perſtringeret, ſed etiam levi afflatu concuteret voluntatem. Quamquam enim S. Auguſtinus fidem Chriſti dicat eſſe omnis gratiæ initium; iſtæ tamen in media infidelitatis nocte coruſcationes, ad fidem ſpectant, aut reduci debent; cùm ſint quædam ad fidem præparationes, & veluti ad eam conatus; ſive uſque ad fidei plenitudinem perveniant, ſive in irritum antè cadant.

Piorum tamen etiam Chriſtianorum contemplationes ſæpiùs cogitationibus alijs interpellantur; quia pauci ſunt, quorum converſatio ita eſt in cælis, aut extra hunc rerum ſenſibilium Mundum tam longe ſummota, ut dicere ſemper cum Propheta poſſint: *Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine.* Vnde illuſtrationes illas Sanctorum S. Auguſtinus, *coruſcationes* (quæ ſubitò videlicet emicant, & mox extinguuntur) *in hoc tenebroſo itinere*; S. Bernardus *tempus* earum *modicum*, & *ſubitò, dum teneri ſponſus putatur, elabi* dicit.

Pſal. 54.

S. Auguſt. lib. 2 c. 16. de libero arb.

S. Bernard. ſer. 23. in Cant.

Et iterùm: *Eſt locus, ubi verè quieſcens & quietus cernitur Deus, locus omnino non Iudicis, non Magiſtri, ſed ſponſi, & qui mihi quidem (nam de alijs neſcio) planè cubiculum ſit; ſi quando in illum contigerit introduci. Sed heu, rara hora, & parva mora.*

ARTICVLVS VIII.

Quidnam ſit illa lucis interioris ſcintilla, qua ad Dei viſionem elevari, & in ea ſe teneri, Contemplativi narrant.

S. Auguſt. Epiſt. 72.

POſt varias mortificationes, *quibus reſiſtitur corporis ſenſibus: quæ nobis ſacratiſſima diſciplina eſt*, inquit S. Auguſtinus; tandem raræ quædam & amabiliſſimæ Deo animæ, ad eam munditiem cordis perveniunt, ut Deum, quantum in tenebroſo hoc itinere vitæ mortalis licet, videant, & ferè jugiter contemplentur,

Naz. Orat. 33.

Verùm, quia ἡγεμονικὸν ἡμῶν *princeps noſtri pars*, ut ait S. Gregorius Nazian. qua cerni Deus debet, *improbis vagiſq́ imaginibus & ſimulacris confunditur*, lux, aut quaſi lux quædam interior, ſingulari Dei beneficio oboritur, quæ animam à ſpiritu quodammodo dividit; & ſicut in hoc Mundo elementari fieri videmus, in capite humano interiorem & nebuloſam phantaſmatum regionem, à ſuperiore & ſereniore quaſi diſtinguit.

Sæpe & vehementer admiratus ſum (non ex meâ, ſed pijſſimarum quarundam animarum, in utroque ſexu, experientia) quid iſta lucis, ut appellant, ſcintilla eſſet. Nec quenquam unquam Scriptorem legere potui, qui mihi in hujus rei indagine viam præiret.

De

De ea, ut opinor, loquitur Thaulerus, quando dicit per virtutem humilitatis: *Nos nobilem ac divino tinctam colore ſcintillam cognoſcere. Quæ cùm nobis multo, quàm putemus ipſi, interior viciniorq́ue ſit, ob immobilicam tamen ſuperbiam noſtram, quâ & in ſpiritu & naturâ plùs ſatis abundamus, admodum nobis incognita eſt & aliena.* Thauler. ſer. 1 Dom. 3 poſt. feſt. Trin.

Et de elevatione mentis, quæ illius ſcintillæ beneficio peragitur, dum homo Contemplativus vocaliter orat: *Seſe ad ſeipſum*, inquit, *intrò recipiet recolligetq́ue, atque ad fundum ſuum interiorem cum elevata mente, viribus extenſis, interno divinæ præſentiæ contuitu, intimo gratiſſimæ voluntatis Dei præ omnibus deſiderio, convertet; tam à ſeipſo, quàm rebus creatis omnibus deficiens, ibiq́ue altiùs atque altiùs, in clarificatam Dei voluntatem ſeſe immergens.* Idem ſer. 1 Dom. 5. poſt feſt. Trin.

Hujus quoque lucis adjutorio perficitur, quantum exiſtimo, *altiſſimus* ille *vivendi modus*, de quo Rusbrochius: *Si altiſſimum*, inquit, *ac celſiſſimum vivendi modum, qui poſſit in hac vita obtineri, ſentire ac vivendo exercere velimus, ſpiritus noſter ab anima dividatur oportet, ſeſque ſupra rationem, ſupra imagines, ſupra virtutum* (actuoſarum) *exercitationem erigat, nudo aſpectu in divino lumine, intuſque ſurſum reſpiciat, ac nudo amore cohæreat Deo. Et in hac quidem actione inter nos, & Deum diſcrimen diverſitatemq́ue ſentimus. Ibi verò ſpiritu in Deum, eiuſq́ue infinitam exceſſimus celſitudinem, ibi cum Deo in eſſentiali illius unitate quieſcimus, & habitamus, ſemper cum Deo immoti, & abſque actione perpetuò otioſi permanentes: atque hoc pacto perenniter & quieſcemus, & operabimur; quod eſt vivere ſine labore. Et hic ſupremus modus eſt, quo quidem in nobis deiformem poſſimus ſentire vitam, æterna veritate illuſtratam:* Rusbroc. lib. de vera contempl. c. 51.

Fortaſſe etiam lucis iſtius interioris vehiculo intrabat S. Auguſtinus, quò ſe aliquando vectum alicubi narrat: *Aliquando introducis me*, ait Deo, *in affectum multùm inuſitatum introrſus, ad neſcio quam dulcedinem. Quæ ſi perficiatur in me, neſcio quid erit, quod vita iſta non erit. Sed recido in hæc, ærumnoſis ponderibus, & reſorbeor ſolitis.* S. Auguſt. lib. 10 c. 40. Confeſſ.

In talibus autem mentis elevationibus, fit quædam animæ & ſpiri-

Thauler. ſer. 4. in ferijs Paſchal. & ſpiritûs diviſio. De qua iterùm Thaulerus: *In hac diviſione animæ & ſpiritûs*, inquit, *anima ipſa & quidquid corporeum eſt, inferiùs manet: ſpiritus autem & quidquid ſpiritale eſt, ſurſum tendit, atque abſtractum, ſive diviſum ab anima, Deo copulatur coniungiturque; ſicut Apoſtolus ait: Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt.*

Hebræ. 4.

1. Cor. 6. *Mira prorſus diviſio ubi quidquid corporeum & rude eſt inferiùs manet: quidquid verò ſubtile eſt & ſpiritale ad divina gloriæ contemplationem ſublevatur, atque ſecundum Apoſtoli ſententiam in eandem imaginem transformatur à claritate in claritatem, tanquam à Domini*

2. Cor. 3. *ſpiritu. Tum verò quando hoc pacto ſuperior pars ad Dei gloriam & gaudia contemplanda rapitur, ſubvehiturque, magna pace & quiete pars inferior potitur. Hinc ergo advertere licet, quòd quanto ſpiritus à rebus caducis ac temporalibus, atque ab ipſa quoque anima, juxta hunc modum disiungitur, tanto faciliùs perfectiuſque ingrediatur in Deum.*

Varia ejuſdem argumenti teſtimonia, ex alijs Theologis Myſticis, & pijs Contemplatoribus conſarcinare poſſim; ſed à nullo, de luce iſta interiore animam & ſpiritum dividente, plura & ſecretiora didici, quàm à R. P. Ioanne Euangeliſta

Aõ. 1635. Capucino Lovanienſi; qui nuper, Autumno illo peſtilenti poſt obſidionem Lovanij à gemino Francorum & Batavorum exercitu, cum opinione ſanctitatis extinctus eſt. Ego enim contractâ cum eo non paucorum annorum familiaritate, plurima de vitæ iſtius interioris miraculis (quæ ille humiliter & ſincerè, tanquam amico reſpondebat) indagavi, quæ continuo ferè 20. annorum experimento hauſerat; & tandem à me exoratus, brevi etiam Latino ſcripto comprehendit: quod fortaſſe, ſi vita mihi duret, & Deus det, noſtris Notulis illuſtratum lucem aliquando videbit.

Certè enim meretur. Nam licet nec philoſophicè ſatis, aut theologicè, arcani illius naturam explicet; docet tamen, in quantam puritatem deterſa ac decocta anima eſſe debeat, ut Deum qualitercumque in hac vita mortali contemplari valeat. Deinde ex proprio ſuo experimento (cui in alijs etiam quibuſdam pijs animabus affine quidem & ſuppar, nunquam æquale deprehendi) multam philoſophandi in abditis animæ opera-

operationibus, materiam præbet. Denique, ut ipſemet in Libelli ſui calce dicit: *Ad hanc potentiam* (ſic lucem illam, qua anima in hac vita Deum videt, appellat) *referuntur omnia quæ paßim dicunt Myſtici; licet ſubinde confuſiùs & obſcuriùs, propter abditiſsimum & paucißimis cognitum illum operandi modum, quem in ſe ſentiunt, & difficulter verbis explicare poſſunt, ut ex antè dictis aliquatenus conſtat; qui interim præfatæ potentiæ proprius & naturalis eſt. Unde etiam eiuſdem naturâ & conditione ſemel bene explicatâ, videtur tolli poſſe omnis difficultas, & erroris ſuſpicio, à Scriptis Myſticorum.*

Quantum ad me, fateor ingenij mei bolidem nimis curtam eſſe, ut profundi hujus fundum attingam. Mihi tamen è longinquo apparet, lumini intellectûs aliquid etiam imaginarium admixtum eſſe. Hoc eſt, lumen principale, quo Myſtici & pij iſti Contemplatores (longè tamen infra Beatos cæli incolas) Deum ſe videre dicunt, eſſe quidem in intellectu; ſed aliam corporeæ præterea lucis ſcintillam humani cerebri ſpiritibus animalibus inhærere, in quam defixa & admirabunda imaginatio, ab aliorum phantaſmatum aſpectu interiores ſuos oculos avertit. Potentiæ quoque ſpirituum motrices eo tempore ceſſant, ne phantaſtica ſimulacra, quæ ſpiritibus illis vectantur, ultrò & petulanter imaginationi ſe ingerant, & eam offuſcent; unde, per ſympathiam imaginatricis & intellectûs, contemplationis intellectivæ claritas aliquâ caligine involvatur.

Cur autem ſcintillam illam lucis, aut luci ſimilem, exiſtimem eſſe corpoream, & ad imaginatricem facultatem pertinere, has conjecturas habeo.

Quia morbo corporis, aut aëris mutatione aliquam alterationem ſuſcipit. I.

Deinde, ut P. Io. Euangeliſta in ſuo ad me Libello ſcribit, II. *inſtar ſcintillæ petit ſummum capitis apicem & verticē, in coq; incomparabili ſimplicitate reſidens velut in centro ſuo, & loco ſibi connaturali, conſervat & regit internū hominē, in tranquillitate & ſerenitate, quam tempore orationis, & externæ abſtractionis habere conſuevit. Atque ita ſpiritali & Angelico planè modo, in ſumma ſpiritûs unitate*

 inter

inter res externas, quantumvis multiplices, & ſenſuum variȷſſimas operationes, anima immota permanet, ac ſi nihil ageret, nihil videret, nihilque ſentiret.

Quia primò apparet contracta velut in punctum, deinde ſe dilatat, & rareſcit, ac poſtremò, niſi per aliam ſuccedaneam reparetur, evaneſcit, ut ſæpe à pio illo R. P. Ioanne Euangeliſta narrari audivimus.

Quapropter iſta Simeonis Iunioris, pijſſimi Contemplatoris verba, de hac Myſticorum ſcintilla, lubenter accipimus.

Simeon. Epiſc. Theſſalon. lib. Sacr. Comment. cap. 36. Tom. 12. Bibliot. SS. Pat.

Procul, ut ſtella exoriens videris, inquit ad Deum, *& paulatim dilataris (non tu ipſe hoc patiens, ſed mentem ſervi ad videndum aperiens) ſenſim maior, & inſtar ſolis cerneris. Fugientibus quippe & evaneſcentibus tenebris, advenire te puto, qui ubique præſens es.*

Hinc quoque colligere licet, quomodo Angelus ſatanæ transformans ſe in Angelum lucis, ſcintillam iſtam phantaſticam concinnare, & Platonicorum, & impiorum hominum ſpiritibus animalibus imprimere poſſit. Quanquam nec inſolens ſit, ut à cæleſti Patre, ut Artic. proximo diximus, tale beneficium venire potuerit: *qui*, ut ait Io. Gerſon, *aliquando ſervis nequam, & filijs infidelibus exhibet panem filiorum, & ſatiat eos adipe ſpiritalium conſolationum: veluti Princeps, qui damnato ad mortem, & iam iam ad ſupplicium deſtinato, mittere poteſt pretioſum ferculum de menſa ſua, quod filio ſuo, cui regnum ſervat, dare negligit.*

Vide Bartho l. de Martyr. Compend. ſpirit. p. 2. c. 13.

Sed quâ de cauſâ, ſcintilla illa phantaſtici luminis ad *apicem & verticem cerebri*, ut antea R.P. Ioan. Euangeliſta aiebat, aſcendere apparet?

Res iſta tenebroſiſſima eſt, & ex fundo putei Democri eruenda eſſet. Fortaſſe aliàs deſcendã; nunc tantùm dico: virtute organi phantaſiæ, ſpirituum animalium attractivâ id fieri.

Motum autem ſpirituum cerebri, ab imaginatione percipi, exemplo eorum qui vertigines patiuntur, conſtat.

Recordare deinde, nos ſuperiùs Lib. III. Cap. VIII. Art. II. ſenſuum internorum arcem, non in inferioribus, & capacibus illis cerebri ventriculis, ſed in ſuperiori medullâ collocaſſe; adeoque ibi animæ ſenſitivæ ἡγεμονικὸν, & principatum præſidere. Fallor etiam, aut ideo antiqui illi Poëtæ fabulatores

bulatores ſapientiæ deam Minervam, è patris ſui Iovis cerebro natam, finxerunt per cranij verticem in lucem erupiſſe.

In ſummo autem medullæ illius faſtigio, videtur præcipua vis attractrix & retentrix ſpirituum animalium, & imaginum quæ illis ſpiritibus inſident ac vehuntur, conſiſtere.

Quapropter cùm volumus ſine perturbatione memoriæ, & confuſione phantaſmatum, aliquid memoriter recitare, vel meminiſſe, ſpiritum è regione inferiori cerebri videmur in verticem revocare, & è faſtigio illo, imaginum ſeriem ante oculos facultatis cogitativæ, ordine imperturbato tranſeuntem, veluti recensère. Hac enim ratione dicimur ſupra phantaſmata, in inferiori regione tumultuantia, nos erigere, & cogitativam noſtram ſub tranquillitate intellectivæ partis, ac ſub illuſtrationibus divinis quæ ſupernè defluunt, proximè componere. Virtus ergo illa ſpirituum animalium attractrix videturſcintillam illam flammulamque Myſticam ſurſum in regionem ſereniorem & tranquilliorem cerebri, unà cum ſpirituum, in quibus illa lucet, nodo evocare. Lucē enim quandā innatam Medici ſpiritibus animalibus, qualem fermè in lampyridibus videmus, donare ſolent. Veluti etiam ſpiritibus cordis vitalibus Io. Keplerus. *Nec dubito, enim*, ait, *quin hanc luculam oculis quoque ſimus excepturi, ſi nobis contingat, excluſâ diei luce, in cordis tenebras, illaſâ flammâ hac, introſpicere.* Io. Kepler. Paralip. in Vitell. prop. 32.

Verùm difficultatis non ſpernendæ mihi jam in mentem venit: Quomodo lux, aut pelluciditas illa ſpirituum in nodum viſibilem & ſcintillam contracta, ab imaginatione proximè, ſine viſu externo, cerni queat. Imaginatio enim uti ſolet ſpecie non immediatè ab objecto hauſtâ ſed mediante viſione ſensùs externi.

Sed in primis, certum non eſt, viſionem in oculo exerceri. Multis enim & magnis Philoſophis placet, ſpeciem externi objecti, per oculum quidem tranſire, ſed primam viſionem in cerebro, aut in interiori ad cerebrum viâ, fieri. Deinde, cur phantaſia lucem in ipſo cerebro exortam, ſine tranſitu per oculum, non poteſt videre? Certè enim quibus cerebrum flavâ bile accenſum eſt, ignes & incendia ſæpe ſomniant, &

lumen imaginarium vident, cujus ſpecies nunquam per oculos tranſivit.

Deinde lucis externæ imagines ſpiritibus animalibus, aut cerebro impreſſas videri per inſomnia, Ariſtoteles, S. Auguſtinus, S. Thomas, & probabiliores Philoſophi, ac Medici, & nos Lib. III. (quidquid alij contrà) docuimus.

Fieri ergo poterit, ut ſpecies phantaſticæ rubei, aut flammei coloris, condenſatæ ac in nodum unum collectæ, ſpeciem ſcintillæ imaginationi exhibeant, & ſic interno & phantaſtico viſu cernantur. Nam ſpecies ipſas cerebro impreſſas ab imaginatrice videri, centies S. Auguſtinus affirmat. Nam quæ in ſomnijs videntur, *ſpecies velut corporum, non tamen corpora ſunt*, inquit, *& vigilantium cogitatione formantur, & profunditate memoriæ continentur, & ex eius abditiſſimis ſinibus, neſcio quo mirabili & ineffabili modo, cùm recordamur, prodeunt, & quaſi ante oculos prolata verſantur.*

S. Auguſt. lib. 4 c. 17. de origin. animæ.

Vnde *Apoſtolus Petrus*, inquit idem alibi, *quando exiſtimans ſe viſum videre, aliud pro alio ſic putabat, ut à corporum imaginibus, in quibus ſe eſſe arbitrabatur, vera, in quibus erat, corpora non diſtinguebat; niſi cùm ab illo Angelus diſceſſit.*

Enchirid. c. 21. Act. 12.

Non igitur ſunt Auguſtinianæ, imò nec Ariſtotelicæ Philoſophiæ, qui hodie docent, imaginatricem in ſomnijs, non circa interna phantaſmata memoriæ, aut cerebro impreſſa, ſed circa objecta ſenſuum externorum, proximè verſari.

Quare autem Contemplatores (R.P. Ioannis Euangeliſtæ teſtimonio, & exemplo, quod vidi, & miratus ſum) pulmonum reſpirationem ſuſpendant, quamdiu divina contemplantur?

An quia aëris inſpiratio, ſpirituum cerebri, quibus aër externus permiſcetur, ſilentium perturbat, tranquillitatemque confundit, quæ contemplantibus eſt neceſſaria? Nam etiam, quando attentè & vehementer aliquid admiramur, ſolemus pulmonum officium ſuſpendere.

Poſſe enim nullo, aut modico & inſenſibili pulmonum fabello, hominem aliquamdiu vivere, Medici magni docent.

Nam

Nam divinus Hippocrates & Galenus, ait Iul. Caſſerius, *univerſum corpus, inſpirabile & exſpirabile*, (per pororum occulta ſpiracula) *optimè dixerunt. Atque inde, quòd Heraclitus Tarentinus ſe modum, quo homo ſub terra latibulis, ſine ulla reſpiratione, per triginta dies, vitam trahere poſſet, inveniſſe gloriabatur. Id quod etiam ſuo nos exemplo hyſterica feminæ docent, quæ quandoque longum temporis ſpatium ſine reſpiratione ſupervivunt. Siquidem hoc nullo pacto fieri poſſet, ſi foraminulis non eſſet perforata cutis.* Caſſer. lib. 2 c. 3. de organ. tactu

ARTICVLVS IX.

Quomodo, & quando intellectus humanus ad uſū rationis perveniat.

ANima rationalis, quanquàm ſpiritalis & immortalis, aliquamdiu tamen, non tantùm in utero, ſed extra uterum, temperamento corporis ſui veluti ſubmerſa, aut tanquam profundiſſimâ ebrietate obruta, ad operationes mentis inutilis jacet. Imò ſenſibus corporis vix utitur, ſed tota, inſtar ferè animæ plantæ, operationibus vegetativis vacat. *Expectandum enim eſt tempus*, ait S. Auguſtinus, *quo neſcio quam velut ebrietatem, non per unam noctem, ſicut qualibet graviſſima ſolet, ſed per aliquot menſes, atque annos paulatim digerat.* S. Auguſt. lib. 1. c. 36. de pecc. merit.

Poſt enim unum, aut alterum annum iſta infantiæ ebrietas evidenter digeri incipit; quando parvuli membris uti, *& animi ſui motus qualibuſcumque linguæ ſignis promptitare iam poſſunt.* Ibid. c. 35.

Sed tempus, & ſeriem progreſſumque iſtius digeſtionis à M. Tullio audiamus. *Parvi primo ortu*, inquit, *ſic iacent, tanquam omnino ſine animo ſint. Cùm autem paulum firmitatis acceſſerit, & animo utuntur, & ſenſibus, connituntur que ut ſeſe erigant* (mentitur ergo Atheus Iul. Cæſ. Vaninus, cùm ait infantes, ut bruta, quadrupedes permanſuros, niſi ſe in pedes erigere docerentur, & aſſueſcerent) *& manibus utuntur, & eos agnoſcunt à quibus educantur: deinde æqualibus delectantur, libenterque ſe cum his congregant, dantque ſe ad ludendum, fabellarumque auditione ducuntur &c.* Cic. lib. 5. de finib.

Plenus autem rationis uſus, quando honeſtum à turpi diſcernere queunt (unde & anni diſcretionis vocantur) circa ſeptimum ætatis annum plerumque accedit. Alijs tamen interdum ſeriùs, aut citiùs; prout naturalis illa cerebri humiditas tardiùs, aut ocyùs digeritur. Sicut nec omnes ebrij uno tempore ad mentem, vini aut cereviſiæ vapore jam demerſam, redeunt.

Simili enim de cauſa ebrij, & infantes, propter ſcilicet nimis fluxam cerebri humiditatem, uſum rationis amittunt. Sed quomodo iſta humidas impediat uſum rationis, & cur veriſſima ſit illa Heracliti ſententia, *Lux ſicca, anima ſapientiſſima*, profectò dilucidum non eſt.

S. Tho. 1. 2. q 33. a. 3. Certum quidem eſt illud S. Thomæ: *Vſus rationis requirit debitum uſum imaginationis, & aliarum virium ſenſitivarum*: ſed quamobrem imaginatio ab humore cerebri nimio in uſu ſuo impeditur?

An quia, ubi cerebrum humore natat, ſpiritus animales in pueris crudi, in ebrijs vapore gravati, non expeditè imaginationi ſerviunt; & citati, ex tempore non reſpondent, & phantaſmata ac imagines quas bajulant, non illicò, vel certè ordine perturbato, ante oculos imaginationis repræſentant? Viæ quoque & canales cerebri, per quos illi meant, humore aut nebulâ impediti, remoram & confuſionem injiciunt. Sicut enim à ſimilibus cauſis, ſenſuum externorum officia ceſſare, vel perturbari videmus; ita de ſenſibus internis conjectandum videtur.

Debet autem ſpiritus animalis imaginem ſibi impreſſam, in certa quadam extenſione locali ante organum phantaſiæ præſentare, ut ejus excitet cognitionem; ſine qua intellectus agens abſtrahere nequit ſpeciem intelligibilem. Nec veteri etiam ſpecie, in ebrijs, uti valet; quia intelligentem (etiam per ſpeciem antea abſtractam) oportet phantaſmata præſentia ſpeculari.

Fieri etiam poteſt, ut ſpecies phantaſtica ſit quidem ſatis ampla & extenſa, ſed non ſatis intenſa, ut ſufficiat ad imaginandum tam expreſſo & vivo, ut ſic dicam, phantaſmate, quale

quale requiritur ad movendum intellectum.

Diceret ſuâ linguâ Cajetanus: *Talia phantaſmata inepta ſunt, ut per lumen intellectûs agentis luceant.* Cajet. 2. 2. q. 173. a. 2.

In cerebro enim ex propria temperie tam humido, aut infuſis aliunde vaporibus tam humecto, non niſi diluta, obſcura, & ſuffocata quodammodò phantaſmata imprimi queunt.

Deinde licet phantaſmata ad abſtractionem ſpeciei intelligibilis quandoque ſufficere poſſint; non tamen ad rationis & ratiocinationis uſum. Amplius enim virium, & luminis ad ratiocinandum requiritur, quàm ad ſpeciei abſtractionem, aut quàm ad nudam objecti apprehenſionem, quæ ſolius ſpeciei adjutorio perficitur.

Intellectum quippe ratiocinantem & diſcurrentem ratio inferior (quæ eſt hominis cogitativa) comitari, & ab intellectu in ſequelam trahi debet. Quapropter ſi cogitativa præ nimio cerebri humore nimis pigra ſit, aut in diſcurſu ſuo delirans, intellectûs quoque ratiocinationem depravat.

Pueri tamen ad rationis uſum, ratiocinationem, & conſultationem de rebus ſenſibilibus, quarum ſpecies hauſerunt, citiùs perveniunt, quàm ad boni & mali moralis diſcretionē.

Nam puer primo ætatis quinquennio, quadriennio, imò triennio, diſcurſus ſuos vacillantes & infirmos habet; licet nondum boni, aut mali meriti capax ſit.

Ratio eſt, quia intellectûs agens ſpeciem intelligibilem honeſti vel inhoneſti moralis, ex tam mollibus, ut ſic dicam, & imperfectis phantaſmatibus nondum abſtrahere poteſt. Quæ virtus circa annum ſeptimum, ſiccato pauliſper cerebro, putatur accedere. Vnde ſeptennes pueri vulgò malitiæ & peccati capaces habentur. Ac meritò refellit eos S. Auguſtinus, *qui pueris grandiuſculis peccatum proprium nolunt attribuere, niſi ab anni quartidecimi articulo, cùm pubeſcere cœperint. Quod meritò crederemus*, inquit, *ſi nulla eſſent peccata, niſi quæ membris genitalibus admittuntur.* Et quidem opere externo perpetrata, & conſummata. Nam cogitationibus, & tactibus impudicis multi ante annos pubertatis peccant. S. Auguſt. lib. 10 c. 23. de Geneſ.

Licet autem puer ante ante finem primi ſeptennij re verâ

ratio-

ratione utatur & libera voluntate multa operetur, per antonomaſiam tamen dicitur ad uſum rationis, & libertatis arbitrij perveniſſe, quando ad tantam uſûs perfectionem venit, ut inter bonum & malum morale poſſit diſcernere; & conſequenter arbitrij libertatem in tali materia exercere: quod fit, ut plurimùm, exacto primo ſeptennio. Et idcirco Iura Canonica decernunt, tunc demum validè ſponſalia ab ipſis iniri. *Præſumuntur enim ſeptennes pueri uſum rationis* (hoc eſt, honeſti & inhoneſti moralis diſcretionem) *adepti*, ait Auguſtinus Barboſa, & paſſim Canoniſtæ. Vnde etiam comprehendi incipiunt prohibitione illa Tridentini: *Ingredi intra ſepta monaſterij Monialium nemini liceat, cuiuſcumque generis, aut conditionis, ſexûs, vel ætatis fuerint.* Ætas quippe iſta, annorum uſûs rationis, ſeu diſcretionis intelligitur. Vnde nondum ſeptennes, iſto decreto à ſeptis talium Monaſteriorum non arcentur, ut ex Sanchio & Bonacinâ docet idem Barboſa. *Secùs de illis*, inquit, *qui ad peccandum movere poſſunt, ut ſunt fatui. Qui licet intrando non peccent, peccant tamen Moniales eos admittentes.*

Trid ſeſſ. 25. c. 5.

Auguſtinus Barboſ. lib. 1. c. 44 nu. 94. Iur. Eccleſ.

Quare autem dormientes rationis uſum amittant, & evigilando, in ictu oculi ad eum redeant; eadem fermè ratio eſt, quæ ebrijs & infantibus rationem ligat: vapor nempe & humiditas quæ cerebrum, & cerebri, ad ſenſuum externorum organa, vias replent.

In primis enim, ſi tanta, & tam ſpiſſa vaporis nebula fuerit, quæ non tantùm ſenſus externos, ſed etiam imaginationem liget, *ut nulla appareant phantaſmata; ſicut præcipuè accidit*, ait D. Thomas, *cùm aliquis incipit dormire, poſt multum cibum & potum*; cauſa amiſſi omnis uſûs rationis in comperto eſt; quia ſine phantaſmate nihil poſſumus intelligere.

D. Tho. ibid.

Rareſcente verò vaporis nube, imaginatio in inſomnium reſolvitur; ſed oppletis adhuc ſenſuum externorum canalibus, durat ſomnus.

Cur autem expeditâ tunc dormientis imaginatione, intellectus vigilare, & uti ſuâ ratione nequeat, res ſanè eſt in perplexo: & certiùs per experimentum, quàm per manifeſtam philoſo-

philoſophiam diſcere poſſumus. *Nam illi qui dormiendo ſyllogizant*, ait D. Thomas, *cum excitantur, ſemper recognoſcunt ſe in aliquo defeciſſe*. Sępe etiam inter ſomniandum, quem mortuum ſcimus, quaſi viventé alloquimur; & nomen hominis familiaris notiſſimum, ſomnianti non occurrit, & multa alia in ſomnio conantes meminiſſe, non poſſumus; quæ tamen diſſipatâ ſomni nebulâ, quaſi in luce clariſſima, vigilante intellectu illicò videmus. Sphæra enim animæ ſomniantis valde anguſta eſt, & veluti in ſubterraneo ſpecu, pauca ante oculos noſtros, quaſi ex propinquo videmus; nec quæ undique circumſtant circumſpicimus, ſicut in vigilia ſolemus. Hæret quippe ſomnians in imaginibus memoriæ cerebroque impreſſis, nec eas à rebus ipſis diſtinguit. Vijs enim à cerebro ad ſenſus externos, per quas imaginatio foràs proſpicere jam non poteſt, ſomno interceptis, intentionem ſuam introrſus convertit, & contemplatur ſolum imagines, quas in illo ſuo cerebri conclavi pictas invenit. *Tunc autem ita exprimuntur eædem imagines*, ait S. Auguſtinus, *tanquam foris ſentiantur, non intus cogitentur*. D.Th.ibid. S. Auguſt. lib. 10. c. 6. Trin.

Quia verò imaginatio impeditur, ne per ſenſuum feneſtras foràs proſpicere valeat; intellectus quoque (qui ab imaginatione in operando dependet, & cui imaginatio in iſta proſpiciendi libertate præire deberet) ligatus manet, ne per ampliſſimam activitatis ſuæ ſphæram foràs erumpere, & ut ratio ſuperior operari poſſit. Vnde ſi ſomnijs noſtris (ut plurimis Philoſophis & Theologis videtur) intellectus ſe immiſceat, ad imagines in conclavi imaginatricis clauſas retrahitur, & circa eas præeunte & trahente imaginatione negotiatur. Vnde modo imaginario & brutali operatur. Deinde voluntas talem operationem intellectûs, in appetendo ſequens, non ut appetitus ſuperior, ſed ut inferior, & brutali quoque impetu exilit in amabile ſic ſibi propoſitum.

Quamobrem S. Auguſtinus imaginariam ſomniantis fornicationem negat eſſe peccatum. *Phantaſia*, inquit, *quæ fit in cogitatione ſermocinantis* (de rebus Venereis) *cùm ita expreſſa fuerit in viſione ſomniantis, ut inter illam & veram commixtionem* S. Auguſt. lib 12 c 15. de Geneſ.

corporum non diſcernatur, continuò movetur caro, & ſequitur quod rum motum ſequi ſolet. Cùm hoc tam ſine peccato fiat, quàm ſine peccato à vigilante dicitur; quod ut diceretur, ſine dubio, cogitatum eſt.

Si autem in ſuperiori hac, quam aſſignavi, causâ ligati usûs rationis in ſomniantibus, non totam Lectoris impleverim curioſitatem, non mirabor: neminem enim unquam legi, à quo nihil amplius in hac difficultate ſolvendâ requirerem.

ARTICVLVS X.

An quiſpiam in una materia deſipere, & in alia uti plenâ ratione, ac ſapere valeat.

LOquimur de ijs qui ætate grandiores, ad plenos annos diſcretionis pervenerunt.

Franciſc. Victor. Relect. 13. Victoria, *Omnino puto eſſe impoſsibile*, inquit, *ut quis habeat uſum rationis circa aliquam materiam moralem & non circa omnes. Nam principia moralia ſunt eadem circa omnes materias: ergo qui habet judicium ad principia unius materiæ, iam aliquo modo habet circa omnes. Vt qui iudicat, quòd non eſt nocendum proximo, iam habet principium, quòd non ſit furandum, & quòd non occidendum. Sicut qui ſcit quòd ſyllogiſmi in* Barbara, *ſit bona conſequentia, ſcit hoc tenere in omni materia.*

Deinde, eadem eſt via & ratio ad conſultandum de materia iuſtitiæ, quæ de materia temperantiæ: ergo impoſsibile eſt, ut quis habeat uſum rationis ad conſultandum in materia iuſtitiæ, & non temperantiæ.

Sanch. lib. 1 d. 8. de Matrim. Victoriæ tamen ſententiam refellit Thomas Sanchez: *His tamen minimè obſtantibus*, ait, *credo verius eſſe, inveniri ſæpe delirantes in aliqua ſpeciali materia; ac proinde in illa rationis, liberi arbitrij, meriti, atque demeriti expertes eſſe, ſed naturaliter brutorum inſtar, imaginatione uti. In alijs verò rebus ratione uti, & liberè operari, capaceſque eſſe merendi, & demerendi, ac ſubinde poſſe confiteri, alia ſacramenta recipere, ſponſalia ac matrimonium celebrare.*

Probat autem Sanchez teſtimonio Galeni, qui vitiatâ & delirante per morbum ſuâ imaginatione, narrat tamen judicium

dicium & rationem ſibi conſtitiſſe. Quod & plurimis alijs, ac mihi etiam olim in juventute eveniſſe memini. Imaginatio enim me urgebat, & ferè cogebat, ut ex cubiculo ſuperiori, ubi in ardente febri cubabam, per feneſtram deſilirem: ſed ratio fortiſſimè mirabili luctâ reſiſtebat, & imaginationis errorem ſtultitiamque refellebat.

Exemplo altero ſibi cognito confirmat Sanchez, de paſtore quodam ovium Hiſpano, qui non tantùm in munere paſcendi oves ſapiens ac catus erat; *ſed etiam de Trinitatis ac Incarnationis myſterio interrogatus, neceſſariam pro captu rationem reddebat, peccataque frequenter confitebatur; & denique in omnibus ratione ducebatur, ſi hoc unum excipias: quòd vehementer angebatur, ne ad habitum Monachalem induendum cogeretur. Precabatur autem, & enixè contendebat, ut chirographo aliquo ſibi dato, tutus redderetur, fore ut nullo tempore ad id compelleretur. Illoq; ſibi tradito mirum in modum lætabatur.*

Illuſtre quoque in Auguſtino Nipho, Philoſopho Italo, tot Commentarijs in Ariſtotelem, & alijs ingenij ſui operibus nobili, exemplum.

Is enim ingenio & judicio cætera adhuc ſat validus, *ſuſceptis liberis, & ſeneſcente uxore, ſeptuagenarius ſenex*, ait IOVIUS, *puellæ, citra libidinem, impotenti amore correptus eſt uſque ad inſaniam. Ita ut plerique Philoſophum ſenem atque podagricum, ad tibiæ modos ſaltantem, miſerabili cum pudore conſpexerint.* Paul. Iov. in Elog.

Alia exempla affert Io. Gerſon. *Cognovi quendam tempore meo*, inquit, *qui ingenioſiſſimus erat, & peritus valde in Medicina; qui tandem fugit in nemora occulta, nec ultra comparuit. Sic aliquis exiſtimabat ſe gallum, & more galli cantabat. Alius murilegum, & ſub lectis mures quærebat. Alius imaginans ſe habere cornua in fronte, verecundabatur quotieſcumque videbat ſe inſpici, & frontem tegebat. Alius imaginans ſe habere pedes ferreos, calcabat validiſſimè ſuper terram. Alius ambulare non audebat, phantaſians pedes ſuos eſſe vitreos. Sic ſalvant expoſitores aliqui, quomodo Nabuchodonoſor comedebat fœnum ſicut bos, & cum feris habitabat; quia ſe bovem eſſe phantaſiabatur.* Io Gerſ. de paſſion. animæ. Dan. 5.

Talia ſunt innumerabilia. Nam infinitæ ſunt ſpecies huiuſmodi phanta-

phantaſiarum & melancholiarum, ſecundum traditionem Medicorum. Et in Eccleſiaſtico dicitur, quòd ſtultorum infinitus ſit numerus.

Licet vero Sanchez, ex Fernelio, cauſam talis delirij, aut phreneſis conſtituat *in humore, aut vapore fervent iſſimo in cerebri ſubſtantiam, eiuſq; ventriculos effuſo, cuius impulſu & agitatione mens in falſa quedam & fictitia traducatur*; adhuc tamen obſcurum eſt, quare qui in una materia delirat, in ceteris omnibus non idem ei error mentis contingat. Nam quomodo imaginativæ deliratio, illæsa cogitativa, accidere poſſit, cauſa fortè non adeo recondita eſt: quia forſitan diverſæ potentiæ, ut multis placet, & diſtincta organa ſunt; unde vapor organum imaginatricis, organo cogitatricis intacto ac incolumi, infeſtare poteſt. Sed quá viá eadem facultas cogitatrix, quam rationem inferiorem vocamus, quæ unica eſt, & unicum organum pro omnibus ſuis operationibus habet; in una tamen operatione rectè ratiocinatur & diſcurrit, in altera verò, extra oleas ſic errat & delirat?

Fernel. lib. 5. Pathol. cap 2.

Videtur ſanè iſta diverſitas ſemper, aut plerumque ex aliqua vehementi paſſione oriri? Paſſio enim amoris, odij, metûs, ſpei, iræ, avaritiæ, ambitionis, zelotypiæ, & aliarum id genus, poſtquam frequentatione actuum, aut impotenti vehementiá radicem & vires accepit, imaginationem, & rationem inferiorem ita immutat ac perturbat; ut quotieſcumque illius rei, circa quam paſſio verſatur, ſpecies & memoria occurrit, ratio inferior phantaſmata ſua perversè ordinet, & impetu paſſionis, ratiocinationem in præceps, aut per circulos, per quos non oportet, impellat.

Vnde licet delirus probè ſciat in alia materia frenum ſuæ ratiocinationis & diſcursûs intra gyrum rectæ rationis continere; ubi tamen ad materiam dominantis paſſionis ventum eſt, amittit lineas & metas recti diſcursûs, & aliter hic & nunc judicandum & ratiocinandum eſſe, ei videtur; quia paſſio rationem obnubilat, & in pravum detorquet.

Non tantùm ergo circa materiam, ut Victoria ait, ſed etiam circa materiæ formam delirat. Quaſi ſibi dicat: In alia quidem materia ſic judicandum eſt, in hac verò ſecùs.

Sic maritus zelotypus innumeris, & leviſſimis conjecturis, omni loco, & tempore, uxoris caſtitatem exagitat & ſuſpectat; quas conjecturas in alia materia nullum prorſus habere pondus, probè novit.

Sic Canonicus ille Inſulenſis in Belgio nuper (ex ambitionis & vanitatis afflatu, ut opinor) paſſim conquerebatur, & in Sanctiori ſuæ Majeſtatis Concilio Bruxellæ audientiam, de facta ſibi à Cardinalium Conclavi injuria, poſtulavit: quòd in locum Clementis VIII. ipſe non fuiſſet Rom. Pontifex electus.

Argumentum ejus erat, quod ab ipſo reſcivi, cùm caſu in conſortium ejus incidiſſem: Quia eſſet Canonicus Theologalis Eccleſiæ Collegiatæ immediatè ſubjectæ Rom. Pontifici.

Inde hanc deliram ratiocinationem conſuebat.

Clemens VIII. eſt immediatus Eccleſiæ Inſulenſis Epiſcopus: ille me Vicarium ſuum, ad docendum, vice & auctoritate ſua populum Inſulenſem, conſtituit: ſed Vicarius eſt, morali æſtimatione, eadem perſona cum ſuo principali: ergo Clemente defuncto, remanſi ſolus Eccleſiæ Inſulenſis Doctor ſupremus; nec ullum jam ampliùs ſupra me in tota Eccleſia agnoſco caput. Hinc ulteriùs inferebat, injuriam ſibi grandem factam à Cardinalibus, qui Leone XI. & Paulo V. in Sedem Clementis VIII. inducto, caput novum ſupra ſe in Eccleſia Inſulenſi poſuiſſent. Sed, ut ſupremi & Oecumenici Doctoris (ita enim ſe appellabat) jus ipſi incolume maneret, debuiſſent eum in locum Clementis VIII. toti Eccleſiæ præficere.

Cùm verò diſcurſùs iſtius abſurditatem ei oſtenderemus; ſtultæ tamen ſpei & ambitùs vanitate illectus, ac mente jam evaneſcens, nunquam ab ea avelli potuit; etiamſi in ceteris ſat ſapiens videretur, & Libros, Tractatuſque non ineruditos componeret.

Sed labentibus annis, de malo in pejus, de delirio in inſaniam apertam proficiens, Chriſtum ſe eſſe imaginatus, & palàm profeſſus eſt: unde neceſſe fuit Alexianis, & vinculis

Hippocraticis eum tradere, & coërcere. Sic enim talibus, niſi maturè reſipiant, evenire ſolet.

In principio nondum inveteratæ paſſionis, mentis adhuc ſuæ, libertatis arbitrij, meriti ac demeriti compotes ſunt: ſed *Cùm mala per longas invaluêre moras*, revocari ab inſania non poſſunt: ac tandem ſolâ imaginatione, & ratione inferiori, ut bruta, aut homines ſomniantes, non ratione ſuperiori ducuntur.

Gerſ. ſuprà cit. *Hinc apparet*, ut ſapienter monet Gerſon, *quàm periculoſum ſit homini, dimittere ſe nimis labi & profundari in imaginationes vel phantaſias, præſertim vitioſas, & circa peritura, ſemperq; labentia, ut ſunt beneficia, honores, & divitiæ. Nam cùm generentur habitus ex actibus frequentatis, & habitus cauſent naturaliter, fit ut pondere ſuæ inclinationis ſic immutent imaginativam virtutem, & ex conſequenti, totum hominem; ut neceſſitate quadam trahatur homo, velut brutum, & ſicut fit in illis, quos Philoſophus beſtiales appellat.*

Sic utique verum eſt, quòd omnis imaginatio profundata, habet ſuam inſaniam, vel ebrietatem, & quaſi dæmoniacam paſſionem, ſicut dicit Origenes.

Hæ tamen dæmoniacæ paſſiones plerumque temperiem corporis aliqua etiam parte immutant, aut vapore melancholico, vel bilioſo cerebrum feriunt; ſic ut ex utraque ſimul causâ, morbo ſcilicet corporis, & animi, alteratione cerebri, & paſſionis impetu, rationis uſus uſque ad delirium in tali materia perturbetur.

ARTICVLVS XI.

Quo ſenſu D. Auguſtinus carentiam uſûs rationis in parvulis, dixit eſſe effectum peccati originis.

MUlti, non tantùm Philoſophi, aut Medici, ſed etiam Theologi mirantur, imò compertæ falſitatis accuſant S. Auguſtini doctrinam, qua parvulis, merito peccati originis, ademptum uſum rationis dixiſſe videtur. Quaſi verò infantes in uteris matrum, inquiunt, aut à partu recen-

tes, ſi

tes, ſi ſtatus innocentiæ manſiſſet, illicò rationis uſum adepti fuiſſent.

Negat enim hoc apertè D. Thomas: *Quia in homine*, ait, *eſt ſpeciale impedimentum, propter abundantiam humiditatis cerebri*; quæ naturaliter ſopit puerilem intellectum, & rationis uſum intercipit. D. Tho 1. p. q. 101. a. 1

Quapropter ex regula, quam paulò antè præſcripſerat (*In omnibus aſſerendis ſequendam eſſe naturam rerum; præter ea quæ auctoritate divinâ traduntur, quæ ſunt ſupra naturam*) colligit parvulos, etiamſi primus parens non peccaſſet, naſcituros mente humiditate cerebri ſubmerſâ; quia naturale eſt ſic naſci, nec auctoritate divinâ aliud nobis traditum eſt. Idem 1. p. q. 99. a. 1.

S. Auguſtinus verò dignitatem animæ rationalis, imaginis Dei, & ſpecialem Dei conditoris erga iſtam ſuam imaginem, providentiã perpendens: *In illas ignorantiæ denſiſſimas tenebras*, ait, *ubi anima infantis recentis ab utero (utique anima hominis, utique anima rationalis) non ſolùm indocta, verùm etiam indocilis iacet: quare, aut quando, aut unde contruſa eſt; ſi natura eſt hominis ſic incipere, & non iam vitioſa eſt iſta natura? Cur non talis creatus Adam? Cur ille capax præcepti, & valens uxori & omnibus animalibus nomina imponere?* S. Auguſt. lib. 1. c. 36. de pecc. merit.

Si enim talem ſtatum natura hominis, nullo peccato temerata, initiò flagitaret, in omni individuo, atque adeo in primo etiam ſuo fonte, Adamo, talem creari oporteret: ut ſcilicet poſtquam per omnes ætatum gradus (ut ceteri hodie homines) adoleviſſet, ſcientia & ſapientia tanta ei daretur, quanta capiti, & doctori futuræ ſuæ poſteritatis neceſſaria erat.

Non autem exiſtimo S. Auguſtinum voluiſſe, omnes parvulos in illa plenitudine rationis, & ſapientiæ naſcituros fuiſſe, in qua primus parens eſt creatus; ſed contendere ſolùm, quod ubique contra Pelagianos facit: *Si nullum eſſet contagium primi parentis* (cùm parvuli nullum ſuum proprium habeant) *profectò nulli malo parvuli obſtricti, nihil mali vel in corpore, vel in anima, ſub tanta Dei iuſti poteſtate, paterentur*. Hoc autem ex Scriptura ſacra, & divina revelatione colligitur. Vnde ſi oſtendi poteſt, ignorantiam tantam & tam *horrendam*, S. Auguſt. lib. 2 c 5. contra Iul.

ut lo-

ut loquitur S. Auguſtinus, eſſe quoddam infantium malum, & miſeriam, cenſet, non à natura, ſed à peccato proprio, aut originali deſcendere. *Deus enim*, inquit, *humana, in ipſa conditione naturæ, vitia non infligit immerita.* Ac alibi: *Si detractis animarum peccatis miſeria perſeverat, aut etiam præcedit, rectè deformari dicitur ordo atque adminiſtratio Vniverſitatis.*

Ibid c. 6. Lib. 3. c. 9. de lib. arb.

Notandæ ergo ſunt iſtæ S. Auguſtini phraſes, & exaggerationes: *Profundiſſima ignorantia, Ignorantiæ denſiſſimæ tenebræ, Horrenda ignorantia infantium, Velut ebrietas, non per unam noctem (ſicut quælibet graviſſima ſolet) ſed per aliquot menſes, atque annos paulatim digerenda.* Atque alia id genus, quæ altiſſimum velut ſomnum non naturalem, ſed ex profunda ebrietate opprimentem ſignificant.

S. Auguſt. lib. 1. c. 35. 36. 37. de pecc. merit.

Vnde non negat, ut opinor, S. Auguſtinus vitam infantium in Paradiſo, velut à ſomno quodam naturali, nec longiſſimo, potuiſſe inchoari, donec cauſæ naturales quas Dei providentia diſpoſuerat, humorem puerilis cerebri digeſſiſſent; ſed ſolùm negat ſomnum quendam prolixiſſimum profundiſſimæ & horrendæ cujuſdam ebrietatis. Qualem, non purum & ſincerum ſemen, naturaliſque innocentium parentum temperies induceret; ſed à vitiato, tam per originale peccatum, quàm per proximiorum parentum longas ebrietates, & intemperantias, ſemine, in prolem derivari ſolet.

Nam neque ſomnum quotidianum (quo ſpiritus vitales, animaleſq; naturaliter reparantur) imò nec ſomnia placida à Paradiſi felicitate Auguſtinus arcet; cur ergo vitam parvuli, ex naturali cerebri infantilis temperie, à ſomno quodam tranquillo, nec nimis profundo, aut vitioſo incipere, tantopere renuat? De ſomnis enim, ac ſomnijs Paradiſi ad Iulianum: *Si erat in Paradiſo*, inquit, *viciſſitudo vigilandi atque dormiendi, ubi non erat malum concupiſcendi; tam felicia erant ſomnia dormientium, quàm vita vigilantium.* Tantùm ergo à vita illa beata parvulorum Paradiſi (ſi peccato primi parentis intercepta non fuiſſet) excludit moleſtias & mala tam corporis quam animi, quæ illos infelices reddere poterant: inter quæ non erat carentia usûs rationis tempore ſomni, aut in moderato illo

Lib. 5. c. 10. contra Iul.

quaſi

quaſi ſomno, à quo parvuli vitam inchoaſſent. Cerebrum quippe infantis ex nullo ſuperfluo inquinamento, ſed ex puriſſimo vtriuſq; parentis ſemine, ceteriſque fabricam illam innocentem ingredientibus temperatiſſimum, in primo limine vitæ, placidiſſimo veluti ſomno, ſine dolore aut moleſtia ſopitum non quâdam tanquam inundante ebrietate obrutum fuiſſet: donec evigilante paulìſper per ſingulos ætatis gradus ratione, ad pleniſſimum uſum ejus perveniſſet; & ut de Chriſto loquitur S. Lucas, *profeciſſet ſapientiâ & ætate apud Deum & homines.*

Vnde nihil in hac re, quantum exiſtimo, S. Auguſtinus adverſus S. Thomæ philoſophiam, ſi undique mens ejus circumſpiciatur, videtur contendiſſe.

Denique in hac peccati originis materia, & ijs quæ adhærent, aut circumſtant, ſervandum omnino puto, quod in ſimili de materia gratiæ Dei, ſapienter pronunciat Franc. Suarez: *Non tantùm in rebus, quas Auguſtinus certas exiſtimat, ſed etiam in his omnibus, quæ ſimpliciter tanquam vera, & probabiliora conſtanter, & ubique amplectitur, ſententiam ejus eſſe præferendam: niſi communis Patrum, vel Eccleſiæ auctoritas obſtare videatur: quod rarò, vel nunquam continget. Nam ſi alicubi id occurrerit, explicandus erit Auguſtinus potius, quàm reprobandus.* Suar. Prolog. 6. c. 6. de grat.

Rationem hujus ſui judicij paulò antè depromit: *Quia tot annis, tantâ diligentiâ, & inſtantiâ; & quod caput eſt, tot Dei donis & auxilijs præditus, pro divina gratia tuenda & explicanda* (addo ego, & pro peccato originis adſtruendo) *laboraverit.*

Nemo quoque divinam, erga animam rationalem & humanum genus, providentiam ſublimiùs & eminentiùs contemplatus fuit, & profundiùs penetravit; totamque hominis ſtantis & lapſi œconomiam, & quid Deus in uno, vel altero ſtatu decreviſſet, diligentiùs ac ſtudioſiùs perluſtravit.

CAPUT V.

De varietate operationum intellectûs.

VBi intellectus paſſibilis ſpeciem intelligibilem, ab intellectu agente, ex phantaſmate hauſtam accepit, ſtatim ſimplici apprehenſione ad idem objectum ſe vertit; deinde ad judicandum, ſi ita videtur, aut etiam ad circa illud idem ratiocinandum, ſe evolvit.

Simplex apprehenſio vocatur prima mentis operatio, judicium ſecunda, ratiocinatio tertia. Secunda enim operatio ſupponit primam, & tertia ſecundam. Nam antequam intellectus judicet, apprehendere debet extrema propoſitionis; ratiocinatur autem & diſcurrit ab judicio uno ad alterum.

Id autem quod per apprehenſionem, vel judicium in mente producitur, vocatur verbum: *quia eſt quædam ſimilitudo intellectu concepta de re intellecta, quam voces exteriores ſignificant*, ait S. Thomas. Vnde etiam vocatur conceptus; *quia in verbo noſtri intellectûs*, inquit alibi, *invenitur ſimilitudo rei intellectæ*; videlicet tanquam parentis ad ſobolem. Verbum enim eſt quaſi conceptus quidam & τέκνον τοῦ νοῦ *proles mentis*, ut Plato ait: quæ ab objecto, ſive à re intellecta, per ſpeciem quodammodo ſeminatur. Species verò utero mentis excepta, germinat verbum, tanquam conceptum prolemque, objecto ſeminanti ſimilem.

S. Thom. lib. 4. c. 11. contra Gent. Idem 1. p. q. 27. a. 2.

Plat. in Phileb.

S. Auguſt. lib. 9. c. 12. Trin.

Pulchrè enim & concinnè S. Auguſtinus: *Liquido tenendum eſt*, inquit, *quòd omnis res, quamcumque cognoſcimus, congenerat in nobis notitiam ſui. Ab utroque enim notitia paritur, à cognoſcente, & cognito.*

Vnde notitiam vocat quoque *partum & prolem mentis*. Inde eſt, inquit, ut pro *invenire*, utamur verbo *reperiendi*. *Nam quæ reperiuntur quaſi pariuntur, & proli ſimilia ſunt. Vbi, niſi in ipſa notitia? Ibi enim quaſi expreſſa formantur. Nam etſi iam erant res, quas quærendo invenimus; notitia tamen ipſa non erat, quam ſicut prolem naſcentem deputamus.*

Res ergo paritur, cùm in ſuo proprio eſſe primùm producitur;

ducitur; quando verò perdita reperitur, in ſui notitia, & conceptu mentis quaſi reparitur, ſive denuo paritur.

ARTICVLVS I.

In quo ſimplex apprehenſio intellectûs à judicio differat.

PRima operatio intellectûs non ideo ſimplex apprehenſio vocatur, quia objectum ejus ſemper ſit res ſimplex. Poſſumus enim etiam rem complexam ſimplici apprehenſione attingere: ut quando rem per propoſitionem ultimò ſignificatam, priùs apprehendimus, quàm ei per judicium aſſentiamur.

Ideo ergo apprehenſio, ſimplex apprehenſio appellatur, quia externam quaſi objecti (ſive complexi, ſive incomplexi) quaſi ſuperficiem tantùm luſtrat ibique hæret, non tendit ulteriùs & intrat per aſſenſum, vel diſſenſum.

Vnde apprehenſio eſt ſolùm noſcitatio quædam, & inchoata cognitio; quam judicium aſſenſu, aut diſſenſu ſuo complet. Nam ideo D. Thomas dicit, *Iudicium eſſe completivum cognitionis*. D.Tho.1.2. q. 173.a. 2.

Philoſophi tamen quidam recentiores, judicium nihil aliud eſſe volunt, quàm cognitionem intrinſecè compoſitam ex nudis prædicati, ſubjecti, & copulæ apprehenſionibus.

Sed nunquam potui ipſis aſſentiri. Experientiâ enim ipsâ videntur mihi refelli. Nam ſi ſupra actus noſtros nos attentè reflectamus, experiemur, credo, nos aliter longè affici, cùm objectum aliquod nudè apprehendimus, & cùm de eo judicamus, & ſententiam ferimus.

Iudicando enim, annuimus, aut abnuimus rem ita ſe habere: quorum neutrum facimus, quando ſimpliciter tantùm rem illam apprehendimus, & contemplamur.

Quod ex ἐποχῇ & ſuſpenſione judicij Pyrrhoniorum & Academicorum patet; qui omnes propoſitiones apprehendebant quidem & luſtrabant, ſed ſuſtinebant, aſſenſum aut

 diſſen-

diſſenſum, ne judicando errarent. In ſolo enim judicio eſt propria veritas aut falſitas, in nuda apprehenſione, neutra.

Diſcrimen quoque ex diverſo effectu oſtendi poteſt. Sola enim objecti practici apprehenſio nondum movet voluntatem; judicium verò practicum movet ad agendum. Qui enim tantùm apprehendit quid agendum, & nondum judicat agendum eſſe, nondum ſe movet.

Vaſq. 1.2. d. 39. c. 5. Vnde non ſemel miratus ſum illud ſubtilis aliàs Vaſquij: *Ego*, inquit, *nunquam intelligere potui, aſſenſum eſſe actum intellectûs diſtinctum ab apprehenſione extremorum in propoſitione, cum ordine convenientiæ unius ad aliud; aut ab apprehenſione clara, in propoſitionibus evidentibus; aut ab apprehenſione obſcurâ, in propoſitionibus ſola opinione notis, & creditis.*

Falſum quoque mihi videtur, quod multi dicunt: Apprehenſionem propoſitionis objectivæ ſemper fieri cum ordine ad voces, aut ad alia ſigna, quibus objectum illud ſignificatur. Nam ſæpe, ſine ulla cogitatione de vocibus aut ſignis, dubitando de veritate propoſitionis objectivæ, objectum illud apprehendimus, antequam in aſſenſum, aut diſſenſum ejus nos reſolvamus.

Poſſunt ergo apprehenſio, & judicium circa idem omnino objectum verſari; ſed nihilominùs diſtincti ſpecie actus erunt, quia diverſis ſpecie modis tendunt in objectum idem. Nam judicium affirmativum eſt mentalis quidam nutus, quo intellectus annuit copulæ talium extremorum: judicium negativum eſt abnutus, quo abnuit, & quaſi diſſolvit illam copulam. Apprehenſio neutrum facit, ſed quantum in ſe eſt, ſuſpendit, & quid judicandum, adhuc quaſi deliberat.

Sed eſtne neceſſe judicium intellectûs ex pluribus conceptibus ſubjecti, prædicati, copulæ complexum eſſe?

Non exiſtimo. Poſſumus enim uno ſimplici actu, copulæ inter talia extrema annuere, aut abnuere. Cadit verò talis actus ſuper utrumque extremum ſimul, quæ affirmando conjungit, aut negando diſiungit. Simplicitas quoque aſſenſûs probari poteſt ex Ariſtotele, qui aſſenſum intellectûs comparat voluntatis amori, & diſſenſum odio. Amor autem, quo

Ariſt. lib. 6. c. 2. Ethic.

quo voluntas inclinat ſe bono, & odium quo refugit à malo, ſunt actus non compoſiti, ſed ſimplices.

Differunt etiam apprehenſio & judicium cauſis proximis efficientibus. Nam apprehenſio mediante ſpecie intelligibili talis objecti elicitur; judicium ex naturali lumine potentiæ intellectivæ immediativè funditur.

Circa cognitionem enim humanæ mentis, duo oportet conſiderare, ait D. Thomas *ſcilicet acceptionem, ſive repræſentationem rerum, & judicium de rebus repræſentatis.* Atque porrò, repræſentationem, ſive apprehenſionem rerum, quæ per judicium copulantur, fieri per ſpecies intelligibiles è phantaſmatibus hauſtas; *judicium autem*, inquit, *humanæ mentis fit ſecundum vim intellectualis luminis.* Materia ergo judicij ſubvehitur intellectui è phantaſmatibus; lumen verò intellectûs eam diſponit, & partes inter ſe ordinat, ac poſtremò aſſenſu eas affirmat, aut diſſenſu quaſi diſſipat. D. Thom. loco cit.

Pari modo ratiocinatio, qua intellectus ab antecedente ad conſequens diſcurrit, non eſt proximè artificium ſpeciei intelligibilis, ſed opus luminis humanæ mentis.

An autem conceptus apprehenſivi externorum cooperentur lumini intellectûs phyſicè & efficienter, ad eliciendum judicium aſſensûs, res in ancipiti eſt.

Magis inclinor, ut negem. Quid opus enim multiplicare cauſalitates phyſicas, ubi res ſine iſtis, æquè, aut belliùs, cum ſola ſimplici determinatione, expediri poteſt?

Intellectus enim à conceptibus v. g. animalis, & hominis, ſine ullo adjutorio phyſicæ cauſalitatis, ſatis determinatur ad judicium, quo hominem eſſe animal judicat. Deinde oporteret dicere, in uno conceptu hominis v. g. eſſe vim phyſicæ cauſalitatis ad eliciendos infinitos aſſenſus, & diſſenſus ſpecie & genere toto diverſos. Infinita enim prædicata, aut ſubjecta per aſſenſum, vel diſſenſum cum homine conjungi poſſunt: quos omnes ſimplex conceptus hominis cum intellectu phyſicè producet. Sicut enim hunc aſſenſum, Homo eſt animal; ita iſtum diſſenſum, Homo non eſt lapis &c. phyſicâ cauſalitate efficere debebit. Incredibile verò eſt, in quolibet

ſimplici mentis conceptu tantam ad res diverſiſſimas & ſyncategorematicè infinitas phyſicè producendas, ineſſe efficaciam.

Simili de cauſa, nec in tertia operatione mentis, ſive diſcurſu, exiſtimo judicium antecedentis phyſicam cauſalitatem exercere in judicium conſequentis. Intellectus enim ab aſſenſu antecedentis, citra cauſalitatem phyſicam, ſufficienter ad aſſenſum conſequentis determinatur.

Deinde ſæpe aſſenſus majoris, aut utriuſque præmiſſæ antecedentis, jam evanuit, eo temporis momento, quo intellectus conſequenti aſſenſum præbet. Cauſa verò actu non exiſtens, nihil phyſicè operari valet.

Hoc denique diſcrimen inter judicium & apprehenſionem intercedit: quòd judicium motivo aliquo propriè indigeat, nec ſine ratione aliqua, rationale lumen intellectûs, in aſſenſum vel diſſenſum ſe inclinare poſſit. Apprehenſioni verò eliciendæ (quæ eſt ſimplex objecti repræſentatio, ſine nutu vel abnutu) ſpeciem in intellectu impreſſam habere ſufficiat. *Homo enim non poteſt aſſentiri huic*, *Aſtra ſunt paria*, inquit Io. Major, *niſi habeat rationem ad aſſentiendum. Ad quod eſt experientia, & auctoritas Philoſophi Lib. 2. de Anima, ubi ait, Imaginari poſſumus, cùm volumus; opinari autem non poſſumus, cùm volumus.*

Io. Major. in Prolog. 4

Re vera enim experimur, nos non ex corde, & animi noſtri ſententiâ aſſentiri talibus propoſitionibus, *Aſtra ſunt paria*, vel, *Arenæ maris ſunt pares;* quando nulla omnino ratio aſſentiendi potiùs, quam diſſentiendi occurrit. Vnde qui dicit ſe aſſentiri, ore tantùm hoc dicit, non mente; adeoque mentitur, inquit Major. Voluntas enim non magis poteſt cogere intellectum ad aſſenſum, ſine ullo intrinſeco, vel extrinſeco motivo, quod aliquo modo oſtendat hoc verum eſſe; quàm cogere valeat potentiam viſivam, ut videat rem nullo colore, aut lumine tinctam. Verum enim dicitur eſſe objectum aſſensûs intellectûs, quemadmodum color & lumen objectum viſûs.

ARTI-

ARTICVLVS II.

Quomodo ſcientia, opinio, fides, ſuſpicio, dubitatio inter ſe diſtinguantur.

Scientia generatim eſt aſſenſus evidens. Vocatur etiam ſpecialiter intellectus, ſive intelligentia, quia tunc demum rem propriè intelligere dicimur, cùm ſic ſe habere, evidenter cognoſcimus. Opinio eſt aſſenſus ex ratione tantùm probabili. Vnde infirma eſt, & formidoloſa. Poteſt tamen opinans, ex pertinacia, aut temeritate, actu non formidare. Fides generaliter eſt aſſenſus elicitus propter teſtantis auctoritatem. Si auctoritas divina eſt, dat aſſenſui majorem certitudinem, quàm ratio ſcientifica etiam evidentiſſima. Licet enim certitudo, à cernendo derivata ſit, quia propoſitionis evidentis certitudo eſt illuſtrior; certitudo tamen divinæ fidei eſt immobilior. Simile fermè eſt S. Bernardi inter illa tria diſcrimen.

Intellectus, ait, ſive ſcientia, *rationi innititur, fides auctoritati, opinio ſolâ veriſimilitudine ſe tuetur. Habent illa duo certam veritatem, ſed fides clauſam & involutam, intelligentia nudam & manifeſtam.* S. Ber. lib. 5. c. 3. de Conſiderat.

Ceterùm opinio, certi nihil habens, verum per verſimilia quærit potiùs, quàm apprehendit.

Et quia in rebus Chriſtianæ fidei periculoſum eſt, hos actus inter ſe confundere: *Omnino*, inquit, *in his cavenda confuſio: ne aut incertum opinionis fides figat* (ut in hæreticis, qui opiniones ſuas pertinaciter, tanquam certos & fixos fidei Articulos defenſant;) *aut quod firmum fixumque eſt fidei, opinio revocet in quæſtionem* (ut faciunt illi, etiam Catholici, qui anticipatarum ſuarum opinionum amore, Articulos fidei jam olim fixos, ingenio ſuo ventilant, & in partes ſuas labefactando incurvare laborant.)

Et hoc ſciendum, addit Bernardus: *Quia opinio, ſi habet aſſertionem temeraria eſt* (non enim formidat de oppoſito:) *fides, ſi habet hæſitationem, infirma eſt* (& proinde, ne fides quidem divina

divina jam eſt.) *Intellectus, ſi ſignata fidei tentet irrumpere reputatur effractor, ſcrutator maieſtatis.* Tales ſunt quicumque fidei Chriſtianæ abdita myſteria, ad ingenioli ſui lucernulam, tanquam in claro meridie cernere volunt.

Altero etiam hôc diſcrimine ea ſeparat D. Bernardus ibidem. *Opinio poteſt*, ait, *putari intellectus.* (Si videlicet ſpeciem ſcientiæ mentiatur : ſicut orichalcum à non acuté cernentibus poteſt videri aurum) *Intellectus opinio putari non poteſt.*

Vnde hoc accidit? Profectò, inquit, *quia opinio falli poteſt. intellectus non poteſt. Aut ſi falli potuit, intellectus non fuit ſed opinio. Verus nempe intellectus certam habet, non modò veritatem, ſed notitiam veritatis.* Qui enim ſcit, novit etiam ſe ſcire. Scientia enim in anima, ut ſcintilla quædam lucet: aut ſi tenebris involuta apparet, jam probabili tantùm & incertâ ratione niti videbitur, & certitudine illâ carebit, quâ ſcientem firmare deberet ; ideoque ſcientia non eſt.

Hoc denique inter ſcientiam, ſeu aſſenſum objecti evidentis, & intér opinionem fidemque illuſtre diſcrimen eſt. Quòd evidentia objecti, intellectum illicò in aſſenſum neceſſariò rapit : opinio autem & fides expectant imperium voluntatis.

Sicut enim apertis oculis admotum in clara luce colorem neceſſariò cernimus, niſi tota intentio animi ſit averſa, & occupata circa objectum aliud ; ita intellectus à voluntate directè retineri nequit, quin objecto clare ſibi oſtenſo annuat. Et hoc, puto, verum eſſe experientia nobis dicet, ſi eam conſulamus.

Cic. lib. 4. Acad.

Certè tamen apud Ciceronem teſtatur Lucullus: *Vt enim neceſſe eſt*, inquit, *lancem in libra ponderibus impoſitis deprimi ; ſic animū perſpicuis cedere.* Opinio verò & fides, quia non objecti veritatem nudam, nec in cute, ut ſic dicam, ſuâ expoſitam cernunt ; ideo non ſtatim ad primam apprehenſionem intellectui aſſenſus ſuus eripitur, ſed expectare animæ oportet impulſum, qui fit per voluntatem. Et hinc eſt, ut aſſenſus divinæ fidei requirat in voluntate, piæ affectionis imperium, quo voluntas in obſequium fidei captivet intellectum.

Sed

Sed nonne tamen res in nebulâ ante oculos noſtros poſita, tam neceſſario cernitur, quàm ſi in clariſſimâ luce collocaretur?

Fateor. Sed non ideo illicò & neceſſariò extorquetur intellectui aſſenſus rei, cujus veritas in nebula illa latet; ut, ſitne id quod per nebulam ambulat, equus, an homo? Apprehenſio tamen imaginationis noſtræ, imò intellectûs, neceſſitate quadam naturali, ex apprehenſione visûs, introrſus reſultat & conſequitur. Attamen intellectus adhuc ſuſtinet ultimum aſſenſum, quod eſt cognitionis apprehenſivæ complementum, ut ex S. Thomâ Artic. præced. eſt dictum.

Intellectus tamen, illo etiam caſu, aſſenſum aliquem præcipitanter & neceſſariò elicit; nempe, aliquod corpus eſſe, quod nebulâ involutum ante oculos noſtros ſtat, aut movetur. Hoc enim verum eſſe, nebuloſum non eſt, ſed clarum intellectui ac manifeſtum.

Suſpicio opinioni vicina eſt, ſed infirmior. Eſt enim aſſenſio animi levibus indicijs fulta.

Dubitatio verò carentiam determinati aſſensûs in alterutram partem ſignificat. Hoc ideo dubium negativum appellatur: quia licet utrimque vacillet, in neutram tamen partem cadit. Si verò in unam partem cadat, cum formidine de oppoſito, dubium affirmativum vocant. Sed iſtud, propriâ ſignificatione, dubium non eſt, ſed poſitivus & opinativus quidam aſſenſus.

Qui enim propriè dubius eſt, utrimque anceps & ambiguus ſuſpenſuſque manet.

Et tamen etiam qui in unam partem opinatur, nomen dubitantis adhuc retinet, propter infirmitatem aſſensûs, & formidinem de veritate oppoſiti. Hinc enim fit, ut intellectus nondum ſtabiliter in illam partem defixus ſit; ſicut defigitur, quando vel evidentiâ ſcientiæ, vel certitudine divinæ fidei eſt firmatus. Nam ideo apud Græcos ἐπιςήμη *ſcientia*, & πίςις *fides*, ἀπὸ τῆς ςάσεως *à ſtabilitate* nomen ſuum derivant: *quia noſtram in rebus ſiſtunt & ſtabiliunt mentem*, ſi Clementi Alexandrino credimus. Clemen. Alexand. lib. 5. Strom.

Quamdiu verò tantùm opinamur, dicimur adhuc *hæſitare*
Iac. 1. (Græcè, διακρίνεσθαι *in utramque partem diſceptare*, ut S. Iacobus loquitur) *& ſimiles eſſe fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur.* Qui enim tantùm opinatur, meritò diſputat adhuc, & rationes, aut motiva inveſtigat, quibus ſe in hanc, vel alteram partem ſtabiliat, & omni ſedato fluctu, ſi fieri poteſt, omnino conquieſcat.

CAPUT VI.

De voluntate.

Voluntas eſt appetitus rationalis. Rationem enim ducem habet; ſicut appetitus ſenſitivus ſenſum interiorem. Omnis quippe appetitus cæcus eſt, & aliqua cognitione indiget, quæ præeat ei viam, & oſtendat
S. Auguſt. lib. 8 c. 4. & lib. 10. c. 1. Trin. quid appetendum. *Quis enim diligit quod ignorat?* rogat S. Auguſtinus. Et alibi iterum: *Certè enim amari aliquid, niſi notum, non poteſt.*

Et ut à diſcipulo ejus Bernardo alicubi ſcriptum memini: Non poſſumus magis incognitum amare, quàm ſuper inane pingere.

Talis quippe eſt natura voluntatis, aut animæ ſub facultate illâ amantis, ut vitali appetitione ſe effundere non poſſit, niſi in bonum, quod intellectu ſibi quaſi ex oppoſito, & ante oculos conſtituit.

ARTICVLVS I.

Sed quomodo igitur Theologi Myſtici dicunt, Voluntas intrat, ubi intellectus foris ſtat?

Videtur ergo in incognitum ferri voluntas, & amore ſuo penetrare, quouſque intellectus foris ſtans, facem ei non præfert. Nam quando divina quadam caligine, inquiunt, involutus *intellectus caligat, & à ſuo actu ſuſpenditur,*

ſuſpenditur, tunc voluntas maximè agit, ait præclariſſimus ille Archiepiſcopus Bracharenſis, & Hiſpaniarum Primas. *Ideo*, inquit, *Bonaventura dicit, enitentibus ad unitivum amorem, intellectuales conceptiones fugiendas eſſe. Exiſtens autem verè in hac caligine, cum ardentiſſima voluntatis dilectione, dicitur eſſe in ultima diſpoſitione ad unitivum amorem, & unionem paſſivam, ac amorem fruitivum.* Et antea: *Quamdiu intellectus poſitivis conceptibus intentus erat, vis illa voluntatis affectiva ita arctabatur, ut extra cogitationis præſcriptos limites progredi non poſſet; & cùm conceptus imperfectè oſtenderent, quid Deus eſſet, voluntas minùs liberè ac perfectè amabat, conceptibus tantummodò ſe coaptans. Expulſis verò conceptibus, libera remanet voluntas ad ingrediendum pelagus illud divinæ bonitatis, efficaciſſimis actibus amoris. Et ideo dicimus voluntatem aſcendere, quò intellectus pervenire non valet.* Barthol. de Martyr. in Compend. doctr. ſpirit. Part. 2. c. 17.

Ac deinde objectans ſibi quod ſuprà nobis objecimus, *Quomodo intellectu ab omni actu & conceptu erga Deum ſuſpenſo, poſſit voluntas liberè actui dilectionis inſiſtere?*

Reſpondeo, inquit, *intellectum in ea exiſtentem caligine, non omnino manere otioſum. Sed cùm expellat omnes poſitivos conceptus, manet in quodam negativo conceptu longè illis perfectiori: videlicet incomprehenſibili, inconceptibili, inintelligibili.*

Ex qua doctrina patet, intellectum illa caligine circumfuſum, non ab omni omnino actu feriari, ſed confuſum quendam rei incomprehenſibilis, aut inintelligibilis conceptum poſitivum elicere; quem Myſtici *negativum* appellant, quia objectum ejus eſt negatio; quæ non quid Deus ſit, ſed quid, aut qualis non ſit, ſignificat.

Non amat ergo tunc voluntas omnino incognitum, ſed quod ſub negatione incomprehenſibilitatis clauſum latet; etiamſi intellectus in illud profundum non penetret, nec aperiat voluntati quid, aut quale in ultimo ſuo receſſu ſit.

Aliquando tamen ex illo clauſo infiniti luminis arcano radij quidam, veluti per rimas emicant: ſed, quia *in apice intellectûs, per ſplendidiſſimam increatæ lucis irradiationem, ſine admixtione phantaſmatum*, ut ait Carthuſianus, *hoc fit*; dicere alijs, quid viderint, non poſſunt: quandoquidem lumine illo Dion. Carthuſ. Act. 7.

 purè

puré intellectuali omnis phantaſmatū umbra conſumpta, aut tam tenuis relicta fuerit, ut res viſa nequeat per illam depingi, ad captum eorum, qui ſimile quid nunquam ſunt experti.

Si denique ea, quibus Myſtici ex obſcuris & perplexis iſtis utcumque ſe explicant, attentè inſpiciantur, voluntas profectò non profundiùs in Dei arcana intrat, quàm intellectus, ſed foris etiam manet; & ante januam ſtans, ut ſic dicam, amat quod intus clauſum latet. Quid enim amat? Certè aliquod ens infinitum, incomprehenſibile, quale intellectus ei repreſentat.

Sicuti ergo in futura & beata vitâ, ùtraque potentia intrat; quia intellectus clariſſimâ & beatificâ viſione, voluntati prælucet, eamq́ue introducit; ita in hujus vitæ miſeria, intellectus obſcurâ ſuâ laternâ voluntatem etiam præit & uſque ad januam adducit; nec voluntas duce ſuo ibi relicto, intrat ſola, ſed uterque foris in nocte expectat, donec beatæ æternitatis illuceſcat dies. Propter tria tamen, ut opinor, voluntatem ſolam in has tenebras intrare imaginamur.

Primùm, quia voluntas in objectum ſuum aliter fertur, quàm intellectus. Effundere enim ſeipſam dicitur, & quaſi ruere in complexum boni amabilis. Unde meritò cogitatur in clauſa & obſcura illa rerum divinarum irrumpere, ut ſe illi ſummo & inintelligibili bono conjungat. At verò intellectus rapit in ſe ſpeciem objecti, ut apud ſe illud noſcitet. Secundò, quia diſtinguere & componere, ait D. Thomas, ad intellectum pertinet; ideoq́ue ad cognitionis ejus perfectionem ſpectat, *ut cognoſcat ſingulatim quidquid eſt in re; ſicut partes, virtutes, & proprietates. Amor verò voluntatis reſpicit rem, ſecundum quod in ſe eſt.*

D. Th. 1. 2. q. 27. a. 2.

Tertiò, quia amor excedit menſuram cognitionis intellectûs. Nam ex tenui quandoque & frigida cognitione intellectûs, accenditur in voluntate magnum incendium amoris. Ut proinde, non à tali cognitione tenuiter, & ex longinquo Deum ſpeculante, iſta flamma accendi videatur; ſed ex propinquitate ipſius objecti infinitè amabilis, in quod voluntas ſe quaſi abjicit, & in quo quandoque, tanquam cera in igne, liqueſcit.

ARTI-

ARTICVLVS II.

Judicium, & quidem practicum, in intellectu requiritur, ut voluntas ſe moveat, nec nuda apprehenſio ſufficit.

SI Philoſopho credere, & acquieſcere vellemus, res confecta eſſet.

Negat enim judicium ſpeculativum eſſe principium motûs in animalibus; quia tale judicium non verſatur circa aliquid practicum & agibile: aut, ſi circa tale quid verſetur, οὐ κελεύει φεύγειν, ἢ διώκειν, *non præcipit fugere illud, aut proſequi.* Vnde voluntas non ſe movet. Quod experientiâ probat. Nam ſæpe, inquit, quædam terribilia cogitamus, & tamen non magis fugimus, aut terremur, quàm ſi ea in picturâ contemplaremur; quia appetitus ea fugere non præcipit. Propter eandem rationem poſtea dicit: *ſcientificum non movet.* Ariſt. lib. 3. c. 9. de Anima. Ibid. c. 11.

Si autem aſſenſus ſcientificus, etiam in ſcientijs practicis, qualis eſt ſcientia de moribus, non movet ad operandum, niſi imperium quoddam accedat; multo minùs nuda objecti practici, citra aſſenſum, apprehenſio movere poterit.

Quod etiam experimento uniuſcujuſque confirmat Bellarminus. *Nemo enim eſt*, ait, *qui, ſi ab eo quæratur, cur aliquid agat, non reſpondeat, Quia iudico ita eſſe faciendum.* Bellar. lib. 3. c. 8. de grat. & lib. arb.

Verè quoque & Peripateticè Cajetanus: *Apprehenſio*, inquit (ſumit autem apprehenſionem late, ut etiam judicium comprehendat) *requiſita ad hoc, ut voluntas appetat aliquid, non eſt quæcumque cognitio (alioqui intellectio ſpeculativa ſufficeret; cujus oppoſitum habetur in Lib. 3. de Anima;) ſed eſt cognitio judicans, & præcipiens hoc eſſe appetendum. Nunquam enim aliquis aliquid appetit, quod non judicat appetendum, judicio ſubito, vel deliberato, expedito, vel impedito &c. Nunquam etiam aliquis judicata appetenda eſſe eliget, niſi imperet ſibiipſi animus appetendum eſſe.* Cajet. 1. 2. q. 77. a. 2.

Alias enim profecto virtus prudentiæ, quæ Ariſtoteli ἐπιτακτική *præceptiva*, & imperioſa eſt actuum voluntatis, neceſſaria minime foret; contra Philoſophos morales, & expreſſam S. Thomæ ſententiam, qui ait, *Semper cum actu vir-* D. Tho. 1. 2. q. 74. a. 4. ad 2

tutis moralis, qui perficit vim appetitivam, eſſe etiam actum prudentiæ, qui perficit vim rationalem.

Talis igitur eſt naturalis conditio voluntatis, ut, quia cæca eſt & imprudens, ſuſpendatur, nec moveat ſe, donec conſiliarius ejus, intellectus judicet id eſſe faciendum. Quod in appetitu brutorum proportionaliter ſuum etiam habet locum. Nam quamdiu bruta aliquid ſibi noxium phantaſticá contemplatione, & quadam veluti admiratione (ut cervus venatoris arcum ſagittaſque, ſicut Plinius narrat) citra judicium practicum de fugiendo, conſiderant, nondum movetur eorum appetitus, ut pedibus imperet fugam; ſed tunc demum, ubi judicat eſſe fugiendum. Ac quamvis tale judicium irrationale, informe, imperfectum, indeliberatum, & à ſolo naturæ inſtinctu præcipitatum ſit; aliquid tamen ultra nudam apprehenſionem eſt. Vis à S. Thoma audire? *Ovis*, inquit, *fugit lupum, ex quodam judicio, quo exiſtimat eum ſibi noxium*. Et poſtea: *Quædam agunt judicio, ſed non libero; ſicut animalia bruta. Iudicat enim ovis videns lupum, eum eſſe fugiendum, naturali iudicio, & non libero, quia non ex collatione, ſed ex naturali inſtinctu hoc iudicat. Et ſimile eſt de quolibet iudicio brutorum animalium.*

Plin. lib. 8. c. 32.

D. Tho. 1. p q. 59. a. 3

Idem 1. p q. 83. a. 1.

Similia quoque ſunt infantium, fatuorum, & actuum primò primorum practica judicia. Subito enim velut naturæ inſtinctu ac impulſu emicant & præcipitantur, non molli & libero voluntatis imperio effunduntur.

Hinc D. Thomas negat talia agentia habere liberum arbitrium; quia judicium ultimò practicum (quod arbitrium quoddam eſt, quo intellectus arbitratur & practicè judicat hoc faciendum eſſe) naturali ac neceſſario impulſu, ab appetitu velut extruditur, non à voluntate libera imperatur. In hoc tamen judicio practico brutorum, imperium etiam quoddam naturale, tumultuarium, & impetuoſum appetitus agnoſcit Ariſtoteles. *Nam & phantaſia*, inquit, *quando movet, non movet abſque appetitu.*

Ariſt lib. 3. c. 10. de Anima.

Vbi autem anima rationalis liberè operatur, non ſolùm actus voluntatis formaliter liber eſt, ſed etiam arbitrium illud

illud intellectûs,quo ultimò decernitur,hoc eſſe faciendum, à voluntate libera imperatur.

Quod inde evidenter patet,quia actus virtutis prudentiæ, quæ elicit tale judicium practicum, eſt liber; non autem formaliter, ut putavit Durandus, ergo imperativè.

Deinde hæc vera eſt ratio, cur affectus vitioſæ voluntatis dicitur corrumpere prudentiam intellectûs: imperando videlicet intellectui pravum & imprudens judicium practicum, quo judicat eſſe faciendum, quod faciendum non eſt. Sic voluntas incontinentis imperat intellectui ſuo, ut contra rectam rationem judicet & decernat, eſſe hìc & nunc fornicandum.

Tertiò, objectum talis judicij practici (nempe, hoc eſſe faciendum) in pleriſque humanis negotijs non eſt evidens, nec ex aliquo antecedente per evidentem conſequentiam infertur; ergo intellectus hærebit, nec ad tale judicium eliciendum determinabitur, niſi à voluntate imperetur; ſicut in alijs judicijs inevidentibus ſpeculativis fieri ſolet. Cajet. 1. 2. q. 77. a. 2.

Meritò igitur Cajetanus: *Cùm prudentiæ ſcientia*, inquit, *ſit in intellectu, ut ſubeſt voluntati, rectitudo rationis non ex evidentia terminorum ad rationem abſolutè, ſed ad rationem motam à recto appetitu, dependet. Vnde in 6. Ethic. dicitur, quòd verum intellectûs practici* (quo ſcilicet practicè judicamus,hoc eſſe faciendum, aut omittendum) *eſt conformiter ſe habens appetitui recto.* Ariſt. lib. 3. c. 110. de Anima.

Nec ſolùm in Libris Ethic. ſed Lib. 3. de Anima Ariſtoteles: *Appetitus*, inquit, *eſt principium practici intellectûs. Vltimum verò* (id eſt, judicium ipſum ultimò practicum) *eſt principium actionis*. Ex iſto quippe judicio practico, electio voluntatis, & actio externa propinquiùs fluit, quàm ex appetitu, qui illud judicium practicum imperat.

Vtrum autem voluntas, ut judicium ultimò practicum intellectui liberè imperet, alio judicio practico ſuperiori indigeat, res perplexa apparet.

Si enim alio indiget; ergo iſtud aliud judicium practicum iterùm imperabitur à libera voluntate. Hoc verò imperium voluntatis, rurſum altero judicio practico voluntatem determinante

terminante indigebit. Et cùm omne judicium practicum à voluntate imperari debeat; & tamen voluntas alio priori ad imperium illud eliciendum, judicio practico ſemper egeat; dabitur progreſſus in infinitum, inter actus intellectûs & voluntatis. Nam ante quodlibet judicium practicum intellectûs, præcedet actus voluntatis; & rurſus ante quemlibet actum voluntatis anteibit aliud judicium practicum intellectûs. Hanc infinitam catenam acutè prævidens, & metuens Durandus, ſtatuit non ſolam voluntatem in actibus ſuis elicitis, ſed intellectum quoque, in iſto judicio ultimo practico eliciendo, formaliter liberum eſſe. Sic enim ad iſtius judicij practici libertatem, neceſſe non erit, ut à libera voluntate imperetur, ſed ſuam libertatem (& quidem formalem, non tantùm imperatam) habebit à ſua potentia intellectiva, à qua elicitur.

Durand. in 2. d. 24. q. 3

Sed tam procul extra Scholæ Peripateticæ oleas aufugere, neceſſe non fuit.

Si enim judicium practicum liberum eſt, ideo hoc eſt; quia anima vult ipſum elicere. Vult autem, non certè intellectu, ut ſic, ſed voluntate; ſive interim intellectus & voluntas ſint potentiæ diſtinctæ à ſubſtantia animæ, ſive non. Igitur formalis libertas in ſolo actu voluntatis, non in judicio intellectûs, ut ſic, debet conſtitui.

Vnde anima per voluntatem liberè vult, ſibiq́ue imperat elicere judicium practicum, non per eandem voluntatem, ſed per intellectum; ſi intellectus ſit potentia animæ (quod multi Philoſophi negant) diſtincta reipsâ ab animâ & voluntate. Non indiget autem voluntas, ad hoc volendum, alio judicio practico priori, ſed ex ſolo judicio ſpeculativo bonitatis objecti, poteſt ſe determinare; propter peculiarem conditionem & officium talis judicij practici: de quo eliciendo non inſtituitur ulla conſultatio, ſed obiter tantùm intercurrit, tanquam medium & inſtrumentum concludendi conſultationem, quæ de medij alicujus electione fuit inſtituta. Quæ veritas, quia caliginoſa, & quodam veluti perplexo actuum intellectûs & voluntatis nodo involuta & abſcon-

abſcondita eſt, aliquo raptim exemplo evolvi debet. Vt ſi quis conſultationem inſtituat, an pedes, an equo, an curru, Lovanio Bruxellam proficiſci velit, & majorem currûs commoditatem eſſe judicaverit: ex hoc judicio ſpeculativo anima per voluntatem illicò impellet ſeipſam, ut per intellectum eliciat hoc judicium ultimò practicum, Ergo iter curru faciendum eſt. Vnde mox eadem anima iterùm, per voluntatem medium iſtud eliget, dicetque ſibi, Volo curru vehi Bruxellam.

Hîc autem nulla conſultatio initur, An anima per voluntatem velit impellere ſe, ut per intellectum eliciat hoc judicium practicum, Iter curru faciendum eſt: ſed tantùm conſultatur, An currus eligendus ſit. Et ideo judicium practicum, quod finire debet conſultationem, meritò proximè interponitur ante electionem quâ voluntas currum eligit. Actus autem, quo voluntas intellectui judicium practicum imperat, & ipſum judicium practicum, ita ſimul convolvuntur, ut habeantur quaſi unus idemque actus, qui viam ad electionem proximè ſternat: nec ulla de tali actu voluntatis, judicium practicum imperante, initur conſultatio.

Atque hæc eſt ratio, quare hos duos actus, in unum ſic quaſi convolutos, re verâ unicum ſimplicem actum eſſe Durandus exiſtimaverit; & ideo intellectum in eliciendo judicio iſto practico eſſe formaliter liberum dixerit. Cùm tamen judicium practicum libertatem iſtam non à ſeipſo, & quatenus ab intellectu elicitur habeat; ſed ab actu voluntatis obiter & raptim ei permixto & implicito. Et quiſque, niſi fallor, veritatem iſtam in perplexitate ſpinarum mentis ſuæ deliteſcentem introſpiciet, ſi attentè & acutè in eas oculum defigat.

ARTICVLVS III.

Ariſt lib. 3. cap. 11. de Anima.

An verum ſit iſtud Ariſtotelis: Voluntatem in electione ſemper eligere quod majus eſt.

HOc eſt, quod Hierony: Dandinus, hunc Ariſtotelis locum enarrans, ait: *Sicut bonum ubique ſectamur, ſic pluribus bonis propoſitis, maius ſemper bonum eligimus, minoriq; anteponimus.*

S.Tho 1.2. q. 13. a. 6.

Quid ſi igitur æqualia proponantur, ad quod voluntas ſe vertet? Reſp. S. Thomas: *Circa alterum conſiderabitur aliqua conditio, per quam emineat, & magis flectatur voluntas in ipſum, quàm in aliud.*

Cajet. ibid.

Sed quid ſi iterùm, utrumque tam ſimile & par ſit, quàm ovum ovo, quomodo intellectus inveniet in uno quod emineat? *Voluntas tamen non arctabitur ad neutralitatem*, nec perplexa ſuſpenſaque manebit, ait Cajetanus: quia ſi *eminentiam* in altero non inveniat, *apponet*. Excogitando videlicet motiva & rationes, & eas imponendo illi lanci, quam præponderare volemus.

Nihil etiam in doctrina S. Auguſtini ferè vulgatius, quàm voluntatem noſtram non amare, niſi quod eam delectat, & è duobus ſemper illud præferre, quod delectat magis. In illam enim partem voluntas judicium practicum, & mox electionem ſuam inclinat.

S. Auguſt. in Epiſt. ad Galat.

Nam *quod magis nos delectat*, ait apertè, *ſecundum id operemur, neceſſe eſt.*

Et ibidem iterùm: *Si ex adverſo conſiſtant duo, præceptum juſtitiæ, & conſuetudo carnalis, & utrumque diligitur, id ſectabimur quod ampliùs dilexerimus.* Addit deinde: *Si tantundem utrumque diligitur, nihil horum ſectabimur; ſed aut timore inviti trahemur in alterutram partem; aut ſi utrumque æqualiter etiam timemus, in periculo, ſine dubio, remanebimus* (inter unius & alterius mali fugam utrimque ſuſpenſi;) *fluctu dilectionis, & timoris alternante quaſſati.*

Hinc

Hinc jam intelligimus, quare in conflictu carnis & ſpiritûs, partem illam ſemper victricem eſſe dicat Auguſtinus, à quâ delectatio major ſtat. Et hominem poſſe tunc eſſe ſine peccato, *ſi nihil eorum quæ pertinent ad iuſtitiam nos lateret, & ea ſic delectarent animum, ut quidquid aliud voluptas, ſive dolor impedit, delectatio illa ſuperaret.* Idem lib. de ſpir. & litt. cap. 35.

Conſentit quoque alibi S. Thomas. *Illud enim*, inquit, *ad quod mens magis ſe habet, eligit; niſi per rationis diſcuſsionem ab eo abducatur.* S. Thom. lib. 3. c. 16. contra Gent.

Tunc enim in alteram partem apponit aliquid, ut antè dicebat Cajetanus, quo tollatur æqualitas, & partem illam præponderare faciat.

In hujus etiam Philoſophiæ Peripateticæ baſi ſtat illa ſententia D. Anſelmi: *Angeli Beati adepti ſunt quidquid potuerunt velle: nec iam vident quod plùs velle poſſint; & propter hoc peccare nequeunt.* Si enim aliquid viderent & judicarent amabilius Deo, amorem ſuum eò verterent. S. Anſel. lib. de caſu Diab. c. 6.

Non me fugit tamen, quàm multi hodie aliter philoſophentur, & actum de arbitrij libertate putent, niſi voluntas in æquilibrio inter duo undique æqualia penſilis (nullâ acceſſione ex parte intellectûs hàc, aut illàc adjectâ) valeat ſe determinare: imò etiam, niſi quod minus judicatum eſt, poſſit reiecto maiori, amplecti.

Sed contrariam quæ Ariſtotelis, S. Auguſtini, S. Thomæ eſt, ſententiam, ex Recentibus Bellarminus & Vaſquez egregiè defenſant. Et indicat, credo, divinus Pſalmiſta; Pſal. 18. ubi cum ceciniſſet, Dei mandata, *deſiderabilia eſſe ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & favum*; probat hoc à poſteriori, & iſto ſigno: *Etenim ſervus tuus*, inquit, *cuſtodit ea.* Quaſi dicat: Eminentia iſta dulcedinis inde probatur, quòd ſancta ſervi tui voluntas ea auro & melli, id eſt, omnibus creatis voluptatibus in amore anteponat.

Probat verò Bellarminus, voluntatem præmiſsâ conſultatione, ſemper neceſſariò, ſive infallabiliter eligere id quod intellectus judicaverit, omnibus perpenſis eſſe altero utilius, aut commodius:

Bellar. lib. 3 c. 8. de grat. & lib. arb.

Quia voluntas non poteſt aliquid velle, niſi precedente iudicio rationis: ergo ſi iudicium ſit indeterminatum & ipſa erit indeterminata, ſi iudicium determinatum ſit, & ipſa determinata erit. At iudicium practicum eſt omnino determinatum. Dicit enim tunc ratio: Hoc nunc, omnibus conſideratis, eſt faciendum. Igitur voluntas neceſſariò eliget id quod ultimum iudicium practicum determinavit eſſe eligendum.

Ac deinde probat ab abſurdo contrariæ opinionis. *Nam ſi cùm iudicium eſt planè determinatum ad unum, voluntas poßit aliud eligere aut illud non eligere, nulla reddi poterit ratio, cur voluntas aliud non judicatum elegerit, aut iſtud iam iudicatum non elegerit. Atque ita dabitur electio ſine iudicio, & actio ſine objecto, quod fieri non poſſe, iam oſtendimus.*

Experientia quoque idem conſtare dicit. *Nemo enim eſt,* inquit, *qui ſi quæratur ab eo, cur aliquid agat; non reſpondeat, Quia iudico ita eſſe faciendum.*

Et cùm ſibi objeciſſet, quòd quis poſſet *contra determinationem ultimi iudicij practici eligere, ut oſtendat ſuam libertatem: Reſpondeo,* ait, *Hoc ipſum tunc futurum ultimum iudicium practicum. Omnibus conſideratis, bonum mihi eſt nunc contra rationem agere, ut me liberum eſſe demonſtrem.*

S. Ber. lib. de lib. arb.

Atque hoc eſt plane quod ingenioſè olim dixit S. Bern. *Habet voluntas, quòcumque ſe volverit, ſemper rationem comitem. Non quòd ſemper ex ratione, ſed quòd nunquam abſque ratione movetur.* Nam etiam, quando contra rationem ſe movet, novâ aſſumptâ ratione id facit, & præveniendo judicium practicum ex priori ratione concipiendum, aliud ſubſtituit, quod voluntas in eligendo ſequitur, & executioni mandat.

Vaſq. 1. 2. d. 43. c. 2.

Eandem ſententiam ex definitione electionis probat Vaſquez. Nam dicitur *id eligi*, inquit, *quod ex deliberatione antè poſitum eſt.* Finitâ enim deliberatione, intellectus ante voluntatem quaſi ponit illud medium, quod tanquam maximè conveniens eligere debeat. Vnde Ariſtoteles dicit *eligibile* eſſe aliquid certum & ἀφωρισμένον *definitum.*

Ariſt. lib. 3. c. 5. Ethic.

Hæc quoque Euſtratij Interpretis Ariſtotelis, Gregorij Nyſſeni, Io. Damaſceni ſententia, ut Vaſquez oſtendit, & re verâ

re verâ omnium veterum Peripateticorum una & conſentiens eſt.

Nec tamen propter unicum iſtud *eligibile definitum*, quod unico judicio ultimo practico, intellectus omnibus conſideratis, ante voluntatem ponere debet, ut ipſa eligat, timuerunt illi veteres, ne voluntas non liberè eligeret: manifeſto jam argumento, eos aliter naturalem voluntatis noſtræ libertatem intellexiſſe, quam faciant hodie illi, qui judicium hoc Peripateticum ultimò practicum, tanquam humanæ libertatis hoſtem & ſuffocatorem, tanto impetu oppugnant, & nulli deliberationi intervenire volunt.

ARTICVLVS IV.

Quid illa delectatio, quam ad actum volendi neceſſariam eſſe S. Auguſtinus tam ſæpe affirmat?

DOctrinam quandam S. Auguſtini valde ſolemnem, & per omnia Scripta ejus reſperſam, nempe (*Non amari, niſi quod delectat*) cum doctrina judicij practici ſuperiori, in copulam & conſenſum reducere, operæ fortaſſe pretium erit; ne Auguſtinus à S. Thomâ & Ariſtotele, in caligine iſta operationum humanę mentis videatur diſſentire. Certè enim nec Ariſtoteles, nec S. Thomas, aut Scotus, vel alius Scholaſticorum ſolet in rebus morum, aut in operationibus voluntatis, principium illud operandi tam ſolemniter, & ferè ubique inculcare. S. Auguſt. Ser. 17 de verb. Apoſt.

Quis enim animo amplectitur, ait alibi Auguſtinus, *quod eum non delectat?* Et poſtea: *Voluntas, niſi aliquid occurrerit quod delectet, atque invitet animum moveri* ad amandum, *nullo modo poteſt*. Atque alibi, *Tunc bonum concupiſci incipit, quando cœperit dulceſcere*. Et Commentarij ejus præcipuè in Pſalmos, hujus mellis dulcedine toti ſunt reſperſi. *Niſi Deus pluerit, quid prodeſt quod ſeminatur? Hoc eſt, Dominus dabit ſuavitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.* Et ſimilia, ubi non? Lib. 1. q. 2. ad Simplic. Lib. 2. c. 2. ad Bonif. In Pſal. 84.

Quid ergo mel illud delectationis eſt, per omnia amabilia tam densè, & universè reſperſum?

In primis, non exiſtimo (quòd quidam Philoſophi) delectationem qualitatem aliquam eſſe, quæ ab objecto delectabili, per intellectum apprehenſo, dimanet in voluntatem, & eam quaſi confricet atque titillet, jucundeque afficiat, ut eam ſic ad ſe amandum proritet.

Nam in Ariſtotelis, S. Thomæ, & S. Auguſtini Schola, delectatio, actus vitalis eſſe debet; quem non tantùm voluntas patiatur, ſed etiam efficiat, Aliàs enim erit veluti mel linguæ calloſæ & inſenſibili ſuperfuſum, quod linguam nullo ſenſu afficit; quia illud non deguſtat, nec ullo vitali actu attingit.

Deinde notandum, non loqui paſſim S. Auguſtinum de delectatione illa ſtrictè ſumpta, quæ eſt propriè fruitio, & quies quædam appetitús in fine adepto. De qua ipſe intelligitur, quando ait: *Cùm pravus eſt amor, vocatur cupiditas vel libido; cùm autem rectus, dilectio vel charitas. Amore enim movetur, tanquam ad locum quò tendit. Locus autem animæ non in ſpatio aliquo eſt, quod forma occupat corporis, ſed in delectatione, quò ſe perveniſſe per amorem, lætatur. Delectatio autem pernicioſa ſequitur cupiditatem, fructuoſa charitatem.* In Pſal. 9.

Talis igitur delectatio eſt fruitio, ſeu lætitia quædam jucundo in complexu finis, ad quem, tanquam ad centrum pondere ſuo amor tendebat.

Sed mel illud delectationis, quod omnibus actionibus delectabilibus S. Auguſtinus aſpergit, multo latiùs patet; nec tantùm bonitati adepti finis, ſed etiam intentioni abſentis & ſperati; ac omnibus univerſim actionibus, per quas ad finem tendimus, adhæret.

Omnis quippe actio operantem delectat, quæ affectui ejus congruit.

Delectat, inquam, obiter, ſaltem & velut in tranſitu ac fugâ; licet plena fruitionis quies tantùm ſit in fine.

Docet igitur S. Auguſtinus, voluntatem noſtram guttâ ſaltem aliquâ melleæ hujuſmodi delectationis tangi oportere, ut hoc quaſi guſtulo invitata, totum amoris poculum hauriat.

Sed cujuſmodi eſſentiæ eſt iſte delectationis actus?

Reſp.

Reſp. S. Auguſtini philoſophiam à S. Thomæ, & Ariſtotelis, ut puto, hîc non diſcordare. Igitur amor quidam mollis ac dulcis, alicujus boni concupiti in omni actu delectationis intrinſecè includitur, & permiſcetur; ſicut favus cum melle ſuo.

Dixi, *boni concupiti*; quia ex reſpectu concupiſcentiæ ad bonum, quod nobis, aut alteri ex amicitia volumus, amor rationem & dulcedinem illam delectationis imbibit, ut Vaſquez ſubtiliter animadvertit. Delectamur enim in bono, quod alicui volumus. Vaſq. 1. 2. d. 14. c. 4.

Et hinc D. Thomas, Ariſtoteles, & ipſe S. Auguſtinus, delectationem ex amore (videlicet amicitiæ) tanquam priore, naſci interdum dicunt. De nutrice enim cum parvulo ſuo balbutiente loquens Auguſtinus: *Num enim delectat*, inquit, *niſi amor invitet, decurtata & mutilata verba immurmurare?* S. Auguſt. lib. de catechiz. rudib. cap. 10.

Vnde quia amorem quendam boni concupiti in qualibet delectatione immerſum eſſe exiſtimat, hinc delectationes appetitûs tam inferioris quàm ſuperioris, amores, aut deſideria ſæpe appellat, & utrumque appetitum adverſis delectationibus concupiſcere dicit, quotieſcumque oppoſitis amoribus & deſiderijs compugnant. Et quando appetitus ſuperior, gratia Dei armatus vincit: *Eſt delectatio iniquitatis in corpore*, inquit, *ſed maior eſt delectatio voluptatis verbi ſapientiæ, & præcepti Dei.* In Pſal. 35

Et ne putares, delectationem vocari amorem, vel concupiſcentiam, ſenſu non formali, ſed cauſali tantùm; explanans alicubi verſum iſtum: *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis &c. Quid aptius*, inquit, *intelligitur* (nomine dulcedinis, ſive delectationis iſtius) *quàm ipſa, de qua loquimur, cupiditas boni?* Et alibi magis ex profeſſo; cùm de natura quatuor principalium paſſionum animæ (quæ ſunt cupiditas & metus, delectatio & triſtitia) diſſereret: *Voluntas*, ait, *eſt in omnibus, imò omnes nihil aliud quàm voluntates ſunt. Nam quid eſt cupiditas & lætitia* (ſive delectatio) *niſi voluntas in eorum conſenſionem, quæ volumus? Et quid eſt metus atque triſtitia, niſi voluntas in diſſenſionem ab his quæ nolumus?* Pſal. 20. Lib. 2. c 9. ad Boniſ. Lib. 14. c. 6. Civit.

Itaque

Itaque ubi intellectus voluntati rem aliquam amabilem objecit, & eandem voluntatem judicio practico ad rem illam ſuavi velut oſculo diſſuaviandam inclinavit; voluntas delectationem primam elicit, id eſt, dulci quodam concupiſcentiæ amore quaſi eam delibat, & oſculo attingit.

Quia verò natura peccato primi parentis depravata, affectûs ſui incontinens facta eſt, ideo lubrica, futilis, præceps, & indeliberata jam eſſe ſolet iſta prima amoroſa delectatio, ſive amor delectans. Eſt enim tanquam feſtinati cujuſdam amoris abortus.

Verùm tamen, quia natura nihil fruſtrà in lucem erumpere ſinit, iſtâ abortivâ delectatione, tanquam inſtrumento utitur, ad inclinandam voluntatem in ulteriorem, plenum, deliberatumque conſenſum erga illud objectum quò prima & ſubita delectatio præcucurrit. In naturæ tamen integræ ſtatu, ubi nulli repentini, & primò-primi motus, ſed omnes animi affectus ſic erant in habenis, ut nullus effugere geſtiret ante imperium voluntatis; non erant ulli præcipites, & irriti ejuſmodi delectationum fœtus: ſed primus etiam omnium, qui ex objecto delectabili immediatè concipiebatur, perfectus & tranquillà libertate maturus effundebatur. Quales etiam aliquos ex nobis exiſtere, in hoc perdito ſtatu, nihil vetat; quando pedetentim & circumſpectè ad aliquid amandum, & in eo delectandum accedimus.

Sed quomodo igitur tunc verum eſt illud Auguſtini: *Non amatur, niſi quod delectat*; ſi nihil indeliberatæ delectationis, ſubitæque complacentiæ, liberum amoris actum antevertit? (Ser. 17. de verb. Apoſtol.)

Reſp. Quandoquidem prima delectatio ſit etiam amor quidam dulcis, ut ex S. Auguſtini doctrina antè diximus; non debet, nec poteſt talis amor (ſive liber, ſive indeliberatus ſit) originem ducere ex priori amore, ſive delectatione, quæ voluntatem ad talem amorem pellexerit. Primus enim amor non eſſet, ſi alium priorem ante ſe haberet. Amatur tamē etiam tunc id quod delectat; ſed quod delectat iſto ipſo primo amore, qui delectatio quædam, & ſimul amor eſt, ut jam dictum fuit. Vel certè, ſi delectationem aliquam illo

amore

amore priorem & antiquiorem invenire oportet; aſſignari ſolùm poterit delectatio objectiva, quæ, per metonymiam, delectatio quoque & voluptas appellari ſolet. Hæc autẽ objectiva delectatio nihil aliud eſt, quàm delectabilitas & bonitas objecti, qua objectum delectationem formalem, amoremque in voluntate parit.

Plerumque autem S. Auguſtinus, in explicanda divinæ gratiæ efficaciâ, utitur iſtâ voluntatis divinitus immiſsâ delectatione: ut ſit ſpiritalis dulcedinis veluti quidam ros, quo concupiſcentiæ malus ardor extinguatur. Et quia delectationem illam nihil aliud eſſe cenſet, quàm actum, & veluti radium quendam divinæ charitatis; eum infundi *per inſpirationẽ flagrantiſſima, & luminoſiſſimæ charitatis*, dicit. Deinde ſententiam iſtam celebrem Apoſtoli: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*, de charitate iſta actuali, quæ eſt delectatio cæleſtis, & medicinalis gratia Salvatoris, ſæpiſſimè exponit. Atque eam aut *dilectionem*, aut *delectationem* paſſim & promiſcuè appellat. *Benedictio dulcedinis, eſt gratia Dei*, ait, *qua fit in nobis, ut nos delectet & cupiamus, hoc eſt, amemus quod præcipit nobis*. Et poſtea vocat *inſpirationẽ dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus; quæ propriè*, inquit *gratia eſt*.

Lib. de grat. Chriſti cap. 35.
Rom. 5.
Lib. 2. c. 9. ad Bonif.
Lib. 4. c. 5. ad Bonif.

Quando autem interdum dilectionem & delectationem iſtam, *ſuavitatem ineffabilem* nominat; non vult iſto divinæ gratiæ melle totam contrariæ concupiſcentiæ amaritudinem ſemper dilui, & illicò evaneſcere (quod ſanè fieri non ſolet, niſi quando cæleſtis illa dulcedo à vertice animæ in inferiorem concupiſcentiæ vallem ſenſibiliter deſſuit;) ſed vult hoc interdum fieri; aliàs verò miris & ineffabilibus alijs modis, Deo adjuvante, vincere & ſupereſſe. Nam ſæviente non rarò partis inferioris maximâ tempeſtate, ubi unica, ut ſic dicam, cæleſtis olei gutta, concupiſcentiæ fluctibus involuta & ſuffocata videtur; emergit tamen, ac in ſupremum animę apicem recepta, inferioris partis tumultus ex alto quaſi deſpicit, & leni ac tranquillâ quadam activitate digerit & diſſipat; aut in culmine illo & gradu ſuo ſe tenens, expectat, donec tempeſtas ſuo conflictu ſeipſa quaſi frangat, & conflacceſcat.

Lib. de grat. Chriſti cap. 13.

Quòd verò S. Auguſtinus non ſemper exigat illam delectationẽ eſſe magnitudine, & quadam dulcedinis profuſione *ineffabilem*, inde patet; quia tantam ſolùm poſtulat, quanta ad efficaciter volendum eſt neceſſe. *Certum eſt*, inquit, *nos mandata ſervare, ſi volumus. Sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit, ut volendo faciamus. Certum eſt, nos velle, cùm volumus; ſed ille facit, ut velimus bonum. Certum eſt, nos facere, cùm facimus; ſed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati: qui dixit, faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis, & faciatis.*

Lib. de grat. & libero arb. cap. 16.

Ac alibi ad ſuum Auditorem: *Interrogo*, infit, *Vtrùm ames iuſtitiam? Reſpondebis, amo. Quod non reſponderes veraciter, niſi te aliquatenus delectaret. Non enim amatur, niſi quod delectat.*

Ser. 17 de verb. Apoſtol. c. 3.

Sufficit ergo Auguſtino, ut bonum *aliquatenus* delectet: eatenus videlicet, ut voluntatem in ſuas partes flectere valeat, ſive, *ut tantum delectet, quantum diligendum eſt.* Vnde quando alicubi dixit: *Quod ampliùs nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt*; amplitudo iſta & exceſſus delectationis, non in majori diffuſione, ſenſibilitate, & titillatione cordis; ſed in majori virtute, & operandi efficacitate conſiſtit. Vnde cùm David contra concupiſcentiam ſuam pugnans clamaret, *Et tu Domine uſquequo?* vice Domini Auguſtinus reſpondet: *Quouſque probes, quia ego ſubvenio. Si enim citò ſubvenirem, luctamen non ſentires. Si luctamen non ſentires, tanquam de tuis viribus ſuperbires; & per iſtam ſuperbiam, nunquam ad victoriam pervenires.* In qua lucta ſanè patet, plus ſenſibilis anxietatis, quàm delectationis miſceri.

Lib. de ſpirit. & litt. cap. 35

In Expoſ. Epiſt ad Galat.

Ser. 3. de verb. Apoſt.

CAPUT VII.

De libero arbitrio.

IN confeſſo jam ferè apud omnes eſt, Liberum arbitrium non eſſe aliam animæ facultatem, quàm voluntatem; quæ ſola formaliter libera eſt. Sed tamen, quia non in omni actu ſuo libertatem ſuam exerit, diſtinguendi ſunt actus liberi, à non liberis; ut intelligamus, quorumnam actuum comparatione, liberum arbitrium vocari poſſit.

In qua materia ita verſabor, ut intra Philoſophiæ purè naturalis & Peripateticæ cancellos me contineam, nec Sanctiſſimorum

ctiſſimorum Pontificum decretis vetitam tractari, divinæ gratiæ & liberi arbitrij concordiam attingam.

ARTICVLVS I.

Voluntatis actus in ſomnijs, infantiâ, amentiâ, ebrietate, motibus primò-primis, perfecti judicij defectu, liberi non ſunt.

INter ſomniandum, actus aliquos intellectûs & voluntatis interdum miſceri, probabile antea diximus. Certè enim ita S. Thomas cenſuit: *Per modum enim quo ſenſus ſolvitur & imaginatio in dormiendo*, inquit, *liberatur judicium intellectûs; non tamen ex toto.* D. Tho. 1. p. q. 84. a. 8. ad 2.

Si autem inter dormiendum ſolvatur ex parte judicium intellectûs, conſequenter, dimidiatâ quaſi face, voluntati prælucere poteſt, ut ipſa ſe utcumque movere, & aliquid appetere valeat. Quòd alibi etiam D. Thomas apertiùs dixit: *Vſus enim liberi arbitrij*, inquit, *ſequitur iudicium rationis, & ideo uſus liberi arbitrij, per quem voluntas in Deum convertitur, in dormiendo ſufficiens eſſe non poteſt quia, etſi ſit aliquis motus voluntatis, magis ſequitur phantaſiam, quàm iudicium completum rationis.* Idem q. 28. a. 3 de Verit. ad 6.

Nam phantaſia ſomniantis, intellectum ſecum rapit, intellectus verò voluntatem. Vnde phantaſia mediante intellectu raptat voluntatem, ſicut phantaſia eadem appetitum inferiorem huc illuc immediatè vexat & agit.

In eadem ſententia eſt S. Auguſtinus, dum caſtiſſimorum hominum voluntates, inter ludibria ſomniorum, turpidini interdum conſentire conqueritur apud Deum, & deplorat; etſi ullum hinc peccatum imputari neget. S. Auguſt. lib. 10. c. 30. Confeſſ.

Rerum, ait, *imagines, quas ibi* (in memoria) *conſuetudo mea fixit, & occurſant mihi vigilanti quidem carentes viribus, in ſomnis autem non ſolùm uſque ad delectationẽ, ſed etiam uſque ad conſenſionẽ, factumq́; ſimillimum. Et tantum valet imaginis illuſio in anima mea, ut dormienti falſa viſa perſuadeant, quod vigilanti vera non poſſunt. Nunquid tunc ego non ſum, Deus meus? Et tamen tantum intereſt inter meipſum & meipſum, intra momentum quo hinc ad ſoporem tranſeo, vel huc inde retranſeo.* Et pergit interrogans & mirans, quomodo ratio turpitudinem illam permittat. *Vbi tunc eſt*, inquit,

ratio, quâ vigilans animus talibus ſuggeſtionibus reſiſtit, & ſi res ipſæ ingerantur, inconcuſſus manet? Nunquid clauditur cum oculus? Nunquid ſopitur cum ſenſibus corporis?

Sicuti autem rationis perfectus uſus, & libertas voluntatis brevi ſomno quotidiano in nobis ſopiuntur; ita in infantibus longiori aliquot menſium, aut annorum ſepeliuntur.

Idem accidit in profunda ebrietate. Vbi enim phantaſmatum nubes quaſi involvunt lumen rationis, & imaginatio intellectum regit, neceſſe eſt judicia intellectûs eſſe imperfecta, & ſimilia judicijs imaginativis; & proinde voluntatem à talibus judicijs ſic agi & præcipitari, quemadmodum appetitus inferior ab aurigâ ſuo, imaginatione ſolet; id eſt, inſtinctu, & impetu quodam, non ex electione, aut liberè.

Iul. Scalig. & Andr. Laur lib. 4. q. 1. Quod docti etiam & elegantes Medici non ignorant; cùm *Dormientiũ, & infantiũ, ac brutorũ voluntates* οὐ κατὰ προαίρεσιν non ab electione, ἀλλὰ κατὰ ὁρμὴν ſed ab inſtinctu *exiſtere*, dicunt.

Ariſt lib. 3. c. 4. Ethic. Denique τὰ ἐξαίφνης *repentina*, ut Ariſtoteles appellat, ſive motus primò-primi, qui inſtar volucrium famulorum, excurrunt antequam totum domini ſui imperium acceperint, liberi etiam non ſunt; quia ante perfectum arbitrium, ſive judicium rationis evolant: *cùm tamen homo per arbitrium rationis, ſit actuum ſuorum dominus*, ait S. Thomas.

S.Tho. 1. 2. q. 158. a. 2. ad 3. Comparatione igitur talium actuum, voluntas liberum arbitrium vocari non poteſt; quia in illos non perfectâ ſponte ſe demittit, ſed inſtinctu impetuque naturali, ut appetitus brutorum, præcipitatur.

Habent autem iſti motus primò-primi à ſenſibus noſtris initium. Quia enim objectum aliquod ſenſibile, vel ſpecies ſenſibilis in theſauro memoriæ aſſervata, ſubitò imaginationem impellit; ſimilis quoque motus reſilit in intellectum; ac deinde concutit voluntatem. Quod facilliùs evenit, quando in voluntate eſt habitus & pronitas in illam partem. *Vnde ex repentinis*, ait S. Thomas, *ſignum interioris habitûs præcipuè accipi poteſt.*

S.Th. lib 3. c. 160. contra Gent.

Suar. lib. 3. c. 4. n. 16. de Angel. In Angelis verò, ubi nulla imaginatio, nullus internus vel externus ſenſus eſt, qui ſimili aliquo impulſu intellectum ex impro-

improviſo concutere & vibrare valeat, nullos etiam motus primò-primos agnoſcere ſolent Theologi.

In omnibus autem illis ſupradictis ſomniantium, infantium, amentium, ebriorum, & repentinis voluntatis motibus, eſt ſpontaneum quoddam imperfectum, ſicuti in brutis; quorum judicia turbulenta, & impetus, homines illi imitantur. Tale verò ſpontaneum ad libertatem minimè ſufficit. Vnde Philoſophi & SS. Patres modum agendi brutorum opponere ſolent modo agendi humano & libero.

Homo ad volendum judicio rationis inclinatur, ait S. Thomas, *non impetu naturæ, ſicut bruta*. Et alibi: *Animalia bruta & plantæ non habent vitam rationalem, per quam à ſeipſis agantur, ſed ſemper aguntur quaſi ab alio, naturali quodam impulſu*. Quod ab Ariſtotele ſumptum eſt, cùm dixit: *Nullum inanimatum agere dicimus, neque etiam ullum animatum, præter hominem.* S. Th. lib. 1. c. 88. contra Gent. Idem 1. 2. q. 64. a. 1. Ariſt. lib. 1. c. 12. magn. moral.

Et S. Bernardus: *Carentia ratione animalia ſenſu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu*. Et S. Auguſtinus: *Anima rationalis, voluntatis arbitrio vel conſentit viſis, vel non conſentit: irrationalis autem non habet hoc judicium; pro ſuo tamen genere atque natura, viſo aliquo tacta, propellitur*. Quo autem modo non ſe agat, ſed quaſi ab alio propellatur, infrà enarrabitur. S. Ber. ſer. 81. in Cant. S. Auguſt. lib. 9. c. 14. de Geneſ.

ARTICVLVS II.

Stante etiam perfecto judicio rationis, voluntas divino, fatali, Stoico, aut Manichæo impulſu ſic præcipitari poſſet, ut actus ejus non foret liber.

IVdicio rationis vigilante, & imperturbato, Deum rapru, aut impulſu quodam violento poſſe voluntatem creatam ſic præcipitare, ut actus non remaneat in ejus poteſtate, nec liberè efluat, ſed more actionis naturalis, extrudatur, multis argumentis, adverſus Vaſquium, & quoſdam alios, contendit Suarez Prolog. 1. de Gratia. Suar. Prolog. 1. c. 4. ſ. de Grat.

Idem Theod. Smiſing noviſſime probat: *Quia Deus habet ſupremum in omnem cauſam ſecundùm imperium, longè efficacius, quàm habeat potentia ſuperior in inferiorem, & potentia in habitum* Theod. Smiſing. Tract. 3. d. 2. §. 111. de Deo.

 ſuam.

ſuum. Ideoque ſi potentia ſuperior determinet & neceſsitet inferiorem ad exercitium actûs potentiæ inferioris, & potentia determinet & neceſsitet habitum ſuum ad exercitium actûs communis utrique; multo magis Deus poteſt neceſsitare voluntatem ad exercitium ſui actûs, ad quem Deus concurrit immediatè.

Hoc autem faceret Deus concurſu aliquo extraordinario, Sot. lib. 1. c. 16. de nat. & grat. rapiendo voluntatem in alteram partem, *ceu brutam pecudem*, ut loquitur Dom. Sotus: raptum videlicet illum appetitui pecorino naturalem, transferendo in hominis aut Angeli voluntatem, ut eam ſimili modo ſubigat, & ſervire faciat, quo raptus ille ſubigit pecudis appetitum.

Et hôc modo negat S. Ioan. Damaſcenus omnia prædeterminari à Deo, quando ait, *Omnia quidem præcognoſcit Deus, non autem omnia prædeterminat*. Nam ut D. Thomas interpretatur: S. Th. 1. p. q. 23. a. 1. *Damaſcenus nominat prædeſtinationem, impoſitionem neceſsitatis; ſicut eſt in rebus naturalibus, quæ ſunt prædeterminata ad unum.* In quem ſenſum Damaſcenum in Opere contra Gentes iterùm interpretatur.

Chaldæi quoque ita hominum voluntates à ſiderum Influentijs ſuſpendebant, ut ijs impellentibus in hanc, aut illam partem, velut obnoxiæ pecudes agerentur. Et hoc eſt famoſum illud Aſtrologorum fatum, quo SS. Patres humanæ voluntatis libertatem proſterni conqueſti ſunt. De eo quoque Agell. lib. 14. c. 1. Phavorinus Philoſophus apud Agellium: *Minimè ferendum eſſe cenſebat, quòd non modò caſus & eventa, quæ evenirent extrinſecus, ſed conſilia quoque ipſa, & arbitria, & varias voluntates, appetitioneſque, & declinationes, & fortuitos repentinoſque in leviſsimis rebus animorum impetus receſſuſque, moveri agitarique deſuper è cælo putarent. Tanquam ſi fortè in balneas ire volueris, ac deinde nolueris, atque id rurſum volueris; non ex aliqua diſpari variaque animi agitatione, ſed ex neceſſaria quadam errantium ſiderum reciprocatione contigerit: ut planè homines, non quod dicitur,* λογικὰ ζῶα rationalia animalia, *ſed ludicra & ridenda quadam* νευρόσπαστα nervis alienis mobiles machinæ *eſſe videantur: ſi nihil ſua ſponte, nihil arbitratu ſuo faciunt, ſed ducentibus ſtellis & aurigantibus.*

Talis igitur, & tam durus ſiderum attractus, & vectatio noſtræ

noſtræ voluntatis æquivalet, ut minimùm, naturali inſtinctui brutorum, & humanam libertatem proſternit.

Vnde ſi Mars influxu ſuo in affectum occidendi, Venus in affectum fornicandi, voluntatem ſic raperet, ut ei tali modo dominaretur; profectò homicida, aut fornicator non magis delinqueret, quam ſi id in ſomnio ei accidiſſet.

Si enim *fatum, vel ſtellarum diſpoſitio eſſet cauſa humanorum actuum*, inquit S. Thomas, *oporteret actus humanos ex neceſſitate accidere, ſicut & cauſa neceſſaria eſt.* Ita videlicet neceſſaria, ut impetuoſa etiam ſit, & intractabilis; non autem inſtar habitûs voluntatis, qui licet cauſa neceſſaria, ac non libera ſit, eſt tamen tractabilis, & liberæ voluntatis imperio ſe ſubmittit. S.Tho.q.24 a.1.de Verit

In ſimilem errorem quidam fatum Stoicorum explicant: quaſi illi Adraſtiam, vel Atropon quandam imaginati fuerint, quæ decreto ſuo Deum etiam ipſum involvat, & neceſſitate naturali voluntates & omnium rerum eventus in unam partem rapiat, & ibi clavo velut adamantino affigat.

Quaſi haud dubiè raptu voluntates humanæ in bonum, ſine merito laudis, in malum ſine dedecore culpæ præcipitarentur. Ad quod fatale dogma Romani milites, Cannenſis cladis reliquiæ, reſpicientes apud Livium, aut Livius ipſe: *Nec fato, cuius lege immobilis rerum humanarum ordo ſeritur, ſed culpa perijmus ad Cannas. Cuius tandem ea culpa fuit? Militum, an Imperatorum?*

Sed fata Stoicorum in molliorem & meliorem partem S. Auguſt. interpretatur; ut fatum iſtud nihil ſit aliud quàm divinæ voluntatis decretum, quod creatæ voluntati nullam neceſſitatem injicit. *Cùm enim voluntas divina ſit efficaciſſima,* ait D. Thomas, *non ſolùm ſequitur, quòd fiant ea, quæ Deus vult fieri, ſed quòd etiam eo modo fiant, quo Deus fieri vult. Vult autem quædam fieri neceſſariò, quædam contingenter; ut ſit ordo in rebus ad complementum Vniverſi.* S. Auguſt. lib. 5. c. 8. Civit. D.Tho. 1.p. q. 19. a. 8.

Venit quoque jam in mentem, quod de Phariſæis Iudæorũ Ioſephus ſcribit: eos videlicet fatali iſto dogmate ſimillimos fuiſſe Græcorum Stoicis, uti Sadducæos Epicureis; qui procul extra fatorum vincula & raptus, omnia in incertum, Ioſeph. lib. 18. c. 1. Antiq.

& caſus

& caſus fortuitos dabant.

Vnde quemadmodum S. Auguſtinus Stoicorum ſenſus in Chriſtianam divinæ providentiæ viam reducit; ita placet & Phariſæos à fatali illo, & libertatis humanæ interfectore, errore abducere.

Deinde de neceſſitate Manichæa ſic ſæpiſſimè S. Auguſtinus loquitur, tanquam humanæ voluntatis libertas naturalis ſic ea comprimi videatur, ut opprimi & ſuffocari appareat. Manichæi enim, *cùm viderent*, inquit S. Auguſtinus, *non poſſe carnem ſine anima concupiſcere, aliam quandam animam ſuam, ex aliâ naturâ Deo contrariâ, carnem habere putaverunt, unde concupiſcat adverſus ſpiritum.*

S. Auguſt. lib. 10. c. 13. de Geneſ.

Hujus verò carnalis animæ malitiâ ſpiritum, ſive animam bonam ſic opprimi dicebant, ut peccaret invita. Vnde liberum animæ bonæ, ad bene faciendum, arbitrium negabant. Ex quo argumentatur Auguſtinus: *Si anima bona cogitur facere malum, non eſt illa quæ malum facit.* Quod probat hoc exemplo: *Si quis, verbi causâ, ligaretur ab aliquo ceteris membris, & de manu ejus falſum ſcriberetur, ſine ejus propria voluntate: quæro, ſi hoc Iudici pateſieret, poſſit hunc hominem falſitatis crimine condemnare?* Nequaquam, ſine dubio. Quia licet manus ab alio impulſa moveretur, & ſcriberet, non tamen propria voluntas eſſet, quæ eam moveret. Sic igitur quoque, ſi anima bona cogitur peccare, re vera non peccat, ſed, ut S. Auguſtinus dicit, *alia natura de illa peccat.*

Diſput. 2. contra Fortunat.

Vnde in illa Diſputatione contra Fortunat. ait: *Pœnam natura mala ſola debet mereri, non anima bona, à qua non eſt peccatum.* Imò neutram peccare, aut mereri pœnam, in Actis cum Felice decernit. *Gens enim*, inquit *tenebrarum* (cujus particulam eſſe animam malam Manichæi ſomniabant) *non peccat, quia ſuam naturam facit. Natura lucis* (ex qua animam bonam decerptam eſſe delirabant) *non peccat, quia quod facit, facere cogitur.*

De Act. cum Fel. lib. 2. c. 8.

In omnibus nihilominùs illis actibus humanæ voluntatis, per Manichæam, Stoicam, fatalem, aut divinam coactionem & raptum extortis, tale quale ſpontaneum & voluntarium adhuc ſupereſſet, licet naturalis libertas proſtrata & extincta jaceret.

Plurimi verò tam Catholici, quàm Arminiani hæretici, opinionem Lutheri & Calvini de ſervo, non libero arbitrio, ſic interpretantur, ut neceſſitatem Manichææ, aut fatali, vel Stoicæ ſimilem, humanæ voluntati injeciſſe putentur. Ideo enim Calvini Scholam, *Stoam Genevenſem* appellant. Dan.Tilen. Armin.

Et ſanè, licet Calvinus in loquendo varius ſit, & tortuoſus ut coluber; ſufficit tamen ei, voluntatem humanam à Stoica, aut fatali neceſſitate impulſam, non merè pati, ſed influxum qualemcumque (etiam qualem agentia naturalia) conferre. Unde & bonorum malorumque operum merita aufert, & libertatem humanam eſſe nomen ſine re, palàm cum Luthero confitetur.

ARTICVLVS III.

Ante liberam electionem, non neceſſariò præcedere debet conſultatio.

DEus enim in electionibus ſuis liber eſt, nec tamen conſultat de agendis. Conſultare enim & deliberare eſt ignorantis, ut ait S. Io. Damaſcenus. Io. Damaſcen. lib. 2. c. 22. Orth.

Hinc S. Thomas & Scholaſtici negant Chriſtum, ante liberas ſuas electiones, deliberaſſe. *Si enim aliquid judicetur, ut agendum*, inquit D. Thomas, *abſque dubitatione & inquiſitione præcedente, hoc ſufficit ad electionem. Et ſic patet, quòd dubitatio, ſive inquiſitio non per ſe pertinet ad electionem, ſed ſolùm ſecundum quod eſt in natura ignorante.* D. Tho 3. p. q. 18. a. 4.

Similiter *in Angelis*, ait, *eſt electio; non tamen cum inquiſitivà deliberatione conſilij, ſed per ſubitam acceptionem veritatis.* Unde quando Ariſtoteles electionem definit, *eſſe appetitum præconſiliati: loquitur*, inquit S. Thomas, *de electione, ſecundum quod eſt hominis.* Homines autem in pleriſque humanæ vitæ negotijs ignorant per quas vias ad deſtinatos fines commodiſſimè perveniri poſſit; ideoque conſilium & deliberationem adhibent, ut per eam tanquam exploratricem, viam maximè certam & idoneam inveniant, eamque eligant. Idem 1. p. q. 59. a. 3. Ariſt. lib. 3. c. 4. 5. Ethic.

Sed neque ante cujuſlibet medij electionem homo inſtituit deliberationem, ut experientiâ notum eſt. Quando enim aliàs ex negotio aliquo paulo longiuſculo nos evolveremus, ſi ad ſingulos voluntatis liberos actus & ictus, oporteret ſubſiſtere & deliberare? Et tamen intra breviſſimi temporis morulas, centum fortaſſe aliquando millia liberarum operationum intellectûs & voluntatis rapidiſſimè convolvimus.

Tales nihilominùs voluntatis operationes vocantur deliberatæ; non quòd formaliter, ſed quia virtualiter deliberatæ ſunt.

Diriguntur enim à perfecta cognitione & pleno judicio rationis, quale finitâ deliberatione formari ſolet. Et hinc factum eſt, ut omnis electio libera, etiam appelletur deliberata; actus verò primò-primi vocentur indeliberati.

Igitur in plurimis negotijs, quæ celeri curſu, & tamen liberè peragimus, electiones noſtræ more Angelorum, *ſine inquiſitiva deliberatione conſilij*, fluunt, ut paulò antè S. Thomas dicebat, *per ſubitam acceptionem veritatis*. Quod præſertim uſu venit, quando ex habitu & conſuetudine liberè operamur. Ex antecedenti quippe ſcientiâ tunc novimus, quodnam medium ſit maximè accommodum; & ſtatim ac immediatè illud arripimus. Quæ omnia in artibus præſertim mechanicis, & omni generi hominum tam comperta ſunt & palpabilia, ut homines vulgares communis ſenſûs, Philoſophos deſipere, aut jocari exiſtiment, cùm ea ab ipſis in controverſiam intelligunt vocari.

Scot. in 3. d. 18, q. 1. Maneat ergo firma & immobilis iſta Doctoris Subtilis ſententia: *Si ſententia ultimata poſſet haberi ſine diſcurſu, ita perfectè poterit voluntas eligere in inſtanti, ſicut præcedente diſcurſu.*

ARTICVLVS IV.

Etiam quando deliberatio in utramque partem, liberæ electioni præmittitur, voluntas ex unico judicio practico ſe ad eligendum reſolvit.

NAm, ut Cap. præced. Artic. III. ex Bellarmini, Vaſquij, Ariſtotelis, S. Thomæ, & veterum Peripateticorum ſententiâ diximus, voluntas finitâ deliberatione unum medium, certum & ἀφωρισμένον *definitum* eligit. Illud autem per unicum judicium practicum definitur, & ab intellectu voluntati eligendum proponitur. Ariſt. lib. 3. c. 5. Ethic.

Sicut ergo, poſtquam lis aliqua coram Iudice utrimque diſputata fuit, unica ſententia fertur pro parte illa, à qua jus ſtare & præponderare videtur; ita hîc in fine deliberationis etiam accidit.

Deinde, ſicut duæ ſententiæ Iudicis, quibus jus totum uni collitiganti, & totum alteri adjudicatur, ſunt incompoſſibiles; ſic duo judicia practica ultima, ut Bellarminus loco citato dicebat, ita compugnant, ut ſimul in eodem intellectu conſiſtere non poſſint. Nunquam enim intellectus, finitâ conſultatione judicat, aut judicare poteſt: Hoc omnibus conſideratis eſt eligendum, & ſimul, Illud (priori oppoſitum) omnibus conſideratis eſt eligendum.

Tertiò, ſicuti Iudex, ex argumentis unius tantùm partis, quæ jus potius habet, rem definit, & ſententiam fert, nec neceſſe eſt, ut alterius partis argumenta, quæ minus ponderis habere viſa ſunt, in memoriam ampliùs revocet; ita poſt deliberationem ventilatam & jactatam inter duo media, non eſt neceſſe ad liberam electionem, ut eo inſtanti quo hæc elicitur, intellectus repræſentet voluntati rationes factas pro electione alterius medij, quod rejicitur. Quis enim id experitur? Imò, quis contrarium non experitur? Certè enim, poſt deliberationem, An curru, an equo, an pedes velim aliquò proficiſci: quando judicio practico, ad currum me determino,

commoditates currûs tantùm, in judicio illo formando, intueor; nec ad rationes quæ iter equeſtre, vel pedeſtre ſuadere poſſunt, ampliùs reſpicio.

Falſa igitur, nec Peripatetica eſt illa philoſophia, quæ ad electionis libertatem requirit, ut eo inſtanti quo elicitur, voluntas ſit æque proxime parata & accincta, ut alterum medium, quod omittitur, eligat. Nam hoc inſtanti, de rationibus quæ ad alterius medij electionem movere poſſunt, intellectus non ampliùs cogitat, ſed tantummodò de motivis, quibus deliberationem concludit, & ad hujus medij electionem, neglecto altero, ſe determinat. Si autem de alijs tunc non cogitat, voluntas profectò proximè accincta non eſt, ut alterum medium eligat; cùm incognitum appetere, & ſine motivis ab intellectu ei ad illud eligendum propoſitis, eligere non poſſit.

Manet nihilominùs voluntas libera libertate etiam contrarietatis; poteſtque aliud medium eligere, ſi intellectus ad deliberationem iterandam applicetur, & ſufficientes rationes voluntati proponat, quæ eam ad illius medij electionem valeant permovere.

ARTICVLVS V.

Non tantùm electio medij, ſed etiam intentio finis libera eſſe poteſt, ſecundum doctrinam Ariſtotelis.

IN primis, res evidens & certa eſt, ſi voluntas applicet intellectum ad deliberandum, Vtrùm intentio, ſive amor alicujus finis hîc & nunc eliciendus, an potiùs ab amore illo ſuperſedendum ſit; aut etiam, an voluntas amare finem oppoſitum velit. Sic homo continens à concupiſcentia tentatus, deliberare poteſt, An amare voluptatem carnis, an potius continere, vel amare honeſtatem caſtitatis, melius ſit. Quod etiam in amore finis ultimi, ac ſummi boni, locum habere poteſt. Homo enim inter miſerias hujus vitæ adhuc poſitus, interdum deliberat, An amori divino, an voluptatibus vacare

velit. Licet enim in tali objecto, qui Deus ſummè bonus eſt, nihil mali inveniat, in exercitio tamen ipſo amoris ejus, difficultates reperit; & maximè, quia amor iſte à voluptatibus ſenſibilibus voluntatem abſtrahit, ad quas concupiſcentia eam retrahit & ſollicitat.

Deinde duo fines poſſunt eſſe inter ſe oppoſiti, & dubitare, ac deliberare poſſumus, Vtrum ex duobus pro fine ultimo nobis conſtituere velimus.

Inde enim fabula illa celebrata Herculis in bivio poſiti, quem virtus in unam, voluptas in alteram viam invitat ac pellicit. Hinc quoque Stoicorum & Epicureorum altercationes & pugnæ; dum illi in honeſtate virtutis, iſti in blandimento voluptatis ſummum & beatificum bonum conſtituunt.

Vbi autem finem aliquem, ſive ultimum, ſive ſubalternum nobis præfiximus, non ampliùs de eo deliberamus. *Conſultamus enim*, ait Ariſtoteles, *non de finibus, ſed de ijs quæ ad finem tendunt. Nam neque Medicus, an ſanare; neque Orator, an perſuadere; neque Politicus, an legibus bene inſtitutam reddere patriam debeat; neque ex alijs quiſquam de fine conſultat: ſed omnes, cùm finem quempiam ſtatuerint, quo modo & per quæ media ad illum pertingere poſſint, conſiderant.* Ariſt. lib.3. c. 5. Ethic.

Sic alibi de Intemperante, ut v. g. Sardanapalo, aut Smindyride Sybaritâ aliquo, qui voluptatem ubique ex profeſſo tanquam finem ſectatur, Ariſtoteles docet, *eum non ex electione, ſed præter electionem & conſilium, exceſſus jucundorum appetere ac proſequi.* Lib. 7. c. 6. Ethic.

Itaque omnes iſti, Medicus, Orator, Politicus, Intemperans, ſi finis in quem ex profeſſo collimant, ijs per intellectum proponatur, illicò ſine deliberatione, an appetere velint, nec ne, finem illam appetunt.

Deinde inter voluntatem finis, & electionem mediorum hoc diſcrimen ſtatuit Philoſophus: *Quòd electio nullo modo ſit voluntas* (id eſt, actus voluntatis ut ſic) *licet proxima ei eſſe videatur. Electio ſiquidem non eſt impoſſibilium. Quæ ſi quis diceret ſe eligere, ſtolidus eſſe videretur. Voluntas verò eſt etiam impoſſibilium; ut immortalitatis. Voluntas præterea eſt eorum etiam, quæ ab eo qui* Lib. 3. c. 4. Ethic.

vult, agi nullo modo poſſunt: ut Hiſtrionem aliquem, aut Athletam victorem evadere volumus. Cujuſmodi ſanè nihil quiſquam eligit, ſed ea tantùm, quæ à ſe fieri poſſe exiſtimat.

Lib. eod. c. 5. Ac tandem rem ad iſtam concluſionem adducit: *Conſultamus de agendis quæ ſunt in noſtra poteſtate.* Et deinde electionis definitionem formans: *Electio*, inquit, *eſt conſultativa appetitio eorum quæ ſunt in noſtra poteſtate.* Ex quibus, & ſimilibus Ariſtotelis verbis, multi Theologi Scholaſtici hoc quaſi Peripateticum dogma fabricaverunt: Voluntatem operari per modum naturæ, adeoque liberam non eſſe in amore finis, quando nulla conſultatio anteceſſit; in ſola autem mediorum electione libertatem ejus exerceri.

Quaſi Philoſophus dixiſſet, electionem medij eſſe in noſtra poteſtate, intentionem verò, ſive amorem finis minimè. Quod profectò non eſt ita. Solùm enim in illo diſcrimine dixit, Voluntatem poſſe etiam eſſe impoſſibilium, item eorum quæ ab alijs, non tamen ab ipſomet volente agi poſſunt: electionem verò tantùm eſſe eorum, quæ ipſe eligens in ſua eſſe poteſtate, ſeu à ſe agi poſſe exiſtimat.

Vbi loquitur non de actibus internis à voluntate elicitis, ſed de objectis externis circa quæ amor finis & electio mediorum verſantur. Quòd ſcilicet voluntas non tantùm appetere poſſit fines, qui ſunt in noſtra poteſtate, ſed etiam impoſſibiles, & cognitos ut tales (ſicut nunquam mori;) velleitate ſaltem conditionatâ; nunquam verò eligamus aliquod medium, niſi exiſtimemus nobis illud eſſe poſſibile.

Quantū verò ad actus internos, utrumque perfectè ſpontaneum & in noſtra poteſtate, ut puto, ſitum eſſe exiſtimat. Vnde non tantùm electionē medij, ſed etiam amorem finis, propter perfectam ſpontaneitatem, & ſimilem libertatem quæ in electione medij reperitur, *electionem* aliquando nuncupat. Nam

Lib. 3. c. 4. Ethic. *licet voluntas*, inquit, *electio* propriè *non ſit, proxima tamen ei eſſe videtur.* Vnde *etiam in uſu quotidiano loquendi*, addit Interpres Euſtratius, *Velle, & Eligere, quaſi idem ſignificent, pro eodem accipere conſuevimus. Vt cùm dicimus, Eligo agrum colere, id eſt, volo.*

Atque adeò Ariſtoteles virtutem moralem definiens, *Habitum*

tum electivum eam vocat. Virtutes autem morales non tantùm circa media, ſed etiam circa fines verſantur. Omne enim illud eſt finis, quod propter ſuam honeſtatem appetitur. Nam bonum honeſtum, & bonum delectabile, ut ſic, propter ſe, & ut fines, ſolum autem bonum utile, ut medium, in Schola Peripatetica, appetuntur.

Si igitur voluntas honeſtatem temperantiæ, ut finem appetat, non minùs actum virtutis temperantiæ, laudis & meriti dignum eliciet, quàm ſi abſtinere ab hoc cibo eligat tanquam medium, quo mediocritatem & honeſtatem illam temperantiæ attingat. Vnde amor ille honeſtatis temperantiæ ut finis, perfectè ſpontaneus, voluntarius, & liber erit, licet nullâ præmiſsâ deliberatione, ex perfecto judicio rationis, à voluntate eliciatur, non, ut motus primo-primus, impetu naturæ excutiatur.

Nam, ut antea ex S. Thoma dicebamus, etiam electio D.Tho.1.p. quæ ex ſimili unico judicio rationis, *per ſubitam acceptionem* q. 59. a. 3. *veritatis*, ſine deliberatione elicitur, libera eſt in Angelis. Hujus quoque doctrinæ Peripateticæ ſignum eſt, quòd Ariſtoteles volens oſtendere ſpontaneum latiùs patere liberâ electione, pro exemplo ſpontanei non-liberi non alleget amorem finis, ſed brutorum, & puerorum appetitiones, ac motus repentinos, ſeu primò-primos: quaſi intentio finis, licet propriè electio non ſit, attamen electioni, quantum ad perfectam ſpontaneitatem & libertatem, ſimillima ſit. Ariſt. lib. 3. c. 4. Ethic.

Spontaneum, inquit, *latiùs patet. Nam ſpontaneum cum pueris, & reliquis animalibus commune eſt, electio minimè. Et quæ derepentè fiunt, ſpontanea ſunt, non autem ex electione.*

Deinde Lib. 2. Phyſic. cauſam efficientem univerſim bimembrem tantùm eſſe ſignificat: ut alia ſit τῶν φύσει, *eorum quæ fiunt per naturam*, & altera τῶν ἀπὸ διανοίας *eorum quæ fiunt per mentem*, ſive per intellectum, qui voluntatem tanquam auriga regit. Deinde etiam voluntatem, ipſam *mentem imperatricem* S. Damaſcenus appellat. Vnde diviſio illa cauſæ efficientis ſolet ſic concipi, & ex Ariſtotele verti: Cauſa efficiens alia eſt naturalis, alia voluntaria, ſive libera. Sub quo ultimo membro Lib. 2 c. 6. Phyſic. S. Auguſt. lib. 5. c. 9. Civit.

membro non tantùm vo'untatem reſpectu electionis medij, ſed etiam reſpectu amoris finis, comprehendit.

Scot. in 1. d. 1. q. 4. Quam doctrinam egregiè & fortiter, adverſus D. Thomam (ut ipſe putat) aſſerit Doctor Subtilis. *Neceſſitas naturalis*, ait, *non ſtat cum libertate. Quod probo: quia natura & voluntas ſunt principia activa habentia oppoſitum modum principiandi; ergo cum modo principiandi voluntatis non ſtat modus principiandi naturæ: ſed voluntas liberè vult finem, ergo non poteſt neceſſitate naturali velle finem; nec, per conſequens, aliquo modo neceſſario.*

Aſſumptum, ſcilicet quòd voluntas liberè velit finem, probatur: quia eadem eſt potentia quæ vult finem, & illud quod eſt ad finem; ergo habet eundem modum agendi: quia diverſi modi agendi arguunt diverſas potentias. Liberè autem operatur circa ea quæ ſunt ad finem; ergo & circa finem.

Scot. Quodl. 16. Et alibi iterùm Peripateticum hoc fundamentum inculcans: *Voluntas*, inquit, *ſemper habet ſuum modum cauſandi proprium, ſcilicet liberè. Non magis igitur voluntas poteſt eſſe naturaliter activa, quàm natura, ut eſt principium diſtinctum contra voluntatem, poſſit eſſe liberè activa.*

Nam voluntas connaturali ſuo modo, præeunte ſufficienti judicio rationis, ita agit, ut ſeipſam agat; agens verò naturale, agitur potiùs à natura, tanquam ab alio.

Vnde jam patet, diviſionem iſtam agentis in naturale, & voluntarium, eſſe adæquatam. Omne enim agens in actionem ſuam ſe reſolvit, vel à ſe, vel tanquam compulſum ab alio.

Eadem eſt prorſus S. Auguſtini, S. Proſperi, S. Fulgentij, S. Gregorij Magni, S. Io. Damaſceni, Ven. Bedæ, S. Anſelmi, S. Bernardi, S. Aëlredi, & omnium veterum S. Auguſtini diſcipulorum ſententia; ut multâ denſâque teſtimoniorum nube demonſtrare non eſſet difficile; niſi in materias vicinas hodie tanto ſtrepitu diſputatas, ingredi jam nollem. Nemo verò omnium SS. Patrum hanc philoſophiam è ſuis latebris longiùs extraxit, & clariſſimo ſoli expoſuit, quàm S. Bernardus.

Illi ergo SS. Patres inter voluntatem & liberum arbitrium nihil diſtinguunt; ſed ſive finem, ſive media voluntas reſpiciat, ſem-

ſemper verâ libertate libera eſt, & indifferenter voluntatem, & liberum arbitrium appellant. Nam *neceſſe eſt*, ait S. Auguſtinus, *ut cùm volumus, libero velimus arbitrio*. S. Bernardus quoque voluntatem & liberum arbitrium tam circa finem quàm circa media, in unum confundens: *Vbi voluntas*, inquit, *ibi libertas. Et hoc eſt, quod dici puto liberum arbitrium*.

S. Auguſt. lib. 5. c. 10. Civit.

S. Ber. lib. de Libero arb.

Ratio verò eſt, quia ſive in fines ſurſum, ſive in media deorſum voluntas ſe moveat, ſemper actûs ſui imperatrix eſt, eumque imperio formaliter, vel virtualiter ſuper ipſum reflexo, à ſe exire jubet. *Omne enim quod vult*, ut ex veterum Patrum philoſophia S. Bonaventura, *ad ſuiipſius imperiū appetit: quia ſic vult, ut velit ſe velle illud*. Et S. Anſelmus, cujus veſtigia ſequitur: *Omnis volens*, ait, *ſuum Velle vult*. Et poſtea: *Sicut cùm homo mentitur vult ipſum Mentiri; ſic cùm vult mentiri, vult ipſum Velle*.

S. Bonau. in 2. d. 25. q. 2.

S. Anſel. lib de Libero arb. c. 5.

Et propter hanc cauſā voluntas dicitur ſeipsâ uti, quemadmodū ceteris animæ facultatibus utitur. *Noli mirari*, ait S. Auguſtinus, *ſi ceteris per liberā voluntatē utimur, etiā ipsâ liberâ voluntate per eam ipſam uti nos poſſe; ut quodammodò ſeipſa utatur voluntas, quæ utitur ceteris, ſicut ſeipſam cognoſcit ratio, quæ cognoſcit & cetera*.

S. Auguſt. lib 2. c. 19. de libero arb.

Et ſubtilis Cajetanus: *Dum utor voluntate mea, applicando illam ad amandum Deum* (qui profectò eſt amor finis, non medij electio) *conſentio in talem uſum, & eligo illum. Et ſic uſus habet rationem, & cum hôc eſt volitus ut objectum conſensûs, & electionis*. Quo ſanè modo non ſe movet appetitus brutorum, qui ſine tali reflexione, & ſuiipſius uſu, rectà quaſi lineâ, à natura, velut ab alio, in objectum ſuum protruditur. Adeoque non eſt propriè *Inſtrumentum ſeipſum movens*; quomodo S. Anſelmus appellat & definit voluntatem. Iſta quippe eſt eminentia & dignitas imaginis Dei, quæ in mente, id eſt, in ſupremo apice, & veluti capite animæ rationalis (quod intellectum & voluntatem uno veluti nodo complectitur) conſiſtit. *Mentem enim νοῦν apud Græcos, non aliud quid intelligimus*, ait eruditus ille Afer, *quàm ſuggeſtum animæ ingenitum & inſitum, & nativitùs proprium, quo agit, quo ſapit, quem ſecum habens ex ſemetipſa, ſe commoveat in ſemetipſa, atque ita moveri videatur ab illo, tanquam ſubſtantia alia*.

Cajet. 1. 2. q. 9. a. 4.

S. Anſel. lib de concord. c. 11.

Tertull. lib. de Anima cap. 21.

Hic quoque *animæ ſuggeſtus*, eſt ἡγεμονικὸν *principale* illud Græcorum, quo mentis illa pars, quæ voluntas dicitur, ſeipſam & alias animæ potentias movet & gubernat. Vnde ubi Interpretes 70. verterunt, πνεύματι ἡγεμονικῷ *ſpiritu principali*, Arias vertit, *ſpiritu voluntario*, confirma me.

Pſal. 50.

Propter verò illud imperium quo voluntas connaturaliter *quidlibet ad imperium ſuiipſius vult, quia ſic vult, ut velit ſe velle illud*, ut D. Bonaventura ſuperiùs loquebatur; in tali actu voluntatis eſt ſpontaneitas perfecta, quam Bonaventura & Scotiſtæ *libertatem eſſentialem*, S. Bernardus & S. Thomas *libertatem naturalem* appellant: eſtque veluti cardo quidam, in quo *liberum voluntatis arbitrium huc atque illuc liberum flectitur*. Sine iſto enim libertatis eſſentialis cardine, nulla eſſet in actibus voluntatis, contrarietatis aut contradictionis accidentaria libertas; ut ex brutorum, & hominum amentium, vel ſomniantium appetitionibus patet. In omnibus enim iſtis eſt quædam etiam indifferentia, qua nunc hoc, nunc illud appetunt; & tamen nulla propria contrarietatis, vel contradictionis libertas; quia talis indifferentia in cardine libertatis eſſentialis non vertitur, ſed illi actus bruto naturæ inſtinctu, ac impetu effreni nunc in hoc, nunc in illud contrarietatis aut contradictionis latus expelluntur.

D. Bonav. in 2. d. 25. q. 2. S. Tho. 1. p. q. 83. a. 2. ad 3. S. Auguſt. lib. 2. c. 18. de peccat. merit.

Vt jam appareat, quàm ſolidè, & à priori D. Thomas tam ſæpe probet in Deo, Angelis, & hominibus ineſſe arbitrij libertatem, *quia ad volendum judicio rationis, non impetu naturæ, ſicut bruta, inclinantur.*

D. Tho. lib. 1. c. 88. contra Gent.

Impetus enim ille naturæ brutorum, perfectæ ſpontaneitati, ſive libertati eſſentiali directè opponitur, quæ liberi arbitrij lances agitare debet, ut huc illuc in diverſa liberum flectatur.

Quidam tamen hanc eſſentialem, ſive perfectè ſpontaneitatis libertatem nomine libertatis non dignantur. Sed immeritò. Eſt enim libertatis contrarietatis & contradictionis veluti anima; ſine qua duæ iſtæ tam famoſæ libertates, veræ libertatis nomen non merentur. Nam in ſomniantibus, & phreneticis quandam interdum conſultationem intellectûs, & in-

& indifferentiam voluntatis, in appetendo experimur; verâ tamen contrarietatis vel contradictionis libertate inanem & caſſam; quia naturæ impetus, non libertatis eſſentialis imperium reſolvit phrenetici, aut dormientis voluntatem in hanc, aut illam partem.

Iam etiam intelligimus, cur S. Proſper *Liberum arbitrium* definierit, *Rei ſibi placitæ ſpontaneum appetitum*. Illud quoque S. Auguſtini: *Moveri per ſe animam ſentit, qui ſentit in ſe eſſe voluntatem. Nam ſi volumus, non alius de nobis vult. Et iſte motus animæ ſpontaneus eſt. Hoc enim ei tributum eſt à Deo.* Vterque autem de perfecto ſpontaneo loquitur; quod eſt pars præcipua illius divinæ imaginis, quam Conditor impreſſit creaturæ rationali. S. Proſp. contra Collat. c. 19. S. Auguſt. lib. 83. q. 8.

Huic denique ſpontaneo, ſive voluntario perfecto, repugnat neceſſitas illa quam S. Anſelmus *præcedentem & cogentem* vocat. Hæc enim ita actum voluntatis antecedit, ut eam cogat & præcipitet; qualis eſt neceſſitas, quam ſuperiùs brutalem, fatalem, Stoicam, aut Manichæam appellavimus. S. Anſel. c. 3. Concord.

Hanc enim S. Anſelmi *præcedentem neceſſitatem*, perfectæ ſpontaneitati inimicam, exponens Subtilis Scotus: *Duplex*, inquit, *eſt neceſſitas. Vna prævia eſt ad voluntatem; ut voluntas intelligatur cadere ſub neceſſitate tanquam impellente in actum, & figente in actu. Si autem, ſic eſſet, voluntas ageretur, & non ageret, nec ſtaret in tali actu libertas. Altera eſt neceſſitas concomitans* (ſive conſequens;) *ita ut ipſa intelligatur cadere ſub voluntate, ſic ut voluntas, propter firmitatem libertatis ſuæ, ſibiipſi neceſſitatem imponit in eliciendo actum, & in perſeverando, ſeu figendo ſe in actum.* Quam poſteriorem neceſſitatem S. Bernardus ideo *voluntariam* appellat, negatque quidquam ab ea de libertatis integritate delibari; ut S. Anſelmus, Scotus, ac Henricus, aliique conſentiunt. Nam *neceſſitas ſequens, nihil eſſe cogit*, inquit S. Anſelmus. Prior verò neceſſitas *cogens* nuncupatur; non quod ita cogat, ut cauſa quam cogit, nihil omnino agat (quomodo enim aliàs, ad agendum eam cogeret?) ſed quia ſic cogit, ut id quod cogitur, actionem ſuam in ſua poteſtate & freno non retineat, ſed in illam à neceſſitate cogente præcipitetur. Sic Scot. Quodlib. 16. q. 2. S. Anſel. c. 2. Concord.

S. Damaſcenus & Patres negant bruta, cum appetunt, ſeipſa agere, ſed à natura agi, & ad appetendum cogi. Quia licet violentia & coactio propriè ſolùm locum habeat, quando id quod violentiam & coactionem patitur, nihil omnino agit; SS. Patres tamen neceſſitatem fatalem, aut Manichæam, in quibus cauſa ad agendum tali neceſſitate coacta & compulſa, aliquid ſimul agit, *per verbum*, cogendi, *explicare ſolent*, ait Franc. Suarez: *vel quia non eſt alìud verbum Latinum, quo effectus ille explicetur, vel quia illa neceſſitas, niſi adhibendo vim aliquam, inferri non poteſt.*

Suar. Prolog. 1. c 4. n 20. de Grat.

ARTICVLVS VI.

An deliberatio, quæ medij electionem in nobis antecedere ſolet, intrinſecum modum ſe movendi & determinandi voluntatis immutet.

D.Th.1.p. q.83. a.3.

D. Thomas, qui liberum arbitrium *Vim electivam* definit, & peculiarem libertatem voluntatis in electione mediorum agnoſcere videtur, quam in amore finium ut ſic, non invenit; tanti facit deliberationem intellectûs, quæ electiones noſtras antecedere ſolet, ut liberi arbitrij actum per eam in poteſtate noſtra dominioque conſtitui, ac conſequenter, libertatem ſuam inde accipere dicat.

Idem 1.2. q.6. a. 2.

Dicendum, ait alicubi, *quòd ex hoc contingit quòd homo ſit dominus ſui actûs, quòd habeat deliberationem de ſuis actibus. Ex hoc enim, quòd ratio deliberans ſe habet ad oppoſita, voluntas in utrumque poteſt.*

Verumtamen cùm deliberatio, ſive conſultatio adhibeatur ad inſtruendum liberum arbitrium de medio maxime idoneo ad aſſecutionem finis, ipſa eſt aliquid prorſus extrinſecum electioni, quod modum connaturalem ſe movendi voluntatis non immutat, ſed objectum ſolùm ei oſtendit, in quod naturali ſuo modo ſe inclinet. Vnde ſi voluntas à ſe illum modum (quæ naturalis, ſive eſſentialis libertas ejus eſt) non haberet, deliberatio antecedens eam, illi nequaquam dare poſſet.

Fac

Fac enim, poſt omnem, & longiſſimi temporis deliberationem, ut in puncto, quo ſe ad eligendum determinare voluntas debet, fatalis raptus, amentia, aut plena ebrietas homini ſuperveniat; electio quantumvis ſic antè deliberata, libera tamen nequaquam erit.

Deinde nec ipſe D. Thomas, ad omnem liberam electionem, ut ſuprà Artic. III. diximus, deliberationem requirit. Damaſceni quippe vulgari pronunciato: *deliberatio eſt ignorantis*. Vnde *Deus & Angeli*, ait D. Thomas, *habent promptam electionem liberi arbitrij: homo verò in eligendo difficultatem patitur, propter incertitudinem & dubitationem.* Idem q. 24. a. 3. de Verit. Dubitatio ergo & ignorantia hominis eum deliberare facit. Et cùm alibi definitionem electionis ſibi objeciſſet, Idem 1. 2. q. 14. a. 4. *Electio eſt appetitus præconſiliati*, Reſpondet: *Electio præſupponit conſilium ratione judicij, vel ſententiæ. Vnde quando judicium, vel ſententia manifeſta eſt abſque inquiſitione, non requiritur conſilij inquiſitio.*

Vbi ergo judicium, quod deliberationis eſt clauſula, minimè dubium citra deliberationem haberi poteſt, ad libertatem electionis deliberatione non eſt opus. Sic autem *in humanis artibus contingit*, addit D. Thomas, *quæ per determinatas vias procedunt ad determinatos fines. Sicut ſcriptor non conſiliatur, quomodo debet trahere litteras: hoc enim determinatum eſt per artem.*

Vbi tamen multa media voluntati per intellectum, ante ultimum judicium practicum, oſtenduntur, nova quædam laxitas, & veluti campus voluntati aperitur, in quo libertatem ſuam eſſentialem verſare, & hàc aut illàc indifferenter exerere poſſit; quàm libertatem contrarietatis ſolemus appellare. Et quia intellectus hanc laxitatem libertatemque voluntati aperit, idcirco dicitur eſſe radix libertatis, qua *liberum arbitrium ſit potens in diverſa ferri.* Quanquam tamen Idem 1. p. q. 83. a. 1. etiam intellectus ſit radix libertatis eſſentialis, quia eam voluntas exerere non poteſt, niſi circa objectum (etiam unicum) quod intellectus ei propoſuerit.

Hoc autem diſcriminis inter eſſentialem, & accidentalem contrarietatis libertatem intereſt; quòd licet eſſentialis libertas (celebri S. Bernardi ſententia) *non minuatur, nec maior* S. Ber. lib. de libero arb.

in iuſto ſit, quàm in peccatore, nec in Angelo, quàm in homine: libertas tamen contrarietatis augeri, & minui poſſit. Laxitas enim indifferentiæ ejus ampliatur, aut reſtringitur, prout plura, aut pauciora media ab intellectu oſtenduntur, ad quæ voluntas electionem ſuam convertere poteſt.

Verùm quantumvis indifferens illa laxitas tempore deliberationis fuerit ampliſſima, & centum (ſi vis) mediorum millia intellectus circuierit, & voluntati demonſtraverit; amplitudo tamen iſta paulatim contrahitur, & tandem ad unicum medium, quod *maius eſt, & eminet*, redigitur, ut antea ex Ariſtotele, & D. Thoma Cap. VI. Artic. III docuimus. Intellectus enim unicum medium, omnibus conſideratis, libero arbitrio eligendum proponit. Nec propter tamen iſtam contractionem, & determinationem ad unum, perit contrarietatis libertas: quia voluntas iſtas ſibi anguſtias facit, dum intellectui judicium de unico medio practicum & ultimum imperat, & ſe ipſa etiam illicò ad illius unici medij electionem determinat. Si enim eandem ſemper laxitatem & indifferentiam, ad contrarietatis libertatem ſalvandam, manere oporteret, nunquam ſequeretur unius medij electio. Nam ultima voluntatis determinatio, niſi depreſsâ illa penſili indifferentiâ, fieri non poteſt.

Licet autem eo inſtanti voluntas ad unum determinata ſit; iſta tamen determinatio non eſt ſimilis determinationi ad unum, quæ agenti naturali dicitur eſſe propria.

Hæc enim agentis naturalis ad unum determinatio, ſervilis eſt, & à natura dominante, & in unam partem cogente ac affigente facta: determinatio autem voluntatis ab ipſamet voluntate, ſuopte imperio ſeipſam movente, efficitur; ideóque eſt voluntaria. Determinatio autem voluntaria libertatem non enecat, ſed eam intrinſecè includit, & quaſi in ſinu fovet.

ARTI-

ARTICVLVS VII.

Vtrum electio medij liberior ſit, quàm intentio finis, quia in electione voluntas perfectiùs ſe movet.

S. Thomæ doctrina, aut certè phraſes iterùm hîc nobis faceſſunt negotium.

Docet enim non ſemel, voluntatem ſolùm in electione medij, non in amore finis, ut finis eſt, ſeipſam movere.

Movet autem ſe ad eligendum dupliciter, ſeu duplici quaſi impetu ſibi impreſſo, conſilio, ſive deliberatione, & finis intentione.

Verùm non in omni electione, voluntas per deliberationem ſe movet, ut Articulo ſuperiori, & antea Artic. III. docuimus. Reſtat ergo modus, quo ſe movet per intentionem finis. *Voluntas enim movet ſeipſam*, ait D. Thomas, *in quantum per hoc quod vult finem, reducit ſeipſam ad volendum ea quæ ſunt ad finem*. Et addit: *Hoc autem non poteſt facere, niſi conſilio mediante.* Quæ tamen ultima clauſula, quatenus vera ſit, ex jam dictis patet. Veritatem enim habet, non univerſim, ſed *in natura ignorante*, ut D. Thomas ipſe exponit. Hæc enim ſola conſilio & deliberatione ante electionem indiget. D.Tho. 1. 2. q. 9. a. 4. Idem 3. p. q. 18. a. 4.

Negat verò S. Thomas voluntatem ſeipſam movere, quando intendit aut appetit finem. Quia *ſi quidem*, inquit, *voluntas moveret ſeipſam ad volendum* (v. g. ſanitatem, quo exemplo antè eſt uſus) *oporteret quòd mediante conſilio hoc ageret, ex aliqua voluntate præſuppoſita: hoc autem non eſt procedere in infinitum*: id eſt, talis proceſſus ab actu voluntatis uno ad alium ſuperiorem, non poteſt ire in infinitum. *Vnde neceſſe eſt ponere*, inquit, *quòd in primum motum voluntatis, voluntas prodeat ex inſtinctu alicujus exterioris moventis, ut Ariſtoteles concludit in quodam cap. Ethicæ Eudemicæ.* Idem 1. 2. q. 9. a. 4.

Ex quibus S. Thomæ verbis liquet, eum de motu loqui quo voluntas, ad modum intellectûs ab antecedente ad concluſionem ratiocinando diſcurrentis, ſe movet. Hanc enim

compa-

comparationem inter rationem ratiocinantem & liberum arbitrium S. Thomas ex profeſſo inſtituit, concluditque: *Manifeſtum eſſe, quòd ſicut ſe habet intellectus ad rationem; ita ſe habeat voluntas ad vim electivam, id eſt, ad liberum arbitrium.*

D Tho. 1. p. q. 83. a. 4.

Quo enim modo intellectus immediatè principijs per ſe notis aſſentitur, & ratio deinde à tali aſſenſu ad aſſenſum conſequentis diſcurrit; ita voluntas immediatè bonitati finis per intentionem, ſeu amorem ſe inclinat, quem deinde liberum arbitrium excipit, & ab ea ad electionem medij ſe evolvit. In quo poſteriore motu eſt aliquis terminus à quo, & terminus ad quem (intentio ſcilicet finis, & electio medij) atque ideo motus iſte propinquiorem ſimilitudinem habet cum motu locali; qui omnium motuum princeps, & maximè proprius, reliquorumque quodammodò menſura eſt.

Vnde, ſine dubio, liberum arbitrium magis propriè in electione medij ſe movet, quàm voluntas in immediato amore finis; ante quem nullus alius actus voluntatis, tanquam terminus à quo illius motus, præceſſit.

Atque ita, quandoquidem perfectionem libertatis, ex perfectione ſe movendi metiatur S. Thomas (*liberum enim eſt cauſa ſui actûs*, ut tam ſæpe repetit:) voluntas perfectiori modo in electione medij, quàm in amore finis, libertatem ſuam eſſentialem exercet. Ita tamen, ut niſi motui, quo ab amore finis ad electionem medij voluntas quaſi diſcurrit, accederet, & tanquam fundamentum ſupponeretur motus alius intimior libertatis eſſentialis, quo voluntas ad ſuiipſius imperium electionem elicit; electio iſta neutiquam libera eſſet. Vnde ſi ipſo ultimo inſtanti, quo electio medij ex præcedenti amore finis, à libero arbitrio elicienda eſt, fatalis aliquis raptus, aut phreneſis homini ſuperveniret; quamvis ſequeretur electio, non tamen libera, ſed præceps, & inſtar brutorum inſtinctûs eſſet.

Lib. 1. c. 47. 48. contra Gent. &c.

Vt jam pateat, præcipuum, & quod inſtar animæ eſt in libero actu voluntatis, eſſe motum illum, quo voluntas tam in amore finis, quàm in medij electione, imperiosè ſeipſam movet, & *ad imperium ſui appetit*, ut S. Bonaventura ait. Quòd autē

D. Bonav. in 2. d. 25. q. 2.

S. Tho-

S. Thomas crediderit non tali modo voluntatem ſe movere in amore finis; ſed naturaliter inſtar bruti, aut lapidis ad centrum ruentis, ſine ulla prorſus libertate, quodammodo in actum ſuum extrudi, difficulter (quidquid multi Thomiſtæ aliter) de tanto S. Thomæ ingenio credere poſſum. Si tamen illi Thomiſtæ in ſententia defixi perſeverent, fatendum erit, Subtilem Scotum in hac re acumine ſuo longiùs penetraſſe, quàm Doctorem Angelicum; quando Scotus ita pronunciat: *Voluntas liberè vult finem; quia eadem eſt potentia qua vult finem, & illud quod eſt ad finem: ergo habet eundem modum agendi. Quia diverſi modi operandi arguunt diverſas potentias.* Vnde ſi voluntas circa finem ex impetu naturæ, & more appetitûs brutalis, prælucente tamen perfecto judicio rationis, ſe effunderet; non eſſet eadem potentia, quæ circa media tam diverſo operandi modo electionem exerceret. Scot. in 3. d. 1. q. 4.

Attamen Sanctus Doctor in amore finis (quando eſt perfecte voluntarius, non tantùm motus primo-primus) quandam libertatem naturalem ubique etiam admittit, quam *libertatem à coactione* appellat.

Vnde cùm toties ſibi objicit doctrinam S. Auguſtini: *Quòd ſi aliquid ſit neceſſarium, non eſt voluntarium*, hoc eſt, liberum; ſemper Reſpondet: *Verbum Auguſtini intelligendum eſſe de neceſſario neceſſitate coactionis. Neceſſitas autem naturalis non aufert libertatem voluntatis, ut ipſemet in eodem Libro dicit.* Et alibi: *Libertas ſecundum Auguſtinum, opponitur neceſſitati coactionis, non autem naturalis inclinationis:* qualem videlicet inclinationem voluntas habet ad bonum; quod maximè eſt finis. Vnde quando inclinatione ſuâ naturali bonitati finis annuit, libertatem iſtam à coactione retinet & exercet. S. Auguſt. lib 5. c. 10. Civit. D. Tho. 1. p. q. 82. a. 1. Idem q. 22. a. 5. de Verit.

Ceterùm, fatendum tamen etiam eſt, D. Thomam, quando explicat *libertatem* iſtam *naturalem, quæ eſt à coactione*, ſemper recurrere ad propriam & ſtrictam coactionem, ſeu violentiam, quam Ariſtoteles Lib. 3. c. 1. Ethic. definit: *Coactum eſt, cujus principium eſt extrà, nihilq; ad id confert ille qui cogitur.* Idem 1. p. q. 83. a. 2. ad 3.

Vnde alicubi: *Quàmvis*, ait, *quadam neceſſaria inclinatione ultimum finem velit voluntas, nullo tamen modo concedendum eſt, quòd* Idem q. 22. a. 5. de Verit.

Aaaaa *ad illud*

ad illud volendum cogatur. Coactio enim nihil aliud eſt, quàm violentiæ cujuſdam inductio. Violentum autem, ſecundum Philoſophum in 3. Ethic. eſt cujus principium eſt extrà, nil conferente vim paſſo. Sicut ſi lapis ſurſum projiciatur; quia nullo modo, quantum eſt de ſe, ad hunc motum inclinatur. Sed cum ipſa voluntas ſit quædam inclinatio, eo quòd ſit appetitus quidam, non poteſt contingere, ut voluntas aliquid coactè vel violenter velit, ſi aliquid naturali inclinatione velit.

Quæ verba, ſi præcisè accipiantur, & à voluntate tantùm excludant rigidam illam coactionem ſeu volentiam, qualem lapis patitur dum projicitur ſurſum, profectò libertas à tali coactione, in appetitibus brutorum etiam invenitur. Non enim talem vim & coactionem bruta patiuntur, quando in affectus ſuos à natura præcipitantur, ſed influxum aliquem activum in appetendo contribuunt.

Vt igitur doctrina iſta S. Thomæ, in S. Auguſtini, S. Bernardi, ceterorumque Patrum mentem & ſententiam extendatur, debet coactio paulò latiùs ſumi, ut non tantùm coactionem Ariſtotelicam ſtrictiſſimam, cui vim paſſum nullo prorſus influxu activo cooperatur; ſed etiam coactionem illam comprehendat, quâ agentia naturalia à natura ad ſuas actiones coguntur, & in eas præcipitantur.

Libertas enim à tali coactione ſic extensâ, & generaliùs, quàm ibi ab Ariſtotele definita eſt, acceptâ, eſt propria & peculiaris voluntati. Hæc enim non tantùm immunis eſt à violentiâ tali, qualem gravitas lapidis projecti ſurſum, nihil ad eum motum cooperando, patitur; ſed etiam immunis eſt à violentia quadã laxiore, quà lapis irreſiſtibili naturæ impulſu deorſum, & omne agens naturale ſimili impetu in actionem ſuam abripitur. Tali enim naturæ impetu bruta in appetitus ſuos ruunt; tali etiam voluntas, ſi fati neceſſitate impelleretur, aut Stoicorum Adraſtiâ, vel gentis tenebrarum (quam fabulantur Manichæi) vi opprimeretur, non iret ſuapte ſponte, ſed adacta & coacta, in actiones volendi ferretur: & proinde nec propriè volendi actiones eſſent, ſed futiles & irriti quidam voluntatis præcipitatę partus; quales fermè ſunt actus noſtri primo-primi. Voluntas enim ut voluntas operans, ex impe-

imperio ſuo ſe movet, actionemque habet, toto cælo diſtantem à vi, raptu, & modo agendi agentium naturalium; quem SS. Patres, ut Franc. Suarez confitetur, *coactionem* appellare ſolent. Suar. Prolog. 1. c. 4. de Grat.

Vnde, niſi Thomiſtæ patiantur libertatem à coactione, non tantùm negare coactionem illam Ariſtotelicam, ut S. Thomæ verba præ ſe ferunt, ſed etiam coactionem, ut ſic appellem, Patriſticam; pati etiam debent, D. Thomam à S. Auguſtini, S. Bernardi, & aliorum Patrum philoſophiâ deviaſſe; & S. Auguſtini mentem Lib. 5. c. 10. Civit. malè, vel ſaltem mutilè interpretatum fuiſſe: quando varijs locis toties dicit, *Auctoritatem S. Auguſtini* (docentis quandam eſſe neceſſitatem, quæ conſiſtere nequit cum libera voluntate) *intelligendam eſſe de neceſſitate coactionis. qua repugnat voluntati, & libertati eius naturali.* Non tantum enim S. Auguſtini mens eſt, coactionem ſtrictam & Ariſtotelicam repugnare naturali voluntatis libertati; ſed etiam coactionem, qua agentia naturalia à natura coguntur. Nam libertatem illam à coactione, veram eſſe & propriam libertatem, *qua aliquid eſt in noſtra poteſtate, & qua rectè, vel perperàm vivitur*, & qua aliquid *libero volumus arbitrio*, eo loco affirmat S. Auguſtinus, ut cuilibet legenti patet. Libertas verò à ſola coactione Ariſtotelica, non eſt vera & propria libertas, qua *rectè, vel perperàm vivitur &c.* cùm talis libertas ſit nuda & ſimplex ſpontaneitas, quæ in appetitu brutorum etiam reperitur. Canis enim in appetitu offæ, à coactione Ariſtotelica liber eſt. Non enim principium activum iſtius appetitionis eſt extra canem; nec verum eſt, quòd anima canis nullam vim activam ad illam actionem conferat. Deinde illi Thomiſtæ S. Thomam à ſimili etiam S. Bernardi philoſophiâ palàm abducunt. *Conſenſus voluntarius*, ait Bernardus, *nos diſcernit à brutis. Eſt enim habitus animi liber ſui. Siquidem non cogitur, non extorquetur. Eſt quippe voluntatis, non neceſſitatis.* D. Tho. 1. p. q. 82. a. 1. item q. 22. a. 5 de Verit. &c. S. Auguſt. lib. 5. c. 10. Civit. S. Ber. lib. de lib. arb.

Vbi aperte docet, conſenſum liberum diſtingui ab appetitu bruti, per negationem coactionis. Non autem per negationem coactionis ſtrictæ tantùm & Ariſtotelicæ, quia negatio iſta appetitui brutorum etiam competit; ergo per nega-

tionem illius coactionis, qua bruta dicuntur à natura cogi, agi, & præcipitari in ſuos appetitus.

Quando autem S. Bernardus hominis conſenſum, propter iſtam negationem coactionis, liberum eſſe dicit, de vera & propria libertate loquitur, ut ex principio illius Libri conſtat. Fuerat enim à quodam diſcipulo rogatus, ut ei illam arbitrij libertatem explicaret, quæ neceſſaria eſt ad actiones humanas, quibus per viam mandatorum Dei ad vitam & ſalutem æternam itur.

Finio ergo, & Thomiſtas rogo, ut etiam atque etiam cogitent: An S. Thomas exiſtimaverit nihil abſurdi fore, ſi quis dicat, finem ultimum, aut quemvis ſubalternum (ſi ut finis, non ut medium conſideretur) amari à nobis in hac vita, tam neceſſario, & præcipiti, ac non-libero amore, quam bruta amant, & agentia naturalia in actiones ſuas à natura præcipitantur; licet alicubi dicat: *Simpliciter voluntas eſt idem, quod voluntas ut natura: electio autem eſt idem, quod voluntas ut ratio; & proprius actus liberi arbitrij?* Item, an non refugeret fateri: Admitti poſſe (quantum eſt ex parte modi amandi finem) ſidera influere in actus voluntatis noſtræ circa fines, ſicut admittit *in aliorum animalium naturales inſtinctus*; negat vero in noſtras electiones?

D.Tho.3.p. q.18, a.1.

Idem lib.3 c.85 contra Gent.

Si enim electiones noſtræ, inquit, *evenirent ex impreſſione corporum cæleſtium, oporteret quòd naturaliter evenirent; ut ſcilicet ſic homo naturaliter eligeret operari ſuas operationes, ſicut naturali inſtinctu bruta operantur, & naturaliter corpora inanimata moventur. Non ergo erunt*, inquit, *propoſitum* (ſive voluntas, ut alij Ariſtotelem vertunt) *& natura duo principia agentia, ſed unum tantùm, quod eſt natura.. Cujus contrarium patet per Ariſtotelem in 2. Phyſic.* Ad utrum ergo membrum principij agentis pertinet voluntas finium?

An ad naturam, eo modo quo inſtinctus brutorum? Credat qui volet, ego cum M. Varrone dicam: *Cras fortè credam, hodie nihil.* An autem D. Thomas crediderit, neſcio. Hoc tamen ſcio: quòd etſi ſubinde dicat, amorem finis, ut finis eſt, *naturaliter*, vel etiam *inſtinctu naturali*, à voluntate produci;

alicubi

alicubi tamen, *produci naturaliter*, diſtinguat, à *produci per modum naturæ*. Quid ſi igitur amorem finis, ut finis eſt, produci naturaliter, non tamen per modum naturæ, exiſtimet? *Dicitur autem aliquid produci naturaliter*, inquit, *propter naturalem habitudinem, quam habet ad ſuum principium; per modum naturæ verò produci dicitur, quod producitur ab aliquo principio ſic producente, ſicut natura producit*: cum impetu videlicet effreni, & velut ab alio duriter acta, non tanquam ſeipſam agens placido ſuo nutu. Idem q. 10. a. 2. de Potent.

Denique perpendant illi Thomiſtæ, amorem finis, etiam ultimi, juxta S. Thomæ doctrinam, eſſe nobis in hac vitâ liberum libertate contradictionis, ut Artic. proximo dicemus: ergo non impetu brutali, & ad modum effectûs agentis naturalis elicitur. Cum tali enim impetu nulla contrarietatis, aut contradictionis vera libertas conſiſtere poteſt, ut Sanctus Doctor ſæpe repetit. Aliàs enim etiam in actibus noſtris primo-primis veram libertatem ineſſe quid vetaret?

ARTICVLVS VIII.

In omnibus actibus liberis hujus vitæ, libertas eſſentialis humanæ voluntatis uſque ad libertatem contrarietatis, vel contradictionis deſcendere poteſt.

LIbertas contrarietatis eſt, cùm voluntas poteſt hoc objectum, & etiam alterum ei contrapoſitum (ut v. g. virtutem & vitium) diligere.

Libertas verò contradictionis; cùm voluntas unum idemque diligere, & non diligere poteſt.

Omnes porrò res creatæ ſunt ejuſmodi, ut quantum eſt ex ſe, non ita rapiant voluntatem, quin propter rationes intrinſecas, vel extrinſecas ab intellectu voluntati propoſitas, poſſint reſpui, & aliud ipſis in amore, licitè vel illicitè, præponi. Vnde circa talia voluntas libertate contrarietatis paſſim eſt libera.

Circa verò beatitudinem, licet voluntas ita verſetur, ut oppoſitum velle non poſſit (*omnes quippe beati eſſe volunt, nemo* S. Auguſt. lib. 13. c. 3.

 miſer,

miſer, ut ait Auguſtinus;) eſt tamen libera libertate contradictionis,ut experientiâ patet,cùm à cogitatione beatitudinis intellectum liberè avertimus. *Poteſt enim aliquis de quocumque*
D.Tho.1.2. q. 10. a. 2 *objecto non cogitare* (inquit D. Thomas, de hac eadem libertate exercitij, ſive contradictionis diſputans;) *& per conſequens, neque actu velle illud.*

Cogitatione namque extinctâ, extinguitur conſequenter actus voluntatis, quæ in incognitum ferri nequit. Vnde quia cogitatio, ſeu cognitio objecti eſt principium neceſſarium ad eliciendum amorem finis,eo deſtructo,deſtruitur ille effectus.

Quidam autem ad hanc libertatem contradictionis ſufficere putant, ſi actus voluntatis quocumque modo, etiam naturali, ceſſet; ut ſi v.g. voluntas per ſupervenientem ſomnum, ab amando ceſſaret.

Quod profectò verum eſſe non poteſt.

Nam ſicuti, ſi amor inciperet per motum primo-primum naturaliter & non libere, etiamſi poſtea liberè deſineret; nemo inter illa duo contradictoria (amor & non-amor) libertatem contradictionis interceſſiſſe diceret; ita nec intercedit, quando ordine inverſo, amor liberè libertate eſſentiali (nullà intercurrente de ceſſando cogitatione) elicitur, & poſtea naturaliter, ac ſine ulla libertate ceſſat.

Nam iſta definitio potentiæ, libertate contradictionis, liberæ: *Quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt agere, & poteſt non agere*; ita, ſine dubio, interpretanda eſt, ut non tantùm agere, ſed etiam non-agere, ſit liberum, neutrum verò naturale; quales ſunt actus primo-primi, & omnes actiones, aut non-actiones, quæ à cauſis naturalibus non-liberis proveniunt. Vtrumque enim (& agere, & non-agere) ab illa excellenti & peculiari poteſtate ἐξουσίας, quam voluntas ſuper actus ſuos exercet, fluere debet & dependêre.

Vnde non ſolùm actio, ſed etiam non-actio cognoſci ab intellectu debet, & voluntati proponi. Quod expreſsè docet
S. Tho.1.2. q. 13. a. 6. S. Thomas: *Poteſt homo*, inquit, *velle & non velle, agere & non agere* (libertate contradictionis;) *poteſt etiam velle hoc, aut illud* (libertate contrarietatis.) *Cuius ratio ex ipſa virtute rationis*

accipi-

accipitur. Quidquid enim ratio poteſt apprehendere ut bonum, in hoc voluntas tendere poteſt. Poteſt autem ratio apprehendere, non ſolùm hoc, quod eſt velle, aut agere; ſed hoc etiam, quod eſt non velle, & non agere.

Et alibi probat, quòd *in poteſtate liberi arbitrij ſit, non uti habitu; quia poteſt hoc ipſum, quod eſt non uti habitu, ſibi proponi ſub ſpecie boni.* Idem q. 24. a. 8. de Verit.

Deinde libertas contradictionis eſt ſpecies quædam libertatis indifferentiæ, & electionis, non minùs quàm libertas contrarietatis: igitur ut voluntas ſuam indifferentiam vel erga actionem, vel erga actionis omiſſionem exerceat, intellectus aliquam utilitatem vel bonitatem tam actionis, quàm non-actionis, ante oculos voluntatis ſuſpendere debet. Nam etiam pura omiſſio actûs voluntatis, ut voluntaria liberaque ſit, & à voluntate emanare intelligatur, debet eſſe rationalis, ſeu ratione aurigante gubernari.

Quapropter falſum omnino videtur, quod quidam imaginantur: liberam ceſſationem actûs volendi poſſe à voluntate liberè effici, poſitis omnibus principijs & conditionibus ad eliciendum actum poſitivum volendi requiſitis; licet nulla nova ratio ex parte intellectûs accedat, quare voluntas debeat, aut poſſit actum illum volendi ſuſpendere.

Vt v. g. ſi intellectus propoſuerit voluntati omnes rationes, quæ ſuadent Romam proficiſcendum eſſe, & res etiam uſque ad judicium ultimum practicum deducta ſit, *Reſolve te ad volendum Romam proficiſci*; nulla prorſus allatâ ratione, aut factâ mentione, quare expediat ab hac eundi volitione ſuperſedere: aiunt illi Philoſophi, voluntatem nihilominùs pro ſuo arbitrio, & contradictionis libertate, poſſe actum illum volendi immediatè ſuſpendere.

Falſum hoc, inquam, & Ariſtoteli, S. Thomæ, & experientiæ contrarium eſt. Quomodo enim illa ſuſpenſio voluntaria, & rationalis erit, ſi voluntas interrogata, cur actum illum volendi ſuſpendat, nullam prorſus rationem reddere valeat? Voluntas etiam ſine ullo motivo movebitur, cùm nulla ei ab intellectu, illius ſuſpenſionis aut ceſſationis mentio

facta

facta fuerit? Profectò, ſi res iſta attentè inſpiciatur, non magis poteſt voluntas voluntarie ac liberè ceſſationem propriæ ſuæ actionis ſibi injicere, quàm aliud medium incogitatum, immediatè eligere, poſt hujus medij eligendi factam ab intellectu practico determinationem.

Vt enim tam actus, quàm ſuſpenſio actûs ſit in poteſtate voluntatis, neceſſe eſt, ut ſub poteſtatem iſtam adducatur per judicium intellectûs. Nam ideo *motus qui præveniunt judicium rationis, non ſunt in poteſtate hominis*, ut S. Thomas ait.

Idem 2. 2. q. 158. a. 2.

Alij verò ſpinas omnes & difficultates ſe tranſiliiſſe putant, dicendo, ad libertatem contradictionis ſufficere, ut bonum voluntati proponatur tanquam indifferens.

Si autem eos interroges, quid ſit, *proponi tanquam indifferens*: Reſpondent, *tanquam non neceſſariò amandum*. Vnde ſummum etiam bonum in hac vita, dicunt proponi voluntati ut indifferens; ideoque amorem ejus libertate contradictionis liberum nobis eſſe.

Sed ſanè, ſi bonum proponatur, tanquam non neceſſariò amandum, in iſto jam conceptu, non tantùm amor, ſed etiam non-amor ſatis expreſse relucet. Quid enim eſt, quod dicitur amandum non neceſſariò, niſi quod poteſt amari, & non amari?

Quanquam etiam nec ſpeculativus iſte conceptus, *potentiæ non amari*, in Peripatetica & S. Thomæ philoſophia, ad actualem ſuſpenſionem amoris ſufficiat; ſed ſpeculationem illam ad judicium practicum, *Noli hoc bonum amare*, deducere oporteat.

Si verò bonum tale (ut bonum ſanitatis, bonum divitiarum, aut ſummum etiam bonum) voluntati noſtræ ſimpliciter proponatur, nulla contrarij, aut contradictorij vel leviſſimâ interjectâ mentione; illud bonum liberè quidem poterit amari, ſed ſolâ eſſentiali, non accidentali contrarietatis vel contradictionis libertate. Cùm enim, ut ſuperiùs dixi, hæ duæ poſtremæ ſint cujuſdam indifferentiæ libertates, debent ab intellectu (ſive per deliberationem, ſive alio modo) proponi duo contraria, aut contradictoria, ſuis ſtipata rationibus,

ut ex

ut ex illa indifferentia deſcendatur ad judicium ultimum practicum alterutrius partis. Quod ſanè non fit, quando unicum bonum, & rationes amorem ejus tantummodò ſuadentes, voluntati objecta propoſitaque fuerunt. Nec enim per unici boni oſtenſionem, aperitur libero arbitrio laxitas & amplitudo illa, quæ ei neceſſaria eſt, ut intra eam verſet ſuam indifferentiam, & ex pluribus bonis tandem ſe determinet ad unum.

Quando tamen propoſito ſolùm unico objecto, voluntas, ſine actuali indifferentiâ inter amorem & ſuſpenſionem ejus, ex eſſentiali tantùm libertate, ad amandum ſe reſolvit; in ejuſmodi amore cenſetur eſſe virtualis quędam libertas contradictionis: quia cùm talis amor non ſit neceſſarius, & tam non eſſe, quàm eſſe poſſit; ſi intellectus pauliſper ſuper amorem iſtum ſe reflectat, ſtatim ſufficientem rationem invenire poterit, ut judicio practico imperet voluntati ſuſpenſionem ejus. Atque ita poteſtas ad ſuſpendendum cenſetur (propter judicium practicum tam propinquum & paratum) eſſe moraliter proximè expedita; quia, vulgato Philoſophi axiomate, *Quod parùm diſtat, nihil diſtare videtur*. Et ſicut ait D. Thomas: *Illud habere dicimus, quod in promptu eſt, ut habeamus. Sicut Geometer* (ex Geometriæ principijs) *modico ſtudio acquirit ſcientiam alicujus concluſionis, quam nunquam conſideravit.* Ariſt. lib. 2. c. 5. Phyſic. D. Tho. 1. 2. q. 65. a. 1.

In propria autem & formali contradictionis, vel contrarietatis libertate, quia deliberatio inter oppoſita, aut ſaltem utriuſque oppoſiti ante oculos voluntatis repræſentatio præceſſit; poteſt voluntas immediate, antequam judicium practicum de uno eligendo imperet, judicium de eligendo altero imperare; aut ſaltem judicium de revocanda ad examen priori deliberatione, ac tandem ſe determinare in oppoſitum, ſi ita viſum fuerit.

Nam ſæpe manet memoria prioris deliberationis, & argumentorum alterius partis (quibus ſubitò aliquid ad præponderandum adjici poteſt) uſque ad illud inſtans, quo voluntas judicium practicum de uno certo eligendo imperat. Unde voluntas facilè & ſubitò in alteram partem, ſuam indifferentiam

rentiam convertere poteſt. Antea enim Cap. VI. Artic. II. docuimus, voluntatem ex ſola cognitione ſpeculativa, ſine præcedenti alio judicio practico, poſſe ad imperandum intellectui judicium ultimum practicum, ſeipſam reſolvere.

Ex quo denique patet, quomodo in tali judicio practico à voluntate imperato, & in electione mox ſecuta, & à voluntate elicita, propria & actualis contingentia poſſit eſſe.

Ex doctrina verò jam tradita definitiones iſtæ poſſunt formari.

D. Tho. 1. 2. q. 6. a. 1. &c. Spontaneum, ſive voluntarium latè, eſt actus cujus principium eſt intrà, cum cognitione finis. Hoc latiùs patet, quàm liberum.

Liberum libertate eſſentiali, eſt actus quem voluntas ex poteſtate ſua principali ſibi imperat, directa ex ſufficienti judicio rationis.

Hæc eſt libertas, quam SS. Patres *naturalem*, & libertatem *à neceſſitate cogente* appellant, de qua S. Auguſtinus, S. Bernardus, & alij Patres loquuntur, cùm ajunt: *Ubi voluntas, ibi libertas.*

Iſta quoque libertas in contrarietatis & contradictionis libertatem, velut anima quædam, neceſſariò ſubintrat. Libertates enim accidentariæ ſine eſſentiali ſubſiſtere non poſſunt. Et hinc libertas contrarietatis & contradictionis dicuntur eſſe ſignum libertatis eſſentialis: unde & hæc eſſentialis libertas, per libertatis contrarietatis, & contradictionis indifferentiam, qua libertas eſſentialis inter oppoſita ſe verſat, tanquam per quid notius, ſolet explicari.

Si enim propoſito bono voluntas non neceſſariò in illud feratur, ſed poſſit ducem ſuum intellectum, ad aliud bonum, vel ad amoris ſui ſuſpenſionem conſiderandum avertere; ſignum eſt, non eſſe naturæ coactu ad unum ſerviliter determinatam, ſicut bruta, & agentia naturalia; quæ ad primum convenientis boni aſpectum, repentino & abrupto impetu in illud feruntur; ſed habere ſupra ſuos, & ducis ſui actus quandam reflexionem, & imperium: quos ideo non ſinat a natura ſibi extorqueri, ſed juſſu ſuo imperet in lucem exire.

Motus

Motus enim, ait S. Auguſtinus, *quo huc atque illuc voluntas convertitur, niſi eſſet voluntarius atque in noſtra poſitus poteſtate* (ἐξουσίας videlicet, ſeu in poteſtate illâ; qua voluntas potens & imperioſa ſui eſt;) *neque laudandus, cùm ad ſuperiora, neque culpandus homo eſſet, cùm ad inferiora detorquet quaſi quendam cardinem voluntatis.* S. Auguſt. lib. 3. c. 1. de libero arbit.

Qua poteſtate & cardine voluntatis, quia caret brutorum appetitus; licet cum aliqua indifferentiâ nunc in hanc, nunc in oppoſitam partem à natura expellatur; non tamen dicitur actus proprie voluntarios, aut in poteſtate ſua habere: unde etiam nec laude, nec culpâ ſunt digni.

Liberum libertate contrarietatis eſt, quod voluntas ſic agit, ut contrarium poſſit agere.

Liberum libertate contradictionis eſt, quod voluntas poteſt agere, & non agere.

Voluntas enim, ait D. Thomas, *indeterminata eſt reſpectu actûs: quia circa objectum determinatum poteſt uti actu ſuo* (quod libertatis eſſentialis eſt officium) *cùm voluerit, vel non uti. Poteſt enim exire in actum volendi reſpectu cuiuſlibet, & non exire* (ſi nempe rationes non exeundi, ab intellectu ei ſuggerantur, ut ex ipſo D. Thomâ ſuprà docuimus.) *Quod in rebus naturalibus non contingit. Grave enim ſemper deſcendit deorſum in actu, niſi aliquid prohibeat.* D. Tho. q. 22. a. 6. de Verit.

Denique vulgaris iſta potentiæ liberæ libertate contradictionis definitio: *Potentia, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt agere, & non agere*; recte ſe habet, ſi prout Ariſtotelis, & S. Auguſtini philoſophia flagitat, exponatur.

Non enim ſenſus eſt: quòd *omnibus requiſitis eodem modo ſe habentibus, nullo variato ex parte ſui, vel alterius*, ut Gabriel imaginatur, *potentia libera*, ſive voluntas, *habeat in poteſtate ita non producere ſicut producere*. Nam unum ex prærequiſitis ad agendum, eſt judicium practicum intellectûs, per quod, producere, ſeu agere, ponitur proxime in poteſtate voluntatis. Cum hoc autem judicio practico conſiſtere non poteſt aliud judicium practicum quo intellectus, propter certas alias rationes, ceſſandum ab actione judicat. Gabr. in 2. d. 25. q. 1.

Ad libertatem ergo illam contradictionis ſufficit, ſicut aliquoties antè diximus; ut voluntas, per poteſtatem illam imperatricem qua ſeipſam movet & regit, aliquod principium agendi variare, & ad conditiones requiſitas ad liberè non-agendum, ſe emovere poſſit.

ARTICVLVS IX.

An in appetitu inferiori aliquid naturalis libertatis inſit.

Medin. 1. 2. q. 74. a. 3.

SEntentia Cajetani eſt, quam Medina *novam & ingenioſam* appellat: In appetitu noſtro ſenſitivo aliquid libertatis ineſſe, quæ quidem ad peccatum veniale, non tamen ad mortale committendum ſufficiat.

Fundamentum Cajetani ſumitur ex D. Thomia: Quia ſicuti imaginativa eſt perfectior in homine quàm in bruto, propter conjunctionem cùm ratione ſuperiori, & emanationem ab eadem anima rationali; ita appetitus ſenſitivus hominis, propter ſimilem conjunctionem cum appetitu ſuperiori, & originem à nobiliori radice, aliquid excellentiæ, & *veſtigium quoddam libertatis*, inquit Cajetanus, *ſortitur.* Et inde eſt (quantum ipſe putat & interpretatur) ut S. Thomas, in ſenſualitate hominis, peccatum veniale, non mortale inveniri poſſe affirmet.

S. Thom. ibidem, & 1. p. q. 81. a. 3.

Sed ſi ſatis attentè D. Thomas legatur, dicet tantùm quod Ariſtoteles: *Duæ ſunt partes animæ quarum altera rationem per ſe habet, altera non habet quidem per ſe, verùm rationi obtemperare poteſt.*

Ariſt. lib. 7. c. 14. Polit.

Vbi Philoſophus nullam libertatem, aut libertatis aliud veſtigium inferiori parti animæ, ſive appetitui ſenſitivo donat, quàm quòd rationi obtemperare poſſit. Hoc autem facere poteſt, etiamſi omni prorſus (quantumvis tenuiſſimâ) libertate naturali careat. Nam manus, & alia id genus membra corporis, longè obedientiùs & ad nutum rationi parent, & tamen nullâ prorſus libertate prædita ſunt.

Imò ideo, inquiet Cajetanus, in appetitu noſtro ſenſitivo eſt quiddam voluntariæ libertatis, quia minùs obedit rationi, quàm membra externa corporis.

Ratio

Ratio enim & voluntas in membra corporis, *imperium deſpoticum*, ſive dominicum (quale eſt domini in ſervos ſuos qui reſiſtere non poſſunt) exercent; in appetitum verò inferiorem, *imperium politicum & regale* (quale eſt Regis in ſubditos liberos, qui jus interdum renitendi habent) ut eleganter Ariſtoteles docet. Igitur appetitus inferior aliquid libertatis habet, quo appetitui ſuperiori valeat reniti, nec, inſtar obnoxij mancipij, ſinat ſe perpetuò in conſenſum voluntatis, obtorto quaſi collo, abripi. Idem lib. 1. c. 5. Polit.

Attamen non ea Ariſtotelis mens eſt. Reniti enim appetitus inferior ſuperiori valet, etiamſi reniſus iſte non ſit motus liber (qualis eſt civium adverſus ſuum Principem reſiſtentia) ſed effreni & bruto impetu exiliat (ut agentia naturalia ſolent) adverſus rationis & voluntatis imperium. Nonnę enim conſpectâ formosâ virgine, caſti adoleſcentis voluntati, pruritus libidinis ſæpe reſiſtit, & in paraſtatis genitura bullit, motu non libero, ſed effreni & merè naturali?

Sic ergo paſſio appetitûs inferioris exurgere & tentatione ſuâ aſſultare voluntatem poteſt, naturali non libero aſſultu.

Et niſi D. Thomas (quidquid ei imponat Cajetanus) cenſuiſſet nihil eſſe in appetitu inferiori veræ & humanæ libertatis, nunquam, credo, dixiſſet, *Paſſiones ſecundum ſe non eſſe peccata, ſed ſecundum quod applicantur ad aliquod malum vituperari; ſicut & laudantur, ex hoc quòd ad aliquod bonum applicantur.* D. Tho. 2. 2. q. 35. a. 1.

Eſſent autem vera peccata, ſaltem venialia, ut etiam contendit Cajetanus, ſi verâ libertate adverſus rationem & voluntatem niterentur.

Vnde etiam in ipſo ſpiritûs & concupiſcentiæ carnalis conflictu; ſpiritu vincente, nec poſt concupiſcentias malas eunte; peccaret tamen homo, ſi non voluntatis, attamen appetitûs inferioris tali quali libertate. Nec uſque quaque verum foret illud Apoſtoli: *Si quod nolo, illud facio* (nempe, appetitu inferiori adverſus ſpiritum concupiſcente:) *iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatum.* Rom. 7.

Nam ſane liberè jam, & humano quodam, licet inferiori modo, illud operatur, ſi in appetitu illo ſenſitivo concupiſ-

cente, ſit aliquid veræ libertatis, quo illud, ratione quantumvis comprimere nitente, operatur.

Fatui denique, & ſomniantes, veri nominis peccato peccare poſſent; quia licet auriga voluntatis ratio ſopita ſit & ligata; vigilat tamen imaginatio, & appetitus inferior, qui ab imaginatione gubernatur; libertatemque ſuam, ſi quam haberet, in alicujus honeſti, aut dehoneſti facinoris affectum laxare poſſet. Peccata tamen in fatuis, aut ſomniantibus non admittit S. Auguſtinus, nec SS. Patres: qui uno conſenſu peccata non niſi voluntate committi dicunt. Nam S. Auguſtini oraculo: *Peccatum ſine voluntate eſſe non poſſe, veriſſimum eſt.*

S. Auguſt. lib. 1. c. 15. Retract.

Nec, quia appetitus hominis inferior ab eadem anima cum voluntate reſultat, debet ideo aliquid de libertate voluntatis participare.

Aliæ enim ſunt dotes, alia privilegia, quæ ex nobiliori iſta origine, & honeſtioribus natalibus ei debentur, ad quæ appetitus brutorum nequit aſpirare. Nam ſicut cogitativa hominis, propter emanationem ab anima intellectiva, ad infinita propemodùm, nullis ſenſibus externis percepta, in axe inferiori, ſub majori intellectûs rotâ ſe volvendo & diſcurrendo, excurrit, ad quæ imaginatio bruti pertingere non poteſt; ita appetitus noſter inferior, qui cogitativam ducem ſequitur, ad longè plura affectus ſuos extendere valet, quàm appetitus brutorum: licet non liberâ ſponte, ſicut voluntas, ſed naturali & brutali impetu hoc faciat.

ARTICVLVS X.

Quomodo appetitus ſuperior inferiorem, & inferior ſuperiorem moveat.

Ariſt. lib. 3. c. 11. de Anima.

ARiſtoteles ſimilitudine ſanè concinnâ, docet appetitum inferiorem à ſuperiori moveri, ſicut in cælis ſphæra ſuperior trahit inferiorem. Nam Mobile primum omnes ſphæras Planetarum ab Oriente verſus Occidentem rapit; nec tamen interim proprios motus ſiſtit, quibus

bus Planetæ contrario niſu regrediuntur ab Occaſu in Ortum. Sic appetitus inferior, licet à ſuperiori, in homine v. g. continente, ad temperantiam & virtutem abducatur; non tamen ſine rixa, qua in contrarium obnititur.

Accidit tamen præterea hîc aliquid, quod non poteſt in cælis. Nam cùm ibi ſphæra inferior ſuperiorem trahere non poſſit; appetitus tamen inferior ſuperiorem nonnunquam, ut in homine intemperante, ſecum abripit. Quomodo autem duo iſti appetitus ſe invicem ſollicitent, & in partes abducant, res ſanè in obſcuro & difficili eſt.

Medina exiſtimat tribus modis voluntatem poſſe appetitum inferiorem movere. Medin. 1. 2. q. 9. a. 3.

Primò, mediatè & indirectè, applicando videlicet intellectum ad alicujus objecti convenientis, aut diſconvenientis conſiderationem, ex qua judicium intellectivum, ac deinde mox phantaſticum in imaginatione, ſive cogitativâ hominis excitetur; à quo demum judicio phantaſtico proximè appetitus inferior moveatur. Hic autem modus eſt quidem indirectus, ſed maximè naturalis; quia eſt ex parte objecti, quod voluntas per operam intellectûs, & deinde ſensûs interni, ponit ante oculos appetitûs ſenſitivi, ut ab eo proximè & connaturaliter excitetur & moveatur.

Sic cùm homo timet pœnas Inferni, ait Medina, *per voluntatem movet intellectum, & per intellectum, imaginationem ad formandum aliqua phantaſmata pœnarum ut ignis urentis, vermis rodentis &c. Et exinde ſequitur paſſio timoris in appetitu ſenſitivo.*

Secundò, directe, ac per immediatum imperium, quod voluntas ab intellectu directa, exercere poteſt in appetitum inferiorem. *Sicut ſcribit Ariſtoteles de viro forti*, inquit Medina; *qui videns eſſe utilem iram ad pugnandum, vult iraſci. Et mulier, cui placet mors viri, excitat dolorem in appetitu ſenſitivo ad exprimendas lacrymas.*

Sed profectò Ariſtoteles non dicit, iram illam viri fortis à voluntate & intellectu immediate in appetitum inferiorem, quaſi per ſaltum, nulla intermediâ imaginatione, illabi. Nam proximus & naturalis auriga appetitûs inferioris eſt imaginatio; quæ-

tio; quæ fortaſſe non niſi per grande miraculum poteſt præteriri: ſicut in ſphæris cæleſtibus, Firmamentum nequit ſphæram Iovis, niſi commotâ intermediâ ſphærâ Saturni, ab Ortu verſus Occaſum rapere.

Deinde cùm judicium intellectûs, quo ſe regit voluntas, non ſit proximus & idoneus auriga rectorque appetitûs inferioris; tali ſolùm rectore velle uti, perinde eſt, ac nullo; & per conſequens, velle cogere appetitum inferiorem in incognitum ferri; quod palàm eſt impoſſibile.

S. Auguſt. Tract. 15. in Ioan. Nec S. Auguſtinus ſimile quid voluit, cùm dixit partem animæ inferiorem tanquam feminam, ab intellectu tanquam viro gubernari.

Non enim cenſuit ſic immediatè moveri & gubernari, ut nullum dictamen imaginationis (quæ eſt proxima & familiaris directrix appetitûs inferioris) deberet intercedere.

Nec uxor, quæ peſſimi mariti morte lætatur, & tamen ſimulare per lacrymas dolorem, honoris ſui intereſſe credit; per intellectum ſolum, oculos ſuos flere erudit, ut Poëta ingenioſus de feminis loquitur:

Vt flerent oculos erudière ſuos:

ſed etiam eruditio iſta ſeu ſuaſio ab intellectu primùm in imaginationem, tanquam hypodidaſcalam intellectûs, deinde in inferiorem appetitum defluit.

Et licet intellectus rationibus quandoque ſpiritalibus paſſionem in appetitu ſenſitivo excitari ſuadeat; imaginatio tamen idola quædam, tanquam altioris cogitationis rudimenta, formare poteſt, quibus argumenta intellectûs, ſenſibili & familiari ſuo modo, appetitui ſenſitivo intimet ac inſinuet.

Nec ullâ experientiâ contrarium conſtare poteſt; quandoquidem inter actus noſtri intellectûs, & imaginationis nullum fermè diſcerniculum advertere poſſimus: quia quamdiu anima corpori alligata eſt, *intelligit cum phantaſmatibus*, imò *intelligendo, phantaſmata ſpeculatur*, ut ſuperiùs ex Philoſopho expoſuimus; ideoque ſpiritalis intellectio in quadam veluti nube corporalium phantaſmatum ſic involuta & intricata eſt, ut

Ariſt. lib. 3. c. 8. de Anima.

ut actum intellectûs ab actu imaginationis diſtinguere, & evolvere nequeamus.

Fateor tamen, me à viris ſpiritalibus & Myſticæ Theologiæ devotis, precipuè à R. & Ven. illo Lovanienſi Capucino P. Io. Evangeliſtâ, de quo ſuprà hôc Lib. IV. Cap. IV. Artic. VIII. facta mentio, aliquando audiviſſe: ſolitũ ſe diſtinguere, quando intellectus ſuus & voluntas uterentur intermediâ operâ imaginationis, & quando non uterentur; ſed immediatè facultati loco-motrici manûs, in ſcribendo, vel pedis, in ambulando, imperitarent, imperioq; ſuo in functiones ſuas impellerent.

Sed non acquieſcebam. Nihil enim aliud ex narratione iſtâ ejus elicere poteram, quàm ἡγεμονικὸν, & principem illam partem imaginationis, quę cogitativa vocatur in homine, in ſumma cerebri arce reſidere, & quoties volumus quidpiam tranquillè cogitare, aut meminiſſe, ſpiritus animales eò per virtutem attractivam revocari, ac quietos in malaciâ quadam ibi retineri; ut intellectus cum miniſtrâ ſuâ cogitativá, tranquilla phantaſmata valeat, tanquam in regione ſuperiori ac ſereniori, contemplari. Non autem inde probari, intellectum imperando motum manûs aut pedis, operâ imaginationis non uti.

Cùm verò intellectus non ſic ſe elevat, ſed quaſi in inferiorem ſpirituum animalium regionem, ubi ſpiritus illi liberè diſcurrunt & tumultuantur, deſcendit ac velut ſe immergit; profectò obſcuriùs, tanquam in nubium regione, ac faciliimâ imaginationis ac memorię perturbatione, omnia intelligimus. Quod omnes, credo, ſi attentè ſe introſpiciant, fatebuntur; tamen mihi certè quotidiano meo experimento ſatis conſtat. Omnes enim pęnè intellectûs hallucinationes eveniunt, quia ipſe non ſat altè ſupra regionem phantaſmatum ſe elevat.

Tertiò, ex ſola redundantia voluntatis deorſum, ait Medina, appetitus inferior poteſt moveri. Probat: *quia ex triſtitia voluntatis de peccato ſpiritali, naturali conſequio, ſequitur triſtitia in appetitu: & gaudente voluntate de aliquo etiam non delectabili, ſequitur delectatio in appetitu.* Sed hic iterùm modus non placet, niſi commentariolo adjuvetur.

Triſtitia enim, aut delectatio voluntatis non defluit imme-

Ccccc diatè

diatè *per redundantiam* in appetitum inferiorem, quemadmodum liquorem ex lagena ſuperiori in inferiorem defluere videmus. Cùm enim triſtitia & delectatio ſint actus vitales tam ſuperioris quàm inferioris appetitûs; ut ex iſtis voluntatis affectibus, ſimiles in appetitum inferiorem defluant, debent inferiùs vitaliter excitari. Vt autem appetitus inferior vitales motus eliciat, oportet ut objectum triſte, vel delectabile per imaginationem ipſi repræſentetur. Naturale quippe ei eſt, ut nullum objectum proſequi, aut in eo delectari triſtarive valeat, niſi præeunte phantaſticâ imaginatiotionis face.

Suppoſitâ autem hac phantaſtica objecti cognitione, non abnuo quandam à voluntate in appetitum inferiorem redundantiam fieri poſſe, nullâ ex parte cognitionis objecti factâ mutatione. Hæc quippe S. Thomæ mens eſt & doctrina; S. Thom q. 25. a. 4 de Verit. cùm ait: *In viribus ordinatis adinvicem & connexis, ita ſe habet, quòd motus intenſus in una earum, & præcipuè in ſuperiori, redundat in aliam. Vnde cùm motus voluntatis per electionem intenditur circa aliquid, iraſcibilis & concupiſcibilis* (quæ ſunt duæ partes appetitûs inferioris) *ſequitur motum voluntatis. Vnde dicitur in 3. de Anima, quod appetitus movet appetitum ſuperior ſcilicet inferiorem, ſicut ſphæra ſphæram in corporibus cæleſtibus.*

Sicut enim intellectus, per quendam naturalis ſympathiæ conſenſum, trahit ſecum imaginationem, ad ejuſdem objecti rudem ſaltem aliquam contemplationem; ita voluntas (quando ſtante eadem cognitione intellectuali objecti invariatâ, proprio conatu ſuum amorem intendit) ſimili etiam ſympathia, ac per quandam veluti redundantiam, appetitûs ſenſitivi amorem accendit, eadem prorſus cognitione phantaſticâ circa illud objectum permanente.

Si enim voluntas, ſub ejuſdem planè & invariatæ cognitionis directione, adhibito ſolo majori conatu, amorem ſuum intendere valeat; nulla videtur ratio, cur appetûs inferioris (quem ſecum ut ſphæra ſphæram vehit) affectum non poſſit ſimili modo, ſolo ſympathiæ conſenſu, magis inflammare

In ſumma igitur, duo tantùm ſunt modi, quibus appetitus ſuperior inferiorem movet.

Primus, per propoſitionem objecti, miniſterio intellectûs & imaginationis ipſi factam.

Secundus, augendo, aut diminuendo amorem inferiorem ſenſitivum, per amoris ſuperioris intenſionem, aut remiſſionem.

Primum modum S. Thomas *ex parte rationis*, poſteriorem *ex parte voluntatis* appellat. S. Thom. ibidem.

Totidem etiam ſunt modi, quibus appetitus inferior ſuperiorem trahit.

Nempe, primùm ex parte objecti, mutando judicium intellectûs, & ducem voluntatis ſic deprimendo, ut conſentiat imaginationi, quæ eſt dux ſenſualitatis.

Deinde ubi utriuſque judicia inter ſe conſenſerint, ſenſualitas per immediatam ſympathiam intendere, & magis accendere poteſt amorem voluntatis. Et hoc ſenſu veram exiſtimo Medinæ opinionem, quam quidam, tanquam valde falſam, aſperè rejiciunt. Primus modus ſimilis eſt modo, quo ſubditus affectum Regis ad ſe trahit, corrumpendo Conſiliarios ejus: alter, quo amorem ejus immediatè ad ſe allicit. Prior eſt ordinarius, & maximè naturalis: ut videlicet vis paſſionis à ſenſualitate, ſeu appetitu inferiori, gradatim, ac per naturales quodammodò ſcalas, ad arcem voluntatis aſcendat. Medin. 1. q. 9. a. 2.

Primò enim paſſio ducem ſuum imaginationem movet, ut rem ſenſibilem fortiter apprehendat. Imaginatio deinde, per ſympathiam, intellectum ad ejuſdem rei contemplationem excitat: intellectus deinde proponendo objectum, ſecundum ſenſum amabile, voluntatem inflammat.

In iſto autem aſcenſu, intellectus præteriri nequit: quaſi ab imaginatione proximè ad voluntatem ſaltari poſſit. Imaginatio enim proximus auriga voluntatis naturaliter eſſe non poteſt: ſed ſicut voluntas Angelica, ita & humana, intellectu proximè aurigante, movere ſe debet.

Secundo modo ſenſualitas movet voluntatem, quando nulla

nulla nova ratio per imaginationem ſuggeritur, nec ipſa etiam imaginatio circa ſenſibile objectum intenditur; ſed ex naturali corporis complexione, vel actuali ejus alteratione, paſſio magis accenditur, & per ſympathiam, affectum voluntatis circa idem objectum ardentiùs inflammat.

Si enim aliquid ex voluntate in ſenſualitatem, per immediatam ſympathiam, delabi poſſit; non video, cur per eandem viam, ex ſenſualitate ad voluntatem aliquid ſurſum redire non poſſit.

Quotieſcumque verò uno, vel altero modo voluntas in conſensũ ſenſualitatis attrahitur, dicitur ſuperior animæ pars *aggravari, deijci* &c. quia amor ejus, qui ſurſum ſpectare deberet, ad terrena & inferiora amanda quodammodò deprimitur.

S.Ber. Ser. 81. in Cant. Sap. 9. *Peccato enim factum eſt*, inquit S. Bernardus, *ut corpus quod corrumpitur, aggravet animam, ſed amore, non mole.* Et de concupiſcentia carnali, in ardore concubitûs, dicit S. Auguſtinus, *quòd totum animum in ſe deiectum conetur attrahere.* Imò *animam, per carnem, factam eſſe carnalem, & defectivo appetitu quodammodò corporaſcere.*

S Auguſt. lib 2. c 29. de peccat. merit. Lib. 1 c. 33. de nupt. Lib. contra Secund. c. 11 Lib 2 c 8. de nupt. Lib. 1 c. 22. de nupt.

Vnde ſumus veluti *Centauri equi ſuis hominibus implexi*, ut eleganter olim Minutius Felix. Nam, ut rurſum S. Auguſtinus, *Gratiâ non ſubveniente, quid ſunt homines, niſi quod ait Apoſtolus Petrus, velut muta animalia, procreata naturaliter in captivitatem & interitum?* Ideo enim concupiſcentia iſta tam fortis & in mentem noſtram efficax, *Lex peccati*, ait alibi, *verbis Apoſtolicis nuncupata eſt; quòd hominem ſibi ſubditum fecerit, quia Deo ſuo ſubditus eſſe noluit.*

Præter hos autem ſurſum in animam, ſunt alij deorſum in corpus noſtrum corporales concupiſcentiæ influxus; quos Medici viribus imaginationis tribuere ſolent; non quia ab imaginatione proximè effluant, ſed quia imaginatio appetitui inferiori præeſt, ac eum ad talem influxum exſtimulat & accendit.

Ejuſmodi ſunt innumeræ alterationes, quas ad morbos, aut valetudinem corporis, paſſiones animi excitant, vel in toto corpore

corpore, vel in certis quibuſdam membris. Talis quoque eſt motus dilatationis cordis in gaudio, & reſtrictionis in triſtitia. Ex quo ſimili motu cordis, ut & cerebri, plurimæ in corpore alterationes accidunt. Nam per ſpiritus vitales cordis, aut animales cerebri, plerique corporales paſſionum effectus administrantur.

Sed ille mirus, & tamen familiariſſimus eſt. Quòd ad imaginationem cibi, aut potûs blandi & dulcis, non tantùm moveatur in appetitu inferiori orexis, ſed etiam ſaliva in ore bulliat, & dulceſcat.

Hoc autem fieri videtur, per naturalem quandam ſympathiam inter appetentiam cordis (vel motum pruritûs qui inde in ventriculum reſilit) & inter organum guſtûs. Dulcedinem verò ſalivæ, ex ſubitâ permixtione & temperaturâ ſpirituum vel vitalium vel animalium cum humore ſalivæ, reſultare puto. Siccitas enim ſpirituum cruditatem humoris in dulcedinem temperare, & veluti decoquere ſolet. Imò, ſi quid in omnium aliorum ſenſuum objectis dulce & blandum imaginamur, ſimilem ſalivæ in ore æſtum ac dulcediuem, largiùs aut parciùs, commovet. Quin imò, in meditatione ſpiritali, quando ſcintilla ardoris, à ſuperiori charitatis igne emuncta, in cor decidit; ſtatim etiam lingua hoc ſentit, & dulcedinem cordis teſtatur, quæ nullo tamen guſtu percipi poteſt. Sicuti enim quidquid blandum & jucundum eſt, *dulce* appellamus; ita, miro naturæ conſenſu, jucunditatis iſtius teſtimonium mox annunciat lingua, quæ organum eſt illius ſensûs qui propriam dulcedinem percipit.

Aut dicere poſſumus: cor eſſe epicylum amoris, tanquam blandi cujuſdam ſideris; cujus Influentia illicò in oculos, & linguam manifeſtè exilit. Ad amorem quippe jucundæ rei, ſtatim ſuis ſpiritibus clareſcunt & hilareſcunt oculi, lingua verò ſalivæ dulcis oſculo palatum ſuum allambit.

CAPUT VIII.

De Habitibus.

QVia in appetitu maximè, tam ſuperiori quàm inferiori, ex actibus ipſorum, veſtigia quædam impreſſa relinquuntur, quæ vocamus habitus; ideo hîc ἐν τύπῳ, ac ſummatim, materiæque ſuperficiem ſtrictim veluti deflorantes, de habitibus pauca addemus; plenam materiam, in partes ſuas diſſecandam, tradentes Philoſophis Ethicis.

ARTICVLVS I.

Quid ſit habitus, & unde producatur.

IN quibuſdam potentijs animæ, poſt breve aut longum exercitium, manere quandam in agendo facilitatem & promptitudinem, experientiâ eſt notiſſimum. Hanc Philoſophi Græci ἕξιν, à verbo ἔχειν *habere*, ideoque Latini meritò *habitum* appellaverunt.

Senec. Epiſt. 113. Seneca verò etymologicam hujus nominis rationem ſuggere nobis videtur, cùm de habitu virtutis ait: *Virtus nihil aliud eſt, quàm animus quodammodò ſe habens.*

Igitur habitus inde nomen accepiſſe videtur; quòd animus per eum certo quodam modo ſe habeat, & affectus ſit.

Eſt autem habitus, non otioſa tantùm quædam potentiæ ad futurum actum diſpoſitio, ſed promptitudo efficax, quæ cooperando adjuvat potentiæ activitatem. *Habitus enim*, inquit D.Tho.1.2. q.71.a.3. D. Thomas, *eſt cauſa actûs, in genere cauſæ efficientis.*

Hinc facilitatem, & pronitatem majorem in operatione talis potentiæ, anima experitur: ex qua deinde delectatio quædam peculiaris reſultat, quæ non erat in operationibus, quas antè potentia ſola, ſine habitu eliciebat. Vnde *qui peccat* Idem 1.2. q.78.a.2. *ex habitu*, ait S. Thomas, *ſemper gaudet de hoc, quod ex habitu operatur, quamdiu habitu utitur.* Delectatio enim quædam, per

modum

modum proprietatis reſultat ex actu, qui cum illa facilitate ab habitu effluit. Vnde dura & aſpera, *paulatim voluptati ſunt, quæ neceſsitate cæperunt*, inquit Seneca. Senec. lib. de provid. c. 4.

Si tamen mel iſtud, infusâ aliunde majoris doloris amaritudine quaſi ſuffocetur, anima amittit delectationis ſenſum: ut in illis accidit, qui dolentes, ex conſuetudine tamen, quam deteſtantur, peccant. Qualis in principio converſionis Auguſtinus; de quo ipſe ad Deum: *Voluntas nova quæ mihi eſſe cæperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus ſola certa iucunditas, nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova, illa carnalis, iſta ſpiritalis, confligebant inter ſe, atque diſcordando diſsipabant animam meam.* S. Auguſt. lib 8 c. 5. Confeſſ.

Pronitas verò habitûs, & veluti niſus quidam, aviditaſque ad operandum, ex actibus repentinis, quibus potentia ad agendum perpetuò quaſi ſollicitatur, maximè intelligi poteſt. *In repentinis enim*, inquit D. Thomas, *ſignum interioris habitûs præcipuè accipi poteſt.* Sunt enim repentini iſti actus (non inamœnâ Ariſtotelis comparatione) famulis expeditis, & ſemper currere prurientibus ſimiles, qui ante auditum totum domini imperium, foràs emicant, neſcientes quò & quare. Tam promptus autem & præceps actuum excurſus, antecedentem potentiæ promptitudinem, quæ ex inclinatione habitûs provenit, ſignificat. D. Thom. lib. 3. c. 160. contr. Gent. Ariſt. lib. 7. c. 7. Ethic.

Licet vero habitus per actuum frequentationem acquiſiti, talem promptitudinem potentiæ ſuæ addant; non omnes tamen habitus id faciunt. Nam habitus ſupernaturales ex pronitate & facilitate potentiæ agnoſci non poſſunt. Non enim ad facilitandam merè potentiam, ſed ad elevandam ipſam ad actus ſuperioris ordinis, facti ſunt. Vnde iſti habitus aliquid de ratione potentiæ participant. Licet enim activitatem quandam imperfectam & inchoatam in potentia ſua ſupponant, quam ad actus ſupernaturales elevant; hæc tamen inchoatio, inferioris ordinis eſt, & prima activitas ſupernaturalis ab ipſo habitu incipit. Potentia enim, niſi ab habitu ſupernaturali, vel ab alio ſupplente vicem habitûs, ele-

vetur,

vetur, nullum omnino actum ſupernaturalem elicere valet.

Deinde nomen *habitus* tam latè aliquando ſumitur, ut ſpecies, quibus potentiæ cognitivæ in operationibus ſuis utuntur, comprehendat. Species verò iſtæ non tantùm ad promptitudinem potentiæ dandam, ſed ad ſubſtantiam actûs ejus, ſunt ſimpliciter neceſſariæ. Vnde ſpecies longè alterius rationis habitus ſunt, quàm illi qui in appetitu ſuperiori, aut inferiori, ex actibus frequentatis generantur. Sine talibus quippe habitibus acquiſitis, potentia actus ſuos elicere poteſt; imò generatio habitûs à primo potentiæ actu incipere debet.

D.Tho.1.2. q.67. a, 2. Licet autem S. Thomas ſpecies intelligibiles, quandoque habitus & *virtutes intellectuales* appellet; ſæpius tamen habitus, in ratione tam ſuperiori quàm inferiori, à ſpeciebus diſtinguit. Nam de habitu memorativo: *In viribus ſenſitivis apprehenſivis interiùs*, inquit, *ponuntur aliqui habitus. Quod patet ex hoc præcipuè, quòd Philoſophus dicit in Libro de Memor. quòd in memorando unum poſt aliud, operatur conſuetudo; quæ eſt quaſi quædam natura. Nihil autem eſt aliud habitus conſuetudinalis, quàm habitudo acquiſita per conſuetudinem, quæ eſt in modum naturæ.*

Vbi probat, in memorativa hominis eſſe quoſdam habitus; non quia ſunt ſpecies in theſauro illo memoriæ reconditæ, ſed quia ex ipſo ſpecierum memorativarum uſu, habitus & habilitas quædam acquiritur, & ibi relinquitur, ad ſimilem ſpecierum uſum, & reminiſcentiam unius poſt alterum. Quod in memoria, qua quis longam v.g. Ciceronis Orationem, ſæpicule recitando, memoriter addiſcit, eſt evidentiſſimum.

Vnde habitus intellectûs (quales ſunt ſcientiæ, opiniones &c.) propriè vocamus, non ſpecies intelligibiles, quæ ad ſimplices conceptus de rebus formandos, inſtruunt & juvant intellectum; ſed inclinationes quaſdam, quæ ex judicijs naturali lumine intellectûs expreſſis, in memoria intellectiva relinquuntur.

Ex jam dictis, habitus generaliter, & ut etiam ſpecies tam intelligibiles, quam ſenſibiles complectitur, definiri poteſt: Qualitas ſuperaddita potentiæ naturali, ad adjuvandam operationem ejus. Habitus acquiſiti adjuvant facilitando; reliqui ad

qui ad actus ſuperioris ordinis elevando (quod faciunt habitus ſupernaturales,) aut præbendo potentiæ neceſſarium concurſum ex parte objecti : quod proprium ſpecierum officium eſſe, hodie Philoſophi paſſim exiſtimant.

In Philoſophia tamen S. Auguſtini (imò Ariſtotelis, quàm Libris ſuperioribus approbavimus,) ſpecies non ſunt qualitates naturalibus potentijs, ad adjuvandam effectivè earum activitatem, ſuperadditæ; ſed ſunt proxima quædam ſenſitivæ, vel intellectivæ cognitionis objecta; per quæ potentia, tanquam per ſpecimen & imaginem ulterioris objecti ad objectum iſtud ulterius pertingit.

Et ſanè ſpecies ſenſibiles tam externi, quàm interni ſensûs, non videntur eſſe qualitates potentijs ſenſitivis naturâ ſuâ inhærentes: cùm ſpecies v. g. viſibiles, inſtar radiorum luminis, per aërem ad oculum trajiciantur, & in aëre ſubjectentur : ſpecies verò phantaſticæ in ſpiritibus animalibus, per omnes cerebri cuniculos & meatus ambulent.

Producuntur autem habitus acquiſiti, non ab ipſa immediatè potentia, ut quidam hodie philoſophantur; ſed ut Ariſtoteles, D. Thomas, & vetuſtior meliorque Philoſophia docet, ex actibus proximè, tanquam eorum quædam veſtigia, in potentia relinquuntur : ac per novorum actuum quaſi inculcationem, radicem altiùs figunt & intenduntur. Ariſt. lib 2. c. 1. 2. Ethic. &c.

Habitus tamen ſupernaturales non per actus, ſed à Deo infunduntur, nec actibus etiam phyſicè intenduntur. Tales enim habitus ſunt inſtar potentiarum ſupernaturalium, quæ ad multa genera actuum ſe extendunt; adeoque longè ſuperiores & nobiliores ſunt ſingulis actuum ſpeciebus, à quibus (non tanquam à cauſis tantùm inſtrumentarijs, ſed principalibus) deberent intendi. Nulla tamen cauſa principalis phyſicè efficiens, ſuo effectu ignobilior poteſt eſſe.

Quomodo igitur, inquies, ex actuum ſupernaturalium frequentatione, facilitatem operandi ſentimus creſcere, ſi actus ſupernaturales non intendunt ſuum habitum?

Fatendum eſt, ex actibus habituum ſupernaturalium quaſdam etiam ad actus quodammodò ſimiles in intellectu noſtro, aut voluntate inclinationes & pronitates naſci. Vnde

nullo certo experimento deprehendere poſſumus, an actu ejuſmodi ex habitibus naturalibus, an ſupernaturalibus ema nent. Vnde ex actibus ſupernaturalibus videntur habitus qu dam inferioris ordinis progigni, qui facilitatem quandam ac dant potentiæ, & quorum actus, quamvis ordinis naturalis, a actibus ſupernaturalibus nequeamus experientiâ diſtinguer

Quod faciliùs fortaſſe intelligeretur, ſi habitus iſtos, no ab actibus ſupernaturalibus, ſed á potentiâ ipsâ naturali, p actus ſupernaturales determinatâ, phyſice diceremus produc

Sed nihil etiam erit abſurdi (imo probabilius eſt) ſi, v luti de ceteris habitibus, ita de iſtis aſſeramus eos ab actib phyſicè effici, ac potentiæ inculcari.

Quid enim vetat, à cauſa ſublimioris & ſupernaturalis o dinis, aliquem effectum in inferiori ordine produci?

Certè experimento manifeſtum eſt: Catholicum qui hæreſim, aut apoſtaſiam à fide excidit, recordari aſſenſu fidei, quos olim in Religione Catholica elicuit. Igitur v ſpeciem intelligibilem, vel habitum in intellectu aſſenſus i reliquerunt, per quem hæreticus iſte actuum præteritoru ſupernaturalium poſtea recordatur.

Deinde, ſanctæ animæ, ſolitæ ſperare in Domino, & ama eum, ſi per ſuperveniens peccatum, habitum ſpei, aut charit tis ſupernaturalis amittant, aliquam tamen adhuc permane tem ad ſperandum, vel amandum Deum inclinationem, ve riſque vitæ quaſdam veluti reliquias experiuntur: quæ nil aliud eſſe videntur, quàm habitus quidam & impreſſion naturales ex antiquis actibus reſiduæ.

Tales autem naturales habitus nullo modo amplitudine habitús ſupernaturalis adæquant, ſed ſinguli particulare a quod objectum, intra latitudinem objecti adæquati habi ſupernaturalis comprehenſum, actuſque ſolùm quoſdam ci particulare illud objectũ elicitos, & eliciendos reſpiciunt. Q enim ex Catholico in hæreſim delabitur, non circa omne fidei Catholicæ Articulum aliquam inclinationem ſervat, ſ circa illos tantùm, quibus aliquando & ſæpe, in Eccleſia C tholica aſſenſus eſt.

ART

ARTICVLVS II.

In quibus potentijs generentur habitus.

NVlla animæ potentia certiùs habituum capax eſt, quàm voluntas. Eſt enim ſola formaliter libera, & ad virtutum vitiorumque moralium actus indifferens, ex quibus deinde permanentes habitus in ea potentia generantur.

Finis namque, cur à Deo & naturâ habitus inventi inſtitutique ſint, fuit, ut variâ quaſi ſupellectile inſtruerentur quædam potentiæ, quæ intra ſphæram activitatis ſuæ, ut ſic dicam, varietatem quandam objectorum partialium continent, ad quæ per habitus determinari, & adjuvari debent; ut activitate potentiæ per habitum roboratâ, ipſa faciliùs per obſtantes difficultates valeat penetrare, & in actus ſuos exire.

Intellectus deinde, non ſolùm ſpecierum intelligibilium, quas vel ex phantaſmatibus immediatè haurit, vel ex prioribus ſuis conceptibus ſibi fabricat; ſed etiam propriorum habituum, tam ſpeculativorum, quàm practicorum eſt capax. Habitus practici ſunt artes & prudentia. Speculativi, Phyſica, Metaphyſica, Mathematicæ, & tot aliæ diſciplinæ.

Senſus quoque interni ſpecies ſuas ſenſibiles, & habitus quoſdam habent, quos per uſum, & ordinationem ſpecierum ſibi acquirunt; ut de potentia memorativa, ex S. Thoma, Artic. præced. audivimus. S.Tho. 1. 2. q. 67. a. 2.

Sicut verò cogitativa hominis, propter conjunctionem cum ratione ſuperiori, ratio inferior appellatur, & longè nobilior eſt, quàm imaginativa bruti; ita quoque nobiliores habitus, motibus illis quibus in obſequium rationis ſuperioris trahitur, ſibi comparat. Adeo, ut etiam prudentiæ cujuſdam habitus in ea ſit, quo virtutes illas morales, quas Ariſtoteles & D. Thomas in appetitu inferiori collocant, gubernat. D.Tho 1.2. q. 56. a. 4.

Virtutes autem iſtæ ſunt temperantia, in parte concupiſcibili, fortitudo in iraſcibili. Cùm enim utraque iſta appetitùs

titùs inferioris pars continuò rebellet ſuperiori, in illa habitus quarundam virtutum ponuntur, ut ſint ipſis tanquam frena quibus cohibeantur, ne tam ferociter partem animæ ſuperiorem aſſiliant, ſed obedientiùs ſe reflecti ſinant intra rationis gyrum.

Vaſq. 1. 2. d. 87. c. 2. Multi tamen Scholaſtici negant veram virtutem temperantiæ & fortitudinis reſidere in appetitu inferiori, ſed in voluntate; quæ ſola, inquiunt, in honeſtatem virtutis aſſurgere valet. Habitum tamen aliquem, qui ſi non perfecta virtus, certè tamen rudimentum quoddam virtutis temperantiæ, & fortitudinis ſit, ab appetitu inferiori non reſpuunt.

In ſenſibus verò externis, aut eorum organis, præter ſpecies ſenſibiles ab objectis externis impreſſas, nulli proprij habitus admittuntur. Actus enim iſtorum ſenſuum ne quidem ſpeciem ſui in potentijs ſuis relinquunt, ſed eam in ſenſus internos tantùm trajiciunt. Nulla verò potentia acquirit habitum, niſi quem proprij actus, tanquam veſtigium ſui, eijus potentiæ imprimunt.

Deinde potentia quæ capax eſt habitûs, debet poſſe uti habitu in abſentia objecti. Ideo enim actus relinquunt in potentia ſua habitum, ut eo valeat uti, quando voluntati allubeſcit, ſive objectum abſens ſit, ſive præſens. Habitibus enim utimur, cùm volumus, ut vulgare Philoſophi axioma habet. Senſus autem externi à natura ſolùm inſtituti ſunt, ut circa ſenſibilia præſentia tantùm ſe exerant, aut ſtatim ubi primùm evanuerint: ſi verum eſt, ſonum, etiam poſtquàm evanuit, auditu percipi.

In facultate denique loco-motiva nulli proprij habitus ſunt: ſed in ejus organo habilitas tantùm quædam & diſpoſitio corporalis, per frequentes actus gignitur. Qualis in digitis citharizantium, aut pedibus ſaltantium eſt mollities, & flexibilitas nervorum, qui potentiæ loco-motrici deſerviunt. Propria verò ars, quæ habitus eſt, reſidet in mente.

In brutorum autem appetitu, & imaginativâ, cur habitus quidam ſaltem imperfecti non concedantur, non ſatis intelligo. Profectò enim canes aſſuetudine multa ab hominibus

doc-

docentur imaginari, & amare, vel odiſſe.

Et licet bruta tali habitu non utantur cùm volunt, quia voluntatem & libertatem nullam habent; uſus tamen voluntarius non videtur ad eſſentiam habitûs, ſed ad accidens quoddam tantùm pertinere.

Atque hîc tandem, ante abſolutam quam animo delineaveram ſcriptionis meæ ideam, calamum pono. In calce enim Libri I. de intellectûs, & voluntatis, virtutumque intellectualium, ac moralium objectis, hôc Libro IV. multa dicere, & ad introſpicienda Ethicæ Ariſtotelis, & Theologiæ practicæ interiora, velut feneſtras quaſdam aperire propoſueram. Quæ jam, nimiæ longitudinis metuens, in denſam Moralis ſcientiæ ſilvam rejicere malui.

Interim ſi quid dilucidè, aut ſimile vero, in omnibus iſtis Libris, à nobis aſſertum, aut diſputatum eſt, id non mihi ingenijque mei tenebris, ſed ſupernæ gratiæ lumini adſcribi volo. Cui laus & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

FINIS.

BIBLIOTECA ... VITTORIO EMANUELE

INDEX CAPITVM ET ARTICVLORVM

LIBRI I.

De Anima in genere.

CAP. I. Quid ſit Anima. pag. 1.

ART. I. Quid Philoſophi veteres de anima ſint opinati. 2

ART. II. An anima nihil ſit aliud, quàm temperies ſui corporis, aut ſpiritus vitales, ut Medicis quibuſdam, & Epicureis placet. 5

ART. III. Medici quidem Hippocratem & Galenum ab errore Epicureorũ liberare conantur. 7

ART. IV. Animam non accidens, ſed ſubſtantiam eſſe. 9

ART. V. Non ſola anima, ſed formæ etiam quædam inanimæ aliquam partium materiæ ſuæ conformationem flagitant. 10

ART. VI. An lapides & metalla vivant, ut placet Cardano, Campanellæ, & alijs. 14

ART. VII. An terra vivat, ut Keplerus contendit. 17

ART. VIII. An ſidera ſint animata. 23

ART. IX. Definitio animæ. 28

ART. X. Quid vita ſecunda, ſive actio vitalis. 31

CAP. II. De conformatione corporis animati. 34

ART. I. Anima ſeminis non conformat prima membra fœtûs. Valleſius, Sennertus, Scaliger, Argenterius &c. rejecti. ibid.

ART. II. Opinio Argenterij, & quorundam Medicorum, qu animam rationalem ſemini ad huc informi, ad illud confor mandum, ineſſe dicunt, ex ſacri litteris refelli poteſt. 3

ART. III. An ſolus Deus confor met membra corporis human in ventre matris. 4

ART. IV. Angelos non eſſe fabro primi domicilij animæ. 5

ART. V. Nec anima matris eſt cauſa efficiens conformationis ſu fœtûs. 5

ART. VI. Virtus inanimati ſeminis à parentibus deciſa, prima fœtûs ſtamina in utero matris ordi tur. 59

ART. VII. Rejiciuntur quæ contra hanc inanimati ſeminis vim conformatricem objici à quibuſdam Medicis ſolent. 65

ART. VIII. Vis formatrix quæ eſt in ſemine animalis, poſt inductam animam vialem vegetativam, uſque ad formam membrorum animalis, materiam conformare pergit. 71

ART. IX. Iul. Scaligeri, & aliorum de ſucceſſione animarum dubitationes diſſipantur. 76

CAP. III. De diviſione animę in vegetativam, ſenſitivam, & rationalem. 82

ART. I. An tres iſtæ animæ ſpecies ſint

ſint infimæ, an genera ſubalterna. 85
CAP. IV. De unione, qua anima corpus organicum informat. 89
ART. I. An unio animæ rationalis ad corpus ſit ſpiritalis, an materialis. 90
ART. II. An animæ animalium imperfectorum, quæ ἔντομα, ſeu inſecta vocantur, ſint totæ in qualibet parte ſui corporis. 93
ART. III. An animæ animalium perfectorum ſint totæ in qualibet corporis parte. 96
ART. IV. Quare S. Auguſtinus putaverit animas animalium inſectorum etiam indiviſibiles. 103
CAP. V. De unitate & multitudine animarum in eodem corpore. 105
ART. I. Philoponi opinio, de pluralitate animarum in eodem homine, non ſatis validè à quibuſdam recentioribus rejicitur. 106
ART. II. Opinio Philoponi & Occami nimis gravi Cenſurâ à Toleto & alijs notari videtur. 108
ART. III. Vnica anima eſt in unoquoque homine, quæ ex tribus gradibus vegativo, ſenſitivo, rationali, ſolâ ratione diſtinctis coaleſcit. 111
ART. IV. An formæ quædam ſubſtantiales inanimæ, præter animas, in viventibus ſint ponendæ. Et primùm, An elementorum formæ. 115
ART. V. An in corpore animato, præter animam, ſint formæ ſubſtantiales inanimæ organorum & membrorum, ut oculi, auris, cerebri, cordis, carnis, oſſis &c. 120
ART. VI. Medica quoque pro formis organicis argumenta parum valent. Fernelius, Valleſius, alijque confutati. 127
ART. VII. Nec argumenta Theologica ſatis fortiter formas organicas aſſerunt. 135
ART. VIII. An anima ſit in omnibus partibus ſui corporis. 142
ART. IX. An anima per partes ſui homogeneas, an heterogeneas, omnia membra corporis ſui informet. 145
CAP. VI. De potentijs animæ in genere. 152
ART. I. Potentiæ vitales realiter ab anima diſtinguuntur. ibid.
ART. II. An Ariſtoteles diſtinxerit potentias ab anima. 158
ART. III. An S. Auguſtinus potentias ab anima diſtingui exiſtimaverit. 160
ART. IV. Quid adverſus diſtinctionem potentiarum ab anima objectent Nominales. 166
ART. V. Potentiæ organicæ in quo proximè ſint ſubjecto. 171
ART. VI. Potentiæ animæ ſpeciem & diſtinctionem ſuam ſumunt ab objectis. 177

LIBRI II.

De Anima vegetativa.

CAP. I. Quid anima vegetativa. 185
CAP. II. De Alimento. 186
ART. I. An alimentum debeat eſſe corpus mixtum. 187
ART. II. An ſpiritus odoriferi carnium, florum, tabaci &c. alimentum eſſe poſſint corporis humani. 191

ART. III. An ſpiritus tabaci naturale jejunium ſolvat. 192
ART. IV. An alimentum debeat eſſe ignobilius vivente. 196
ART. V. An carnes crudæ in cibo utiliores coctis. 200
ART. VI. Vtrum aſſis, an elixis carnibus veſci utilius. 202
ART. VII. An edere carnes expediat Muſarum cultoribus. 204
ART. VIII. An Scaliger meritò reprehendat Cardanum, Quòd dixerit ſtudia ad vitæ longitudinem conferre. 209
ART. IX. An vini potus ſit hominibus ſalutaris. 214
ART. X. An varietas cibi ac potus utilior, quàm ſimplicitas. 219
ART. XI. Quo ordine ſumi debent à nobis alimenta. 224
ART. XII. Plurimi Medici ſuadent cænam largiorem prandio. 230
ART. XIII. Litterarum tamen ſtudioſis cæna prandio parcior & ſiccior convenit. 233
CAP. III. De chyloſi, ſeu prima concoctione quæ fit in ventriculo. 236
ART. I. De vi aliméti attractrice. 237
ART. II. Qua ratione alimentum coquatur in ventriculo. 242
ART. III. Quanto tempore ventriculus indiget, ut chylum perficiat. 247
ART. IV. Quanto tempore indigent ſpecies Euchariſticæ, ut à ventriculo corrumpantur. 251
CAP. IV. De chymoſi. 254
ART. I. Qua ratione ſanguis generetur in hepate. 255
ART. II. An ſicut ſanguis in hepate, ita vinum in uva generetur. 2
ART. III. An ſanguis ſit animatu
275
ART. IV. De triplici ſpiritu, qui ſanguine gignitur. 2
ART. V. De lacte, & ſemine. 2
CAP. V. De nutritione. 2
ART. I. Quid nutritio. Quid a cretio. 2
ART. II. Qua proportione par corporis humani accreſcant. 2
ART. III. An nutritio & accre ſint mutationes continuæ. 3
ART. IV. De tertiæ concoctio excrementis. 3
ART. V. An ſalutaris pileolor uſus, quibus jam paſſim caput gimus. 3
ART. VI. An crines vivant. 3
ART. VII. An vivens maneat id ante & poſt accretionem. 3
ART. VIII. Quibus gradibus aſc dant incrementa humani corp ris. 3
ART. IX. Decrementum, & ſe ctus hominis. 3
ART. X. Imago ſenectutis parab cè depicta ab Eccleſiaſte. 3
CAP. VI. De Generatione. 3
ART. I. Quid generatio.
ART. II. Ad quotum conſangui tatis gradum natura matrim nia refugit. 3
ART. III. Principia generatio fœtûs.
ART. IV. De humore diſtillati 356
ART. V. Cur pollutio vetita naturæ.
ART. VI. An licitum ſit, fœtum animatum expellere.

A

ART. VII. An in ſemine humano ſit morbida aliqua qualitas, ſeu peccati fomes, qui animam rationalem ei infuſam maculâ originali inficiat. 370
ART. VIII. S. Anſelmus à ſententia S. Auguſtini non recedit. 373
ART. IX. Quidnam ſit illa morbida qualitas ſemini inhærens; qua generans, prolem ſuam peccato originis inficit. 377
ART. X. Quomodo verum eſt quod docet S. Auguſtinus, morbidam concupiſcentiæ qualitatem pravâ conſuetudine augeri, continentiâ diminui. 382
ART. XI. An in ſemine femineo ſit etiam ejuſmodi qualitas morboſa. 385
ART. XII. An pudor concubitûs, & partium verendarum, ex peccato primi parentis ortû habuerit. 391
ART. XIII. Cur potiùs genitalibus, quàm ceteris membris pudor & velamen additum ſit. 401
ART. XIV. Qua ratione fœtus in utero conformetur. 408
ART. XV. An unum membrum citiùs altero conformari incipiat. 414
ART. XVI. Quando fœtus in utero animetur. 417
ART. XVII. An inter animam vegetativam embryonis, & rationalem, neceſſe ſit animam ſenſitivam intercedere. 427
ART. XVIII. Quænam cauſa principalis efficiens introductionis animæ in materiam fœtûs. 431
ART. XIX. Vnde difficultas & dolor humani partûs. 442
ART. XX. An in ſtatu innocentiæ, feminarum partus ſine dolore eſſe potuerit. 446

LIBRI III.

De Anima ſenſitiva.

CAP. I. Quid Philoſophi quidam de animabus brutorũ ſenſerint. 466
ART. I. Quibus argumentis, quidam animas brutorum, rationales eſſe contendant. 467
ART. II. Animæ brutorum irrationales, & merè ſenſitivæ ſunt. 472
ART. III. Argumenta Plutarchi, Vallæ, Bodini, Campanellæ, & aliorum, quibus animas rationales brutis inſerunt, diſſolvuntur. 476
CAP. II. De ſenſu in genere. 483
ART. I. Quot ſint ſenſus externi. 484
ART. II. Quotuplex ſit objectum ſensûs. 486
ART. III. Diſputatio antiqua inter Peripateticos, Academicos, & Epicureos de errore ſensûs. 489
ART. IV. An ſenſus per irradiationem defluant à cerebro, an ſuis quiſque organis ſtabiliter inſideant. 492
CAP. III. De objecto visûs. 506
ART. I. Quid lumen. ibid.
ART. II. Quid color. 508
ART. III. An in tenebris ſint colores. 515
ART. IV. An color ſpecie diſtinguatur à luce. 521
ART. V. An color videatur in ſolis corporum opacorum ſuperficiebus. 526
ART. VI. An color videatur per aliquas ſpecies, per mediũ diffuſas. 532

ART. VII. An ſpecies viſibiles ſint alterius naturæ ſpecificæ à ſuis coloribus. 537
ART. VIII. Oculi fabrica. 542
ART. IX. Vbi viſio fiat. 546
ART. X. An ſpecies viſibiles activè ad viſionem concurrant. 553
ART. XI. Qua ratione ſpecies viſibilis concurrat ad viſionem. S. Auguſtini Philoſophia. 557
ART. XII. Non de nihilo Durandus negavit ſpeciem viſibilem eſſe utilem ad videndum, niſi à potentiâ viſivâ videatur. 565
ART. XIII. Fortaſſe non erravit Plato, quando viſionem jactu radiorum ex oculis fieri dixit. 570
ART. XIV. Falsò etiam à quibuſdam Platoni tribuitur opinio Empedoclis, Democriti, & Epicuri: Lucis & colorum radiationem, per effluxum tenuium corpuſculorum fieri. 573
ART. XV. Quid videatur in ſpeculo. 577
ART. XVI. An tamen defendi non poſſit quod S. Auguſtinus, & S. Thomas aſſerere videntur: Imaginem vultûs noſtri videri in ſpeculo. 581
CAP. IV. De Auditu. 593
ART. I. Quid ſonus. ibid.
ART. II. Quænam ſit cauſa phyſica ſoni efficiens. 595
ART. III. De voce. 599
ART. IV. Quomodo ſpecies ſoni diffundantur per medium. 603
ART. V. Cur ſpecies ſoni ſucceſſivè per medium trajiciatur. 606
ART. VI. An neceſſe ſit totum aërem medium, uſque ad organum auditûs, vibrari? 60
ART. VII. Quomodo piſces ſub aq audire poſſint. 61
ART. VIII. An ſonus audiatur poſ quam eſſe deſierit. 6
ART. IX. Quid Echo. 6
ART. X. Quænam Poëtæ de Ech ſint fabulati. 6
ART. XI. Quid ſit organum auc tûs. 6
ART. XII. In qua parte organi a ditûs, ſonus audiatur. 6
ART. XIII. Quomodo potentia a diendi ſonum percipiat. 6
CAP. V. De olfactu. 6
ART. I. Quid odor. ib.
ART. II. An odor per ſpecies ab o factu percipiatur. 6
ART. III. An ſpecies odorabi naturâ ſpecificâ ab odore dif rant. 6
CAP. VI. De Guſtu. 6
ART. I. Quid ſapor. ib
ART. II. Quodnam ſit organ guſtûs. 6
ART. III. An guſtus mediante ſ cie guſtabili ſaporē percipiat. 6
CAP. VII. De Tactu. 6
ART. I. Quodnam objectum tact 671
ART. II. An voluptas & dolor quædam peculiaria objecta ctûs, præter vulgares qualit tangibiles primas & ſecundas.
ART. III. Quænam pars anim ſit organum tactûs.
ART. IV. An tactûs ad ſentiend ſpeciebus tangibilibus indig 680
ART. V. Argumenta, quibus ſpe tangibiles videntur aſſeri.

ART. VI. Cur excellentia tactûs dicatur ſignum ingenij. 690
ART. VII. In quibuſnam ſenſibus, pronunciatum iſtud Peripateticum verum eſt: Senſibile poſitum ſupra ſenſum non efficit ſenſationem. 693
CAP. VIII. De ſenſibus internis 695
ART. I. Quænam ſit ſenſuum internorum ſedes. 696
ART. II. Quot ſint ſenſus interni. 698
ART. III. An ſenſus interni ſpeciebus ad cognoſcendum indigeant. 704
ART. IV. Quomodo ſenſuum internorum operationes per ſpecies exerceantur. 708
ART. V. Quomodo tanta imaginum turba cerebro tam anguſto contineri, & ſpiritibus vectoribus, tantâ velocitate currere, & recurrere, ſine confuſione poſſint. 713
ART. VI. Quomodo inſomnia fiant. 717
ART. VII. Imaginationis vires in ſignaturâ fœtus. 722
CAP. IX. De appetitu ſenſitivo. 727
ART. I. Appetitus animalis in quo organo reſideat. 728
ART. II. Quodnam ſit appetitûs ſenſitivi objectum. 732
ART. III. Quot ſint paſſiones appetitûs ſenſitivi. 737
CAP. X. De potentia loco-motiva animalium. 742
ART. I. An Vbi, quod eſt terminus motûs localis, ſpatium aliquod imaginarium reſpiciat. ibid.
ART. II. An potentia loco-motiva, mediante impetu diſtincto à motu, impellat mobile. 748
ART. III. In qua parte corporis, potentia loco-motrix animalis organum ſuum habeat. 750
ART. IV. Quo modo exerceatur motus voluntarius animalis. 755

LIBRI IV.

De Anima rationali.

CAP. I. De immortalitate animæ rationalis. 757
ART. I. Quid Ariſtoteles de animæ immortalitate ſenſerit. 761
ART. II. Quibus conjecturis, Ariſtoteles mortalitati animæ faviſſe putatus eſt. 768
ART. III. Quid Hippocrates ſenſerit de animæ immortalitate. 772
ART. IV. In Veteri Teſtamento parciùs & obſcuriùs, in Novo ſæpiſſimè & clariſſimè indicata animę humanę immortalitas 775
ART. V. Ex ſpeculatione, qua intellectus ſe ſupra phantaſmata elevat, animæ humanæ probata immortalitas. 777
ART. VI. Si aliquod in Vniverſo, rerum humanarũ providens Numen eſt, anima humana eſt immortalis. 782
ART. VII. Naturali quodam omnium hominum inſtinctu probata animæ humanæ immortalitas. 784
ART. VIII. Reditus quoque animarum defunctorum ad vivos, earum immortalitatẽ probat. 786
ART. IX. An anima humana, ſecundũ ſupremũ rationalitatis apicem, quo eſt immortalis & à corpore inde-

indeſpendens, ſit forma corporis. 790

ART. X. Argumenta aliquot, contra animæ humanæ informationem objecta, reijciuntur. 794

CAP. II. De animæ rationalis indiviſibilitate. 800

ART. I. Anima rationalis eſt integraliter indiviſibilis. 801

ART. II. Argumenta quibus animæ rationalis indiviſibilitas oppugnari poteſt. 803

ART. III. Verius eſt, unionem indiviſibilis animæ ad corpus diviſibile, eſſe in partes integrantes diviſibilem. 805

CAP. III. De animę rationalis creatione. 810

ART. I. Quænam ſit illa traductio, quâ quidam Patres putaverunt, aut dubitaverunt, animam rationalem à parentibus in filios traduci. 812

ART. II. Anima rationalis non traducitur à parentibus, ſed à Deo ſolo creatur. 818

ART. III. Philoſophi quidem Gentiles, ſolo rationis ductu, arbitrati ſunt animam humanam aliter olim à Deo creatam, quàm in hoc ærumnoſo & mortali corpore. 823

CAP. IV. De Intellectu, ſupremâ animæ rationalis potentiâ. 826

ART. I. Quid intellectus agens, & ejus officia. 827

ART. II. An neceſſe ſit, intelligentem phantaſmata ſpeculari. 832

ART. III. Phantaſmatum puritas & agilitas quantum ingenio conferant. 837

ART. IV. An noſter intellectus qu
dam in ideis, ſeu rationibus div
nis & æternis intelligat. 8

ART. V. An Philoſophi Genti
præſertim Platonici, ſublimio
& ſupernaturali cognitione fu
rint aliquando Deum conte
plati. 8

ART. VI. Diſcrimen inter Plato
corum, & Chriſtianorum il
ſtrationes. 8

ART. VII. Quidnam ſit illa lu
interioris ſcintilla, qua ad D
viſionem elevari, & in eâ ſe
néri, Contemplativi narrant. 8

ART. VIII. Quomodo, & quando
tellectus humanus ad uſum rat
tionis perveniat. 8

ART. IX. An quiſpiam in una ma
ria deſipere, & in alia uti ple
ratione, ac ſapere valeat. 8

ART. X. Quo ſenſu D. Auguſtin
carentiam uſûs rationis in p
vulis, dixit eſſe effectum pecc
originis. 8

CAP. V. De varietate operation
intellectûs. 8

ART. I. In quo ſimplex apprehen
intellectus à judicio differat. 8

ART. II. Quomodo ſcientia, opin
fides, ſuſpicio, dubitatio, inte
diſtinguantur. 8

CAP. VI. De voluntate. 8

ART. I. Sed quomodo igitur Th
logi Myſtici dicunt, *Voluntas*
trat, ubi intellectus foris ſtat? ib

ART. II. Iudicium, & quidem
intellectu requiritur, ut volu
tas ſe moveat, nec nuda app
henſio ſufficit. 8

ART. III. An verum ſit iſtud A
ſtote

ſtotelis : *Voluntatem in electione ſemper eligere quod majus eſt*. 890

ART. IV. Quid illa delectatio, quam ad actum volendi neceſſariá eſſe S. Auguſtinus tam ſæpe affirmat? 893

CAP. VII. De libero arbitrio. 898

ART. I. Voluntatis actus in ſomnijs, infantiâ, amentiâ, ebrietate, motibus primò-primis, perfecti judicij defectu, liberi non ſunt. 899

ART. II. Stante etiam perfecto judicio rationis, voluntas divino, fatali, Stoico, aut Manichæo impulſu ſic præcipitari poſſet, ut actus ejus non foret liber. 901

ART. III. Ante liberam electionem, non neceſſariò præcedere debet conſultatio. 905

ART. IV. Etiam quando deliberatio in utramque partem, liberæ electioni præmittitur, voluntas ex unico judicio practico ſe ad eligendum reſolvit. 907

ART. V. Non tantùm electio medij, ſed etiam intentio finis libera eſſe poteſt, ſecundum doctrinam Ariſtotelis. 908

ART. VI. An deliberatio, quæ medij electionem in nobis antecedere ſolet, intrinſecum modum ſe movendi & determinandi voluntatis immutet. 916

ART. VII. Vtrum electio medij liberior ſit, quàm intentio finis, quia in electione voluntas perfectiùs ſe movet. 919

ART. VIII. In omnibus actibus liberis hujus vitæ, libertas eſſentialis humanæ voluntatis uſque ad libertatem contrarietatis, vel contradictionis deſcendere poteſt. 925

ART. IX. An in appetitu inferiori aliquid naturalis libertatis inſit. 932

ART. X. Quomodo appetitus ſuperior inferiorem, & inferior ſuperiorem moveat. 934

CAP. VIII. De Habitibus. 942

ART. I. Quid ſit habitus, & unde producatur. ibid.

ART. II. In quibus potentijs generentur habitus. 947

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

A

ABORTVS plerique accidunt ante diem quadrageſimum. 425

Accretio quid. 297

Qua proportione corpus humanum accreſcat. 298

Actio vitalis quid. 31

Actio poteſt eſſe vitalis, licet potentia à qua elicitur non ſit in anima ut ſubjecto. 173

Actiones ſenſitivæ ſunt ſtrictiori modo vitales, quàm vegetativæ. ibid.

Actiones ſenſitivæ brutorum recipiuntur in materiam & animam, ut adæquatum ſubjectum. ibid.

Actione vitali aliquo modo poteſt agens dici movere ſe ipſum, ſed non ſicut actione liberâ. 33

Actio qua gallina fovet ova, non eſt vitalis. 436

Actio qua anima generat ſibi ſimile, eſt vitalis. 31

Actio naturalis reſultantiæ remoto principio tribui ſolet. 32

Actione naturalis reſultantiæ ſeipſum reparare, quibus tantùm conveniat. 265

Ætatis hominis quomodo ſit facienda diviſio. 324. & ſeq.

Alimentum poteſt eſſe corpus ſimplex. 187. & ſeq.

Alimenta quo ordine ſumenda. 224 & ſeq.

Alimentum quomodo attrahatur à ſtomacho. 2

Albedo ſplendorem ſolis ad cale ctandum, rarefaciendum, & e ſiccandum adjuvat. 5

Albedo qua ratione nares ad ſtern tandum incitet. ib.

Amor finis, propter ſpontaneam bertatem aliquando nuncupat electio. 9

Amor finis poteſt eſſe liber, etia quando aliquid amatur ſine co ſultatione. 908. & ſe

Amori finis Scotus libertatem t buit. 9

In amore finis, quando eſt perfec voluntarius, an D. Thomas bertatẽ agnoverit. 919. 921. 9

Amor parentum erga filios quare major quàm filiorum erga pare tes. 3

De Animo ſententiæ veterum. & ſeqq.

Animæ definitiones Ariſtoteli explicatæ.

Animam tantùm eſſe in corde, in cerebro, quo ſenſu verum. 1

Animæ etiam brutorum ac plan rum ſubſtantiæ ſunt, non ac dentia.

Animæ diviſio in vegetativam, ſe ſitivam, & rationalem decla tur.

An tres gradus animæ ſint ſpec infimæ. 83.

An animæ ſenſitivus gradus in h mine, & bruto ſit ejuſdẽ ſpeciei.

Animę diviſibilitas nõ rectè prob

t

954

tur, eo quòd corpus truncum ſine capite aliquando ambulet. 803
Auguſtinus omnium animaliũ animas putavit eſſe indiviſibiles. 103
Quomodo anima indiviſibilis partibus materiæ diviſibilibus uniri poſſit. 92
Inſectorum, ſive animalium imperfectorũ animę non ſunt totę in toto & totę in ſingulis partibus. 93
Inſecta in partes diſſecta in ſingulis partibus vivunt, & ſentiunt, ac ſe movent. 94
Animæ animalium perfectorum an ſint totæ in toto, & totæ in ſingulis partibus. 96. & ſeq.
Exempla quædam animalium perfectorum, ac etiam hominum, viventium & moventium ſe, parte aliquâ principali excisâ. 97. 98
An anima bruti per partes homogenias, an heterogenias omnia membra informet. 145
Anima bruti ejuſdem per omnia membra rationis, tamen in diverſis partibus diverſas diſpoſitiones poſtulat. 149
Anima vegetativa quid ſit, & quomodo differat à ſenſitivâ & intellectivâ. 185
Anima viventis cur potiùs producat ut cauſa principalis formam chyli, ſanguinis &c. quàm animam fœtûs. 438
Anima bovis v. g. cur potiùs in nutritione partem animæ ſimilis, quàm animam fœtus producere poſſit. 439
Anima in conformatione membrorum corporis non dirigitur intellectu, aut aliquâ ideâ artis. 67
Anima ſenſitiva quid? 465
Anima ſenſitiva ſupponit vegetativam. 19
Animas brutorum rationales eſſe quidam contendunt. 467. & ſeq.
Animæ brutorum irrationales, & merè ſenſitivæ ſunt. 472. & ſeq.
Animæ hominũ, ſecundum Pythagoram & Platonem, tranſmigrant in corpora beſtiarum. 466
Anima quà rationalis, eſt forma corporis. 790
Multa abſurda contra fidem ex contrario errore ſequuntur. 791
Animam eſſe formã corporis Conc. Viennenſe definivit, contra errorem Petri Ioannis. ibid.
Argumenta contra animæ humanæ informationem objecta rejiciuntur. 793
Animæ rationalis indiviſibilitas probatur. 801
Animam rationalem Tertullianus diviſibilem facit. 800
Anima ſpiritalis & indiviſibilis quomodo materiæ diviſibili poſſit uniri. 804
Animę indiviſibilitas non habet neceſſariò conjunctam immortalitatem. 96
Animæ immortalitatem quis inter Philoſophos primus aſſeruerit. 757
De anima, Democriti, Epicuri, & Stoicorum ſententia. 758
De animæ immortalitate Leon. X. decretum. 760
Animam rationalem eſſe immortalem ſenſit Ariſtoteles. ibid.
Animæ tamen mortalitati faviſſe falsò inſimulatur. 768
Animæ immortalitas in vet. Teſt:

parcius

parciùs, in Novo ſæpiſſimè & clariſſimè indicata eſt. 775

Animæ rationalis immortalitas variè probatur. 777. 784. & ſeq.

Animarum in eadem materia ſucceſſio, authoritate S. Thomæ, & Ariſtotelis aſſerta. 71

Anima peculiaris ſenſitiva vialis in generatione hominis, non neceſſariò intercedere debet inter vegetativam vialem & animam rationalem. 426

Contraria ſententia S. Thomæ, quâ ratione defendi poſſit. 429

Cur in nutritione non tranſeatur per animam vegetativam & ſenſitivam ad rationalem. 79

An ſint in homine tres animæ ſpecie diſtinctæ, una in corde, altera in cerebro, & tertia in hepate. 143

Anima unica in unoquoque ex tribus gradibus, rationali, ſenſitivo, & vegetativo, ſolâ ratione diſtinctis coaleſcit. 111

Philoponi opinio de pluralitate animarum in eodem homine non ſatis validè à quibuſdam Recentioribus rejicitur. 106

Philoponi opinio de animarum pluralitate, nimis gravi cenſurâ à quibuſdam notatur. 108

Anima rationalis cur potiùs unionem ſui cum materia producat, in nutritione ſui corporis, quàm in prima generatione fœtûs. 439

Philoſophi gentiles ſolo rationis ductu, arbitrati ſunt animam aliter à Deo creatam quàm in tali, quale jam gerimus, corpore. 823

Ariſtoteles in conjunctione hac animæ cum corpore ſupplicium agnovit, licet cauſam ſe ignorare fateatur. 82

Animæ rationalis à corpore ſeparatio eſt ei contra naturam. 79

An ma ſeparata ſtatum ſeparationis appetitu elicito præferre poteſt reditui ad mortale corpus 798.

Animam beatam, propter appetitum ad corpus, retardari, ne totâ intentione pergat in Deum credidit S. Auguſtinus. 79

Sententia illa quomodo defend poſſit. ibi

Animal perfectum quid ſit. 48

Animal imperfectum non debe confundi cum inſecto, vel cum e quod ex putri naſcitur. 101. 48

Annus ſexageſimus, an ſit periculoſior alijs. 32

Appetitus ſenſitivus unicus eſt, & reſidet in corde. 729. 73

Appetitus ſenſitivus hominis no eſt liber. 93

Ad plura ſe extendere poteſt, quàn appetitus brutorum. 93

Appetitus ſenſitivus dupliciter movet voluntatem. 93

Appetitus ſenſitivus etiam altera corpus. 94

Quare ad appetitionem cibi au potus blandi, ſaliva in ore bulliat & dulceſcat. 94

Apprehenſio ſimplex quomod differat à judicio. 87

An apprehenſio extremorum co operetur phyſicè intellectui a eliciendum judicium. 87

Ariſtoteles rudis in anatomia. 75

Ariſtotelis mos fuit, etiam de re ſi certa, dubitanter loqui. 76

Ariſt

Ariſtoteles non approbat modum loquendi Pythagoricum. 573
Ariſtoteles non videtur eſſe Auctor libri Problematum. 605
Auditus organum deſcribitur. 625
In qua parte organi audiatur ſonus. 630. & ſeq.
Quo ſenſu dixerit Ariſtoteles, ſenſorium auditus aëreum eſſe. 632
Cur ſi quis obturatis auribus extremum inſtrumenti muſici mordicùs teneat, ſonitum exactè percipiat. 631
Quomodo lenis pulſus unius extremitatis haſtæ, aure alteri extremitati appoſitâ, tam facilè audiatur. 611
Quomodo piſces audire poſſint ſub aqua. 612
Auguſtinus quàm alienus ab omni ſenſibili voluptate. 224
Auguſtini auctoritas quanti facienda in materia peccati originis, & quæ illud circumſtant. 873
Auguſtinus inter omnes Patres plurima de animę rationalis ſubſtantiâ & operationibus ſcripſit. 757
Non ſemper in iſtis naturæ rebus totas ingenij vires impendit Auguſtinus. 167
Vtitur ſæpe in Philoſophia opinionibus Platonis, non aſſerendo, ſed recitando. ibid.
Auguſtinus non eſt auctor libri de ſpiritu & anima ipſi adſcripti. 170

B

BEATI in cælo etiam recipiunt ſpecies ſoni, per auram aliquam liquidam & fluctuantem. 615
Belgæ ad pronuntiandas voces cujuſlibet idiomatis, maximè ductilem linguam habent. 603
Beſtijs intellectum adſcribere, eſt error hæreticus. 476
Campanella beſtijs loquelam & diſcurſum attribuit. 474
Beſtiæ omnes ejuſdem ſpeciei, ut ad finem aliquem perveniant, uno eodemque medio & modo uti conſueverunt: & unde tanta uniformitas. 472. 473
Beſtias natura docuit per inſtinctum naturalem media quædam, ad fines ſuos aſſequendos. 477
Beſtiæ non cognoſcunt rationem medij aut finis. 478
Beſtiæ propriè non útuntur medijs ad finem. ibid.
Beſtias ratiocinari & ſyllogizare, malè colligitur ex ordinata actionum earum ſerie. 480
Beſtiæ rationem conſequentiæ aſſequi imaginatione nõ valent. ibid.
Beſtiæ quomodo ſine ratiocinatione tempeſtates & pluvias præſentiant? ibid.
Beſtiæ ſine ratiocinatione diſciplinantur, & ſolo naturæ quo ad voluptatem trahuntur, inſtinctu in varias geſticulationes contorquentur. 481
Beſtiæ ſi rationem, loquelam etiam haberent. 474
Beſtiæ ſi ratione præditæ eſſent, cognoſcerent quid honeſtum & quid turpe. 475
Beſtiæ aliquæ cur alijs ingenioſiores eſſe dicuntur? 478
Beſtiæ ſtatim ut natę, quomodo cognoſcant inſtrumenta ad ſe movendum. 754
Beſtiæ videntur etiam delectari odoribus. 655

Item cantu & certis coloribus. 656
657
Beſtiæ quo ſenſu dicantur moveri potiùs quàm ſeipſas movere. 33
Beſtiæ cur pilos, villos, plumas, teſtas, & id genus à natura habeant; homo verò totus inveſtis & nudus naſcatur. 473

C

CALOR ignis non eſt diverſæ rationis à calore naturali ventriculi. 202
Calvities ex defectu humidi eſt 305
Aliæ cauſæ calvitiei. 307
Canities quare aliquando ſubitò obveniat. 306
Canities ex defectu caloris provenit. 305
Capitis conformatio anguſta & in verticem turbinata, peſſima ingenio. 838
Id tamen non eſt verum in omnibus. ibid.
Carnibus humanis veſci eſt illicitum: an etiam in extrema neceſſitate? 197. & ſeq.
An caro hominis vivi & mortui ſit eadem ſpecie. 126
Cerebri ventriculi ad quid ſerviant. 284. 701
Ciborum varietas an utilis. 220. & ſeq.
Chylus an nutriat ventriculũ. 246
Chylus quomodo veniat ad hepar. 254
Chyli concoctio quomodo fiat, & quæ illam meliorem faciant. 243 & ſeq
Quanto tẽpore perficiatur. 235. 247
Chyli mala concoctio an per ſequentes concoctiones poſſit e-mendari. 246
Cogi etiam aliqua dicuntur à SS. Patribus quæ aliquid agunt, ut Suares fatetur. 916. 923
Color an rectè definiatur, diaphan in corpore terminato extremitas? 51
Color ex ſententia Platonis, Ariſtotelis, & Theophraſti, eſt lux quædam corporis colorati, ſed impura propter mixturam opac in eodem corpore. 51
Color eſt flammula à corporibu emanans. 509. 51
Colorum varietates ex flammulæ ſive luminis cujuſdam languidi & umbroſæ opacitatis mixtion temperantur. ibid
Colores qui ex luminis, in priſmatis & triangularibus vitris, refractione reſultant, veri ſunt & ejuſdẽ naturæ cum ceteris. 51
Colores Iridis & ſimiles, cur apparentes & phantaſtici appellentur? 51
Color non differt ſpecie à luce. 5
Cur parietes albi interdiu non ap pareant ſpeciebus vicinorũ co lorum depicti. 5
Color an calefaciat. ibi
Colores an ſint in tenebris. 5
Corpora non tantum exteriùs, ſ etiam interiùs ſunt colorata. 5
Color non eſt extrinſecum & tra ſitorium ſolùm, ſed intrinſecu & permanens quoddam lume 517. 519
Colores à qua cauſa efficiente ph ſicâ reſultent? 517. & ſ
Formæ ſubſtantiales corporũ mi toru

torum colores producunt. 518
Nix candorem aliquem habet à forma ſua ſubſtantiali, non elementi aquæ, ſed corporis cujuſdam mixti. 519
Color non oritur ex mixtione primarum qualitatum; qualitatis tamen ſecundæ nomen recipere poteſt. 509
Colores à qua cauſa dependeant in conſervari? 341
Colores omnes, quantum eſt ex parte lucis quam continent, ſunt unius ſpeciei. 524
Colores qua ratione dicantur ſpecie inter ſe differre? ibid.
Colores cur à luce ſolis illuſtrentur, cùm luces lampyridum, lignorum putrium &c. ab eadem obfuſcentur? ibid.
Color videtur per ſpecies. 534
Colores non videntur in ſolis corporum opacorum ſuperficiebus. 526
Color corporis opaci actionem ſuam qua ſpecies producit, non inchoat extrà in aëre illuminato, ſed intra corpus opacum. 531
Concoctiones tres principales in animalibus. 186. 236
Concupiſcentiæ nomine quid intelligatur. 384
Concurſus Dei non rectè à quibuſdam comparatur vento, aut ſpiritui organorum. 441
Cauſam ſecundam ſine concurſu primæ poſſe agere, non admitterent SS. Patres. 440
Conformatio fœtus nõ in omnibus animalibus æquali tempore abſolvitur. 75
Conformatio fœtus à qua cauſa fiat. 51
Conſanguinitas non videtur dirimere matrimonium ultra ſecundum gradum lineæ rectæ, jure naturæ. 351
Conſanguinitatem in linea tranſverſali nullum matrimoniũ jure naturæ dirimere multi putant, etiam S. Thomas. 358
Contemplatores reſpirationem pulmonum cur ſuſpendant. 860
Philoſophi gentiles an ſublimiori & ſupernaturali cognitione fuerint aliquando Deum contemplati. 846
Contemplationes Platonicorũ excelſæ & ecſtaticæ. ibid.
Platonici poſteriores magicarum rerum curioſitate depravati. 849
Inter Platonicorum & Chriſtianorum illuſtrationes diſcrimen. 850
Paracelſiſtæ doctrinam ſuam non ſtudio, ſed ab interno quodam divino lumine affundi ſibi jactant. 851
Metuendum ne magicum quid eorũ philoſophię admiſceatur. ibid.
Contemplativi narrant, ſe lucis alicujus ſcintillâ ad Dei viſionem elevari. 854
Quid illa ſit. ibid.
An corporea, & ad imaginatricem pertineat. 857
Cur ad apicem & verticem cerebri aſcendere appareat. 858
Corpus mixtum inanimatum an poſſit aliud corpus in ſe convertere. 266
Corpus mixtum, ex unico elemento generari poteſt. 268

Corpora quædam inanimata quo ſenſu membra & organa quędam habeant. 10. 12
Adami, Evæ, & Chriſti corpora omnium formoſiſſima. 52
Quo ſenſu corpus Chriſti vivum fuerit idem cum corpore ejus mortuo. 135
Creandi verbum aliter SS. PP. accipiunt quàm moderni philoſophi. 816. & 819
Ex nihilo effici aliquid, quid ſignificet apud Auguſtinum. 816
Crines probabiliùs vivunt, ſed tantùm animâ vegetativâ. 312. & ſeq.
Crines denſiores & craſſiores ſunt indicium longævitatis. 305

D

DECRETIO non fit ab anima, nec ſervata partium proportione. 331
Delectatio, quam ad actum volendi neceſſariam Auguſtinus affirmat, quid ſit. 893
Deliberatio etiam poteſt eſſe circa finem ultimum. 908
Deliberatio quando præcedit electionem, non mutat intrinſecum modum agendi voluntatis. 916. & ſeq.
Deo omnium rerum conditionem & architecturam Scriptura tribuit. 48
Deus eſt cauſa principalis omnium rerum, creatarum & quomodo penetrabiliùs & vehementiùs influit quàm inſtrumentū creatum. 49. 433
Deus ad effectum concurrens, non ſemper ejus auctor & conditor dicitur. 49
Deus ſolus, ut cauſa principalis, producit animas animalium & plantarum. 435. & ſeq.
Deus tamen non facit hoc ſupplendo defectum cauſæ ſecundę principalis, ſed ex officio cauſæ primæ. 434
Deus vult errores naturæ, non vult errores voluntatis. 441
Dolor qui eſt objectum tactûs, non eſt aliud quàm diſpoſitio diſconveniens organo tactûs. 675
Dolor tactûs eſt maximè atrox. 676.
Dolor propriè eſt ſolius tactûs. 677

E

ECHO quomodo fiat. 619
Echo poteſt eſſe tam eloquens, ut integram Ciceronis orationem recitare valeat. 623
Cur aliquando multiplex Echo audiatur. 624
Sine Echo non audiremus nos ipſos loquentes. 621
Requiritur certus ſitus ad recipiendam ſpeciem reflexam ſoni, ſed ille ſitus non conſiſtit in indiviſibili. 624
Electionis definitio. 910
Electio medij in quo differat ab amore finis. 909
Libertas electionis non requirit, ut voluntas eo inſtanti quo unum eligit, ſit proximè omnino expedita ad eligendum alterū. 908
Electionē liberā non debet neceſſariò præcedere conſultatio. 905
Omnis electio libera, eſt deliberata, quo ſenſu. 906

Electio

Electio medij eſt aliquo modo liberior quàm intentio finis, 919. 920

Elementorum formas non manere in mixtis, eſt communis ſententia Philoſophorum. 116

Euchariſtiæ ſpecies quamdiu in ſtomacho durent ſine corruptione. 251. & ſeq.

Excrementa ſecundæ concoctionis. 255

Excremẽta tertiæ concoctionis. 303

Plus excrementi tranſpirat homo per poros cutis, quàm per alvum & veſicam. ibid.

Excrementa tertiæ concoctionis imbuuntur qualitatibus corporis 304

F

FELES infantibus ſæpe exitiales. ibid.

Feminæ in viros interdum mutantur. 451

Fœtûs materia. 352

Fœtûs generatio non habet pro cauſa principali virtutem conformatricem, nec formam ſeminis, vel cæli. 431

Nec animam matris. 432. 437

Sed Deum ſolum. 435

Fœtus quando animetur, variæ ſententiæ. 417

Fœtus femineus in utero tardiùs quàm maſculinus perficitur; ſed cùm in lucem venit, citiùs creſcit, floret, & deficit. 416

Fœtûs non animatur animâ rationali ante cordis & hepatis conformationem. 425

Fœtus animatur animâ vegetativâ non dudum poſt ſeptimum diem. 420

Fœtus, ſi maſculus eſt, animatur animâ rationali tricesimo die; ſi femina, quadrageſimo. 423

Fœtus qua ratione in utero conformetur. 408. & ſeq.

Fœtus conformatur à virtute latente in ſemine, & ſuſcitatâ ab utero. 408

Fœtus non conformatur à ſemine ab omnibus partibus viventis defluente. 411

Fœtus ſecundum omnia membra ſimul, incipit conformari. 414. & ſeq.

Fœtus adhuc ſemineus, nutritur 416

Fœtûs ſimilitudo cum altero parente unde. 419

Fœtui aliquando inuruntur notæ ab avo, præterito proximo parente. 349

Fœtûs ſignatura quomodo fiat 722 & ſeq.

Ex ſola apprehenſione, ſine affectione non ſequitur immutatio corporis. 724

Fœtum inanimatum expellere non licet. 366. & ſeq.

Fœtui inanimato alendo ſanguis neceſſarius, in morbo matris, extrahi poteſt ex venis. 368

Quid ſi fœtus ſit animatus animâ rationali. ibid.

Formæ inanimæ quædam, aliquam etiam partium materiæ ſuæ conformationem flagitant. 10

Formę organicę diverſorum membrorum corporis rejiciuntur. 120

Forma cadaveris qualis, 123

Ffffff 3 Es

Et quomodo in materiam introducatur. 124. 127. 132
Forma cadaveris cur non conſervet corpus mortuum à putredine. 125
Forma cadaveris an immediatè aſſumpta à Verbo. 137

G

GALENVS dicitur vixiſſe 140. annis, & quam ob cauſam? 212
Gallus gallinaceus, cur cantet in fine ſecundæ, & quartæ vigiliæ. 249
Generatio viventium, & inanimatorum quomodo differant. 345
Gula quomodo frenanda in convivijs. 222. 239. & ſeq.
Gulæ voluptas maximè pertinet ad ſenſum tactûs. 239
Guſtûs organum, & in qua ejus parte percipiatur ſapor. 662. & ſeq.
Quare cibus unus alijs gratus, alijs ingratiſſimus ſit. 666

H

HABITVS quid ſint, & unde producantur. 943
An comprehendant ſpecies ſenſibiles & intelligibiles. 945
Diverſitas inter habitus naturales & ſupernaturales. ibid.
Habitus quidam naturales etiam producuntur ab actibus ſupernaturalibus. 946
Sed hi amplitudinem habituum ſupernaturaliũ nõ adæquant. ibid.
Habitus in quibus potentijs generentur. 948
Non inveniuntur in ſenſibus externis, nec potentiâ locomotivâ. 948
Habitus in appetitu, & phantaſiâ brutorum. ibid.
Humorem diſtillatitium non ita retinere obligamur, ſicuti ſemen. 356
Humor diſtillatitius effluxu ſuo diſcerni poteſt à ſemine. 357
Humidum radicale quid. 282

I

IDEÆ Platonicorum. 842
Iejunium naturale poteſt ſolvi ſumptione per nares. 193
Tabaci ſumptio an ſolvat jejunium naturale. 192. & ſeq.
Iejunium naturale poteſt ſolvi per id quod non eſt cibus, nec potus. 195
Impetus in quibus motibus requiratur. 748. & ſeq.
Datur etiam impetus quo potentia locomotiva retinet corpus ſuum in eodem ſitu. 754
Ingenij excellentiam aut ſtupiditatem quæ ſignificent. 260. 657. 690. & ſeq.
Ingenioſiores fiunt execti canes. 462
Ingenij præſtantia unde. 840
Ingenium calore temperamenti excitatur. 839
Belgis modicâ vini ſorbitione ingenium creſcit. ibid.
Ingenium cujuſdam, calore febrili accedente acuebatur. ibid.
Cholerici magis ingenioſi. ibid.
Intellectûs variæ operationes. 874

Intellectus agens & poſſibilis quid. 827
An ſint potentiæ inter ſe realiter diſtinctæ? ibid.
Intellectûs agentis officia. 828.831
An intellectus agens abſtrahat ſpeciem intelligibilem rei ſingularis. 830
Intellectus noſter an in ideis, ſeu in rationibus divinis & æternis aliquid intelligat. 842
Intellectus aliquando viſione ſupernaturali, ſine ullo phantaſmate, res divinas intelligit. 836
Intellectus duplici raptu rapitur: uno à ſenſibus externis tantùm, altero ſimul ab internis. ibid.
Intelligentem debere phantaſmata ſpeculari, quo ſenſu dixerit Ariſtoteles. 832. 834
De qua intellectione id propriè & maximè verum ſit. 832
Phantaſmatis concurſus cum intellectu agente, an ſit phyſicus, an moralis. 831
Durandus quare intellectum ſtatuerit eſſe formaliter liberum. 838. 889
Iudicium antecedentis, an phyſicè concurrat ad judicium conſequentis. 878
Iudicium indiget motivo aliquo, licet apprehenſioni ſufficiat ſpecies impreſſa. ibid.
Iudicium practicum in intellectu requiritur, ut voluntas ſe moveat, nec ſufficit nuda apprehenſio. 885
Iudicium aliquod practicum, etiam ut appetitus brutorum ſe moveat, ſuo modo requiritur. 886
Iudicium illud prævium ad actus liberos à voluntate liberè imperatur. ibid.
An ut voluntas judicium practicum intellectui imperet, alio judicio practico priori indigeat. 887
Quomodo id fiat ſine proceſſu in infinitum. 888
Iudicium non eſt actus intrinſecè compoſitus ex apprehenſione ſubjecti, prædicati, & copulæ. 875
Iudicium eſt actus ſimplex. 876
Iudicium & apprehenſio poſſunt habere idem objectum. ibid.

L

LAC quomodo generetur. 287
Libertas Calviniſtica. 905
Libertas eſſentialis non minuitur, nec major eſt in juſto quàm peccatore, in Angelo quam homine: ſed libertas contrarietatis augeri & minui poteſt. 918
Neceſſitas præcedens lædit libertatem, non conſequens. 915
Libertas contrarietatis, & libertas contradictionis quid ſint. 925
Ad libertatem contradictionis requiritur poteſtas ad agendum liberè libertate eſſentiali, & ad ceſſandum liberè libertate eſſentiali 914. 926
In omnibus actibus hujus vitæ libertas eſſentialis poteſt deſcendere uſque ad libertatem contrarietatis vel contradictionis. 925. 929
Semper adeſt in illis actibus virtualis quædam libertas contradictionis. 929
Libertas contrarietatis & contradictionis,

dictionis, ſunt ſignum libertatis eſſentialis. 980
Ad libertatem contradictionis non requiritur, ut voluntas cum omnibus iiſdem prærequiſitis, poſſit non agere; ſed ſufficit ut hoc poſſit, aliquod principium agendi variando. 932
Lues venerea unde ortum habere dicatur. 197
Lumen eſt qualitas ejuſdem naturæ cum ſpecie viſibili lucis. 507
Omne quod videtur eſt lumen. 510
Lumen non eſt corpus. 507. 574. & ſeq.
Lumen ſolis intra minimam corporum coloratorum profunditatem penetrare valet, & colores ibidem illuſtrare. 529. 530
Lumen externum non tantùm ex parte medij, ſed etiam ex parte objecti neceſſarium eſt, ut colores valeant ſpecies ſuas ſpargere. 529

M

Memoria magna ingenij defectum ſæpe arguit. 839
Senibus memoria, & ingenium quare deficiant. 841
Motus partium verendarum quomodo efficiatur. 395. & ſeqq.
Motus progreſſivus quomodo fiat. 753
Motus progreſſivus quomodo voluntarius. 755
Muſarum novennarius numerus unde. 593
Muſculus quid ſit. 752

N

Nigredo ad albedinem ſe habet ut tenebræ ad lumen. 513 514
Nigredo nullam ſpeciem mittit. 514
Nigrum quod nihil lucis incorporatum habet, propriè non eſt coloratum. 513
Nutritio quomodo fiat, quid ſit, & quæ ejus cauſæ. 292. & ſeq.

O

Oblivio unde. 706
Si ſenſuum operationes in animam reciperentur, nullius rei obliviſceremur. 157
Oblivio quare in Angelos non cadat. ibid.
Quare in horis canonicis tam facilè obliviſcamur recentis lectionis alicujus Pſalmi. 715
Oculi organum. 543
Imago objecti viſibilis in oculo non eſt punctualis, ſed extenſa, 534. 548. 549
Oculus totam imaginem montis intra ſe capere poteſt, in ſententia Ariſtotelis de compoſitione continui; non autem in ſententia Epicuri. 533
Oculi majores, & in quibus amplior eſt humoris cryſtallini convexitas, majus habent inter cryſtallinum & retiformem interſtitium. 548
Oculi noctuini & glauci cur dilutiùs & deteriùs videant? 550
Odor quid ſit, & unde oriatur. 637.
Odor an paſcat. ibid.

959

Odores quid faciant cerebro. 639
Odores nominibus ſaporum appellamus. 640
An idem odor poſſit ſentiri à pluribus; ſicuti poteſt idem color, & idem ſonus. 644
Cur homo minùs ſibi metuere debeat ab illecebra odorum, quàm ſoni muſici. 658
Quando idem corpus odoratum eſt & ſapidũ, eſt heterogeneum. 638
Olfactûs organum quale ſit: & in qua parte percipiatur odor. 650.
Omiſſio non poteſt eſſe libera, niſi cognoſcatur ratio omittendi. 927. 928
Opacitas, & denſitas multum differunt. 520
Opacitas quid, & unde oriatur? 517
Glacies, vitrum, & cryſtallum ſi comminuantur, cur alba appareant & opaca? 517
Ova non ſunt animata. 37
Ova tepore fornacum Ægypti, pullos excludunt. 58

P

PARTVS dolor unde oriatur. 442
Pariunt quædam feminæ ſine dolore. 445
Partus in ſtatu innocentiæ fuiſſet ſine dolore. 446
Paſſio appetitûs ſenſitivi quotuplex. 737
Peccatum originis naturali generatione transfundi, quo ſenſu dicat Auguſtinus. 822
Evâ ſolâ peccante peccatũ originis fuiſſet propagatum in poſteros. 387
Quomodo ſententia contraria S. Thomæ poſſit defendi. 389
Quomodo peccatum originis non ſit imputandũ Deo, licet ipſe novas ſemper animas creet. 821. 825
Perſpicuitas quid? 518
Perſpicuitas colores producere non valet. 518
Corpus quo minus perſpicui habet, eo minus de colore ejus videtur. 532
Pileolorum ſive calotarum uſus an ſit ſalutaris. 308
De potentiarum ab anima diſtinctione, variorum ſententiæ. 158. 161. & ſeq.
Sententia D. Thomæ, potentias ab anima diſtingui realiter, probatur. 153
Potentia irradiativa in qua parte cerebri reſideat. 499. 500. 702. 703
Potentia irradiativa cerebri eadem eſt pro omnium ſenſuum operationibus; determinatur verò ad certam ſenſationem à potentia organo inſidente. 498. 499
Potentiæ iſtius irradiatio qua ratione cerebro in organa ſenſuum perveniat? 499. 501. 502
Potentia irradiativa cerebri ad efficiendum localem motum. 751
Potentia locomotiva animalis reſidet in muſculis. 752
Potentiæ animæ vegetativæ proximè inhærent ſoli materiæ. 174
Potentiæ attractrices alimentorum à temperie & figurâ organicâ diverſæ. 156
Potus etiam alit. 217. 257. 333
Priapiſmus membri virilis in quorundã cadaveribus an naturalis. 459

Procera animalia in genere ſuo vivaciora brevibus. 214
Pubertas accelerata, ſignum vitæ brevis. ibid.
An pudor concubitûs & partium verendarum, ex peccato primi parentis ortum habeat. 391. & ſeq.
Genitalia cur potiùs pudenda, & velanda quam cetera membra. 401. & ſeq.
Pudor genitalium quare tam communis omnibus hominibus? 401

Q

VLTRA qualitates primas admittendæ ſunt aliquæ qualitates occultæ. 271. 726
Qualitates ſecundæ oriuntur à primis ut diſpoſitionibus, non ut proprijs cauſis. 660

R

ROBVSTORVM hominum tria inſignia exempla. 752

S

SANGVIS an ſit animatus. 275. & ſeq.
Pars affirmativa malè adſcribitur D. Thomæ. 277
Sanguis an poſſit dici pars animalis, ſi ſit inanimatus. 280
Fuit hypoſtaticè unitus Verbo. 282
Sanguis quomodo generetur in hepate. 255. & ſeq.
Cum ſanguine generantur in hepapate quatuor humores excrementitij. 255
Ex his tantùm pituita & ſerum venis illabuntur cum ſanguine. 256. 257
Sanguinis circulatio per venas & arterias an ſufficienter à novellis Medicis probetur. 259
Sanguis ingenioſorum diſſimilis ſanguini ſtupidorum. 260. 281. 840
Sanitatis corporis meritò habenda cura. 204. 229
Sanitati nocet, tempore refectionis, & magis paulò poſt refectionem res graves animo tractare. 223 246
Sapor quid, & unde oriatur. 660. 661
Scientia, opinio, fides, ſuſpicio, dubitatio, quomodo inter ſe diſtinguantur. 879
Senectus quando incipiat, & quamdiu durare poſſit. 331
Senectus multorum ſe extendit ultra 100. annos, & quomodo hoc ſtet cum S. Scriptura. 335. & ſeq.
Senectutis imago lepidâ parabolâ depingitur ab Eccleſiaſte. 339. & ſeq.
Septuaginta Interpretum quanta ſit auctoritas. 41
Semen quomodo generetur. 288
Semen quo ſenſu dicatur mori. 39
Semen an ſit animatum. 35. & ſeq.
Semini adhuc informi ineſſe animam rationalem refellitur ex S. Scripturâ. 39
Seminis inanimati virtus à parentibus deciſa primam fœtûs conformationem in utero orditur. 59. 63
Semen habet partes heterogeneas. 60
Seminis materia quæ. ibid.
Semen maternum effectivè concurrit ad

rit ad generationem fœtûs. 70. 352. 388
Quid de eo ſenſerit Ariſtoteles. 69
Semen ante effuſionem, hebetare, & conſumere licet. 360
Quomodo id aliqui faciant. ibid.
Seminis foràs expulſio, cur ſit peccatum mortale. Ratio Thomæ Sanchez refutatur. 361. & ſeqq.
Seminis abundantia rariſſimè lædit valetudinem, quia ſeipſum ultrò exonerare ſolet. 364
Feminæ etiam poſſunt peccato mollitiei pollui, ſemen ſuum in proprium uterum, aut foràs effundendo. 355
Semen humanum, eſt infectum morbidâ qualitate, propter quam anima peccato originali inficitur. 370. & ſeq.
Morbida qualitas in ſemine humano non differt à temperamento naturali. 377. & ſeq.
Morbida illa qualitas, an pravâ conſuetudine augeatur, & continentiâ minuatur. 282
Semen femineum etiam infectum eſt ſimili labe. 388. & ſeq.
Semen infectum quomodolibet effuſum, prolem inde formatam inficit peccato originali. 390
Quo ſenſu S. Auguſtinus dicat in ſtatu innocentiæ potuiſſe utero conjugis, ſalvâ integritate feminei genitalis, virile ſemen infundi. 448
Senſus quid & quotuplex. 483. 484
Animal omne habet tactum, guſtum, & imaginativam. 486
Senſus an per irradiationẽ defluant à cerebro, an ſuis quiſque organis ſtabiliter inſideant? 492. 497 & ſeq.
In ſenſu præſertim externo nullus proprius error eſt. 491
Senſus externus requirit exiſtentiam ſui objecti. 617
Senſuum duo, Viſus & auditus, projiciunt ſe foràs; odoratus, guſtus, tactus, quod ad ſe pertinet interiùs agunt, ait S. Auguſtinus. 619 642. 668. 670. 686. 695
Senſum aliquem interiorem admittit S. Auguſtinus. 696
Senſus interni quot. 698
Probabiliſſimè defenditur eſſe unicum: & videtur eſſe mens S. Auguſtini. 699
Senſuum internorum ſedes an ſit cerebrum, an cor, problematicè diſputat Eſtius. 697
Certum videtur, eſſe cerebrum, non cor. 696
Sunt in certa tantùm parte cerebri. 718
Senſus interni indigent ſpeciebus. 704
Hæ non ſunt ipſæmet ſpecies ſenſuum externorum, ſed à conceptu ſenſûs externi producuntur & imprimuntur ſpiritibus ac cerebro. 704. 706
Senſus internus novas intentiones, à ſenſu externo non acceptas, apprehendit. 698
Senſus internus per ſympathiam cognoſcit affectum cordis; non quid ſit, ſed an ſit. 735. 736
Senſus internus in homine, ſaltem imperfectè, poteſt diſcurrere. 698. 719
Senſus internus ſupra operationem

ſuam poteſt ſe reflectere. 720. 736
Senſus internus quoſdam actus per modum apprehenſionis, alios per modum judicij elicit. 734
Senſibile commune non emittit peculiarem ſpeciem, ſed tantùm modificat ſpeciem ſenſibilis proprij. 487
Senſus numquam errat circa ſenſibile proprium: ſed aliquando circa commune, & per accidens. 488
De quibus ſenſibus verum eſt: *Senſibile ſupra ſenſum poſitum non efficit ſenſationem.* 693
Quo ſenſu dicat Ariſtoteles: *Senſorium eſſe ſuſceptivum ſenſibilis ſine materia.* 650
Somnus quid ſit. 717
Somnus quare inventus à natura. 148
Somnus quanto tempore debeat durare. 248
Bibere paulò antè ſomnum, eſt noxium valetudini. 233
Somnia unde oriantur. 717. 718
An in ſomnijs operetur intellectus & voluntas. 719. 865
Sonus quid. 593. 599
Soni cauſa eſt qualitas ſonora, in diverſis corporibus diverſæ ſpeciei. 595
Cur qualitas hæc ictum aëris exſpectet, antequam ſonet. 598
Sonus percipitur ſucceſſivè. 635
Cur ſonus è longinquo remiſſiùs audiatur. 604
Sonus non auditur, poſtquam eſſe deſijt. 617
Sonus cur non excitetur tam rapido motu ſtellarum. 596
Sonus quantus requiratur in lectione horarum. 597
Cur ſonus forìs excitatus, feneſtris clauſis, videatur longiùs diſtare. 605
Cur ſoni interdiu magis confuſi, quàm noctu audiantur. 605. 624
Cur ſonitu Moſcheti è platea potiùs frangantur vitreæ feneſtræ, quàm fragore tonitrui, longè majori. 605
Spatium imaginarium negatur. 744
Spatium imaginarium non reſpicitur à præſentia locali. 745. & ſeq.
Species ſenſibilis non debet proximè recipi in potentiam ſenſitivam. 555. 634. 635
Species ſenſibiles quo ſenſu à S. Thoma dicantur habere eſſe quoddam diminutum & ſpirituale? 538
Species viſibiles dari multis argumentis probatur. 534
Species viſibiles lucis non ſunt diſtinctæ à lumine. 507
Subſtantia non emittit ſpecies ſenſibiles. 487
Species viſibiles colorum ſunt ejuſdem ſpeciei cum coloribus. 537. 538
Species viſibilis coloris non omnino neceſſariò dependet in conſervari à ſuo colore. 341
Species viſibilis ex lumine & umbrâ temperatur. 538. 555
Species viſibilis eſt formalis imago objecti. 567
Species viſibiles non concurrunt activè ad viſionem. 553
S. Auguſtini ſententia de concurſu ſpeciei

ſpeciei viſibilis ad viſionem. 557. & ſeq.
Species viſibilis eſt medium cognitum. 562. & ſeq. 566. & ſeq.
Species viſibiles colorum cur nec in aëre, nec in ſuperficiebus ſolidorum corporum depictæ appareant? 525. 538
Specierum reliquiæ à qua cauſa conſerventur in oculo, à ſole ad tenebras converſo: & qua ratione in varios colores commutentur? 536
Species viſibiles per foramen in conclave obſcurum exceptæ, & in charta depictæ, oculis ſubjiciuntur. ibid.
Si in cubiculo clauſo, loco chartæ ponatur ſpeculũ, non apparebunt imagines rerum, ſicut antè. 629
Species vitri rubri radio ſolis trajecti, cur in oppoſito pariete rubeſcant, non autem quando lumen ſolis tenue & dilutius eſt. 540
Tunc non rubedo vitri tamquam in ſpeculo, ſed ſpecies rubedinis in pariete apparet. 534. 535
Species viſibiles rubedinis & albedo, qua ratione in eodem ſubjecto proximo eſſe poſſint? 539
Species viſibiles magni objecti in minimis ocellis extra mutuum ſitum depinguntur. 533. 549
Quare lac ſpecies viſibiles non reflectat. 592
Species ſoni an diſtinguatur eſſentialiter à ſono. 617
Species ſoni diffunditur circulariter in orbem. 604
Species ſoni non longiùs protendi-tur quàm circulatio aëris. 610. & ſeq.
Cur ſpecies ſoni per medium ſucceſſivè trajiciatur. 606. & ſeq.
Species ſoni eſt medium cognitum. 619.
Species odorabiles an dentur. 640
An ſpecies odorabiles eſſentialiter, differant ab odore. 648. & ſeq.
An producantur ſucceſſivè uſque ad organum. 645
Solvitur argumentum quomodo producantur in medio, in quo non eſt temperies ex qua debet reſultare odor. 649
Species guſtabilis an detur. 667
Species ſenſibus internis à Deo infuſas, agnoſcit D. Thom. ſaltem in brutis. 708
Species ſenſuum internorum ſunt medium cognitum. 569. 709
Species ſenſuum internorum ſunt ſimilitudo intentionalis tam objecti, quàm ipſius conceptûs externi. 712
Quomodo ſpecies ſine confuſione continentur in cerebro, & per meatus ejus currant & recurrant. 713. & ſeq.
Motus ſpecierum ſæpe ſunt voluntarij. 714. 716
Quando diverſæ ſpecies ſunt in iiſdem ſpiritibus, voluntas determinat phantaſiam ad cognoſcendam unam præ alia. 715
An ulla ſpecillorum, ſive lunularum mentio in ſacra Scriptura. 586
A quo tẽpore inventa ſpecilla. 587
Species intelligibilis eſt medium cognitum. 568
Quare intellectus cognoſcat actum volun-

voluntatis ſine ſpecie. 735
Species intelligibilis non producitur à ſolo phantaſmate. 829
Spiritus naturalis, vitalis, & animalis, ubi & quomodo gignantur ex ſanguine: & eorum officia. 282. & ſeq.
Ex ſpiritibus odoriferis cum aëre attractis & mixtis ſanguini, fiunt ſpiritus vitales & animales. 191
Spiritus odoriferi carnium, florum, tabaci &c. an alere poſſint corpus humanum. ibid.
Spiritus ſenſorius & motorius idem eſt. 503
Spiritus ſenſorij & motorij quomodo & ad quid à cerebro in organa ſenſuum & facultatis loco motricis effundantur? 504
Spiritus animales qui è cerebro per nervos ſenſorios in organa defluunt, non ſolam organi temperiem ſenſibus conferunt. 492
Spiritus qui fabricavit fœtum, ubi maneat poſt conformationem. 81
Spiritalia entia etiam habere poſſunt partes integrales extenſivas. 91
Studioſis an expediat eſus carnium. 204. 213
Studia an ad longitudinem vitæ conferant. 209
Studioſis cerebrum friget. 233
Studioſorum debilis eſt ſtomachus. 202. 209
Studioſi ſæpe ſolent eſſe difficilis alvi. 203. 221
Studio deditis cœna levior magis convenit. 233
Studijs dediti cur ſæpe ſint edaces 210
Studijs dediti, multi tamen longævi. 210. & ſeq.

T

TABACI fumus non nutrit. 192
Tactus ineſt omnibus animalibus, ſed non in omnibus eorum partibus. 670
Tactus ſpecie diſtincti non dantur in eodem animali. 672
Tactus non indiget ſpeciebus tangibilibus, ad percipiendum qualitates primas vel ſecundas 680. & ſeq.
Solvuntur argumenta in contrarium. 684. & ſeq.
Tactûs organum. 677
Talpa inter perfectum & imperfectum animal eſt veluti quoddam medium. 485
Talpæ non omnino viſu carent. 486
Terra quid conferat in conformationem plantarum. 56
Traductio animarum ab una Adami anima quid facilitatem propagationis peccati originis in poſteros adjuvaret. 817
Anima rationalis non traducitur, ſed creatur à ſolo Deo. 818
Auguſtinus quoque in eam ſententiam pronior, niſi aliquid ab ea juſtitiæ Dei indignum, metuiſſet. ibid.
Traductio illa quia quidam PP. putaverunt, aut dubitaverunt, animam rationalem à parentibus in poſteros traduci, qualis. 812
Traducere, propagare, tradux, propago, quid in re ruſticâ propriè, & quid metaphoricè ſignificent 813

Animam

962

Animam rationalem eſſe ex traduce, ut SS. Patres illam phraſim accipiunt, nec contradictionem, nec abſurditatem inſignem implicat. 815
S. Auguſtinus uſque ad vitæ finem dubitavit, An anima rationalis eſſet ex traduce. 42
S. Auguſtinus tamen non eſt Traducianorum numero accenſendus. 44
Anima prolis ab anima parentis morali quadam cauſalitate traducitur. 823
Traductio animæ pecoris à parentibus quomodo fiat. 814

V

VACVVM implicat contradictionem. 747
Ventriculi conformatio. 227
Vinum poſſe in ſe convertere aquam, eſt ſententia Ariſtotelis, D. Thomæ, Scoti, & vera. 262
Solvuntur argumenta in contrarium. 262. uſque 273
Vini vapor non habet eſſentiam vini. 253
Vinum celerrimè alteratur. 245. 250
Vino mixta aqua, an per artem poſſit ſeparari. 262
Vinum puriſſimum, adhuc eſt corpus heterogeneum. 263
Vinum modicum, quare paulatim non convertat magnam copiam aquæ. 264
Vinum quomodo poſſit diſpoſitiones aquæ expellere & ſuas introducere. 269
Vini potus an ſalutaris. 214. & ſeq.
Vinum an poſſit convertere aquam per ſolam partium uſque ad minima naturalia diviſionem. 273
Viſus quid? 506
Viſus ſemper fertur in objectum ut ante ſe poſitum. 617
Viſiva potentia in tunica retina reſidet. 550
Viſio fit in tunica retina. 548. & ſeq.
An erraverit Plato, quando viſionem jactu radiorum ex oculis fieri dixit. 570
Plato non docuit radiationem lucis per ejaculationem atomorum fieri. 573
Quare non videamus res ut inverſas, cùm ſpecies in oculo pingantur inverſo modo. 565
Cur in naturali oculorum ſitu, res ſimplices, non geminæ, videantur. 552
Quid videatur in ſpeculo. 577. & ſeq.
An videamus colorem cæli Empyrei. 585
An videamus centrum ſolis, ut Keplerus putat. 589
An oculus Chriſti in Euchariſtia videat circumſtantes. 590
An unico tantùm oculo ſemper quidlibet videamus. ibid.
An viſus Beatorum indigeat lumine. 591
Cur in ſpeculo faciem ſuam videns, ſtatim obliviſcatur ſuæ formæ. ibid.
Vitam lapidibus, metallis &c. tribuunt Cardanus, Keplerus, & alij. 12
De vita terræ, Campanellæ ſententia. 17

Digitized by Google

Sidera vivere, qui Philoſophorum olim ſenſerint. 23
SS. Auguſtini, Hieronymi, de ſiderum vita, dubitatio. 24
An ſit contra Catholicam fidem, ſtellas vivere. ibid.
Vitæ auſteritas an omnibus ſectanda ſit. 241
Vnio qua anima unitur corpori, ſitne una, an multiplex. 89
Vnio animæ utrique extremo proximè inhæret. ibid.
Vnio animæ rationalis cum corpore, licet ſit proximè etiam in anima, eſt tamen materialis. 90. 807
Conſtat partibus integralibus. 90. 805
Vocis inſtrumenta. 600
Non omnia inſtrumenta ſingulis vocibus formandis æquè ſerviunt. 601
Vocum unde in diverſis hominibus tanta varietas. 603
Voluntas an & qua ratione cæca rectè dicatur. 169
Si intellectus & voluntas influxum ejuſdem animæ non participarent, difficile eſſet explicatu, quomodo voluntas non ferretur in incognitum. 169
An voluntas in electione ſemper eligat quod majus eſt. 890
Quid futurũ, ſi bona undique ęqualia proponantur voluntati. ibid.
Voluntas id tantùm amat, quod magis delectat. 890. & 893
Voluntatis actus in ſomnijs, infantiâ, amentiâ, motibus primò-primis, liberi non ſunt. 899
Quo ſenſu verum iſtud, *Voluntas intrat, ubi intellectus foris ſtat.* 882
Voluntas dupliciter movet appetitum inferiorem. 939
Voluntas an per immediatum imperium poſſit movere appetitum ſenſitivum, non motâ phantaſiâ. 935
Vnde fiat, quòd voluntas & intellectus aliquando videantur agere ſine phantaſia. 937
Voluptas quæ eſt objectum tactûs, non eſt aliud quàm diſpoſitio conveniens organo tactûs. 674
Vſus rationis plenus advenit circa annum ſeptimum. 862
Vſus imaginationis nimio cerebri humore impeditur. ibid.
Pueri ad rationis uſum in rebus ſenſibilibus citiùs perveniunt, quàm ad boni malive moralis diſcretionem. 863
Vſus rationis interdum in una materia, & non in altera. 866. 867 868. 869
Dormientes quare uſum rationis amittant. 864
Dormientis imaginatione expeditâ, cur homo ratione uti nequeat. 864
Auguſtinus quo ſenſu carentiam uſûs rationis in parvulis, pœnam peccati originis eſſe dixerit. 870

FINIS.

LABOR. Digitized by Google
R., Milio

Digitized by Google